DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS

OPERA OMNIA

IUSSU ET AUCTORITATE

R.[MI] P. BERNARDINI A PORTU ROMATINO

TOTIUS ORDINIS MINORUM S. P. FRANCISCI

MINISTRI GENERALIS

EDITA

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII A S. BONAVENTURA

AD PLURIMOS CODICES MSS. EMENDATA

ANECDOTIS AUCTA PROLEGOMENIS SCHOLIIS NOTISQUE ILLUSTRATA

TOMUS I.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCLXXXII

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

COMMENTARIA

IN QUATUOR LIBROS SENTENTIARUM

MAGISTRI PETRI LOMBARDI

TOMUS I.

IN PRIMUM LIBRUM SENTENTIARUM



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

—

MDCCCLXXXII

SERAPHICO PATRIARCHAE

PARENTI NOSTRO LEGIFERO

SANCTO FRANCISCO ASSISIENSI

SEPTIMO AB EIUS NATIVITATE SAECULO RECURRENTE

HANC NOVAM EDITIONEM

OMNIUM OPERUM

SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURAE

INSCRIBIMUS OFFERIMUS DICAMUS

EIUSQUE PATROCINIO ET PROVIDENTIAE

COMMENDAMUS

HUMILES PAUPERES AT TOTO CORDE DEVOTI FILII

F. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

MINISTER GENERALIS

ET FRATRES EDITORES

PRAEFATIO GENERALIS.

Sanctus Bonaventura, nomine gentilitio vocatus Ioannes Fidanza, natione Italus, Balneoregiensis patria, Alexandri Halensis discipulus, universitatis Parisiensis doctor, S. Thomae Aquinatis et S. Ludovici Francorum regis amicus, Ordinis Minorum per septemdecim annos Generalis Minister, S. Romanae Ecclesiae Episcopus Cardinalis, albo Sanctorum a Sixto IV. et Doctorum Ecclesiae a Sixto V. rite adscriptus, virtutum splendoribus, rebus gestis, praeclaris scriptis per orbem et per saecula celeberrimus, communi suffragio antonomastice «pro singularitate sapientiae appellatus est Doctor Seraphicus [1]». Licet omnes sancti Ecclesiae Doctores sint lucernae ardentes caritate et lucentes splendore veritatis, eorumque scripta plurimum conferant ad mentem lectoris scientia illuminandam et affectum devotione inflammandum, tamen non eodem modo et gradu utrumque immediate praestant. *Divisiones enim sunt gratiarum, idem autem Spiritus dividens singulis prout vult* [2]. Doctores autem Scholastici ceterique post eos theologi fere tantum in illuminando intellectu versantur. Sanctus autem Bonaventura, qui cum Doctore Angelico primarium inter Scholasticos locum occupat, utrumque coniungens et in divina quadam animos inflammandi vi prae ceteris doctoribus excellens, iure sibi ab immemorabili tempore promeruit nomen Doctoris Seraphici, summorum Pontificum diplomatibus et saeculorum consensu confirmatum. Insigne praeconium unico hoc vocabulo profertur. Nam, teste *S. Bernardo* [3] «est tantum lucere vanum, tantum ardere parum, lucere et ardere perfectum». Haec igitur indoles, haec laus doctrinae S. Bonaventurae, quae paucis aliis datur, quia scilicet, ut testatur *Trithemius* [4], «multi doctrinam proferunt, devotionem praedicant multi; pauci in scribendo libros docuerunt utrumque. S. Bonaventura autem et multos superavit et paucos, dum eius doctrina

---

[1] Ita Ioannes de Turrecremata Ord. Praedic. in tractatu de Veritate Conceptionis B. M. V. p. VI. c. 30. Hic titulus *Seraphici* posterioris est originis, dum in primo post eius mortem saeculo communiter vocabatur *Doctor devotus.* Sbaralea (Supplementum et castigatio ad Scriptores trium Ord. S. Francisci, Romae 1806, pag. 143) asserit, primum, qui S. Bonaventuram illo titulo decorasse inveniatur, esse Raynerium Pisanum, filium S. Dominici, in sua Summa sive Pantheologia, quam anno 1333 inchoavit. Sed in hoc fallitur doctus vir, quia Prologus Pantheologiae, in quo invenitur titulus *Seraphici,* non est Raynerii, sed editoris illius operis, qui vixit saeculo XV.

[2] I. Cor. 12, 4. 11.

[3] Serm. in nativ. S. Ioan. Bapt. n. 3. (ed. Venet. an. 1765, tom. II. col. 115.).

[4] De Scriptoribus eccles. fol. 101 verso ed. Paris. 1512, vel c. 464 (apud Fabric. Bibl. eccles. p. 113).

devotionem, devotio instruit doctrinam ». « Sint igitur alii doctores, qui dicantur Cherubici; Bonaventura autem verissimo nomine Seraphicus simul et Cherubicus, quia inflammat affectum et erudit intellectum, reducit et unit ad Deum per amorem excitativum [1] ».

Huius igitur eminentissimi et sanctissimi viri opera omnia ut novis studiis et artis criticae subsidiis cribrata, aucta, castigata et illustrata denuo in lucem prodirent, iam dudum plurimi viri eruditi in votis habuerunt. Arduam huius editionis parandae provinciam speciali titulo ad Seraphici Ordinis et ius et officium spectare quis non videt? Iam ipsa huius Sancti merita prorsus singularia erga Ordinem S. Francisci stimulos quosdam validos ad hunc laborem suscipiendum admovere debent. Huc pleno iure faciunt praeclara verba, quibus R.mus Ordinis Minorum Minister Generalis *P. Bernardinus a Portu Romatino,* de toto Ordine optime meritus, instante S. Bonaventurae sexto anno saeculari, subditos suos ad celebranda solemnia festa hortatus est [2]: « Cum Seraphicus Bonaventura, inquit, qua Sanctus et qua Doctor et Ecclesiae Dei qua Episcopus et Cardinalis optime meritus omnium Christianorum venerationem iure sibi vindicet, est et alia ratio, cur nos, Patres et Fratres dilectissimi, illum praecipuis honoribus prosequamur. Ipse enim totius Ordinis S. P. N. Francisci Generalis Minister et Seraphici Patriarchae vestigiis pressius inhaerens, vix credi posset, quam mira discretione ac suavitate per annos septemdecim universum Ordinem rexerit, quam sapienter et fortiter infensissimos regularis vitae detractores et osores refutaverit, qua sollicitudine latis legibus, visitationibus, scriptis, exemplo Ordinem auxerit, ad certam formam revocaverit, scientia illustraverit, pietate foverit. Ipsi profecto post S. P. Franciscum tantum debemus, ut non immerito alter nostri Ordinis fundator habeatur. Aequum igitur est, ut hac sexta recurrente centenaria solemnitate debitum reverentiae, pietatis et grati animi obsequium ad gloriam omnipotentis Dei Seraphico Doctori nostro persolvamus ». — Haec ratio in re, de qua agimus, eo magis urget, quia in anteactis saeculis, ut iam a pluribus observatum est, aurea S. Bonaventurae doctrina, licet verbis semper laudata, re vero ipsa, si excipias paucos viros vere sapientes, potius neglecta et quasi oblivioni tradita iacebat.

Sed et alia gravissima ratio ad onus novae editionis adornandae suscipiendum Ordinem Seraphicum impulit, ut scilicet hac ratione in scholis suis doctrina vere Seraphica S. Bonaventurae facilius revivisceret, profundiores ageret radices et uberiores ferret fructus. Hoc enim fere unanimi suffragio ex multo iam tempore exoptabant quotquot in Ordine Seraphico erant viri doctrina et pietate praestantes. Imprimis idem R.mus *P. Bernardinus* iam a multis annis, cum officio Provincialatus in Provincia Reformatorum Veneta dignissime fungeretur, et postea, cum ad totius Ordinis regendi arduum munus evectus esset, totis viribus incubuit, « ut quod in summis votis habemus (sunt verba ipsius) pium erga Seraphicum nostrum et Ecclesiae Doctorem S. Bonaventuram studium in Ordine nostro reviviscat, et in eius schola instituti, illius scientiam assequamur, disciplinam sectemur, pietatis suavitatem experiamur [3] ». Pio igitur et optimo con-

---

[1] Ioan. Gerson in Epist. missa Lugdunum ad quendam fratrem Minorum anno 1426 (ed. Antuerp. 1706, tom. I. col. 119.).

[2] Epist. encyclica 10. Martii 1874 scripta.

[3] Idem in eadem Epist.

silio iam anno 1871, impulsu et auctoritate eiusdem R.mi Ministri Generalis, novae huius editionis parandae decretum factum est, et labores praeparatorii incepti sunt.

De S. Doctore Bonaventura eiusque operibus plura dicere hoc loco nobis supersedendum esse videtur, cum alibi, nempe in fine totius editionis, data opera, de vitá et scriptis eiusdem diffuse disserendum sit [1]. Sufficiat igitur, ut hoc loco de ipsa huius editionis ratione ea breviter proponamus, quae benevolo lectori servire possunt, ut perspectum habeat, tum quid praecedentibus temporibus in colligendis et edendis Seraphici Doctoris operibus *ab aliis sit praestitum*, tum quid ab iis *imperfectum et adhuc faciendum sit relictum*, tum quid nosmetipsi *vel iam fecimus vel faciendum in hac editione proposuimus*. Cum autem quae ad rem faciunt iam a P. Fideli a Fanna b. m., qui primo edendis operibus S. Bonaventurae praefectus fuit, magna ex parte egregie et diffuse in singulari libro [2], qui vere programma nostrae editionis vocari potest, tractata sint, expedire arbitramur, ut nonnulla hic brevius recenseamus. Monemus autem benevolum lectorem, multa in hac praefatione dicenda ad mentem vel ad verbum ex laudato libro P. Fidelis descripta esse.; quae ad verbum vel fere ad verbum reproducimus, virgulis ad hoc communiter usitatis distinximus.

---

[1] Ratio praecipua, quare hanc dissertationem de vita et scriptis S. Bonaventurae ultimo tomo reservamus, in eo posita est, quod haec dissertatio quasi synthesis erit omnium, quae in Prolegomenis ad singula opera per modum analyticae expositionis sparsa sunt. — Opportunum tamen esse videtur iam hic notare gravem errorem chronologicum circa vitam Seraphici, in quem plurimi et magnae auctoritatis scriptores incaute inciderunt. Ipse Waddingus (Annales, tom. I. ad annum 1243, n. 5.), antiquiores auctores secutus, affirmat, S. Bonaventuram vigesimo secundo aetatis suae anno ad novitiatum Ordinis accessisse, cui consentiunt auctores Actuum Sanctorum (tom. III. mensis Iulii, die 14.) aliique plurimi, et legitur etiam in Breviario Ordinis. Admittit hoc etiam Oudinus (de Script. eccles., tom. III. ed. Lipsiens. col. 134.), qui ex hac falsa suppositione chronologica alium errorem infert scribendo: « Constat, Bonaventuram nunquam habuisse magistrum Halensem nec studuisse sub illo, dum esset Parisiis ». Eidem errori consentit Echardus (Scriptores Ord. Praedic., tom. I. pag. 277 seqq.). Sed iam P. Hyacinthus Sbaralea (Bullar. Franciscan. tom. III. pag. 12 nota; et Supplem. ad scriptores) sufficienter probat, S. Bonaventuram suscepisse habitum Ordinis iam anno 1238 ad finem vergente, annos circa 17 natum, et anno sequenti sub Haymone, Ministro Generali, sacra vota nuncupasse. Secundum eundem auctorem post triennium philosophicum an. 1242 missus est Parisios, ubi Magistro Alexandro Halensi usque ad eius mortem (12 Aug. 1245) usus est. Teste synchrono auctore Ordinis, B. Francisco a Fabriano, « sub Magistro Alexandro licentiatus est ». Hanc chronologiam defendunt Bonelli, Prodromus l. c. l. n. 5; et auctor egregii operis: Storia compendiosa di S. Francesco e dei Francescani per Fr. Panfilo da Magliano M. O. R., Roma 1874, qui testimoniis aliorum scriptorum addit illud Bernardi a Bessa, socii ipsius S. Bonaventurae, in catalogo Ministrorum Generalium, qui exstat mss. in bibliotheca Taurinensi, Cod. sign. I. VI. 33. fol., 120. vers. col. 2. Impressus est hic catalogus etiam in libro rarissimo: « Speculum vitae beati Francisci et Sociorum eius; in fine: Impressum metis per Iasparem [sic] Hochffeder. Anno dni 1509 » (in 12.), ubi invenitur fol. 209 verso. Cum haec editio habeat aliquas lectiones variantes, inseruimus eas uncinis inclusas sequenti textui, qui a P. Fideli a Fanna ex codice Taurinensi descriptus est: « Septimus a B. Francisco successit praeclarissimus Pater Frater Bonaventura de Balneo regio, qui cum *iuvenis* intrasset ordinem, tanta bonae indolis honestate pollebat, ut magnus [Ed. legit *egregius*] ille magister Alexander diceret aliquando de ipso, quod in eo videbatur Adam non peccasse. Hic sicut in luminibus scientiarum et maxime in scriptis [scripturis] sacris videbatur miranda capacitate proficere, ita [sic] et in devotionis gratia continuum sumebat augmentum. Siquidem omnem veritatem, quam percipiebat intellectu, ad formam orationis et laudationis divinae reducens, continuo [deest *continuo*] ruminabat affectu. Hinc factum est, ut in septimo anno post ingressum Ordinis [ad Ordinem] Sententias legeret Parisiis, et in decimo reciperet cathedram magistralem, et in XII. [decimo tertio] vel XIII. ad regimen Ordinis est assumtus ». Ultimi numeri manifestum continent errorem, ut iam Sbaralea et Bonelli observarunt. Ex oscitantia enim librarii in istis numeris Romanis excidit V., unde legendum est XVII. vel XVIII. — Haec verba Bernardi a Bessa repetit S. Antoninus, Chronica p. III. sect. 24. c. 8; addit tamen post *legeret Parisiis*: « Et scriptum notabile et devotum edidit super 4 libros Sententiarum ibique recepit cathedram magistralem ».

[2] *Ratio novae collectionis* operum omnium sive editorum sive anecdotorum Seraphici Eccl. Doctoris S. Bonaventurae proxime in lucem edendae, manuscriptorum bibliothecis totius Europae perlustratis, mandante Reverendissimo P. Bernardino a Portu Romatino, totius Ordinis S. Francisci Generali Ministro, studio ac labore P. Fidelis a Fanna, lectoris theologi et sociorum eiusdem Ordinis; Taurini ex typographia Pontificia et Archiepiscopali Eq. Petri Marietti, 1874.

I.

Statim ab ipsis artis typographicae incunabulis complura Seraphici Doctoris opera vel opuscula, sive singula seorsim sive plura unita, imprimi coepta sunt. Toties eiusmodi editiones repetitae sunt, ut in singulis saeculis haud multi numerentur anni, in quibus non saltem unum alterumque opusculum Seraphici Doctoris, sive retenta originali lingua latina sive translatum in varias linguas, praelo subiectum sit. In ipso saeculo XV. saltem quinquaginta huiusmodi editiones numerantur, quarum nonnullae absque notis loci, temporis et typographi in lucem prodierunt. De his tamen singulorum operum editionibus melius agetur in Prolegomenis unicuique operi praemittendis; quod etiam valet de variis parvulorum opusculorum collectionibus. Hic tantum de *operum omnium* S. Bonaventurae editionibus breviter agemus.

« Prima [1] itaque omnium operum et opusculorum S. Bonaventurae editio Romae prodiit, typis Vaticanis, iussu *Sixti V.* Pontificis Maximi an. 1588 coepta atque ad finem perducta sub Clemente VIII. an. 1599. Septem tomis in folio constat, quorum sextus et septimus opuscula continent in quatuor partes tributa, reliqui opera. Nullum ferme opus, ait *Casimirus Oudinus* [2], ex Vaticana typographia processit, quod his operibus comparari possit ob papyri nitorem atque puritatem, ob praeli elegantiam et emendationem, omnibus in hac editione ad splendorem concurrentibus. Ipsi adornandae operam contulerunt egregiam viri doctissimi plures atque ingenii laude percelebres, nec pro tempore, quo vivebant, artis criticae expertes, nimirum: *Constantius* S. Rom. Eccles. Cardinalis *Sarnanus,* Minorita Conventualis, qui fato cessit antequam opus completum videret; *Angelus Rocca* Ordinis Eremitarum S. Augustini, sacrarii apostolici praefectus et episcopus Tagastensis; *Franciscus Lamata,* doctor theologus, ac denique *Petrus Galesinius,* Protonotarius, ut aiunt, Apostolicus.

Hi viri eruditissimi tantam conciliarunt auctoritatem editioni a se adornatae, ut ad huius normam prodierit altera, nempe Moguntina an. 1609, sumtibus Antonii Hierati, ac tertia Lugduni an. 1678, impensis Philippi Borde, Laurentii Arnaud et Petri Borde, utraque septem voluminibus in folio constans, ordine editionis Vaticanae in operum distributione nihil immutato ».

Nihilominus iam tum temporis non defuerunt viri eruditi, qui varios Vaticanae editionis defectus arguerent, praesertim quod non opera omnia recepta essent genuina, et quod non omnes legitimi Seraphici ingenii foetus essent recepti. Nam, ut dicit *Waddingus* [3]*:* « *Iulius Negronius* S. I., vir alias pius et doctus, aliquanto incautius sciolis et criticis, qui facilius aliena negant, quam propria scribant opera, latissimum aperuit ostium ad eliminanda quaecumque libet opuscula Bonaventurae eaque aliis adscribenda, dum, uti refert *Heribertus Rosweydus,* suspicatus est, omnia opuscula spiritualia, quae sine auctore circumferebantur in

---

[1] Sbaralea, Supplem. pag. 143 n. 5. dicit: « *Opera omnia* (S. Bonaventurae) tomis 7 in fol. prodierunt Parisiis an. 1517 in 4.° per Bertholdum Remblat, quae editio exstat Romae in biblioth. conventus Ss. XII Apostolorum ». Errasse videtur doctus vir vel editor huius operis. Fortasse ista editio continet tantum plura opuscula.

[2] In Commentario de Scriptoribus eccles. t. III. col. 380., ed. Lipsiens. an. 1722.

[3] Scriptores Ord. Min. ed. Romae 1806. pag. 51. col. 2.

Ordine Minorum, a pio viro collecta data esse in lucem sub nomine S. Bonaventurae. Atque ipse Rosweydus sex eiusdem sancti viri opuscula in controversiam vocat et tanquam supposititios foetus aliis patribus attribuit: *Alphabetum* scilicet *monachorum, Collationes octo; Speculum disciplinae ad Novitios;* de *Profectu religiosorum* lib. I; de *Profectu religiosorum* lib. II; de *Institutione novitiorum* partem I. » Deinde Waddingus plura profert, quibus nititur etiam ista sex opuscula Doctori Seraphico vindicare.

Quid valeant eius argumenta alibi erit discutiendum. Quoad quinque opuscula, quae ab editoribus Vaticanae editionis ut supposititia vel saltem dubia in appendice posita sunt, Waddingus fere cum ipsis convenit. Ex altera parte idem auctor recte asseruit, plura S. Bonaventurae opera genuina adhuc inedita esse, quae in nova quam moliebatur editione omnium operum S. Bonaventurae se editurum promisit. « Nos, inquit, magnam praeparamus additionem ad ea quae hucusque prodierunt in editione Vaticana omnium copiosissima, ex penu etiam Vaticano exscriptis multis quae nunquam prodierunt operibus ». Attamen egregius vir morte praereptus propositum suum exsequi non potuit; de quo dolens *Philippus Labbé* S. I.[1]: « Utinam, inquit, aliquis in Waddingi locum subrogetur, qui utrumque munus praestet », scilicet anecdota edat et genuina a spuriis secernat.

Interim ex adversa parte surrexit *Casimirus Oudinus,* in Ordine Praemonstratensium primo professus, deinde ab Ordine et a fide apostata, qui in notissimo suo opere: *Commentarius de scriptoribus ecclesiasticis,* tum doctrinae duorum sanctorum Doctorum Thomae Aquinatis et Bonaventurae virulento animo detraxit, tum ope criticae partium studio infectae probare conatus est, plurima utriusque scripta esse supposititia[2]. Neutrum dignum autumavit titulo Doctoris Ecclesiae et non raro levibus vel etiam falsis argumentis usus est, ut plurima, praesertim Seraphici, scripta inter spuria vel saltem dubia reiiceret.

Post Oudini intemperantem criticam, licet pluries vera etiam ex levibus argumentis concludentem, duo Patres Ordinis S. Francisci de Observantia, reticito nomine (fuerunt autem *P. Ioannes Mazzucato* et *P. Ioannes de Augustinis*), novam et quartam paraverunt editionem, quae lucem aspexit Venetiis an. 1751, ex typographia Stephani Orlandi et Ioan. Bapt. Albritii, 13 tom. in 4°.

Hi omnia et sola opera et opuscula editionis Vaticanae ediderunt, addita tantum quadam brevissima epistola S. Bonaventurae; ordinem tamen omnino mutarunt, distinguendo totam editionem in tres partes, quarum una opera certa, altera dubia, et tertia complecteretur ea quae ex eorum sententia essent supposititia. Primo tomo praefixerunt praelocutionem, quae una cum vita S. Bonaventurae exhibet *Diatribam historico-chronologico-criticam in opera eiusdem,* in qua de singulis operibus sententiam suam ferunt, utrum sint genuina, necne. Promittunt quidem hi editores editionem ornatiorem et correctiorem, qualem et Waddingus praeparavit et Philippus Labbé exoptavit. « Labbé, inquiunt[3], sane vota in cassum emissa non videntur. Nam esto nos, qui et usu et ingenio parum possumus, huic perlustrandae provinciae impares sumus, unanimo tamen nisu et concordibus

---

[1] In notis adiectis ad librum Roberti Bellarmini de Scriptor. eccles., ed. Venet. 1728, pag. 449. col. 2.
[2] Tom. III, Dissert. de script. S. Thomae col. 254; Dissert. de script. S. Bonav. col. 373.
[3] Diatriba pag. 45. 46.

ausis in hoc omnem impendimus operam, ut quod a Waddingo promissum est, id plane exsolveremus ». Sed his promissis omnino non stetit rei exsecutio. Textus enim operum, quem magis castigatum se exhibituros promiserunt, pluribus et gravioribus scatet mendis et etiam lacunis quam tres praecedentes editiones generales. Quoad criticam diiudicationem inter genuina et spuria opera ipsi mediam viam sibi tenere visi sunt inter Oudinum (cuius quidem convitia contra S. Doctorem omnino reprobant) et editores Romanos cum Waddingo; attamen plerumque sequuntur Oudinum facem praeferentem, ut ipsi confitentur. Sane iuxta eorum iudicium inter tredecim huius editionis volumina solummodo quinque sunt, quae certa Seraphici opera, numero viginti octo, continent.

Sed critica haec plus aequo intemperantior et quadam levitate laborans non potuit non sollicitare catholicos viros eruditos, imprimis intra Ordinem S. Francisci, ut tum falsas assertiones Oudini et editorum Venetorum refutarent, tum editionem vere castigatam novis curis adornarent. Ipse R.mus Minister Generalis totius Ordinis S. Francisci *Petrus Ioannetius de Molina,* litteris datis Matriti 23 Maii 1763, mandatum dedit *P. Benedicto Bonelli a Cavallesio,* alumno reformatae Provinciae Tridentinae S. Vigilii, viro imprimis docto et in antiquitatis monumentis evolvendis plurimum versato, ut novam iuxta sanae criticae regulas editionem operum S. Bonaventurae adornaret et simul provideret aberrationibus editorum Venetorum, quos ab intemperatiore critica viri heterodoxi Casimiri Oudini deceptos fuisse conqueritur [1]. P. Benedictus, postquam a P. Generali Ordinis ad hanc provinciam suscipiendam est electus, summo studio et indefesso labore arduum opus aggressus est. Primo corrogatis undique quotquot ad rem suam habere potuit documentis, opus insigne edidit, quod inscripsit: *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventurae* etc., in typographia Bassanensi 1767, sumtibus Remondinianis. Hoc opus in libros octo divisit, et in libro I. tractat de vita seu gestis S. Bonaventurae, in II. de eius doctrina, in III. exhibet animadversiones circa eius scripta, in IV. canones pro rite formando iudicio circa eadem scripta, in V. indiculos et catalogos notis illustratos, in VI. enumerat editiones tum generales, tum singulares, in VII. codices manuscriptos, in VIII. et ultimo examen instituit de singulis operibus editis sive veris aut verisimilioribus, sive incertis et dubiis, sive manifeste supposititiis, et denique de ineditis. Hunc Prodromum excipere debuerat integra et castigata horum operum editio; attamen, cum P. Benedictus Bonelli iam provecta aetate et viribus labore attritis esset, non absque causa timuit, ne

---

[1] Huius epistolae satis longae existit exemplar a P. Chrysostomo ab Avolano, socio P. Benedicti Bonelli, fideliter descriptum et in archivio conventus S. Bernardini Tridenti conservatum, cuius copia, a P. Fideli a Fanna transscripta, in archivio nostri Collegii exstat. Operae pretium duximus aliqua ex ea hic subiicere. « Hinc est quod... sublimissimis meritis excitati tanti Doctoris « (S. Bonaventurae), erga quem a iuventute nostra specialem devotionis affectum professi sumus, ac multo iam tempore ar« dentissimum desiderium animum nostrum accenderit, procurandi eius operum novam eamque exactissimam editionem, ad normam « providi consilii, quod conceperat vir clarissimus Franciscanorum Annalium parens Lucas Waddingus, quod tamen morte prae« ventus opere complere haud potuit... Nec enim nos latet, plurimis sphalmatibus, laciniis ac mendis scatere hactenus publici « iuris factas operum Seraphici Doctoris nostri editiones, quin ex harum numero excipiamus postremam Venetam editionem, quam « etsi reliquis omnibus copiosiorem magisque exactam probaverint viri eruditi, non defuerunt tamen aequalis eruditionis ac doctri« nae theologi, qui sepositis partium studiis, laudatam editionem ad rigidiores criterii canones revocantes, censoria virgula gra« viter ac pro merito carpunt Venetos editores, qui intemperantiori critica viri heterodoxi Casimiri Oudini decepti, vanas plu« res easque male cohaerentes et supposititias lacinias aureis et germanis D. Bonaventurae operibus perperam assuerunt; e con« tra vero inter spuria ac illegitima allegarunt quam plurima, quae certis documentis tanquam sinceri ac genuini praeclarissimi « Doctoris partus sunt vindicanda. Cum itaque, ut hisce aberrationibus provideretur, non aliud profecto obvium esset remedium « quam novam editionem adornare » etc.

immensum opus, quod susceperat, imperfectum relinqueret. Unde id unum egit, ut saltem anecdota, quae collegerat, publici iuris faceret, quod praestitit tribus voluminibus in folio sub titulo: *S. Bonaventurae* etc. *operum omnium Supplementum,* sub auspiciis Clementis XIV. P. M., Tridenti, 1772-1774. Haec volumina continent quadraginta quinque opera vel opuscula notis illustrata copiosissimis, quae infra singula enumerabuntur. — Ad rem quoque nostram faciunt verba eiusdem editoris in principio epistolae dedicatoriae ad Summum Pontificem Clementem XIV., primo tomo praemissae: «Mirum profecto erat vehementerque dolendum, quod aurea isthaec Seraphici Doctoris nostri monumenta partim severioris et intemperantis criticae iudicio eidem surrepta hinc inde distrahi propriique auctoris honore privari, partim etiam ignorata penitus et neglecta in angulis latebrisque bibliothecarum squalere tamdiu sinerentur. Quamobrem nos ipsi de nobis saepissime conquerebamur, ingenuo iustoque pudore succensi, probe intelligentes, quod nostra potissimum interesse iam diu debuisset, ea ab omni sive temporum sive hominum iniuria vindicare [1] ». — Verum ante P. Benedictum Bonelli alius vir doctissimus ex familia Minorum Conventualium, nempe Magister *Ioannes Hyacinthus Sbaralea,* qui mortuus est anno 1763, Oudinum in multis solide refellerat et certioribus argumentis non pauca opera S. Bonaventurae restituerat in suo opere: *Supplementum ad scriptores* trium Ordinum S. Francisci, primo editum Romae, anno 1806 (i. e. quadragesimo tertio post eiusdem obitum), quo opere manuscripto P. Bonelli scite usus est, ut ipse ingenue fatetur in praefatione ad Prodromum pag. XI. — Porro hoc saeculo decimo nono decurrente,

---

[1] Merita P. Benedicti Bonelli prorsus singularia et paucis satis cognita erga opera Seraphici Doctoris iure exigere videntur, ut hoc loco aliquid de hoc eruditissimo viro inseratur, quod accepimus ex liberculo: Cenni intorno alla vita ed agli scritti del P. Benedetto Bonelli da Cavallese, de' Minori Riformati di S. Francesco, Trento, Monauni 1861. Natus est igitur 26 Dec. 1704 a nobilibus parentibus Ioan. Dominico Bonelli et Francisca Antonia Miorini, in pago Cavallesio vallis Fiemme, non longe distante a Tridento. Studiis humanioribus vacavit Tridenti in scholis Societatis Iesu; habitum S. Francisci cum nomine Benedicti assumsit inter Minores Reformatos 26 Maii 1721. Finito cum laude novitiatu, studiis philosophicis et theologicis sedulo incubuit in scholis suae Provinciae. Pietate et doctrina prae ceteris excellens, ad sacerdotium promotus est mense Decembri 1728. Ab anno 1731 officio lectoris primo philosophiae et deinde theologiae in scholis Ordinis functus est. Eodem tempore studiis continuandis, libris scribendis et verbo Dei praedicando indefesse incubuit. Suae Provinciae Definitor electus est 1745 et postea loco Ministri Provincialis interfuit Capitulo Generali 1756 Murciae in Hispania celebrato, ubi electus est Definitor Generalis Germanicae nationis, quo munere fungens adstitit Capitulo Generali 1765 Mantuae habito. Ipsi a Capitulo demandatum fuit, ut litteras ad Clementem XIII. contra laxitates in libros de doctrina morali irreptas et etiam contra probabilismum componeret; quod cum multa eruditione peregit. Eodem tempore a Ministro Generali Petro Ioannetio de Molina accepit mandatum, de quo supra locuti sumus, edendi opera S. Bonaventurae. Anno 1778, vigesimo octavo Martii, iterum ad dignitatem Definitoris Generalis assumtus est, subrogatus in locum P. Leandri Luegmayer, morte praerepti. Usque ad extremum vitae indefesse laboribus suis intentus, pie in Domino mortuus est 28 Octobris 1773, Tridenti in conventu S. Bernardini. Solitudinis amore, otii odio, verbi Dei praedicandi assiduitate, facundiae et memoriae excellentia, studiorum rara patientia, eruditionis copia, morum gravitate, in Deum pietate apud omnes reverentiam sibi et auctoritatem conciliavit singularem. Scripsit 107 opera vel opuscula, quorum nonnulla ad ascetica, sed plurima ad historiam ecclesiasticam antiquitatumque notitiam et ad ethicam christianam spectant. Typis publicata sunt tantum triginta eius opera, inter quae praeter iam duo a nobis memorata aliqua sunt ascetica et plurima ad res historicas spectantia, ut Dissertazione apologetica sul martirio del B. Simone da Trento nell' anno 1475 dagli Ebrei ucciso, Trento 1747; Vindiciae Romani Martyrologii XIII Augusti, S. Cassiani Foro-Corneliensis martyris etc., Veronae 1751, cum aliis opusculis hoc opus defendentibus; Dissertazione intorno alla santità e martirio del B. Adalpreto, Vescovo di Trento, dedicata a S. Santità Benedetto XIV., Trento 1754; Notizie storico-critiche intorno al B. M. Adalpreto ed intorno ad altri vescovi della Germania e dell' Italia ai tempi dello scisma di Federigo I., 2 vol. in 4.º, Trento 1760-1761; Notizie storico-critiche della chiesa di Trento, Trento 1762; Monumenta ecclesiae Tridentinae, Tridenti 1765, in 4.º; Osservazioni sulla giunta e critica fatta dal P. Zaccharia; Dell'indulgenza della Porziuncula. Plurima quae scripsit pro ethica severiore vindicanda, magna ex parte sunt inedita, sicut et opus, quod paucis ante mortem diebus denuo complevit, cum prima vice anno 1778, igne in eius cella casu exorto, fere totus consumtus esset, cuius titulus est: De fide, moribus et disciplina adversus profanas opinionum novitates doctrina sacra et antiqua, ex operibus Doctoris Seraphici Bonaventurae ac aliorum Patrum atque Doctorum deducta, secundum ordinem locorum theologicorum digesta et in libros XIV ac 3 tomos distributa, pro rite instituenda iuventute ecclesiastica et religiosa.

quatuor novae editiones omnium operum S. Bonaventurae a diversis editoribus in Italia annuntiatae fuerunt, sed harum nulla lucem aspexit.

At quinta horum operum editio ab an. 1864 prodire coepit Parisiis apud Ludovicum Vivès, cura et studio A. C. Peltier, ecclesiae Rhemensis canonici. Sub respectu artis typographicae editio laudem meretur; etiam systema interpunctionis et orthographiae modernis usibus est accomodatum. Verum quoad intrinsecum editionis pretium multa sunt quae desiderantur, multa quae approbari non possunt. In primis non exhibentur nisi opera, quae exstant in editione Veneta, adiecta tantum parva epistola S. Bonaventurae ad Fr. Laurentium, quae ex Waddingo sumta est. Textus iuxta Venetam, omnium pessimam editionem, impressus est, correctis tamen hinc inde aliquibus erroribus typographicis, et mutatis pluries nonnullis verbis, quae D. Peltier visa sunt falsa. Codices idem non consuluit nisi unum super Sententias, cuius, ut ipse dicit, saepe se facturum usum sperat [1]; nullibi tamen dicit, ubi eo usus fuerit. In primo tomo Vita S. Bonaventurae et Diatriba historico-chronologico-critica editionis Venetae reimpressae sunt, nulla ibi facta mentione confutationis et a Bonelli et a Sbaralea factae. Adduntur tamen in notis ad mitigandam immoderatam eorum criticam nonnullae generales observationes in lingua Gallica [2]. In dicta praefatione editor dicit, se hac potissimum ratione Commentaria in libros Sententiarum primo loco edidisse, ut hac ratione ipse apprehenderet sensim ac pedetentim modum loquendi ac stylum S. Bonaventurae [3]. Addendum tamen est, quod post editos tres priores tomos D. Peltier, ut ipse dicit in principio quarti tomi, a clarissimo D. Prospero Guéranger obtinuit *Prodromum ad opera omnia S. Bonaventurae,* editum a P. Benedicto Bonelli, et exinde ad singula opera praemittit plurima ex Prodromo ad Oudinum et Venetos refutandos desumta; sed neque P. Bonelli sententiis semper adhaesit, quin tamen aliquam auctoritatem vel rationem specialem adduceret, ut rationes Prodromi dilueret. De operibus in tribus tomis Supplementi a P. Bonelli editis nullam facit mentionem, licet de eorum existentia monitus fuerit, eaque edere ceterisque operibus addere omnino neglexit.

Eapropter optimo consilio R.mus Minister Generalis *P. Bernardinus a Portu Romatino* an. 1871 proposuit publicare novis curis et studiis editionem operum S. Bonaventurae completissimam, quae praeter opera in praefatis quinque editionibus publicata integrum *Supplementum* P. Bonelli et alia opuscula anecdota contineret, textu emendato et postillis marginalibus illustrato. Ad quod opus perficiendum elegit virum maxime idoneum, *P. Fidelem a Fanna,* Provinciae Venetae lectorem theologum. Qui cum per decem annos immensis laboribus omnia monumenta ad hanc editionem spectantia collegerit, et ideam parandi hanc edi-

---

[1] Tom. I préface :... dont nous espérons faire souvent usage.

[2] Rationem, quare in lingua Gallica loquatur, satis singularem editor hanc ibidem affert: « Le lecteur ne s'offensera pas si, dans « la plupart de ces notes, comme dans cette préface, nous lui parlons en français, au lieu de le faire en latin. C'est que nous vou- « lons exprimer clairement notre pensée, et la faire comprendre à nos lecteurs, et que nous courrions risque de manquer ce « double but, si nous adoptions une autre langue que notre langue maternelle ».

[3] « En l'étudiant donc avant les autres, nous apprendrons insensiblement à connaître la manière et le style de notre au- « teur, et par ce moyen nous nous mettrons plus en état d'apprécier la juste valeur des obiections que les éditeurs de Venise « ont cru pouvoir élever contre une partie certainement trop considérable des autres écrits qui portent le nom de saint Bona- « venture, en se fondant plus souvent sur une prétendue différence de style ».

tionem, adhibitis omnibus modernae artis criticae subsidiis, conceperit viamque ad eam executioni mandandam forti animo aperuerit, merito totius huius editionis primus et principalis auctor censeri debet. Iustum igitur omnino nobis videtur, ut, quoniam omnipotenti Deo placuit illum superiore anno de praesenti saeculo eripere, vitae ipsius et laborum hoc loco piam memoriam faciamus.

Natus est P. Fidelis 24 Decembris 1838 ab honestis parentibus Oswaldo Maddalena et Angela Marusmattius in parvo vico Fannae, provinciae Italicae Foriiulii (Friuli). Primis litterarum elementis in patria imbutus, mox Venetiis sub disciplina pii et docti sacerdotis *Ioannis Baptistae Piamonte* in studiis humanitatis versatus est. Divina inspiratione ad Ordinem Seraphicum amplectendum vocatus, ibidem in conventu S. Michaelis in Insula a R.mo *P. Bernardino a Portu Romatino,* illo tempore Ministro Provinciali Reformatae Provinciae Venetae et actuali Ministro Generali totius Ordinis S. Francisci, habitum religiosum die 29 Septembris 1855 suscepit, et in manibus eiusdem 19 Septembris 1858 solemnem emisit professionem.

Praeclaro ingenio, singulari diligentia atque firmo constantique animo praeditus, insignes fecit progressus in studiis rhetoricae, philosophiae et theologiae. Eodem tempore initiatus est doctrinae vere Seraphicae S. Bonaventurae, duce A. R. P. *Antonio Maria a Vicetia,* actuali Ministro Provinciali laudatae Provinciae Venetae et editore notissimo Breviloquii S. Bonaventurae variis additionibus illustrati. Ad sacerdotium promotus 26 Decembris 1862, paulo post iam ita doctrina et moribus excultus et maturus suis superioribus visus est, ut munus lectoris ei committerent. Nec spes de eo concepta fefellit, dum philosophicas disciplinas et Breviloquium S. Bonaventurae in scholis Provinciae suae egregie explicabat. Ob temporum tamen vicissitudines pluries cum suis clericis studentibus locum mutare coactus est, docendo 1866-1867 in conventu Sebetensi Provinciae S. Leopoldi Tyrolensis, et deinde in conventu Cimellarum prope Nicaeam (Nizza). Gravi pectoris morbo bis repetito, docendi muneri anno 1869 valedicere coactus est. Sanitati utcumque restitutus, occasione Concilii Vaticani a R.mo Ministro Generali Romam accersitus est (9 Februarii 1870), ut genuinam S. Bonaventurae de praerogativis Summi Pontificis doctrinam defenderet; quod brevissimo tempore absolvit egregio opusculo: *Seraphici Doctoris S. Bonaventurae Doctrina de Romani Pontificis primatu et infallibilitate,* Romae 1870. Paulo post contra pseudo-liberalismum scripsit italica lingua tractatum: *Urgente escursione contro una mano di ausiliari massonici,* Venezia 1871. Tum vero a R.mo Generali ipsi cura adornandae novae editionis operum S. Bonaventurae commissa est. Praemissis diligentissimis studiis praeparatoriis, mox perspexit, non sufficere antiquas editiones utcumque recognitas iterum praelo subiicere, sed meliores codices manuscriptos, sive edita opera contineant sive anecdota, ex bibliothecarum pulvere esse conquirendos, consulendos, ad apicem conferendos, ut nova illa editio foret et completa et iuxta artis criticae regulas correcta. Unde speciali diplomate R.mi Ministri Generalis munitus, plurium bibliothecarum thesauros felici successu perlustrare coepit. Litteris Venetiis 14 Iulii 1871 datis et ad Praefectos praecipuarum Europae bibliothecarum missis, iam notitias plurimas de codicibus ad S. Bonaventuram spectantibus colligere potuit. Nihilominus neque hoc satis sufficere intellexit, sed sibi ipsi bibliothecas adeundas et accurate perlustrandas

esse, quo omnia documenta huc spectantia colligere posset. Unde praeter Italiam peragravit omnes Europae terras, si excipias Russiam et Sueciam, nec ulli cedebat difficultati nec parcebat labori, ut colligeret ex bibliothecis tum publicis tum privatis etiam documenta minoris momenti, quae aliquo modo opera vel vitam S. Bonaventurae possent illustrare. De methodo sane idonea, quam in perscrutandis bibliothecis sequebatur, ipse in libro suo mox laudando rationem reddidit. Hac diligentia et hac sua methodo adhibita, et plura hucusque anecdota Seraphici Doctoris opera in latebris bibliothecarum delitescentia detexit, et meliores iam editorum librorum codices ad textum eorum non raro depravatum vel mutilum emendandum conquisivit, et plurima historiae litterariae documenta notavit, quae tot quaestionibus circa genuina S. Doctoris opera obortis, nec hucusque sufficienti modo solutis, certius resolvendis inservirent. Incredibili studio parique diligentia et eximia artis paleographicae peritia octo annorum spatio fere quadringentas bibliothecas Galliae, Angliae, Belgii, Helvetiae, Germaniae, Daniae, Austriae, Bavariae, Bataviae, Hispaniae, Portugalliae, Italiae perlustravit, et plurium sociorum auxilio suffultus, ad minus quinquaginta millia codicum accuratius examinatorum in multis voluminibus manu exaratis descripsit. In his suis commentariis, praeter ea quae ad S. Bonaventuram spectant, plurimos etiam aliorum auctorum codices manuscriptos memoratu dignos diligenter adnotavit, praesertim eos omnes, qui ad Ordinis nostri auctores ante saeculum XVI. viventes, vel ad historiam Ordinis spectant. Quae notitiae de antiquis Ordinis nostri auctoribus eo pluris faciendae sunt, quod magna horum operum pars nondum praelo publicata, et non pauca ipsi Waddingo et Sbaraleae sunt incognita.

Festo saeculari ab obitu S. Bonaventurae sexto anno 1874 recurrente, per breve tempus a visitandis bibliothecis desistens, composuit librum illum iam laudatum: *Ratio novae collectionis operum omnium Seraphici Doctoris S. Bonaventurae,* in quo et de causis atque methodo novae editionis parandae diffuse disserit, et de quibusdam S. Bonaventurae libris manuscriptis tractat, varia inde exhibendo specimina; denique catalogum contexit ineditorum operum, quae sub nomine S. Bonaventurae in multis bibliothecis exstant et quae usque eo detexerat. Hic liber, licet brevissimo tempore confectus, a viris doctis atque in arte critica exercitatis ubique cum plausu receptus est[1]. Ex Hispania et Portugallia reversus, P. Fidelis se contulit in domum, quam R.mus P. Generalis prope Florentiam in vico, qui vulgo vocatur *Quaracchi* (Clarae Aquae), sub titulo *Collegii S. Bonaventurae* parare inceperat, ut ibi cum sociis, quos etiam in perlustrandis bibliothecis adhibuerat et ad huiusmodi studia formaverat, longo et arduo labori ad editionem disponendam melius vacare posset. Inde autem saepius digrediens, annis 1878-

---

[1] Clarissimus Dns. Leopoldus Delisle, manuscriptis Nationalis Bibliothecae Parisiensis praefectus, in publica sessione Academiae Inscriptionum hunc librum laudibus prosecutus est (Académie des inscriptions et belles-lettres, bulletin de Juillet-Août-Septembre 1874 pag. 301. 302). In eodem sensu scripserunt de ipso: Cl. D. Sommervogel, Études religieuses, philosophiques, historiques et littéraires, tom. VI. Août 1874; Cl. D. Eugène Gardereau O. S. B., Monde 1874, N. 300 et 309; Polybiblion, revue bibliographique universelle, Ser. II. Paris 1875; L' Univers, 20. Février 1875; L'Union, 28 Sept. 1874. Item in Italia Cl. D. Cesare Guasti, Revista universale, Marzo 1875; La Scienza e la Fede, Napoli, vol. 94. fasc. 562, Agosto 1874; Carità, revista religiosa, scientifica, letteraria, Napoli 1875, Febbraio. In Germania: P. Schneemann S. I.: Stimmen aus Maria-Laach 1876, Heft 9; Der Katholik, 1876, Iuli; Litterarischer Handweiser, 1874. In Anglia: The Tablet. In Hispania: Cl. D. I. Orti y Lara, la Sciencia Cristiana, Vol. 2. N. 7, 1877, Marzo e Abril; El Siglo futuro, 1877, 11 Abril. Occasione eiusdem libri Regalis Academia historiae Matritensis (la Real Academia de la historia) in congregatione die 3 Decembris 1877 habita sua sponte honorificum diploma membri correspondentis extranei P. Fideli impertiri decrevit.

1879 plures bibliothecas Italiae adiit et non parum curae et laboris suscepit, ut novo Collegio bibliothecam optimis ad rem instructam operibus compararet. A festo tandem S. Bonaventurae, 14 Iulii 1879, una cum septem sodalibus ibi congregatis praeparationi proximae eiusdem editionis totis viribus incumbebat.

Sed inscrutabili divinae Providentiae consilio contigit, ut in Quadragesima anni 1880, dum nonnullas superioris Italiae bibliothecas nimio labore perlustrabat, germen morbi, quo peremptus est, susciperet. Morbo illo in fine mensis Maii eiusdem anni ingravescente, fere ab eodem tempore per annum et ultra in lecto decumbere cogebatur, quin tamen quidquam de ingenii alacritate, de animi fortitudine, de rei agendae sollicitudine remitteret, donec lenta tabe consumtus, saepissime Eucharistico cibo aliisque Ecclesiae Sacramentis rite munitus, Summi Pontificis benedictione Apostolica et ultimo vitae suae die presentia R.mi P. Generalis, sui in Christo patris, consolatus et divinae voluntati penitus resignatus, pie inter Fratrum preces in Domino obdormivit, die festo S. Clarae, 12 Augusti superioris anni 1881. *Consummatus in brevi explevit tempora multa* (Sap. 4, 13), cuius memoria in benedictione sit.

II.

His secundum rerum ordinem enarratis, breviter proponamus, quid pro nova editione faciendum a praecedentibus editoribus nobis relictum sit.

Primus quidem defectus illarum editionum est, quod textus in nullo editorum operum est plene correctus, immo in plurimis operibus scatet mendis, lacunis atque interpolationibus, quae in Vaticanam editionem irrepserunt et in sequentes transierunt. Nonnulla opera iam in primis editionibus non nisi valde mutila et vitiata in lucem prodierunt, ita ut vix mediocri ingenio, nedum Seraphico Doctore digna videantur. Ut de aliis libris hoc loco taceamus, ipse *Commentarius in libros Sententiarum* vitiis modo memoratis minime caret. De hoc iam conquestus est *Petrus Trigosus* O. S. Fr. Capuc.[1] his verbis: «Omnia exemplaria, quae ego vidi (agitur de quodam loco in quaest. 1. Prologi), sunt mendosa, quod frequenter invenio in isto Seraphico Doctore. Et valde doleo, quod tantus Doctor tot scateat mendis, quod nescio quibus sit imputandum. Eius tamen opera emendata et aucta fel. record. Sixti V. P. M. iussu valde desiderantur». Multa specimina eorum, quae tum in *Commentario ad Sententias,* tum in *Commentario ad Ecclesiasten* omissa sunt, offert laudata *Ratio novae collectionis* etc.[2] Plura alia specimina suppeditat hic primus nostrae editionis tomus fere in singulis paginis, quamvis de plurimis erroribus typographicis ne mentionem quidem fecerimus. Grave hoc vitium editionum praecedentium manifeste opportunam esse novam editionem comprobat; nec remedium contra illud exhiberi posse constat, nisi consultis pluribus et melioribus codicibus. Sciunt enim omnes eruditi, plerosque codices oscitantia et imperitia amanuensium plurimis mendis et lacunis esse corruptos. Hoc maxime accidit saeculis a XIII. ad XV.; partim ob scripturam multis siglis sive notis compendiariis valde abbreviatam ideoque lectu saepe perdifficilem, partim ob multitudinem librariorum imperitorum, qui quaestum ex

---

[1] Summa theol. S. Bonaventurae, Lugduni 1616, pag. 18, col. 1.

[2] Pars II, pag. 200 seqq.

libris describendis faciebant. Linguae latinae vel omnino imperiti, vel non satis periti, solent hi quam plurimos admittere errores, qui claritati dictionis officiunt, non raro sensum mutant vel saltem latinitatem ab auctore non neglectam soloecismis, verborum transpositionibus vel omissionibus quandam barbariem olere faciunt. Vetus est doctorum virorum querela de libris mendose scriptis. Ut de Cicerone taceamus, *Ioannes Gerson* [1] sic loquitur de corruptis per ineptias librariorum libris, « quales protulit aetas nostra plurimos, quorum mendosa fuerunt adeo volumina, ut consultius fuisset nulla quam talia ministrare... Hanc aestimant aliqui non minimam iacturam tribuisse studiis ac universitatibus nostrae tempestatis, dum quilibet admittebatur ad scribendum non probatus, non cognitus. Exempla quoque dabantur incorrecta » etc. Nec defuerunt praesertim saeculo XIV. et XV. interpolatores, qui bona vel mala fide glossas operi describendo inseruerunt; nec raro alii aliquam partem operis ut sibi minus utilem omiserunt. Hinc saepe egregia opera, tam edita quam inedita, visa sunt ita incorrecta, obscura, sententiis contradictoriis referta, ut suis quandoque indigna auctoribus appareant. Haec criticae artis ope nativae suae puritati restituere tanti est pretii, ut qui haec praestiterit velut alter operis parens haberi possit. Hac ratione ductus P. Fidelis a Fanna nulli pepercit diligentiae et labori, ut idoneos ad id praestandum codices quam plurimos inveniret; et nos omnem diligentiam adhibuimus et adhibituros esse pollicemur, ut textus originalis S. Bonaventurae, quantum media et vires suppetunt, pristinae integritati restituatur.

Secundo loco illud etiam dolendum est, quod scilicet in praecedentibus editionibus tanta adhuc incertitudo subsistat in discernendis S. Doctoris scriptis dubiis vel spuriis a genuinis. Censores praecipui de hac re tractantes ita inter se dissident, ut circa multa opera sibi contradicant. Magna inde confusio in republica litteraria evitari non potuit, dum lectores iuxta censorum quos consulunt diversa iudicia non tantum dissident in iudicando de operum authenticitate, sed etiam, allegando sententias ex his libris desumtas, mox S. Bonaventuram auctorem proclamant, mox alium scriptorem. Quam dissidentium iudiciorum varietatem ut lector propriis oculis cernere possit, operae pretium duximus, ex libro laudato P. Fidelis [2] hic conspectum annectere omnium operum S. Bonaventurae, cum sententiarum e regione diversitate, quibus illi quatuor auctores, quos superius nominavimus, eadem opera aut certa aut spuria aut dubia diversimode iudicarunt. Hi sunt *Oudinus, editores Veneti, Sbaralea* et *P. Benedictus Bonelli* in locis iam citatis. Subnectimus etiam catalogum eorum operum, quae ab eodem *Bonelli* in *Supplemento* suo sunt edita, cum notis, quibus auctor in *Prodromo* et in ipso *Supplemento* eadem ut certa aut verisimilia distinxit.

---

[1] De Laude scriptorum consid. 6.

[2] Pag. 28 seqq.

CONSPECTUS

OPERUM EDITIONIS VATICANAE

ET NOTARUM QUIBUS EADEM IN ORDINE AD AUCTOREM

DISTINGUUNT CENSORES PRAECIPUI

VIDELICET

CASIMIRUS OUDINUS, VENETI EDITORES, P. IOAN. HYACINTHUS SBARALEA

ET P. BENEDICTUS BONELLI.

ORDO EDITIONIS VATICANAE	Apud Casimirum Oudinum	Apud Venetos Editores	Apud P. Io. Hyacinth. Sbaraleam	Apud P. Benedictum Bonelli
1. **Principium S. Scripturae.** Incipit: *Ostendit mihi Dominus... fructus duodecim.* Probatissimae perfectissimaeque legis integritas.	spurium	spurium	spurium	certum
2. **Illuminationes Ecclesiae, seu Expositio in Hexaëmeron.** Incipit: *In medio Ecclesiae aperuit os eius...* In verbis istis docet Sapiens.	spurium	spurium	spurium	certum
3. **Expositio in Psalterium.** Incipit: *Quisquis ad divinae paginae lectionem erudiendus accedit.*	certum	spurium	certum	certum
4. **Expositio in Psalm. 118.** Incipit: *Alleluia, Laus, honor... Beati immaculati.* Nota: Sacra Scriptura dicitur paradisus.	certum	spurium	spurium	spurium
5. **Expositio in Ecclesiasten.** Incipit: *Beatus vir, cuius est nomen Domini...* Cum sicut vult beatus Dionysius.	certum	spurium	certum	certum
6. **Expositio in Sapientiam.** Incipit: *Diligite lumen sapientiae...* Quoniam eodem habet res formari.	certum	certum	certum	certum
7. **Expositio in Lamentationes Hieremiae prophetae.** Incipit: *Tempus plangendi et tempus saltandi.* In verbo isto.	certum	certum	certum	certum

ORDO EDITIONIS VATICANAE	Apud Casimirum Oudinum	Apud Venetos Editores	Apud P. Io. Hyacinth. Sbaraleam	Apud P. Benedictum Bonelli
8. **Expositio in cap. VI. Sancti Matthaei.** Incipit: *Pater noster* etc. Oratio haec privilegiata est.	certum	dubium	certum	certum
9. **Expositio in Evangelium Lucae.** Incipit: *Spiritus Domini super me...* Considerantibus nobis.	certum	dubium	certum	certum
10. **Expositio in Evang. Ioan.** Incipit: *Numquid ad praeceptum tuum...* Cum inter quatuor sancta animalia.	spurium	dubium	spurium	spurium
11. **Collationes in Ioannem.** Incipit: *In principio erat Verbum.* Supposita luminali expositione.	spurium	dubium	spurium	spurium
12. **Sermones de tempore.** Incipit: *His autem fieri incipientibus..* Quoniam in Evangelio hodierno ponuntur praesagia.	dubii	spurii	non omnes genuini	certi cum spuriis nonnullis
13. **Sermones de Sanctis.** Incipit: *Mihi absit gloriari nisi in cruce...* Narrat Valerius Maximus.	dubii	spurii	non omnes genuini	certi cum spuriis nonnullis
14. **Sermones de communi Sanctorum.** Incipit: *Species caeli gloria stellarum.* Per caelum recte Ecclesia sancta intelligitur.	dubii	spurii	non omnes genuini	certi cum spuriis nonnullis
15. **In libr. primum Magistri Sententiarum.** Incipit: *Profunda fluviorum scrutatus est...* Verbum istud sumtum ex Iob.	certum	certum	certum	certum
16. **In libr. secundum.** Incipit: *Solummodo hoc inveni quod Deus...* Sollicite consideranti praesentis libri.	certum	certum	certum	certum
17. **In libr. tertium.** Incipit: *Deus autem qui dives est in misericordia...* Verbum istud scribitur ad Ephesios.	certum	certum	certum	certum
18. **In libr. quartum.** Incipit: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis...* Verbum istud scribitur in Ecclesiastico.	certum	certum	certum	certum

ORDO EDITIONIS VATICANAE	Apud Casimirum Oudinum	Apud Venetos Editores	Apud P. Io. Hyacinth. Sbaraleam	Apud P. Benedictum Bonelli
19. **De reductione artium ad theologiam.** Incipit: *Omne datum optimum....* In hoc verbo tangitur origo omnis illuminationis.	dubium	dubium	certum	certum
20. **Breviloquium.** Incipit: *Flecto genua mea ad Patrem... ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Magnus doctor gentium.	genuinum	certum	certum	certum
21. **Centiloquium.** Incipit: *Ecce descripsi eam tibi tripliciter...* Informans Sapiens in his verbis.	certum	certum	certum	certum
22. **Pharetra.** Incipit: In conversionis meae primordio cum ob mentis recreationem auctoritates Sanctorum legerem.	spurium	spurium	certum	certum
23. **Declaratio terminorum theologiae.** Incipit: Omnipotens Deus Pater, Filius, Spiritus sanctus unus est Deus.	dubium	dubium	certum	certum
24. **Compendiosum principium in Libros Sententiarum.** Incipit: *Gyrum caeli circuivi sola* etc. Quam sit libri Sententiarum inaccessibilis celsitudo.	spurium	spurium	spurium	verisimile
25. **Sententiae sententiarum carmine digestae.** Incipit: O fons splendoris, vas dulcoris.	spurium	spurium	spurium	certum
26. **De quatuor virtutibus cardinalibus.** Incipit: De quatuor virtutibus cardinalibus sunt virtutes politicae.	non indignum	dubium	spurium	verisimile
27. **De septem donis Spiritus sancti.** Incipit: *Omne datum optimum...* Sanctus Iacobus apostolus.	dubium	certum	spurium	spurium
28. **De resurrectione a peccato ad gratiam.** Incipit: Paulus apostolus videtur firmiter asserere.	non indignum	certum	spurium	spurium
29. **De tribus ternariis peccatorum infamibus.** Incipit: Tres sunt ternarii peccatorum infames.	non indignum	spurium	dubium	certum

*

ORDO EDITIONIS VATICANAE	Apud Casimirum Oudinum	Apud Venetos Editores	Apud P. Io. Hyacinth. Sbaraleam	Apud P. Benedictum Bonelli
30. **Dieta salutis.** Incipit: *Haec est via, ambulate in ea...* Magnam misericordiam facit qui erranti viam ostendit.	spurium	spurium	spurium	spurium
31. **Meditationes vitae Christi.** Incipit: Inter alia virtutum et laudum praeconia.	spurium	spurium	spurium	spurium
32. **Lignum vitae.** Incipit: *Christo confixus sum cruci.* Verus Dei cultor Christique discipulus.	non indignum	certum	certum	certum
33. **De quinque festivitatibus pueri Iesu.** Incipit: Cum secundum virorum venerabilium.	spurium	spurium	spurium	certum
34. **Officium de passione dominica.** Incipit: Domine, labia mea aperies... *Invitator.* Christum captum et derisum, flagellatum et crucifixum, venite adoremus. *Hymn.* In passione Domini.	spurium	spurium	certum	certum
35. **Opus contemplationis.** Incipit: Iesus ineffabilis persona Trinitatis.	spurium	spurium	spurium	certum
36. **Laudismus de sancta cruce.** Incipit: Recordare sanctae crucis, Qui perfectam vitam ducis.	spurium	spurium	certum	certum
37. **Philomena.** Incipit: Philomena praevia temporis amoeni.	spurium	spurium	spurium	verisimile
38. **De septem verbis Domini in cruce.** Incipit: Iesu salutis hostia, salutis sacrificium.	spurium	spurium	certum	certum
39. **Speculum B. M. Virginis.** Incipit: Quoniam, ut ait beatus Hieronymus, nulli dubium est.	spurium	spurium	spurium	spurium
40. **Officium de compassione B. M. Virginis.** Incipit: Domine, labia mea aperies... *Invitator.* Cum Maria Virgine fervide ploremus, in sepulcro positum venite adoremus.	spurium	spurium	spurium	dubium

ORDO EDITIONIS VATICANAE	Apud Casimirum Oudinum	Apud Venetos Editores	Apud P. Io. Hyacinth. Sbaraleam	Apud P. Benedictum Bonelli
41. **Corona B. M. Virginis.** Incipit: Cum iucunditate memoriam nominis Mariae celebremus.	spurium	spurium	certum	certum
42. **Carmina super canticum Salve Regina.** Incipit: Salve Virgo virginum, stella matutina.	spurium	spurium	spurium	certum
43. **Laus B. V. Mariae.** Incipit: Ave caeleste lilium, Ave rosa speciosa.	spurium	spurium	spurium	certum
44. **Psalterium minus B. M. Virginis.** Incipit: Ave Virgo, vitae lignum.	spurium	spurium	spurium	verisimile
45. **Psalterium maius B. M. V.** Incipit: *Arripe illam, et exaltabit te... Psalm.* Beatus vir, qui diligit nomen tuum, Maria Virgo.	spurium	spurium	spurium	dubium
46. **Sermones de decem praeceptis.** Incipit: *Si vis ad vitam ingredi...* Verba ista scripta sunt in Matthaeo, et sunt verba Salvatoris.	spurium	spurium	certum	certum
47. **Epistola vigintiquinque memorabilium.** Incipit: In Christo suo dilecto... Qualicumque homine veteri iam exuto.	certum	dubium	certum	certum
48. **De regimine animae.** Incipit: Primum omnium necesse habes, anima mea.	incertum	dubium	certum	certum
49. **Formula aurea de gradibus virtutum.** Incipit: *Accedite ad Dominum et illuminamini...* Ius hominis est ad Deum accedere.	spurium	spurium	certum	verisimile
50. **De pugna spirituali.** Incipit: Eia nunc milites Christi, bellum spirituale ingressuri.	spurium	dubium	dubium	certum
51. **Speculum animae.** Incipit: *Arbor mala fructus malos facit*, dicit Dominus. Secundum Glossam interlinearem.	spurium	spurium	certum	certum

ORDO EDITIONIS VATICANAE	Apud Casimirum Oudinum	Apud Venetos Editores	Apud P. Io. Hyacinth. Sbaraleam	Apud P. Benedictum Bonelli
52. **Confessionale.** Incipit: In Dei tabernaculo, id est in sancta Ecclesia.	spurium	*spurium	spurium	spurium
53. **De praeparatione ad missam.** Incipit: Ad honorem gloriosae et individuae Trinitatis.	incertum	dubium	certum	certum
54. **De instructione sacerdotis ad se praeparandum ad celebrandam missam.** Incipit: Ad missam celebrandam sex consideranda sunt.	incertum	dubium	spurium	certum
55. **Expositio missae.** Incipit: *Christus assistens Pontifex.* Apostolus ad Hebraeos dicit illa verba de Domino Iesu.	spurium	spurium	spurium	certum
56. **De sex alis Seraphim.** Incipit: *Da occasionem sapienti...* Cum igitur ex levi saepe occasione.	genuinum	certum	certum	certum
57. **Collatio de contemptu saeculi.** Incipit: Septem sunt in mundo, quae si homo bene perpenderet.	dignum	dubium	certum	certum
58. **De septem gradibus contemplationis.** Incipit: Contemplativorum aquilinos obtutus acui.	spurium	spurium	spurium	certum
59. **Exercitia quaedam spiritualia.** Incipit: Ut in virtutibus conserveris, oportet.	spurium	dubium	dubium	certum
60. **Fascicularii** pars prima incipit: *Scire debes, quod quamvis omnia.* Pars secunda incipit: *Fasciculus myrrhae dilectus meus...* loquitur anima devota.	spurium	dubium	dubium	certum
61. **Soliloquium.** Incipit: *Flecto genua mea ad Patrem... ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Apostolus Paulus, vas aeternae electionis.	dignum	certum	certum	certum
62. **Itinerarium mentis in Deum.** Incipit: In principio primum principium... *Beatus vir...* Cum beatitudo.	genuinum	certum	certum	certum

ORDO EDITIONIS VATICANAE	Apud Casimirum Oudinum	Apud Venetos Editores	Apud P. Io. Hyacinth. Sbaraleam	Apud P. Benedictum Bonelli
63. **De septem Itineribus aeternitatis.** Incipit: *Eum qui venit ad me non eiiciam foras*, inquit Salvator. S. Augustinus de cognitione.	spurium	spurium	spurium	spurium
64. **Incendium amoris.** Incipit: Evigilans vero... *Ecce descripsi eam tibi tripliciter.* Cum omnis scientia.	spurium	certum	certum	certum
65. **Stimulus amoris.** Incipit: *Ad te, Domine, levavi animam meam...* Currite gentes undique.	spurium	spurium	spurium	spurium
66. **Amatorium.** Incipit: Praesens opusculum qui legerit... Ad te sermo meus dirigitur, quisquis.	spurium	certum	dubium	certum
67. **De Ecclesiastica Hierarchia.** Incipit: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt... A magnitudine enim speciei et creaturae...* Ex quo apparet manifeste, quod humanus intellectus.	certum	genuinum	certum	certum
68. **Legenda S. Francisci.** Incipit: *Apparuit gratia Dei...* in servo suo Francisco omnibus vere humilibus.	genuinum	certum	certum	certum
69. **Expositio in regulam fratrum Minorum.** Incipit: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint...* Hanc plane puto regulam.	certum	dubium	certum	certum
70. **Determinationes quaestionum circa regulam S. Francisci.** Incipit: Cum inter alios ordines religiosorum.	certum	certum	certum	certum
71. **Quare fratres minores praedicent et confessiones audiant.** Incipit: Quia plerique dubitant et quaerunt.	certum	certum	certum	certum
72. **Libellus apologeticus in eos qui Ordini fratrum Minorum adversantur.** Incipit: Praeter hoc quod surripitis clericis eleemosynas.	certum	certum	certum	certum
73. **De tribus Quaestionibus ad magistrum innominatum.** Incipit: Innominato magistro... Proponis carissime.	certum	certum	certum	certum

ORDO EDITIONIS VATICANAE	Apud Casimirum Oudinum	Apud Venetos Editores	Apud P. Io. Hyacinth. Sbaraleam	Apud P. Benedictum Bonelli
74. De paupertate Christi contra magistrum Gulielmum. Incipit: Quaestio est de paupertate, et quaeruntur duo.	certum	certum	certum	certum
75. Quod Christus et Apostoli et discipuli eius discalceati incesserunt, sive de sandaliis Apostolorum. Incipit: Talis lector, tali lectori... Quoniam secundum Apostolum Ioannem.	certum	certum	certum	certum
76. Apologia pauperum. Incipit: Summi legislatoris inviolabili constat definitione sancitum.	certum	certum	certum	certum
77. Epistola ad quendam Provincialem Ministrum. Incipit: In Christo sibi carissimo fratri... Quoniam ad hoc potissimum.	certum	certum	certum	certum
78. Epistola ad Ministros Provinciales et Custodes. Incipit: In Christo sibi carissimis... Licet insufficientiam meam.	genuinum	certum	certum	certum
79. Biblia pauperum. Incipit: Tanta pollet excellentia... Creatio rerum fuit ita mirabilis.	spurium	spurium	spurium	spurium
80. Alphabetum religiosorum. Incipit: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi...* Obsecro te, Deus meus.	spurium	spurium	dubium	dubium
81. Alphabetum religiosorum incipientium. Incipit: Ama paupertatem, sis vilibus contentus.	spurium	spurium	certum	verisimile
82. Collationes octo. Incipiunt: Vide, anima mea, innovata mirabilia veritatis.	spuriae	spuriae	spuriae	spuriae
83. Speculum disciplinae ad Novitios. Incipit: Ad honestatem tendentes in primis necessarium habent.	spurium	spurium	spurium	certum
84. De profectu religiosorum liber primus. Incipit: Collationes meas... In priori formula novitiorum.	spurium	spurium	spurium	verisimile

ORDO EDITIONIS VATICANAE	Apud Casimirum Oudinum	Apud Venetos Editores	Apud P. Io. Hyacinth. Sbaraleam	Apud P. Benedictum Bonelli
85. **De profectu religiosorum liber secundus.** Incipit: Profectus religiosi septem processibus distinguuntur.	spurium	spurium	spurium	spurium
86. **De institutione novitiorum, pars I.** Incipit: Primo semper debes considerare, ad quid veneris. Pars II. Incipit: Si vis in spiritu proficere.	spurium	spurium	spurium	verisimile
87. **Regula novitiorum.** Incipit: *Renovamini in novitate sensus vestri...* Hoc dicit Apostolus ad Romanos.	spurium	spurium	certum	certum
88. **Remedium defectuum religiosi.** Incipit: Simplicissimo animo hesterna luce ad me accedebas, frater Roberte.	spurium	spurium	certum	certum
89. **De perfectione vitae ad Sorores.** Incipit: *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine...* Neminem censeri sapientem fateor.	certum	certum	certum	certum
90. **Summa de essentia et invisibilitate et immensitate Dei.** Incipit: Omnipotens Deus Pater, Filius et Spiritus sanctus, unus est atque trinus.	dubium	spurium	dubium	dubium
91. **De sex alis Cherubim.** Incipit: Prima ala est confessio.	dubium	spurium	spurium	dubium
92. **De modo confitendi et de puritate conscientiae.** Incipit: Quoniam fundamentum et ianua virtutum.	spurium	spurium	certum	verisimile
93. **Mystica theologia.** Incipit: *Viae Sion lugent...* Licet Hieremias propheta dixerit hoc verbum.	dubium	spurium	spurium	dubium
94. **Compendium theologicae veritatis.** Incipit: Veritatis theologicae sublimitas.	spurium	spurium	spurium	spurium

Quo magis innotescat differentia, quae est inter laudatos censores de operibus S. Bonaventurae iudicantes, praemissam tabulam in compendium redigimus, opera omnia in illa contenta, iisdem distincta numeris, in tres classes tribuendo,

quarum prima opera certa, digna et verisimilia, altera dubia, tertia vero spuria referat iuxta varias censorum sententias. Sunt igitur sequentibus numeris indicata opera, nimirum :

	Apud Oudinum	Apud Venetos Editores	Apud P. Sbaraleam	Apud P. Bonelli
I. CERTA	sub N. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 15, 16, 17, 18, 20, 21, 26* 28* 29* 32* 47, 56, 57* 61* 62, 67, 68, 69, 70, 71; 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 89.	6, 7, 15, 16, 17, 18, 20, 21, 27, 28, 32, 56, 61, 62, 64, 66, 67, 68, 70, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 89.	3, 5, 6, 7, 8, 9, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 32, 34, 36, 38, 41, 46, 47, 48, 49, 51, 53, 56, 57, 61, 62, 64, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 81, 87, 88, 89, 92.	1, 2, 3, 5, 6, 7, 8, 9, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 29, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 41, 42, 43, 44, 46, 47, 48, 49, 50, 51, 53, 54, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 61, 62, 64, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 81, 83, 84, 86, 87, 88, 89, 92.
II. DUBIA	sub N. 12, 13, 14, 19, 23, 27, 48, 53, 54, 90, 91, 93.	8, 9, 10, 11; 19, 23, 26, 47, 48, 50, 53, 54, 57, 59, 60, 69.	29, 50, 59, 60, 66, 80, 90.	40, 45, 80, 90, 91, 93.
III. SPURIA	sub N. 1, 2, 10, 11, 22, 24, 25, 30, 31, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 49, 50, 51, 52, 55, 58, 59, 60, 63, 64, 65, 66, 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, 92, 94.	1, 2, 3, 4, 5, 12, 13, 14, 22, 24, 25, 29, 30, 31, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 49, 51, 52, 55, 58, 63, 65, 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, 90, 91, 92, 93, 94.	1, 2, 4, 10, 11, 24, 25, 26, 27, 28, 30, 31, 33, 35, 37, 39, 40, 42, 43, 44, 45, 52, 54, 55, 58, 63, 65, 79, 82, 83, 84, 85, 86, 91, 93, 94.	4, 10, 11, 27, 28, 30, 31, 39, 52, 63, 65, 79, 82, 85, 94.

Hinc patet, Venetos editores plura quam ceteros inter spuria coniecisse, atque parum discrepare ab Oudino in quantitate operum quam auferunt vel concedunt Seraphico Doctori. Quae enim numeris asterisco distinctis sub prima classe occurrunt nec omnino certa nec aperte dubia sunt apud Oudinum, sed tantum digna vel non indigna Bonaventura. Pater vero Bonelli pauca inter dubia et spuria recenset, atque iis tam multis editionis Vaticanae operibus, quae S. Bonaventurae adscribit, ea multa addenda sunt, quae in Supplemento ipsemet vulgavit ac pariter Seraphico adscripsit, quorum catalogus hic sequitur.

CATALOGUS OPERUM SUPPLEMENTI

A BENEDICTO BONELLI PRIMO EDITORUM

CUM NOTIS QUIBUS EADEM

S. BONAVENTURAE ADIUDICANTUR.

1. **In Genesis cap. II. Commentariolum de plantatione paradisi.** Incipit: *Plantaverat autem Dominus Deus...* Sicut in Christum pie intendentibus aspectum carnis.	certum
2. **Tractatus in Psal. 45. de studio divinarum litterarum seu de contemplatione et scientia Dei.** Incipit: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus.* Sicut inter omnia nihil Deo altius et melius.	certum
3. **Expositio in Canticum Canticorum.** Incipit: In speculo brevi et aperto contueri volentibus.	certum
4. **Tractatus in cap. I. Ezechielis de sacrae Scripturae mysterio.** Incipit: *Cum essem in medio captivorum...* Conscendere cum Paulo volentibus.	certum
5. **Tractatus in cap. X. Ezechielis de sacrae Scripturae materia.** Incipit: *Ingredere in medio rotarum...* Scripturarum sanctarum pelagus et abyssus.	certum
6. **Sermo de Seminante, seu Expositio parabolarum evangelicarum de regno caelorum.** Incipit: *Simile est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen...* Detinebant illum, ne discederet.	certum
7. **Commentarius in Evangelium sancti Joannis.** Incipit: *Ecce intelliget servus meus...* Quia commendatio auctoris redundat in opus.	certum
8. **Commentarius in Apocalypsim.** Incipit Prologus Gilberti: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu...* Iuxta illud: *Fili, accedens ad servitutem Dei...* Prologus auctoris incipit: Praemittitur huic libro prologus magistralis. Expositio incipit: *Apocalypsis Iesu Christi.* Iste liber in duas partes dividitur.	certum
9. **Commentariolum in vers. 8. cap. IV. Apocalypsis, de Doctrina evangelica.** Incipit: *Quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas...* Superineffabilis altitudo doctrinae Evangelistarum.	certum

10. Commentarius in vers. 1. cap. V. Apocalypsis, de Scripturarum sanctarum dignitate et excellentia. Incipit: *Vidi in dextra sedentis super thronum...* Consideranti mihi Scripturarum sanctarum pelagum infinitum.	certum
11. Tractatus de Vite mystica, sive Planctus de Passione Domini. Incipit: *Ego sum vitis vera.* Iesu benigne, vitis vera.	verisimile
12. Arbores de vitiis et virtutibus. Incipit: Superbia radix omnium vitiorum — Humilitas radix virtutum omnium.	certum
13. Tractatus de humilitate. Incipit: Ad altitudinem humilitatis videndam.	certum
14. Tractatus brevior de tribus virtutibus, humilitate, patientia et caritate. Incipit: Quae potavi de fontibus Salvatoris, effundam.	verisimile
15. Orationes. Incipiunt: O Domine Iesu Christe, qui propter me tibi non pepercisti.	certum
16. Paraphrasis ascetica dominicae orationis. Incipit: *Pater noster.* O immensa clementia! O ineffabilis benignitas!	verisimile
17. Expositio eiusdem brevior. Incipit: *Pater noster* privilegio conditionis, sacrificio recreationis.	certum
18. Meditatio super salutatione angelica. Incipit: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.* Tibi, Domine Deus, gratias offero.	verisimile
19. Meditatio, sive de regimine animae. Incipit: *Ave Maria, gratia plena...* Primum omnium necesse habes, Christi ancilla.	certum
20. De silentio ad quandam sanctimonialem. Incipit: Attende, quod natura dedit homini unicum os.	certum
21. Ordinarium vitae religiosae, sive de partibus domus religiosae. Incipit: *Religio munda et immaculata...* Ut ait B. Augustinus de vera religione.	certum

22. **Sex mandata fratri cuidam iuveni tradita.** Incipit: Fili mi iuvenis, si vis sine macula.	certum
23. **Sex cautelae ad castitatem servandam.** Incipit: Prima, ut homo temperate comedat et bibat.	certum
24. **De humano iudicio.** Incipit: Triplex distinguitur iudicium de proximo.	certum
25. **De decem praeceptis divinae Legis.** Incipit: *Si vis ad vitam ingredi...* In isto verbo, scripto Matth. XIX, describit Salvator noster.	certum
26. **Ars concionandi.** Incipit: Omnis tractatio Scripturarum, ut ait Augustinus.	certum
27. **Collationes de septem donis Spiritus sancti praedicatae, in sermones octo distributae.** Incipit: *Hortamur vos, ne in vacuum...* Hortatur nos Apostolus in his verbis.	certum
28. **Sermones de laude melliflui Nominis D. N. I. C.** Incipit: Mulier Chananaea precibus importuna.	certum
29. **Sermones de diversis.** Incipit: *Cum eiecta esset turba, intravit Iesus...* In his verbis quatuor consideranda occurrunt.	certum
30. **Sermones triginta duo de Eucharistia...** Incipit: De sacrosancto Corporis Domini locuturi Sacramento.	certum
31. **Sermo singularis de Corpore Christi.** Incipit: *Confiteantur Domino misericordiae eius... vinctos in mendicitate et ferro.* In hoc verbo David propheta excitat nos.	certum
32. **Legenda S. Clarae.** Incipit: Quasi veterani mundi senecta vergente.	verisimile
33. **Lectiones novem in festo S. Clarae.** Incipit: Venerabilis Christi sponsae Deoque dicatae Virginis Clarae.	verisimile

34. **Lectiones novem in translatione S. Clarae.** Incipit: Admirabilis et venerabilis virgo Clara.	certum
35. **Legenda minor S. Francisci.** Incipit: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*... in servo suo Francisco, quem Pater misericordiarum.	certum
36. **Novem lectiones de canonizatione et de translatione S. Francisci.** Incipit: Franciscus igitur servus et amicus Altissimi.	certum
37. **Epistola ad fratrem de imitatione Iesu Christi.** Incipit: Frater, loquitur B. Augustinus ad Dominum Iesum Christum.	certum
38. **Epistola ad fratrem Laurentium.** Incipit: In Christo sibi carissimo... Dignum est et consonum rationi.	certum
39. **Epistola ad fratres universos.** Incipit: Universis fratribus praesentes litteras inspecturis... Cum ego relatione perceperim.	certum
40. **Epistola ad fratres custodem et guardianum Pisarum.** Incipit: In Christo sibi carissimis fratribus... Sororibus monasterii de Pisis.	certum
41. **Epistola ad abbatem Beatae Mariae Blesensis.** Incipit: Venerabili et religioso viro... Desiderio multo desideravi.	certum
42. **Rhythmica et leonina carmina de arbore vitae.** Incipit: O crux frutex salvificus... Quam flos exornat.	certum
43. **Contemplatio duodecim fructuum arboris sanctae crucis.** Incipit: O crux frutex salvificus... Cuius flos aromaticus.	certum
44. **Meditationes carmine scriptae in septem verba, quae in cruce Christus Dominus protulit.** Incipit: Iesu salutis hostia, salutis sacrificium.	certum
45. **Leonina carmina de doctrina proficiendi.** Incipit: Laus, honor, o Christe, tua gloria sit liber iste.	certum

« Quoniam igitur, ut allata superius comprobant, eruditi viri, qui vel opera S. Bonaventurae ediderunt, vel in eadem censoriam virgulam exercuerunt, in tam oppositas abeunt sententias, ut plurima opera, quae alii legitima censent, ab aliis inter spuria vel dubia reiiciantur, quisque hanc sibi obviam quaestionem instituat necesse est, unde tanta opinionum diversitas in viris ceteroquin eruditione praeclaris, de re tam gravi iudicantibus ».

« Sane ad Oudinum quod attinet, abreptum cum saepe fuisse a partium studio animoque in rem catholicam hostili ad denegandam S. Bonaventurae maiorem eius partem operum, aequo iure affirmari potest. Quamvis autem longe saepius quam ceteri in censendis S. Bonaventurae operibus et gestis erraverit ipse, haud tamen semper aut vera negavit opera, aut spuria inique iudicavit. Unde in aliquibus cum eo conveniunt et posteriores critici, et nobis etiam convenire necessum erit. Sed mirum profecto est, quod posteriores Oudino censores, quamvis Franciscales et eruditi viri atque veritatis amantissimi, in pluribus iudicandis operibus minime inter se conveniant et quandoque opus idem, quod Oudinus ut legitimum admittit, ab illis ut adulterinum respuatur. Quod quidem satis ostendit, eos bona fide se gessisse ac nullatenus ob amorem Ordinis, cuius erant alumni, et Seraphici Doctoris, cui maxime addicti erant, sibi ac aliis fucum facere voluisse ».

« Ut quod modo asseruimus comprobemus, *Epistolam viginti quinque memorabilium,* supra in elencho operum editionis Vaticanae sub n. 47 indicatam, genuinam agnoscit Oudinus; at non idem sentiunt Veneti editores, qui eandem dubiam esse volunt. *Summa de essentia et invisibilitate et immensitate Dei,* ibidem sub n. 90 relata, dubia est apud illum, apud hos spuria. *Opus de quatuor virtutibus cardinalibus,* sub n. 26, Oudinus habet non indignum Bonaventura, Veneti editores dubium, P. Sbaralea spurium, sed P. Bonelli ut verisimile Bonaventurae adscribit. En igitur opus, cui omnes pene notae, quibus opera quoad auctorem suum comparata distinguuntur, appositae sunt. Non negat Oudinus, legitimum esse foetum S. Bonaventurae *Commentarium in Evangelium S. Lucae,* sub n. 9; at Veneti editores dubium habent, Sbaralea et Bonellus certum tenent. Dubitat Oudinus de opere, quod sub n. 27 *a septem donis Spiritus Sancti* inscribitur; Veneti autem editores certum existimant; Sbaralea et Bonellus inter spuria recensent. Ex eiusdem Sbaraleae iudicio illegitima sunt opera, quae sub n. 1, 2, 42, 43, 54, 55 continentur, sed haec ipsa ut germana habenda essent ex P. Bonelli sententia ».

« Ut de Oudino et editoribus Venetis taceamus, causa, quare P. Sbaralea multa Seraphico restituerit a prioribus ablata, in eo ponenda est, quod hac in re maiore peritia et eruditione excelluit ac diligentius omnes rationes expendit. Quod denique P. Bonelli multo plura quam Sbaralea Doctori Seraphico vindicaverit, inde profecto factum esse censemus, quod ipse solus, postquam critica ars vigere coepit, data opera, incredibili labore et maxima diligentia, omnia quae potuit monumenta exploravit et explorari fecit atque multos annos insudavit ad iustum de illis ferendum iudicium ».

Nihilominus ratio, ob quam laudati censores ita inter se in diiudicandis operibus dissentiunt etiam aliunde petenda esse videtur quam a defectu eruditionis, diligentiae et laboris. Duplex occurrit huius dissensionis et incertitudinis causa.

« Prima nempe est defectus antiquorum nomenclatorum, qui nunquam integrum, sed succinctum nimis operum S. Bonaventurae indiculum texuerunt, dum in eo, paucis definite exhibitis, plura alia duntaxat generalioribus verbis, ex. gr. *et multa alia*[1], indicarunt. Nemo autem nescit, in affirmandis vel respuendis auctorum operibus auctoritas aequalium vel proxime succedentium scriptorum maximum constituere extrinsecum argumentum; quo deficiente, ii qui ex intrinseco tantum argumento iudicant, nempe ex stilo et phrasi doctrinaeque cum aliis eiusdem auctoris germanis operibus similitudine, semper fere in diversas abeunt sententias ».

« Altera vero discrepantium iudiciorum ratio in defectu consistit bonae notae codicum mss., ab iisdem qui sententiam dicere debent inspectorum. Manuscripti enim codices, auctoris nomen prae se ferentes, quo antiquiores sunt proximiusque accedunt ad aetatem auctoris, eo maioris sunt ponderis ad opera eidem asserenda et recte supplent antiquorum nomenclatorum defectum. Quandocumque itaque hi tacent, ad litem dirimendam recurrendum erat ad mss. codicum auctoritatem. Quod profecto neque Oudinus neque Veneti editores fecerunt, unde ipsis aberrare obvium nimis. Consuluerunt quidem auctores, qui de scriptis et scriptoribus ecclesiasticis agunt, atque etiam catalogos, quos ad manus habere poterant, codicum manuscriptorum; sed compertum est, tam in his quam in illis errores multos occurrere ac plurima fuisse praetermissa ».

« Quam ob rem Benedictus Bonellus ad veritatem magis accessit, cum codices mss. operum S. Bonaventurae plurimos pervestigaverit, quorum auctoritate fultus tum plurima ex editis tam certo Bonaventurae asseruit, ut numquam postea in dubium revocari possent, tum anecdota reperit multa, quibus tria laudati Supplementi implevit ediditque volumina ».

Haec pro veritate et iustitia in favorem sententiae P. Bonelli dicenda erant; attamen concedendum est, non semper standum esse iudicio P. Bonelli, etiam quando bene refutavit argumenta illorum, qui aliquod opus non a S. Bonaventura scriptum esse asseruerunt. Nam progressus ille magnus in scientia antiquiorum temporum, qui hac nostra aetate factus est, nova multa in lucem protulit documenta historica, quae si P. Bonelli cognovisset, sine dubio in aliam ivisset sententiam. Ipse P. Fidelis multa detexit documenta, quae iudicium P. Bonelli de pluribus operibus, quae genuina declaravit, prorsus evertunt[2]. Quod ipse P. Fidelis pluribus exemplis probat[3].

Ita *Expositio in Psalterium,* supra in catalogo sub N. 3 posita, a solis Venetis editoribus spuria declarata, ab Oudino, Sbaralea et Bonelli certum S. Do-

---

[1] His et similibus, nempe *et multa alia, et alia, et quam plurima alia, et alia plura* etc., indiculum operum S. Bonaventurae claudunt Martinus Monachus Fuldensis, Salimbene Parmensis, Bartholomaeus Pisanus, Ioannes Gerson, anonymus Stronconiensis, Iacobus Oddo Perusinus, Gulielmus Eisengreinius, Antonius Eugubinus, Octavianus de Martinis, Robertus de Licio, Gulielmus Vorrilongus, Ludovicus Prutenus, Ioannes Franciscus de Pavinis, Ioannes Trithemius, Ludovicus Granatensis, Franciscus Gonzaga, Mauritius Bressius, Marianus Florentinus etc.

[2] « Ipse enim Bonelli paucissimas Italiae tantum bibliothecas perlustravit. Plurimas quidem perlustrari fecit a duobus sociis PP. Theodoro de Gavatio et Floriano de Tridento, sed pariter in Italia tantum. Et praeterea ipsi nonnisi quae catalogi bibliothecarum S. Bonaventurae tribuebant manuscripta opera inspexerunt. Multae vero sunt bibliothecae Italicae, quas illi non adierunt, et nullas penitus extra Italiam perquisierunt. Recte igitur monuit P. Bonelli, bibliothecas fore perlustrandas ad novam editionem anecdotis locupletandam.

[3] Ratio, p. II. pag. 107 seq.

ctoris opus dicitur. Attamen quamvis Bonelli egregie refutet leves Venetorum rationes, hi nihilominus verum concluserunt, licet ex rationibus non veris. Nam P. Fidelis loc. cit. ex manuscriptis S. Bonaventura antiquioribus evidenter probat, istam expositionem restituendam esse *Michaeli Meldensi*, Archiepiscopo Senonensi, qui obiit anno 1199.

Opusculum *de sex Alis Cherubim* (N. 91 in catalogo supra posito), quod editores Vaticanae, Waddingus, Oudinus et Bonelli velut dubium Bonaventurianis accensent, recte inter spuria reiicitur a Sbaralea et editoribus Venetis, cum, teste P. Fideli, inveniatur scriptum in codicibus ante S. Bonaventuram natum confectis.

Similiter iudicandum de *Summa de essentia et invisibilitate et immensitate Dei* (N. 90 in catalogo), ab Oudino, Sbaralea et Bonelli ut dubium, a Venetis editoribus ut spurium recensitum. Iam enim invenitur in duobus codicibus saeculi noni vel decimi. Alia etiam iudicia P. Benedicti Bonelli de pluribus opusculis, quae certis vel verisimilibus scriptis Seraphici Doctoris adscribit, novis accedentibus documentis, amplius non possunt sustineri. Hoc valet imprimis de nonnullis libris asceticis et versibus, de variis sermonibus et etiam de illo *Commentario in Apocalypsim*, qui implet secundum tomum laudati *Supplementi*. Sed de hoc in prolegomenis ad singula opera et in dissertatione de vita et scriptis S. Bonaventurae, ut suo loco, tractandum est. Haec tamen modo innuere voluimus, ut benevolus lector certior fiat, summum studium nostrum in eo esse, ut solam veritatem detegamus, nosque nullatenus velle Bonaventuram nostrum alienis ornare operibus, cum certum sit, nec ipsum talibus indigere, nec SS. Doctores Ecclesiae alienis scriptis coli ac decorari velle.

Tertius defectus praecedentium editionum generalium in hoc consistit, quod nulla earum exhibet omnia opera S. Bonaventurae, quae adhuc exstant.

Primo quidem lamentamur, opera a *P. Bonelli* in *Supplemento* edita, quorum non pauca certo sunt genuina, hucusque fere incognita remansisse. Nam *Supplementum* illud adhuc rarius invenitur quam eiusdem Prodromus, «cum siquidem, ut dicit P. Fidelis [1], in nulla ego publica bibliotheca Galliae, Angliae, Belgii et Helvetiae illud invenerim, ac raro occurrat in Italiae bibliothecis, rarius quoque in Germanicis».

Opera in hoc Supplemento contenta etiam in novissima editione Parisiensi omissa esse iam monuimus [2]. Manifestum est, ex his operibus vel opusculis saltem ea quae certa vel verisimilia sunt, distributa pro eorum indole in varias classes, illis addenda esse, quae Vaticana complectitur editio, ita ut tum haec, tum alia post editionem *Supplementi* detecta ad unitatem coalescant ordinatam simul et distinctam unumque corpus apte formatum efficiant. Hoc faciendum esse iam P. Bonelli observavit [3], ubi ad rem ita dicit: «Haec habui undique

---

[1] Ratio, pag. 45.

[2] Editor Parisiensis nedum Prodromum, sed et Supplementum prae manibus habuisse videtur. Tomo enim undecimo editionis a se curatae, p. 1, germanam S. Bonaventurae Postillam in S. Joannis Evangelium sequente nota allegavit: «Hanc alteram postillam, anno 1772 a Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Paschali a Varisio sub Clementis XIV. auspiciis Tridenti primum editam, in lucem denuo prodere serius ocius, si Deus det, nostris profecto in votis est. Sed fateri cogimur id fieri a nobis non posse, nisi post absolutam, quae superest, editionis Vaticanae, si mavis, Venetae materiam». Verius dicendum, integrum Supplementum, quod et praefatam complectitur Postillam, a *Benedicto Bonelli* editum fuisse, dicatum vero Ss. Domino Clementi XIV. a Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Paschali a Varisio.

[3] Suppl. tom. III. pag. VIII.

conquisita, naviter collecta, a librariorum mendis quam plurimis repurgata ac eo, quo par erat, studio pro mei ingenioli modulo comparata in hoc tertio volumine vulganda; quae ceteris in primo et secundo volumine editis superaddita Supplementum Sixtinae editionis absolvunt, quaeve si aliquando, superis faventibus, nova editio operum Seraphici Doctoris paretur, uti multis fore in votis intellexi, locum una cum reliquis, quae reapse sunt eius, obtinere poterunt; tuncque vel ipsa separanda erunt nedum ab apocryphis, verum et ab illis supposititiis, quae ad suos legitimos auctores, potissimum Ordinis Minorum, quemadmodum in Prodromo tradidi, quasi *iure postliminii* redibunt ».

Secundo constat, quod nec *P. Benedicto Bonelli* licuit pro temporis illius ratione omnia detegere et colligere opera Seraphici Doctoris, quae ab antiquis nomenclatoribus vel a bibliothecarum catalogis ipsi attribuuntur. Quapropter ex indiculo anecdotorum, ab eo in Prodromo lib. VIII., part. IV. relicto, sequentia excerpimus, quae ipse non edidit, vel quia ubi laterent nescivit, vel quia in bibliothecis valde dissitis servata propriis oculis explorare non potuit. Ea porro sunt:

1. *Sermo habitus in Concilio generali Lugdunensi,* cuius principium: *Exurge Ierusalem, sta in excelso et circumspice ad orientem, et inde collige filias tuas ab oriente usque ad occidentem.* — Hoc discimus ex coaevo scriptore apud collectionem Labbeanam Conciliorum, ex Baptista de Iudicibus et Marco Ulyssiponensi.

2. *Sermones ad clerum,* descripti a fratre Marco de Monte Feltro, eorundem auditore. — Ex coaevo Salimbeno Parmensi.

3. *Conciones ad fratres,* Bononiae habitae. — Ex eodem Salimbeno Parmensi.

4. *Sermo de B. Francisco* in Capitulo generali Parisiensi. — Ex Ubertino de Casali et S. Bernardino Senensi.

5. *Postillae in libros Salomonis.* — Ex coaevo Ptolomaeo Lucensi Ordinis Praedicatorum, S. Thomae Aquinatis auditore et confessario, et ex Martino Fuldensi.

6. *Postillae in Job.* — Ex Ptolomaeo Lucensi, Martino Fuldensi et Joanne Mahusio.

7. *Postillae in Epistolas Pauli.* — Ex iisdem Ptolomaeo, Martino et Mahusio.

8. *Sermo de B. Francisco,* habitus in loco S. Mariae de Portiuncula. — Ex Bartholomaeo Pisano.

9. *Compendium de adventu Antichristi.* — Ex Gulielmo Vorrilongo.

10. *Officium Corporis Christi,* diversum ab eo quod S. Thomas composuit. — Ex Francisco Samsone, Gabriele Barleta et Anonymo Pistoriensi.

11. *Sophismata.* — Ex Ioanne Francisco Pavino.

12. *De quatuor operibus religiosorum.* — Ex eodem F. Pavino.

13. *Epistola ad Michaëlem Imperatorem Graecorum.* — Ex eodem Pavino et Petro Rodulphio.

14. *De divisione rerum universi.* — Ex iisdem Pavino et Rodulphio.

15. *Laudatorium.* — Ex Ludovico Pruteno.

16. *Liber de imitatione Christi.* — Ex Bernardino de Bustis.

17. *Commentaria in duodecim Prophetas minores.* — Ex Joanne Mahusio.

18. *Commentaria in Marcum.* — Ex eodem Mahusio.

19. *Commentaria in Epistolas Canonicas.* — Ex eodem Mahusio.

20. *Compendium metricum scholasticum utriusque Testamenti,* incipiens: *Mundus fit in principio.* — Ex Sixto Senensi.

21. *Sermo,* in quo mentio fit de multiplici fratrum dubitatione circa ea quae in regula continentur, inter eos exorta tempore fr. Joannis Parentis Generalis Ministri. — Ex mss. chronicis XXIV. Ministrorum Generalium.

22. *Tractatus de signis universalibus.* — Extabat in Tabulario Assisiensi.

23. *Quaestiones super quatuor libros Topicorum.* — Ibid.

24. *Quaestiones super quatuor libros Metheororum.* — Ibid.

25. *Quaestiones super librum de Generatione.* — Ibid.

26. *Viridarium consolationis.* — In biblioth. Casin., Veneto-Vineana ac Turonensi S. Martini.

27. *Regulae theologicae.* — In biblioth. Parisiensi Regia.

28. *De quatuor gradibus vitae spiritualis.* — Ibid.

29. *Summa poenitentialis.* — Ibid.

30. *Epistolae declarantes regulam S. Augustini.* — In biblioth. Traiectina ad Rhenum.

31. *Dialogus de creatione mundi et eius redemptione.* — In biblioth. Traiectina et Buxhaimiensi.

32. *Dialogus de statu Ecclesiae militantis.* — In biblioth. Wolffenbutana.

33. *Tractatus physicus.* — In biblioth. Lipsiensi Paulina.

34. *In octo libros* (seu potius epistolas) *Doctoris gentium.* — In biblioth. Collegii Mertonensis in Anglia.

Observandum porro est, plura huius elenchi opera falso in catalogis ut inedita et genuina opera S. Bonaventurae enumerari; ex. gr. ultimus numerus, qui exhibet titulum: *In octo libros Doctoris gentium,* nihil aliud est quam Breviloquium, ut propriis oculis inspexit P. Fidelis [1]. Similiter ille *Tractatus physicus* (sub N. 33), qui notatur in catalogo antiquo bibliothecae Lipsiensis, pauca sunt tantum folia alicuius anonymi, alia manu scripta, quae colligata sunt alicui operi S. Bonaventurae.

Alia multa opera, quae in codicibus S. Bonaventurae vel vere vel falso attribuuntur, a P. Fideli detecta et breviter descripta sunt [2]. Non pauca alia post 1874, sive post editionem istius libri, ab eodem inventa sunt. De omnibus his suo loco erit disserendum. Hoc loco sufficiat dicere, inter multa, immo plurima spuria vel dubia huiusmodi scripta etiam aliqua genuina et non parvi momenti opera Seraphici Doctoris haberi. Prae ceteris memoratu dignae sunt non paucae *Quaestiones* quas vocant *disputatas,* et praeter *Commentarium in Ioannem* genuinum, a P. Bonelli iam editum, ineditae *Collationes in Ioannem.* Alii adhuc sunt vel certo vel probabiliter genuini tractatus ad asceticam et mysticam spectantes, nec non plurimi sermones, qui nunquam sunt impressi.

III.

Quae hucusque dicta sunt, iam sufficere videntur ad probandum, tum *opportunum* esse novam omnium operum S. Bonaventurae editionem adornare, ut

---

[1] Ratio, pag. 56.

[2] Ratio, pag. 248-318.

defectus recensiti, quantum fieri possit, tollantur; tum *necessarium* esse ad hunc scopum obtinendum arduos et diuturnos labores subire. Et primo quidem patet, nec textum apte posse a vitiis purgari et integritati suae restitui, nec iudicium de authenticitate singulorum operum securius ferri, nec anecdota ex bibliothecarum pulvere extrahi, nisi studiose recurratur ad auctoritatem antiquiorum codicum manuscriptorum. Hoc autem fieri non potest, nisi prius diligens facta sit disquisitio circa codices manuscriptos aliaque ad rem spectantia documenta, quae adhuc in tot bibliothecis conservantur. Hoc iam *P. Bonelli* observavit [1], monendo, « ut in nova editione curanda, nulla eorum quae desunt et in bibliothecis aut tabulariis adhuc latent perquisitio omittatur, nullaque diligentia ad eam locupletandam anecdotis ». Hanc autem perquisitionem antiquorum monumentorum perfecte fieri non posse, nisi bibliothecae ipsae adeantur et perscrutentur, satis constat inter criticae artis peritos, et a P. Fideli variis rationibus et exemplis confirmatur [2].

Hoc pro certo habens, P. Fidelis incredibili labore et diligentia hanc provinciam sane difficilem suscepit et ita perfecte peregit, ut hucusque, quantum scimus, pro nullo auctore edendo tot bibliothecae ab uno viro perlustratae unquam fuerint. Quoad hanc partem idem Pater sociis suis fere nihil faciendum reliquit nisi arduam spartam, immensam documentorum et notitiarum silvam cribrandi et suo loco criticae artis lance ponderandi. Dolendum sane, quod ipse, qui non vulgari ad criticam artem exercendam ingenio et singulari experientia praeditus erat, difficilem hunc laborem, morte praereptus, exsequi non potuerit.

Ne autem fructus tanti laboris perirent, si primus auctor, imperfecto opere, morte deficeret, quod iam toties aliis inceptis contigit, et insuper, ut auxilium a sociis ad immensum laborem exantlandum haberet; collegium instituendum esse iudicavit, in quo plures Ordinis sui socii, a ceteris curis absoluti, coniunctis viribus huic operi perficiendo incumbere possent. «Vita namque, inquit, et vires unius hominis haud sufficerent editioni adornandae S. Bonaventurae operum eo modo, quo nos paramus. Huiuscemodi editionem curare opus est permagnum, quod promoveri et perfici nequit nisi a plurium virorum societate, cuius membris, morte aut alia causa deficientibus, alia substitui possint ab eo qui societati praesit vel eam instituerit. Ad huius generis societates instituendas et servandas maxime idonei sunt Ordines regulares et congregationes hominum religiosorum, uti exempla plura praeteritorum temporum atque etiam nostrorum abunde testantur. Neque quod plures viri et per plures annos, a ceteris quibuscumque curis absoluti, in unum pene laborem incumbant, antiquitatis anecdota monumenta et celebriorum auctorum opera in lucem edendi, aut operam perdi aut minus utilitatis inde Ecclesiae et hominum societati provenire, quam si aliis vacarent illi studiis, censendum est. Nam optime observat clarissimus P. Franciscus Combefis Ordinis Praedicatorum [3] « plus *fere* mereri de re christiana ac litteraria, qui superioris aetatis ecclesiastica monumenta, quibus lux aliqua veritatis accendatur, fidesque ac traditio defendatur, sedulo recensita in vulgus edant, quam qui suo marte ac ingenio suis novis Ecclesiae messem augent.

---

[1] Supplem. tom. III. praefatio pag. 8.

[2] Ratio, pag. 55 seqq.

[3] Biblioth. Graecorum PP., Auctar. noviss., Paris. 1672, P. I. in praemonitione ad lectorem.

Quamquam plures illud alterum magis ambiant, atque ad laudem proclivius ultro rapiat, primum, quasi durioris operae nec sic ad laudem pronum, eruditorum pars plurima negligat atque respuat ». — Hoc quod ille optaverat collegium revera institutum esse iam supra commemoravimus. Interim in decursu undecim annorum ab alumnis huius Collegii S. Bonaventurae et ab aliis sociis P. Fidelis, sive ordinariis sive extraordinariis, plurimi codices manuscripti, undique conquisiti, cum editionibus impressis collati sunt ad colligendas lectiones variantes. Non pauci integre descripti sunt, si agebatur de opere aliquo anecdoto vel ex ore dicentis excepto. Improbus hic labor conferendi manuscripta magna ex parte iam perfectus est, praesertim pro edendis primis quinque tomis. Iure vocamus *improbum* hunc laborem, quia, ut bene fiat, non tantum requiritur magna patientia, sed etiam longioris temporis studium. Neque haec sufficiunt, sed requiritur etiam non parum ingenii atque doctrinae. Manuscripta enim medii aevi abundare solent notis compendiariis sive siglis, quae saepe sunt lectionis dubiae, immo fallacis, et determinandae ex materiae describendae natura.

Ad textum reformandum etiam priores editiones cum Vaticana conferendas fuisse patet. « Priores namque, quas *incunabula* vocant, vim habent fere parem codicibus manuscriptis saec. XV., nisi probari possit, ad antiquioris aevi manuscripta exemplaria eas exactas fuisse; hoc enim si probaretur, vim fere parem haberent codicibus eius saeculi, ad quorum normam cusae fuerint. Posteriores vero maiorem vel minorem habent vim pro manuscriptorum qualitate et pro diligentia et ingenio eius, qui ad illas castigandas manuscriptis codicibus usus est ». Huius rei exemplum manifestum iam habuimus in collatione antiquissimae editionis tum primi tum secundi libri Commentarii in Sententias. Antiquior enim editio plerumque exhibet lectiones codicum saeculi XIII.; posteriores vero editiones, quo sunt iuniores, eo magis a primitivo textu recessisse comprobantur. — Observamus autem quoad reformationem textus et notationem lectionum variantium, nos collegisse et collecturos esse ex multis codicibus et editionibus quam plurimas lectiones variantes, quo securius et melius textus corrigi possit. « Haud tamen eas omnes daturi sumus, cum siquidem omnes simul opus saepe ipsum, cuius sunt, mole superarent. Non enim nobis probatur eorum ratio, qui omnes quotquot colligunt variantes lectiones, sive optimas sive bonas sive nullius momenti, ac vel ipsa oscitantium librariorum errata manifesta, haud secus ac si essent nivei viridesque lapilli, lectoris sub oculos ponendas existimant. Id supervacaneum ducimus, ne dicamus damnosum; propterea quod lectoris animum nimio suo numero distrahunt ac taedio afficiunt. Colliguntur itaque plurimae manuscriptorum ac editorum operum S. Bonaventurae lectiones variantes, ut ex his meliores et ex melioribus optimas deligere valeamus, quae vel in textum recipiantur, quando ipse emendatione egere videtur, vel ad calcem ponantur. Non raro editio Vaticana manifeste errare convincitur; saepius lectio eiusdem, spectatis numero, qualitate, antiquitate, consonantia codicum et editionum aliter legentium, probabilitatem vel penitus vel magna ex parte amittit, quo casu lectio codicum praeferenda et in textum recipienda est. Cum vero codices dissentiunt, vel eorum lectio suspicione corruptionis laborat, vel pro utraque parte auctoritas et ratio militat, lectio editionis Vaticanae iure possessionis non est privanda, sed in dubio ipsi favendum est. Hoc in casu lectio dissidens codicum vel editionum ad calcem remittitur ».

Tanta autem farrago variantium lectionum ex tot codicum et editionum collatione nobis coaluit, ut plurimae earum ne ad calcem quidem locum obtinere potuerint. Pro solo libro primo Commentarii numerus variantium lectionum usque ad viginti millia accrevit.

Quapropter praeter errata librariorum manifesta, eas etiam lectiones variantes, quae sunt omnino improbabiles, quia ab uno alterove manuscripto vel edito contra alios plurimos et melioris notae codices proferuntur, penitus praetermisimus nominare, nisi aliquo modo servire poterant ad sensum auctoris facilius intelligendum vel illustrandum, cuiusmodi sunt plurimae glossae, quae ordinarie pauca tantum verba habent, interdum etiam aliquanto longiores sunt. Huiusce generis glossae non paucae in editionem Vaticanam irrepserunt, quae interdum ad sensum auctoris, laconica brevitate loquentis, facilius intelligendum adiuvant. Nihilominus eiusmodi additamenta ad calcem reiecimus.

Plerumque codices antiqui in lectione conveniunt, exceptis paucis locis, qui iam in antiquissimis codicibus et editionibus aliqua sive corruptione sive verborum omissione sive alicuius glossae in textum receptione laborare videntur, de quo etiam in notis lectorem monemus. In his casibus abstinuimus et abstinebimus a textu mutando ope incertarum et saepe fallacium coniecturarum, sed textu Vaticano retento, opinionem nostram in notis ad calcem positis manifestamus. Exemplum sit locus huius primi tomi p. 212, ad quem refertur nota 13. Ibi verba in parenthesi posita *quia Ecclesia sine eis hoc poterat* satis incongrue istum locum occupant. Vel igitur ista sunt glossema, quod ex margine in textum irrepsit, vel ibi exciderunt aliqua verba, v. g. *non fuit necessarium,* quia Ecclesia sine eis hoc *determinare* potuit, vel dicendum, S. Bonaventuram lectori plura subintelligenda reliquisse. Ne incerta pro certis ponamus, lectionem codicum dedimus. Attamen, quod ad hunc primum tomum spectat, una alterave vice error editionum et codicum communis tam fuit manifestus, et correctio nostra tanta ex contextu probabilitate pollere visa est, ut textum sic reformare non dubitaverimus. Ceterum a nimio innovandi et proprio arbitratu reformandi studio alienos nos esse, ipsa nostra editione satis comprobatum fore confidimus.

Alius labor, et profecto durus et taediosus, suscipiendus fuit, locos scilicet fere innumerabiles et ex plurimis auctoribus sumtos, quibus referta sunt scripta Seraphici Doctoris, invenire, cum fontibus, unde desumti sunt, conferre et in notis lectori indicare. Licet enim iam alii editores impressorum operum S. Bonaventurae pro inveniendis his locis non parum laboraverint, saepe tamen loci, qui ab eis indicantur, vel omnino non respondent, vel non eum, ad quem auctor spectavit, sed similem locum exhibent, vel etiam omnino desiderantur. Nec codices manuscripti plerumque adiumento sunt, quia tum inter se non consentiunt, tum saepius quam ipsae editiones errant, ubi locum determinate citant, tum frequentius tantum in genere auctorem vel opus vel librum indicant. Nec rara sunt exempla, quod antiqui illi Scholastici communi errore librum aliquem integrum et saepius aliquod saltem testimonium adscribebant alicui auctori, dum revera alteri attribui oportebat.

Accedit, quod ipse S. Bonaventura pro more suae aetatis saepissime alienis testimoniis usus est, quin auctoris mentionem faciat. Hoc fere continuo evenit in argumentis ex ratione formatis, cum pene innumerabilia axiomata, principia, definitiones variasque sententias ex Aristotele eiusque commentatoribus, ex

Boethio, Augustino et plurimarum Summularum et Sententiarum auctoribus in usum suum verterit. Omnes enim eruditi bene norunt, disciplinas philosophicas et theologicas medii aevi thesaurum communem et communiter receptum habuisse non tantum terminorum technicorum, sed etiam definitionum, distinctionum et plurimorum axiomatum, quae ut firma scientiae et argumentationis principia ab omnibus harum disciplinarum cultoribus memoriae tradita et communi calculo approbata erant, sicut nunc temporis in scientiis mathematicis et physicis usu receptum esse videmus. Quod pretiosum patrimonium, a sapientibus multorum saeculorum congregatum, quomodo ab effrenatis ultimorum temporum ingeniis misere dissipatum sit, non sine horrore videmus. Postquam enim libido potius nova et hucusque incognita moliendi quam vetera novis augendi et perficiendi invaluit, nullum remansit principium intactum, nulla rei definitio in usu constanti recepta, et mutatis ipsis scientiae terminis technicis vel secundum vocem vel secundum sensum, mentium dissidium secuta est etiam linguarum confusio, ut nec ipsi operariorum in struendo philosophiae aedificio praefecti se invicem intelligerent.

Nemo dubitat, non parum lectoris interesse, fontem nosse dictarum auctoritatum, ut vim argumentorum et doctrinam auctoris magis perspiciat. Propterea non pepercimus nec parcemus labori et tempori, ut istos locos quaeramus. Quod sub hac ratione in Commentario ad Sententias praestitimus, in prolegomenis infra sequentibus paucis dicetur.

In testimoniis S. Scripturae et quorumlibet auctorum, a Seraphico adhibitis, eam lectionem retinemus, quam codices, vel omnibus vel optimis conspirantibus, exhibent, non eam, quae nunc in Vulgata vel in modernis editionibus auctorum impressa est. Differentiam tamen lectionis, si est alicuius momenti, ad calcem indicamus. Cum enim constet, ista testimonia tempore S. Bonaventurae non raro in codicibus differentem a recente habuisse modum lectionis, eo modo a nobis referri debent, quo in codicibus inveniuntur, quos S. Doctor prae manibus habuit. Haec agendi ratio, eruditorum virorum consensu approbata, non parvi est momenti ad usus criticae artis quoad ea scripta, quae a Seraphico laudantur.

In iis locis, qui vel ob brevitatem laconicam S. Bonaventurae familiarem, vel ob loquendi modos suo tempore notissimos, nunc vero obsoletos, vel ob doctrinae profunditatem lectori in antiquis Scholasticis minus versato difficultatem facere possunt, notas ad calcem subiicimus, quibus ea afferuntur, quae ad illustrandum textum servire posse videntur. Depromptae sunt hae notae vel ex ipso S. Bonaventura, alibi fusius aut clarius loquente, vel ex aliis scriptoribus ipsi coaevis, vel ex receptis sua aetate philosophiae et theologiae doctrinis. Moderate tamen hoc faciemus, ne potius commentatores quam editores agere dicamur.

Attamen in primo a nobis edendo S. Bonaventurae opere, quod est magnus in Petri Lombardi Sententias Commentarius, paulo amplius quid faciendum esse tum P. Fideli, postquam Collegium institutum est, tum nobis visum est, ut utilitati consuleretur eorum, qui doctrinae Seraphici Doctoris studere incipiunt. Opportunum enim iudicavimus, ad singulas huius Commentarii quaestiones breve aliquod scholion adiicere, quo tum ea explicentur, quae in argumentis vel conclusionibus obscura sunt; tum difficultates cuiuscumque naturae, si quae erunt, diluantur; tum breviter indicetur, quam relationem doctrina ab auctore nostro

tradita habeat cum aliis antiquioris Scholasticae auctoribus, imprimis cum Alexandro Halensi et Scoto et cum B. Alberto et S. Thoma; tum denique loci praecipuorum Scholasticorum illius aetatis indicentur, ubi de eadem re tractatur. Commentario in Sententias hac ratione notis et scholiis ornato, fere nihil laboris relictum est pro explicatione aliorum S. Bonaventurae operum, vel saltem paucae et breves notae sufficient, ut lectori indicetur, in quo loco Commentarii uberius lumen invenire poterit. Nam S. Bonaventura sibi semper constans ubique fere utitur eadem doctrina vel saltem eisdem principiis, quae in Commentario more scholarum discussa sunt.

Adiectae sunt etiam in margine brevissimae notae, rem de qua tractatur indicantes. In Vaticana et aliis eam sequentibus editionibus paucis tantum in locis et sine certa lege notae similes appositae sunt. Editores autem Vaticanae easdem notas acceperunt ex editione Romana anni 1569.

Singulis operibus praemittentur praefationes sub titulo *Prolegomena,* in quibus ea praecipue proponuntur, quae ad criticam huius operis diiudicationem spectant. « Copiosam his praefationibus materiam ministrabunt plures ac diversarum rerum recensiones: videlicet nomenclatorum et auctorum, qui subsequens opus Doctori Seraphico tribuerunt; codicum manuscriptorum iuxta aeva, quibus sunt scripta, vel interdum iuxta familias, ad quas pertinent aliasque qualitates dispositorum; multarum editionum eiusdem libri atque variarum eiusdem versionum, sive hae iam typis mandatae fuerint, sive non. His omnibus praemissis, quid singula momenta et auctoritates valeant quamque fidem mereantur, expendemus et legitima quae inde consequuntur corollaria deducemus. Recensio dein subnectetur eorum auctorum, qui opus Bonaventurianum commentati sunt sive notis illustrarunt, vel eo praecipue usi sunt ad sua lucubranda opera, vel inde alterius scribendi rationem acceperunt, vel excerpta non exigua nec pauca adhibuerunt. Operis denique a Bonaventura elucubrati ratio, occasio, excellentia, usus, ac novae, si quae erunt introducendae, partium et capitum dispositiones, titulorum mutationes, materiei accretiones vel diminutiones, nec non delectus editionum et manuscriptorum, ad quos opus exigitur, et alia complura, quae nimis longum esset hic referre, in his Prolegomenis erunt discutienda, et ex omnibus de auctore operis iudicium ferendum[1] ».

In ultimo tomo nova vita S. Bonaventurae, augenda ex iis notitiis, quae a nobis vel aliis hac aetate nostra repertae sunt, publicabitur, in qua etiam ea quae in Prolegomenis circa scripta et doctrinam passim et sparsim dicta sunt, in unam synthesim colligentur. Dolendum sane est, nullum auctorem supparem de rebus gestis, virtutibus et libris huius eminentissimi et sanctissimi viri ex proposito et historica methodo scripsisse. Etiam in saeculis subsequentibus usque ad canonizationem huius Sancti eadem negligentia deploranda est, de quo merito editores Actuum Sanctorum in commentario praevio ad vitam S. Bonaventurae obstupescunt[2].

---

[1] Ratio etc. p. 74.

[2] *Acta Sanctorum,* 14 Iulii, n. 54. Attamen dicendum est, non deesse auctorem eiusdem cum S. Bonaventura aetatis, qui vitam ipsius memoriae tradidit, nempe *Fr. Ioan. Aegidium Zamorram,* Ord. Min., Hispanum, in suo opere: *de Viris illustribus,* sive *Historia canonica et civilis,* in quo scripsit etiam de rebus a Seraphico Doctore gestis. Hoc ipse huius operis auctor testatur in alio suo opere inedito, teste P. Fideli. Floruit Ioan. Aegidius ante an. 1300, et praeter multa alia opera scripsit etiam de rebus ad historiam praesertim Hispaniae spectantibus, ut videri potest apud Sbaraleam (Supplem.). Aegre ferimus, quod laudatum opus Ioan. Aegidii nullibi huc usque invenire potuerimus. Si quis forte inter viros eruditos istum librum indagaverit, enixe cum rogamus, ut nobis, quod ad S. Bonaventuram attinet, dignetur communicare.

Opera Seraphici in varias classes divisa hoc ordine edere proposuimus. Prima classis complectitur Commentarios in quatuor libros Sententiarum, quos excipient plures Quaestiones disputatae anecdotae, Breviloquium aliaque opuscula ad theologiam Scholasticam spectantia. Expedire videtur, ut his adiungantur nonnulli Sermones, qui potius theologici tractatus vocari possunt, ut Sermones in Hexaëmeron, de septem Donis Spiritus sancti et de decem Praeceptis. Referti enim sunt praeclarissima doctrina theologica et multum inserviunt ad illustrandam et ampliandam doctrinam, quae in Commentario ad Lombardum et in Breviloquio continetur.

Secunda classis exhibet opera exegetica, praesertim Commentarios in plures libros sacrae Scripturae, qui utilissimi sunt praesertim pro praedicatoribus.

In tertiam classem remittimus opuscula mystica et ascetica.

Quarta classis continet omnia opera et opuscula ad vitam regularem, praesertim Ordinis Minorum, quoquo modo spectantia, sive sint apologetica, sive doctrinaria, sive historica.

Quinta et ultima classis complectitur Sermones plurimos, quorum maxima pars est inedita.

Plures indices copiosi tum speciales, tum generales pro more meliorum editionum suis locis ponentur.

Licet propositum nostrum sit, textum originalem, quantum fieri potest, antiquae suae integritati restituere, tamen quoad formam rationemque verba scribendi sive orthographiam et quoad interpunctionem sequendum nobis esse usum nostris temporibus magis receptum, satis manifestum est. Unde in editione nostra scribetur v. g. *definitio, definitive,* licet codices et multae editiones scribant *diffinitio, diffinitive.*

In utraque re editio Vaticana saepissime deficit et quasi in omni linea reformari debuit. Ut autem uniformitas orthographiae in tota editione, per plures collaboratores et longo tempore adornanda, facilius posset obtineri, tanquam normam scribendi semper observandam elegimus eam, quam sequitur seu praefert celeberrimus *Forcellini* in suo *Lexicon totius latinitatis,* ed. tertia, Patavii 1827.

Quoad methodum distinguendi textum interpunctionibus, cum non tantum apud varias nationes, sed etiam apud singulos fere auctores non parum discrepet, mediam quandam viam sequi proposuimus. Sed ipsa proprietas stili Bonaventuriani, laconica et saepe elliptica brevitate insigniti, maiorem numerum huiusmodi signorum requirit, ut facilius intelligatur. Hunc finem potius consequi quam formam ante conceptam aequabiliter semper sequi nobis proposuimus.

Superest, ut omnibus, qui ad arduum opus huius editionis parandum et exsequendum P. Fideli vel nobis quacunque ratione, sive beneficiis in nos collatis sive adiumentis ad litteras spectantibus, favorem et auxilium praestiterunt, gratum nostrum animum exprimamus et palam attestemur. Eorum autem, qui bene et optime de nostra editione meriti sunt, tantus in tota fere Europa est numerus, ut a nobis praesertim post mortem eiusdem P. Fidelis singuli enumerari minime possint. Non paucos eorum iam ex hac vita migrasse lugemus. Primo autem loco gratias persolvimus omnibus fere bibliothecarum Praefectis et codicum manuscriptorum Conservatoribus, qui pro ipsorum humanitate et in litteras amore benevolos ad hanc editionem promovendam adiutores se praebuerunt. Displicet nobis tot illustrium virorum, quorum gratissimam memoriam retinemus, nomina

non indicare; at quamvis *multos* recenseremus, tamen tacendo de *plurimis aliis* iniquitatis notam vix effugere possemus. Supersedere autem haud possumus saltem eas bibliothecas nominare, quorum codicibus frequentius vel diutius nobis uti licuit, pro quo beneficio maxime nos obligatos esse grato animo profitemur. *Italicarum* bibliothecarum commemorandae sunt prae aliis quae sequuntur: *Florentiae,* Nationalis et Laurentiana; *Romae,* Vaticana et Burghesiana; *Mediolani,* Ambrosiana; *Venetiis,* Marciana; *Neapoli,* Nationalis; *Paduae,* S. Antonii; *Tuderti*, bibliotheca antiqua Conventus S. Fortunati; *Assisii,* bibliotheca s. Conventus; denique insignis bibliotheca Monasterii *Montis Cassini* Ord. S. Benedicti. — In *Gallia* vero *Parisiis* praestantissima bibliotheca *Nationalis.* — In *Anglia, Londini* Museum Britannicum; *Oxonii,* bibliothecae Collegiorum Lincolniensis et Ballionensis. — In Germania imprimis *Monachii* iam per multos annos accessus nobis patuit ad copiosissimam bibliothecam Regiam status; specialia nobis subsidia praebuerunt etiam bibliothecae Paulina *Lipsiensis*, Universitatis *Berolinensis* et *Dusseldorpii* bibliotheca Provincialis. In Austria bibliothecae *Viennae* et *Cracoviae* atque plurimorum Monasteriorum, praesertim Ordinis S. Benedicti, optime de nostra editione meruerunt.

Multi insuper nostri Ordinis Patres ex omnibus fere eius Provinciis multiplici ratione nobis subsidium praestiterunt qua collaboratores sive ordinarii sive extraordinarii. Si quid igitur boni in hac editione perficietur, de quo aliorum sit iudicium, iustitia exigente, laus gloriaque inter plurimos viros sive operantes sive adiuvantes erit distribuenda. Sed tamen *Patri luminum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum, et qui omnia disponit suaviter et attingit fortiter*[1], soli honor et gloria!

Ad quod nobis intuentibus fere ad verbum repetere liceat dictum, quo Seraphicus Doctor secundum librum sui Commentarii concludit: *Hoc rogamus, ut si quis aliquid in hac editione invenerit approbatione dignum, agat gratias Deo, largitori bonorum. In aliis vero locis, ubi invenerit vel falsum vel dubium vel obscurum, editorum insufficientiae benigne indulgeat, qui absque dubio veritatem assequi voluerunt. Hanc autem veritatem infatigabiliter quaerere, infallibiliter invenire, inamissibiliter apprehendere et tenere, concedat ille qui est Via, Veritas et Vita!*

In collegio S. Bonaventurae
in Solemnitate S. P. N. Francisci 1882.

EDITORES.

---

[1] Iacob. I. 17; Sap. 8, 1.

SS. D. N. SIXTI PAPAE IV.

DIPLOMA

QUO B. BONAVENTURA EP. CARD. ALBANEN.

IN SANCTORUM CANONEM REFERTUR.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Superna caelestis patria, civitas Hierusalem, cuius participatio eius in idipsum, ita omnium electorum salvatione laetatur, ut quorum praestantiora sunt merita, copiosiora etiam sumat gaudia praemiorum. Quod in excessu mentis suae positus Isaias Propheta sensisse videtur, cum diceret (Isa. 12, 6.): *Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus.* Exultent igitur omnium Angelorum chori, qui, de vacuarum sedium habitatione solliciti, conantur de virtute in virtutem, ad beatas illas mansiones, unde superbi ruerunt spiritus, humilitate perducere. Exultent quoque omnes animae iustorum, qui Christi vestigia sunt secuti atque omnes tam veteris quam novi Testamenti fideles amici Dei, qui, contemptis huius saeculi vanitatibus, concivium numerositate congaudent. Exultet caelum laudibus, resultet terra gaudiis, quoniam Sanctorum editio laetitiam habet plurimorum. Valde enim fidei pietas exigit, ut quod pro salute multorum geritur, communibus ubique gaudiis celebretur. Praecipue vero exultet Pontificum coetus beatorum, et sacra Doctorum concio, qui fulgent in caelo tanquam stellae in perpetuas aeternitates, quos inter sanctus Bonaventura, tanquam novum sidus, ex hac lacrymarum valle ad caelestem quae sursum est Hierusalem, vocante eum Domino, migrans, emicuit.

§ 1. Nos autem, qui, disponente Altissimo, ad culmen Apostolatus evecti, christiani gregis curam gerimus, quem pro debito pastoralis officii iucundo Sanctorum collegio conformare, ut debemus, intensis desideriis affectamus, Ecclesiae militanti, pro cuius aedificatione et incremento, ipsum Bonaventuram in catalogum Sanctorum referendum duximus, haud incongrue dicere possumus: Exulta hodie et lauda, habitatio Sion, id est christiana religio, in qua tanquam in monte Sion per veram fidem habitat verus Deus, quoniam magnus in medio tui sanctus. Quippe: *In medio Ecclesiae aperuit os eius, et implevit eum Dominus*

spiritu sapientiae et intellectus et stolam gloriae induit eum, (Eccli. 15, 5.), et coronavit ad portas Paradisi, in qua una cum Angelis gloria et felicitate laetatur.

§ 2. Laetemur itaque et exultemus, quia caelestis illa curia ex nobis habet, cui sit cura de nobis, qui suis nos protegat meritis, quos informavit exemplis, illuminavit doctrinis et miraculis confirmavit; quem Deus dedit cunctis populis in gloriam et honorem, cuius memoria in benedictione est.

§ 3. Ea namque de divinis rebus scripsit, ut in eo Spiritus Sanctus loquutus videatur. Ita pie, religiose et sancte vixit, ut scriptis vita congrueret, et quod scribebat doceret exemplo. In quo morum virtus et signorum claritas ita comperta est, ut, congruentibus maximis meritis ac miraculis, verae sanctitatis testimonium a militante Ecclesia debeatur eidem.

§ 4. Nam cum in flore virente iuventutis, humanis abiectis illecebris, divino se addixisset servitio, Religionem B. Francisci, quae per ardua tendit, ingressus, tantum sedula lectione et assidua oratione profecit, ut cum Sapiente merito dicere posset: *Optavi, et datus est mihi sensus* (Sap. 7, 7.).

§ 5. Illuminatus enim ab eo, qui illuminat omnem sensum, qui lux, via, veritas est et vita, paucorum annorum spatio incredibilem est scientiam consequutus; nec talentum sibi a Domino creditum sudario inligavit, aut terrae infodit, sed ut sapientissimus dispensator in communem utilitatem convertit. In celebri enim Parisiensi gymnasio cathedram rexit, ubi abscondita Scripturarum enucleans, non solum viva voce profuit multis, sed etiam plurima librorum optimorum, tum in sacris litteris tum in maioribus scientiis, monumenta reliquit, quae essent omni tempore posteris profutura.

§ 6. Magnus doctrina, non minor humilitate et vitae meritis, quem Alexander de Ales, doctor clarissimus, cui se in disciplinam sanctus Bonaventura tradiderat, tantae innocentiae ac columbinae simplicitatis expertus est esse, ut dicere solitus fuerit, sibi videri, quod in eo Adam nunquam peccasset.

§ 7. Magnus etiam in Ordine fratrum Minorum, cui unus omnium post beatum Franciscum plurimum profuit. Ad eius enim gubernacula vocatus et Generalis Minister, Domino inspirante, creatus, talem se suis praebuit subditis, ut in illo dominicum illud verbum videretur impletum: *Qui maior est vestrum, sit minister vester* (Matth. 20, 26; 23, 11.).

§ 8. Nam sapientia et morum integritate maior, praelationis officium cum tanta exercuit caritate, quod sponte humilis nunc doctrina, nunc monitionibus, nunc exhortatione fraterna, nunc etiam corporali servitio satagebat, ut bonus Christi miles, inferioribus ministrare. Nec solum quae ab ipso B. Francisco pie et sancte fuerant instituta diligentissime custodivit, sed multa etiam adinventa, quae, crescente fratrum numero, necessaria videbantur, adiecit. Ordinem quoque ipsum in provincias custodiasque divisit.

§ 9. Magnus etiam dignitate in Romana fuit Ecclesia. Increbrescente enim fama innocentiae, doctrinae ac prudentiae eius, a fel. rec. Gregorio Papa X., praedecessore nostro, ad cardinalatus est vocatus honorem, ut eius opera in maximis et difficillimis rebus, quae temporibus illis inciderant, uteretur, in quem Gregorius ipse ob ingentia viri merita novo est usus exemplo. Statim enim illi Albanen. commisit Ecclesiam, quae non nisi vetustioribus cardinalibus solet committi.

§ 10. Non fefellit expectationem Summi Pontificis ac sacri senatus opti-

mus ac Deo amicissimus vir. Sed in Concilio Lugdunensi praesidens omniaque ad Dei laudem dirigens, sedatis discordiis difficultatibusque sublatis, ipsi Ecclesiae maximo usui fuit et ornamento.

§ 11. Quibus rebus aperte cognoscitur, quod statuit illi Dominus testamentum pacis et principem fecit eum, ut sit illi sacerdotii dignitas in aeternum, quem inanis gloria non inflavit, non divitiae sinistrorsum egerunt; sed in fide lenitateque perseverans, pius in Deum, in pauperes misericors, iustus in omnes, ita hoc corruptibile corpus exuit, ut cum Apostolo dicere posset: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona iustitiae* (II. Tim. 4, 7.).

§ 12. Qui etsi ex sola perseverantia poterat sanctus credi, iuxta illud: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae* (Apoc. 2, 10.), subsequuta sunt tamen post vitam multa maximaque miracula, quae certum sanctitatis eius praebent indicium et nos ad ipsius venerationem inducunt, quem Deus meritis praecedentibus venerandum ostendit. Ipse enim Deus omnipotens, ut suae virtutis potentiam manifestet et nostrae salutis causam pandat, fideles electos suos, quos coronat in caelis, saepe etiam honorat in mundo, ad eorum memoriam signa faciens et prodigia, quo haeretica pravitas confundatur, et fides orthodoxa servetur.

§ 13. Agimus igitur ipsi Deo quantas possumus gratias, quod nos dignos duxerit, per quos haec canonizatio celebraretur, quae licet, divinis litterarum monumentis exstantibus coruscantibusque miraculis, iam pridem potuerit rite fieri, nunquam tamen antehac vel a principibus vel ab aliis tanta diligentia fuit petita. Nostro tempore carissimi in Christo filii nostri Fredericus Romanorum imperator semper augustus, Ludovicus Francorum christianissimus, Ferdinandus Siciliae et Matthias Hungariae reges illustres; dilecti quoque filii nobiles viri Alphonsus Calabriae, Ioannes Mozenico Venetiarum, Ioannes Halcam (Italice leg. *Gio. Galeazzo Sforza)* Mediolani, et Ioannes Burbon, duces insignes; praeterea civitates Florentinorum, Senensium, Lugdunensium, Perusinorum et, quod tale iubar tulit, Balneoregium, tanto studio tantaque perseverantia petierunt a nobis, ut durum et impium putaremus eis in re tam pia resistere, quam etiam Dei monitu petere videbantur. Accesserunt assiduae venerabilis fratris nostri Iuliani, Episcopi Sabinensis, ipsius Ordinis Protectoris, dilectorum quoque filiorum Francisci Samsonis, Generalis Ministri, et Petri de Rodulphis, Procuratoris dicti Ordinis, sacrae theologiae professoris, preces, qui nomine generalis eorum Capituli id tanquam iustum et debitum reposcebant. Legeramus studiosissime Sancti huius divina scripta, quibus, postquam per aetatem aliquid sapere licuit, semper fuimus delectati. Audiveramus quoque ab antiquioribus praefatae Religionis fratribus et gravibus quidem viris, quod et ipsi a maioribus natu acceperant, de sanctimonia vitae eius constantem famam esse; sciebamus de multis maximisque miraculis, nec erat propterea apud nos dubium, quin in triumphanti Ecclesia triumpharet in caelo et venerationem mereretur in terris.

§ 14. Sed memores, nos eundem Minorum Ordinem ex voto ingressos, in quo, divina assistente gratia, in sacris litteris et religiosis moribus utcumque profecimus eademque ministeriatus officia exercuimus, atque inde ad cardinalatus dignitatem, ita ut per consimiles gradus ad pontificatus culmen sublevatos nos fuisse, disponente Domino, cognoscamus, per quos ipse Bonaventura sanctus ad triumphantis Ecclesiae immarcescibilem gloriam evectus est, ne ad id videremur potius affectione propria quam debita devotione moveri, eam adhibuimus dili-

gentiam ac gravitatem, quam rei magnitudo poscebat. Commisimus enim tribus ex venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, ut de veritate miraculorum mandarent inquiri. Cumque unus ex eis, inchoato processu, ut Deo placuit, ab hac luce migrasset, alium in locum defuncti subrogavimus Cardinalem, quo iam decedente, alium substituimus.

§ 15. Nec his contenti, cum iam processus ipse pene perfectus esset, et hi qui delegati erant fidelissime retulissent; tamen, quia non videbatur in procedendo tanta, quanta requiritur, observata solemnitas, illum reiterari iussimus.

§ 16. Demum, cum ex uberiori relatione et fide dignorum testium super hoc receptione compertum fuisset, multa et magna a Deo per ipsum Sanctum miracula fieri, quae in conspectu multitudinis cernebantur, nos, ne Spiritui Sancto resistere videremur, qui per os Prophetae laudare Deum in Sanctis suis iubet, in consistorio nostro secreto, huius rei causa habito, eorundem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium vota super huiusmodi canonizatione sumus scrutati. Cumque omnium una eademque fuisset sententia, videlicet ut in Sanctorum numero referri deberet:

§ 17. Consistorium publicum deinde habuimus, in quo, magna multitudine adstante, in triduum orationes ieiuniaque indiximus, ut Deus omnipotens nobis quod factu optimum in hac re esset ostendere dignaretur, nec pateretur, Ecclesiam suam militantem errare, quae se triumphanti conformare studet.

§ 18. Triduo deinde elapso, omnes qui in Romana Curia erant praelatos iussimus convenire, qui ad unum interrogati, quid faciendum videretur, in eandem sententiam convenerunt beatumque Bonaventuram canonizandum censuerunt.

§ 19. Nos ergo, Dei nutum et voluntatem sequentes attendentesque, iustum ac debitum esse, ut quos Deus honorat in caelis nos venerationis officio laudemus et glorificemus in terris, cum ipse potius laudetur et glorificetur in illis, qui est laudabilis et gloriosus in saecula, hunc diem canonizationis ipsius sancti Bonaventurae in medio basilicae Principis Apostolorum de Urbe, quo maxima omnis generis ordinisque multitudo confluxerat, celebrandum statuimus. Ibi reliquis omnibus legitime peractis, praedictus Ordinis Minorum Procurator, in medio stans, dictum illud beati Ioannis apostoli clara voce proponens, videlicet: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus* (I. Ioan. 5, 7.), probavit etiam, habito super praemissis processu, ipsas beatissimae Trinitatis personas testimonium, quod beatus Bonaventura in caelo sit, praestitisse: Patrem videlicet in miraculorum potentia, Filium in doctrinae sapientia, et Spiritum Sanctum in vitae ipsius bonitate. Et propterea non solum nominibus omnium, qui hanc ipsam canonizationem fieri supplicarunt, sed etiam ex parte individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut ipsum beatum Bonaventuram sanctum pronuntiare dignaremur, instanter, instantius et instantissime requisivit. Confidentes igitur, quod in hac canonizatione non permittat nos Deus errare, qui omnia in ea quomodolibet requisita etiam superabundanter observari fecimus et observavimus, de eorundem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium omniumque praelatorum in Romana Curia existentium unanimi consensu et maturo consilio, de omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, beatae memoriae Bonaventuram Balneoregiensem, sacrae theologiae professorem, ex gremio sacri Ordinis Minorum et ex officio Generalatus in Episcopum

Cardinalem assumtum, Sanctum esse ac aliorum Sanctorum Dei catalogo adscribendum, adiiciendum et aggregandum fore ac fideliter firmiterque teneri debere decernimus; ipsumque sanctorum Confessorum Pontificum et Doctorum, quos sancta Dei veneratur Ecclesia, consortio solemniter in praesentiarum adscribimus aggregamusque per praesentes.

§ 20. Statuentes etiam et mandantes venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ac dilectis filiis dictorum ac patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum Capitulis, et quorumvis Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, professoribus, necnon quibuscumque ecclesiasticis personis, ut festum ipsius sancti Bonaventurae secunda dominica mensis Iulii singulis annis solemniter et devote celebrent, divinum officium veluti pro uno Confessore Pontifice et Doctore, tam publice quam privatim, prout contigerit, persolventes.

§ 21. Dilectis vero filiis fratribus praedicti Minorum Ordinis, quatenus huiusmodi officium sub festo duplici et octava, eo modo quo aliorum dicti Ordinis Sanctorum celebrare festa et octavas consueverunt, celebrandi concedimus facultatem.

§ 22. Insuper, eadem auctoritate omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in eadem dominica ecclesiam, in qua sanctum eius corpus requiescit, devote visitaverint, annuatim septem annos et totidem quadragenas, his vero, qui aliis temporibus in singulis diebus dominicis, centum dies, illis autem, qui ecclesias fratrum Minorum ubilibet constitutas tam ipsa die festi, quam in octava divinis officiis interfuerint, consimiles indulgentias et peccatorum remissiones, quae in singulis aliorum eiusdem Ordinis Sanctorum festis, ex indultis Apostolocis generaliter promulgatis, Romani Pontifices concesserunt, de iniunctis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus et elargimur.

§ 23. Considerantes praeterea, quanta ab hoc ipso sancto Bonaventura ratione scientiae et sanctitatis vitae episcopalisque et cardineae dignitatis S. R. E. susceperit incrementa, quantamque idem Sanctus cum beato Thoma de Aquino, coaetaneo, condiscipulo et commagistro suo familiaritatem et spiritualem coniunctionem in hac vita servaverit, ut quos in hoc saeculo fraterna iunxit caritas, et eadem in caelo praemia consecutos credimus, praesens Ecclesia pari veneretur honore, praedictum festum inter festa sacri Palatii Apostolici assumentes annumerantesque, eandem indulgentiam in festo praedicto in ecclesia sanctorum Apostolorum de Urbe, quae in festo ipsius sancti Thomae de Aquino in ecclesia beatae Mariae Virginis de Urbe, Minerva vulgariter nuncupata, habetur, concedimus; pariterque decernimus, fratres Minores in alma Universitate Parisiensi eisdem privilegiis posse ac debere uti et gaudere ob ipsius S. Bonaventurae merita, quibus ex Apostolicis indultis fratres Praedicatores, qui in eadem Universitate intuitu et gratia eiusdem S. Thomae potiri et gaudere consueverunt et gaudent, aut potiri et gaudere quomodolibet poterunt in futurum.

§ 24. Quocirca omnes et singulos in dignitate constitutos requirimus et monemus, quatenus universis et clericis et populis suarum civitatum, dioecesium et parochiarum praesentes nostras litteras solemniter publicantes, eosdem hortentur, ut Deum ipsum, a quo bona cuncta procedunt, humiliter deprecentur, ut ipsius sancti Doctoris et Confessoris Bonaventurae meritis et precibus exoratus, militantem Ecclesiam, Apostolicam fidem et cunctos christifideles a paganorum et alio-

rum infidelium et haereticorum tueatur incursibus et a periculis cunctis semper protegat ac defendat; et illam quam nobis mundus dare non potest pacem, hostium omnium sublata formidine, firma cum tranquillitate concedat; utque post huius vitae militiam depositumque pastoralis officii ministerium, una cum grege nobis credito, ad sempiterna tandem gaudia pervenire mereamur.

§ 25. Demum, quia difficile foret litteras originales praesentes ad uniuscuiusque notitiam deferri, volumus ac decernimus, quod earum transumtis, sed sigillo Generalis Ministri Ordinis antedicti et manibus duorum notariorum publicorum debite subscriptis, fides adhibeatur indubia in omnibus et per omnia, et illis ubique stetur, ac si originales litterae huiusmodi essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, ascriptionis, aggregationis, statuti, mandati, concessionis, relaxationis, largitionis, assumtionis, annumerationis, monitionis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, decimo octavo kal. maii, pontificatus nostri anno undecimo.

SS. D. N. SIXTI PAPAE V.

DECRETALES LITTERAE

QUIBUS S. BONAVENTURA, SERAPHICUS DOCTOR, EP. CARD. ALBAN.

INTER EXIMIOS EGREGIOSQUE SANCTAE CATHOLICAE ECCLESIAE DOCTORES ADNUMERATUR.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et dilectis filiis aliarum ecclesiarum Praelatis per universum terrarum orbem constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Triumphantis Hierusalem gloriam sempiternam et Sanctorum cum Christo felicissime regnantium nunquam marcescentes coronas cum gaudio admirans sancta Mater Ecclesia, adhuc in terris militans, ad eandem vero iustitiae coronam festinans, Deum in Sanctis suis mirabilem praedicare non cessat. Nec vero insignes tantum victorias et praeclara Sanctorum merita eximiis laudibus celebrat, sed eosdem Sanctos, quos Deus mirifice honorificat, ipsa quoque pie veneratur ac colit, quorum nimirum praedicatione salutarique doctrina instituta, sanguine fundata, illustribus caritatis operibus atque exemplis educata, ferventibus illorum apud Deum precibus quotidie adiuvatur. Quamobrem debitis etiam congruisque honoribus, unicuique Sanctorum singulatim tribuendis, ad caelestis illius Hierarchiae, ubi omnia in caritate perfecta ordinata sunt, normam atque imaginem sese conformare, quantum quidem in huius praetereuntis mundi exilio licet, maxime studet. Nam quemadmodum in magna illa summi Patrisfamilias bonisque omnibus cumulata domo mansiones multae sunt, et beatae illae animae mira quadam varietate unius gloriae beatitudine perfruuntur, sic catholica Ecclesia, quae caelestis illius effigies est, ut castrorum acies ordinata, in veneratione Sanctis Dei adhibenda sacros illos ordines, divino illustrata lumine, agnoscit atque distinguit. Itaque dum gloriosum Apostolorum chorum, dum Prophetarum laudabilem numerum, dum fortissimorum Martyrum laudat exercitum ceterisque Sanctis suo loco et ordine rite honores defert, in uno caritatis spiritu et consimili piae devotionis affectu multipliciter exultat. Inter illos vero beatissimos Sanctorum choros, quorum memoria a cunctis fidelibus religioso culto merito celebratur, insigni splendore elucet sanctorum Doctorum ordo a Paulo Apostolo diserte enumeratus, cum ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores,* quos vineae suae strenuos fidelesque cultores atque operarios constituit, *ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* (I. Cor. 12, 28; Eph. 4, 12.). Hi sunt, de quibus divina Sapientia clamat: *Qui elucidant me vitam aeternam habebunt* (Eccli. 24, 31.). De his An-

gelus apud Danielem loquitur: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates* (Dan. 12, 3.). Eos denique Salvator ipse Christus Dominus insigni illo elogio ornavit: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum* (Matth. 5, 19.). Cum autem omnibus temporibus sacrorum Doctorum studium et doctrina in Ecclesia Dei utilis et salutaris fuit, tum maxime fructuosam et plane necessariam esse res ipsa demonstravit, cum, persecutorum christiani nominis horribili furore represso, in ipsa Ecclesiae pace teterrima haeresum bella vehementius excitata sunt. Tunc enim haereticorum doli et fallaciae, qui, diabolo instigante, in agro Domini zizania superseminare non intermittunt, Doctorum cura et diligentia detectae, et pestiferi ac detestabiles errores gladio spiritus amputati, et catholicae veritatis vi, sacris Doctoribus administris, mendacium prostratum. Quare iure optimo Hyadum stellarum nomine sancti Doctores in Ecclesia designantur, qui, perfrigida hyeme et longis infidelitatis noctibus expletis et persecutionis tempestate sedata, tunc clariores sanctae Ecclesiae exorti sunt, cum veritatis sol per corda fidelium altius calesceret, et tanquam novo fidei vere lucidior annus aperiretur.

§ 1. Iam vero inter eos, quos Dominus magnus spiritu intelligentiae replere voluit, quique tanquam imbres eloquia sapientiae suae in Ecclesia Dei emiserunt, merito numeratur S. Bonaventura, Confessor et Pontifex et in eadem catholica Ecclesia Doctor eximius, quem felicis recordationis Sixtus Papa IV., praedecessor noster, ob admirabilem vitae sanctitatem et praecellentem doctrinam in Sanctorum numerum adscripsit.

§ 2. Is enim Balneoregii in Etruria natus, ut piae matris voto satisfaceret, adolescens seraphicam Sancti Francisci Religionem est ingressus, per cuius vestigia recentia adhuc novus Christi miles humiliter et constanter innedens, saluberrimam regularium institutorum observantiam tanto animi ardore tantaque cordis aviditate hausit, ut summa in eo sanctitas appareret, ac vitae innocentia et castitate, sancta humilitate, patientia, mansuetudine, terrenarum rerum despicientia, caelestium desiderio omnibus et exemplo et admirationi esset. Tanta quoque spiritus dulcedine et divini amoris fervore inflammatus in Deum rapiebatur, ut iam in cellam vinariam Sponsi introductus et vino optimo caritatis ebrius, Iesum Christum crucifixum et patientem ubique intueri et in eius vulneribus habitare videretur. Ad hanc vero eximiam vitae sanctitatem vir Dei magnam praestantis doctrinae laudem adiunxit, Deo ita disponente, ut ad eius gloriam et Ecclesiae utilitatem non solum exemplo, sed verbo et eruditione magnopere proficeret. Itaque cum in sacrarum Litterarum studio, sanctorum Patrum lectione et scholasticae theologiae pernecessaria disciplina, Alexandro de Ales magistro, insigni illius aetatis theologo, diligentissime versaretur, brevi temporis spatio excellentis ingenii bonitate, assiduo labore, et quod caput est, gratia Spiritus sancti, qui vas aureum in honorem electum omni ex parte formabat, tantos progressus fecit et ad tantam doctrinae perfectionem pervenit, ut doctoris et magistri insignibus in celeberrimo Parisiensi gymnasio solemni more decoratus, sacram theologiam ibidem publice professus sit.

§ 3. Tantam vero laudem in interpretandi munere et in universae theologiae scientia est consecutus, ut viri doctissimi eius doctrinam et eruditionem admirarentur. Et quidem multiplices sancti viri lucubrationes et praeclara scripta,

quae adhuc magna Ecclesiae utilitate et non medioeri Dei beneficio exstant, quaeque et nostrae et superiorum aetatum viri eruditi multo cum fructu legerunt et magnopere comprobarunt, quantus ille in theologia fuerit, satis declarant. Ea enim divini ingenii sui monumenta posteris reliquit, quibus perdifficiles et multis obscuritatibus involutae quaestiones magna optimorum argumentorum copia, via et ordine enucleate ac dilucide explicantur, fidei catholicae veritas illustratur, perniciosi errores et profanae haereses profligantur, et piae fidelium mentes ad Dei amorem et caelestis patriae desiderium admirabiliter inflammantur. Fuit enim in S. Bonaventura id praecipuum et singulare, ut non solum argumentandi subtilitate, docendi facilitate, definiendi solertia praestaret, sed divina quadam animos permovendi vi excelleret. Sic enim scribendo cum summa eruditione parem pietatis ardorem coniungit, ut lectorem docendo moveat et in intimos animi recessus illabatur, ac denique seraphicis quibusdam aculeis cor compungat et mira devotionis dulcedine perfundat; quam sane gratiam in eius ore et calamo diffusam admirans praedecessor noster Sixtus IV. Pontifex illud dicere non dubitavit, Spiritum Sanctum in eo locutum videri.

§ 4. Cum igitur servo fideli tam multa et praeclara a Domino talenta essent credita, ut illis ad fratrum utilitatem exercendis et negotiandis caelestis gratiae thesauros amplificaret, divino consilio et summo totius sui Ordinis consensu Romae Minister Generalis septimus post beatum Franciscum est factus; quo in officii munere non solum prudentiam, vigilantiam, sollicitudinem praestitit, sed tanto fraternae caritatis ardore exarsit tantaque christianae humilitatis demissione fratribus inservivit, ut in eo illud Salvatoris agnosceretur: *Qui maior est in vobis, sit vester minister* (Matth. 20, 26.).

§ 5. Quin et piae memoriae praedecessor noster Clemens Papa IV., qui sanctum virum valde dilexit et eius doctrina mirifice est delectatus, ut tam excellens virtus et prudentia ad multorum utilitatem latiori in campo excurreret, insignem Eboracensem archiepiscopatum ei obtulit. Ille vero cum se a seraphicae paupertatis complexu divelli non facile pateretur, oblatam dignitatem modeste atque humiliter recusavit.

§ 6. Ceterum cum Gregorius X., summus Pontifex, ob gravissimas christianae reipublicae causas Concilium generale Lugdunum indixisset virosque sanctitate, doctrina et sapientia praestantes perquireret, quorum forti et fideli opera ad rei maximae tractationem atque explicationem uteretur, duo in primis clarissima illius aetatis lumina e duobus florentissimis Ordinibus Praedicatorum et Minorum delegit, Sanctos Thomam et Bonaventuram, quos ad se ire iussit. Sed cum alter in ipso itinere in morbum incidisset atque ad gloriae coronam feliciter evolasset, S. Bonaventura, Lugdunum profectus, humanissime exceptus est a Romano Pontifice Gregorio, qui in eius virtute et sapientia ita acquiescebat, ut Concilii recte dirigendi et administrandi partes ei praecipue tribuendas esse decerneret. Quare ex publica Ecclesiae utilitate et necessitate, ut maiori cum dignitate et auctoritate Concilii rebus non solum interesset, sed praeesset, statuit lucernam ardentem et lucentem supra excelsum candelabrum ponere, ut in domo Dei magis luceret.

§ 7. Itaque S. Bonaventuram, nullos honores appetentem, fugientem potius, sed Christi Vicario obtemperantem nullosque pro Ecclesia labores subire recusantem, tanquam in totius orbis terrae theatro in sacrum Cardinalium collegium

et in Episcoporum ordinem statim cooptavit; nam ecclesiae Albanensi illum praefecit, qui honos antiquioribus presbyteris Cardinalibus tribui solet. Qua ille amplissima dignitate auctus, universam in Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem contulit. Etenim in rebus Concilii arduis operam egregiam praestitit, catholicam fidem constantissime defendit, pravas opiniones acerrime refutavit, eiusdemque prudentia, doctrina, sanctitate, orationibus Gregorii Pontificis pastoralis sollicitudo tantopere adiuta est, ut sublato per Dei misericordiam schismatis dissidio, Michael Palaeologus, Graecorum imperator, orientalesque nationes ad Apostolicae Sedis obedientiam, unitatem communionemque redierint; ac denique dignus habitus est, quem Graeci Eutychii nomine appellarent.

§ 8. Merito igitur, cum paulo post in eodem Concilio fortissimus Christi athleta ex huius vitae peregrinatione ad caelestem patriam emigrasset, omnes eius mortem doluerunt, omnes communem iacturam deplorarunt, omnes illius funus lacrymis et laudibus ornarunt, sed unus praeter ceteros, viri sanctissimi vitam integerrime actam, mores probatissimos, labores permultos pro Ecclesia susceptos, doctrinam in illo ipso Concilio spectatam insigni laudatione verissime celebravit. Is fuit piae memoriae Petrus Cardinalis a Tarantasia, vir eruditione et christiana eloquentia praestans, qui postea ad pontificatus fastigium evectus, Innocentius Papa V. est appellatus. Ipse vero Summus Pontifex Gregorius X. ex intimi animi sensibus amissum fratrem, adiutorem et consiliarium fidelissimum dolens, palam gravibus verbis testificatus est, catholicam Ecclesiam, quae ex tanti viri pietate et doctrina fructus uberrimos acceperat, magnam illius morte iacturam fecisse. Sed vere a Spiritu Sancto dictum est: *In memoria aeterna erit iustus* (Psal. 111, 6.). Nam qui in vita illustris fuerat, multo post mortem factus est illustrior, Deo qui admirabilis et gloriosus est in Sanctis suis, signis compluribus ac prodigiis et miraculis maxime insignibus servi sui sanctitatem comprobante.

§ 9. Quorum miraculorum fama cum apud omnes percrebresceret, idem Sixtus, praedecessor noster, e sublimi Apostolicae Sedis specula ea aspiciens, digitum Dei, qui facit mirabilia magna solus, ibi plane esse intellexit. Itaque et sponte sua, et clarae memoriae Frederico Romanorum imperatore, regibus, rebuspublicis, ducibus civitatibusque permultis vehementer requirentibus, ac omnium fere fidelium consensu efflagitante, de viro praestantissimo Bonaventura Episcopo Cardinali in Sanctos referendo Pontifex Romanus dignam cogitationem suscepit. Summa igitur cura et diligentia vitae illius eximia sanctitate et miraculorum veritate examinata atque comperta, omnibus denique, quae ad eam rem pertinebant, rite recteque actis, ad Dei gloriam et Ecclesiae catholicae exaltationem, pro sua summa eique a Deo in beato Petro Apostolo tradita potestate, eundem beatum Bonaventuram, de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium et praelatorum omnium consensu, in Sanctos retulit et in Sanctorum Confessorum Pontificum Doctorum numerum adscripsit atque aggregavit eiusque festum anniversarium diem secunda mensis Iulii dominica die celebrari, officiumque de eo, veluti de Confessore Pontifice Doctore in universa Ecclesia recitari iussit, aliis item decretis adiectis, quae in eiusdem Sixti litteris plenius continentur.

§ 10. Et quamvis gloriosus hic Doctor S. Bonaventura et in Ecclesia catholica celeberrimus sit, et in caelo maxime resplendeat, ubi corona illa est coronatus, quam repromisit Deus diligentibus se, nec ulla humana re indigeat, qui bonis illis cum Christo perfruitur, quae nec oculus vidit, nec in cor hominis

ascenderunt; urget nos tamen caritas Christi, et ardens quidam devotionis affectus, quo erga eum ab ineunte fere aetate perpetuo exarsimus, ut de eius sanctitate et doctrina magis magisque propaganda atque illustranda, quantum cum Domino possumus, cogitemus. Movemur quidem, ut par est, sancta cum eo communione seraphicae Religionis nostrae, in qua educati et tot annos versati sumus, et cui tanquam matri optime meritae, omnia pietatis et grati animi monumenta praestare debemus; sed multo magis movent nos Dei gloria, pastorale officium quod gerimus, viri sanctissimi pro Ecclesia Dei tot suscepti labores, tot illustria merita, tanta cum Romana Ecclesia coniunctio, in cuius amplissimo ordine et senatu summa cum laude consedit. Denique movet nos Ecclesiae universalis utilitas, quae ex tanti Doctoris eruditione semper maior et uberior capi potest, praesertim cum haereticorum insidiae et diabolicae machinationes, quibus sacram theologiam, quae Scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant vehementissime, nos magnopere admoneant, ut eandem theologiam, qua nihil Ecclesiae Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus. Divino enim illius munere, qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a maioribus nostris, sapientissimis viris, theologia Scholastica, quam duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus sanctus Thomas, et seraphicus sanctus Bonaventura, clarissimi huius facultatis professores, et primi inter eos, qui in Sanctorum numerum relati sunt, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt. Et huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas. His vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est. Et profecto rem ita se habere, ipsimet veritatis inimici sunt iudices, quibus theologia Scholastica maxime est formidolosa, qui profecto intelligunt, apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, illo ordine et dispositione, tanquam militum in pugnando instructione, illis dilucidis definitionibus et distinctionibus, illa argumentorum firmitate et acutissimis disputationibus lucem a tenebris, verum a falso distingui, eorumque mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tanquam veste detracta, patefieri ac denudari. Quanto igitur magis illi hanc munitissimam Scholasticae theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere, et haereditatem patrum nostrorum conservare et tueri, et acerrimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus, decorare.

§ 11. Quamobrem, ut seraphici Doctoris eruditio ad multorum utilitatem latius diffundatur, et ex eius libris et operibus eruditi et studiosi viri copiosiores suavioresque in dies fructus capiant (quod ad ipsius Sancti, quamquam in

caelo beatissimi, gloriam aliquam facere non est dubitandum) primum quidem in alma Urbe nostra, in hac basilica Sanctorum Duodecim Apostolorum, Sancti Bonaventurae nomine collegium instituimus, in quo ex huius praecipue eximii devotique Doctoris operibus et commentariis sacra theologia publice explicetur.

§ 12. Deinde etiam opera illius omnia, quae inveniri potuerunt, partim nondum edita nostraque auctoritate et impensis undique conquisita, partim iam evulgata, simul omnia decenti forma et quam emendatissime imprimi et e typographia nostra Vaticana in lucem emitti curamus. Quod autem ab ipso pontificatus nostri initio, Deo, ut pie credimus, inspirante, constanter proposuimus, sancti huius Doctoris nomen et merita gloriosa apud omnes pro viribus celebrare fideliumque erga eum venerationem augere et amplificare, sane ad id quoque non mediocriter excitati sumus exemplo sanctae memoriae Pii Papae V., praedecessoris nostri, de christiana republica optime meriti, et quem ut parentem adhuc reveremur et colimus.

§ 13. Is enim religiosa pietate et singulari devotione permotus, qua afficiebatur erga sanctum Thomam de Aquino, Ordinis sui decus et Ecclesiae catholicae ornamentum, cupiens eodem modo eundem Sanctum ob eius praestantissima in catholicam Ecclesiam merita congruis honoribus exornare, praeter alia hoc iussit atque decrevit, ut illius festus dies quotannis duplicis officii ritu ad instar sanctorum quatuor Ecclesiae Doctorum perpetuo celebraretur; quod et S. Bonaventurae, Doctori eximio, tribui debere aequum profecto existimamus, cum tam multa inter eos virtutis, sanctitatis, doctrinae, meritorum coniunctio et similitudo intercedat. Hi enim *sunt duae olivae et duo candelabra* (Apoc. 11, 4.) in domo Dei lucentia, qui et caritatis pinguedine et scientiae luce totam Ecclesiam collustrant; hi singulari Dei providentia eodem tempore tanquam duae stellae exorientes ex duabus clarissimis regularium Ordinum familiis prodierunt, quae sanctae Ecclesiae ad catholicam religionem propugnandam maxime utiles, et ad omnes labores et pericula pro orthodoxa fide subeunda paratae semper existunt, ex quibus, tanquam ex fertili et bene culto solo, quotidie per Dei gratiam fecundae et fructuosae plantae procreantur, hoc est viri doctrina et sanctitate praestantes, qui Petri naviculae, tot fluctibus agitatae, et Romano Pontifici, eius clavum non sine magna sollicitudine tenenti, fortem et fidelem operam navant. Hi duo Sancti, cum essent coaevi iisdemque studiis dediti, condiscipuli, simul magistri, pari ratione a Gregorio X. summo Pontifice, cum ambo ad Concilium evocarentur, honorati, et in huius vitae peregrinatione fraterna caritate, spirituali familiaritate, sanctorum laborum societate valde coniuncti fuerunt, et denique pari gressu ad caelestem patriam commigrantes, pariter felices et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur, ubi eodem caritatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant divinamque opem implorant, ut merito idem Sixtus IV., hos duos Sanctos persimiles et quasi geminos in Christo fratres agnoscens, statuerit, sanctum Bonaventuram consimili venerationis et honoris praerogativa atque S. Thomam decorandum esse.

§ 14. Quod igitur a nobis et seraphici Ordinis caritas, et sancti Bonaventurae meritorum magnitudo, et catholicae Ecclesiae, cuius gubernacula nobis, licet immerentibus, a Deo commissa sunt, utilitas et aedificatio requirit, habita super his omnibus cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorundem consilio et unanimi assensu et ex certa nostra

scientia ac de attributae nobis Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, doctrinam ipsius S. Bonaventurae a supradictis praedecessoribus nostris, Clemente IV., Gregorio X. et Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunensi maxime spectatam, in Florentino etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, gravissimorum virorum auctoritate testificatam et commendatam et eximio Ecclesiae Doctore dignam, nos quoque plurimum in Domino laudamus et commendamus, ac litteras eiusdem Sixti IV., quas pro expressis hoc loco haberi volumus, excepta eius ordinatione de festo die S. Bonaventurae secunda Dominica Iulii celebrando, harum tenore approbantes et innovantes, ipsum S. Bonaventuram, iure sanctorum Doctorum consortio ab eodem Sixto IV. adscriptum et connumeratum, auctoritate Apostolica tenore praesentium inter praecipuos et primarios, qui theologicae facultatis magisterio excelluerunt, habendum ac venerandum esse, decernimus et declaramus.

§ 15. Atque ob eam causam sperantes in Domino, huius Seraphici Doctoris lucubrationes ad doctrinam et devotionem, quam in clero populoque christiano magnopere lucere et ardere cupimus, maximo adiumento fore, illius libros, commentarios, opuscula, opera denique omnia, prout ex nostra typographia Vaticana quam emendatissima, ut supra dictum est, emittuntur, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, qui eximii sunt, non modo privatim, sed publice, in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus omnibusque aliis ecclesiasticis studiis christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus.

§ 16. Et nihilominus, ut sapientissimi huius Doctoris gloriosa recordatio, si non pro ipsius dignitate, at saltem pro humana tenuitate, ob ingentia illius merita ardentiori studio recolatur, felicis recordationis praedecessorum nostrorum Bonifacii Papae VIII., qui de sanctis quatuor Doctoribus, et Pii Papae V., de praedicto S. Thoma eadem praeceperunt, exemplo adducti, praecipimus, ut eiusdem S. Bonaventurae dies festus in omnibus christiani orbis partibus sub duplici officio a cunctis personis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus tam publice quam privatim pridie Idus Iulii (non obstante praedicta Sixti IV. ordinatione de secunda Dominica dicti mensis) celebrari atque in Calendariis, cum Doctoris nomine et festi duplicis adiectione describi et imprimi debeat, etiamsi in novissimis breviarii et missalis Romani reformationibus aliter dispositum fuerit, neque secus atque a nobis ut supra ordinatum fuit, per quoscumque quavis auctoritate praeditos, censeri aut interpretari posse decernimus.

§ 17. Hortantes universos utriusque sexus Christi fideles civitatis Balneoregii, quae clarissimum hoc edidit lumen, et illius dioecesis, ut eodem die festo a servilibus, de sanctae Ecclesiae more, operibus abstineant. Ut autem Christi fidelium devotio ad seraphici huius Doctoris diem festum colendum eiusque opem pie implorandam eo magis accendatur, quo ex hoc caelestis gratiae dono se uberius conspexerint esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus tam in dicta civitate et dioecesi Balneoregii, quam in praeclara Galliae urbe Lugduno, ubi ille bono certamine legitime decertato, cursu consummato, fide servata, ex hoc calamitoso saeculo ad meritorum suo-

rum praemium et coronam in caelum feliciter migravit, in almaque Urbe nostra, ubi in hac Basilica sanctorum Duodecim Apostolorum collegium a nobis, ut iam diximus, est erectum, constitutis, qui eius festum huiusmodi, ut ceteras de praecepto Ecclesiae servari solitas festivitates, devote colentes, vere poenitentes et sacramentali peccatorum suorum confessione praemissa, eo die sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Qui vero ecclesias Fratrum Minorum S. Francisci ipso die festo a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei devote visitaverint, pias inibi ad Deum preces, prout sua cuique suggeret devotio, effundentes, decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis per praesentes litteras perpetuo duraturas, quas sub quibusvis indulgentiarum revocationibus vel limitationibus nullo modo comprehendi volumus, misericorditer in Domino relaxamus.

§ 18. Quocirca fraternitati et discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, ut praesentes litteras et in eis contenta quaecumque in suis quilibet provinciis, civitatibus, ecclesiis et dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis ordinum regularibus ubique locorum et gentium inviolate perpetuo observari procurent.

§ 19. Volumus autem, ut earundem praesentium transumtis etiam impressis, manu alicuius notari publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

§ 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum approbationis, innovationis, decretorum, declarationis, voluntatum, praecepti, concessionis, elargitionis, relaxationis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datae Romae apud Basilicam SS. XII. Apostolorum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, pridie Idus martii, Pontificatus nostri anno tertio.

COMMENTARIUS
IN I. LIBRUM SENTENTIARUM.

PROLEGOMENA

AD PRIMUM LIBRUM SENTENTIARUM.

Insignem et inter theologos celeberrimum Commentarium in libros Sententiarum primo nostrae editionis loco posuimus, in quo exemplum editionis Venetae et Parisiensis secuti sumus. Ratio, quae potissimum ad hoc nos movit, haec est, quod S. Doctor suam in rebus theologicis et etiam philosophicis sententiam in hoc Commentario ita copiose et profunde explicavit, ut ea, quae in aliis libris ad varias sacrae doctrinae disciplinas spectantibus scripsit ad intellectum illuminandum et affectum inflammandum, ad hunc Commentarium tanquam ad suum fontem praecipuum et firmum fundamentum maxima ex parte reduci possint. Huius igitur Commentarii textu suae integritati restituto et opportunis notis illustrato, non parum opis etiam aliis operibus edendis tulisse nobis videmur. Quapropter singulari quodam studio ad hoc incumbendum esse putabamus, ut, adhibitis quam plurimis et optimis manuscriptis aliisque adminiculis, nostra huius magni operis editio fieret quam maxime correcta. Interim quae de hoc Commentario et nostra eiusdem editione nobis observanda videntur ad tria revocavimus capitula, tractando *primo* de quatuor huius Commentarii libris in genere; *secundo* de primo libro in specie, et de iis quae nos in eo edendo praestavimus; *tertio* de libro Sententiarum Petri Lombardi a nobis edito. His adiicientur nonnullae tabulae in commodum lectoris.

CAP. I.

De quatuor huius Commentarii libris in genere.

§ 1. *Authenticos esse huius Commentarii quatuor libros, extra omnem controversiam est.* Primus liber incipit: *Profunda fluviorum scrutatus est;* secundus: *Solummodo hoc inveni, quod Deus fecit hominem rectum;* tertius: *Deus, qui dives est in misericordia;* quartus: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis.* Profecto tot scriptores, etiam coaevi et suppares, tot editiones, tot codices manuscripti S. Bonaventuram huius libri auctorem esse proclamant, ut recte asserere possit P. Benedictus Bonelli (Prodrom. VIII. p. I. c. 1. § 3. col. 516.), quod « nemo vel ex morosioribus criticis, mihi quidem compertis, inventus est hactenus, qui huiusmodi Commentaria fuerit ausus in dubium revocare. Utquid ergo in re meridiana luce clariore atque extra omnis dubitationis aleam posita tempus terere »? Sufficiat igitur breviter commemorare, quod praeter testes ex Ordine Minorum, de quibus infra, Henricus Gandaviensis (de Scriptoribus ecclesiast. c. 47, ed. Alb. Fabricii), qui mortuus est anno 1293, de S. Bonaventura haec profert: « Scripsit in quatuor libros Petri ». Idem affirmat Ptolemaeus Lucensis, discipulus et familiaris S. Thomae (Eccles. histor. novae, XXIII. c. 2. apud Muratori, Scriptores rerum Italicarum, tom. XI. col. 1165).

Ipse huius Commentarii auctor, ut observatur in Prodromo (loc. cit.), satis se insinuat « nedum Franciscanum, nedum Alexandri Halensis discipulum, sed et Bonaventuram Parisiis scribentem. *Franciscanum* quidem, dum ait II. Sent. d. 44. a. 3. q. 2. circa finem: In regula B. Francisci simpliciter praecipitur, quod illius regulae professores nihil omnino habeant proprium super terram etc. *Alexandri Halensis discipulum,* dum in eodem II. libro d. 23. a. 2. q. 3. circa finem diserte nominat fratrem Alexandrum de Hales *patrem et magistrum nostrum,* et alibi in Comment. eundem appellat *bonae memoriae.* Tum etiam *Bonaventuram,* dum IV. Sent. d. 8. p. II. a. 2. q. 2. ad 3. inquit: Si unam haberent institutionem, unum esset nomen, sicut hoc nomen Bonaventura etc. *Parisiis quoque scribentem;* nam IV. Sent. d. 20. p. I. a. 1. q. 6, quaerens purgatorii locum determinatum, inter cetera sic habet: Si dixerimus, quod ubi peccaverunt, illud omnino vel incredibile vel improbabile est, quod omnes animae, quae Parisiis peccaverunt, Parisiis puniantur ».

§ 2. *De tempore et occasione scribendi hunc Commentarium audiendi sunt synchroni Ordinis scriptores.* Eorum testimonia a P. Bonelli in Prodromo (l. c. 3.) et a P. Sbaralea (Supplem. pag. 168) hoc modo conciliantur, ut S. Bonaventura iam anno 1245 post Alexandri mortem inceperit legere super Sententias, sed tantum coram sui Ordinis fratribus et inter domestica septa. Deinde vero cum licentia Ministri Generalis ab anno 1248 publice docuit, ut *licentiatus* in proprio sensu. « Prae ceteris, inquit P. Bonelli, audiendus est Fr. Salimbenus de Adam, Parmensis, Bonaventurae aequalis[1], referens in suis mss. Chroni-

1 In eodem anno uterque habitum Seraphicum sumsit. Chronica ipsius anno 1857 impressa est Parmae. — Locus hic citatus in editis occurrit pag. 129.

cis de Ioanne Parmensi, Generali Ministro: Iste Fr. Ioannes de Parma dedit licentiam Fr. Bonaventurae de Balneo Regis, ut Parisius legeret, quod nunquam alicubi fecerat, quia bacellarius erat nec adhuc cathedraticus; et tunc fecit Lecturam super totum Evangelium Lucae, quae pulcra et optima est, et super Sententias quatuor libros fecit, qui usque in hodiernum diem utiles et solemnes habentur. Currebat tunc annus 1248, nunc autem agitur annus Domini 1284. Consentit Iordanus in Chronico mss. bibliothec. Vaticanae fol. 259, ubi de S. Doctore habet: Anno VII. ad bazalariatum Paris. et an. X. post ingressum religionis ad magisterium est promotus ».

« Secundum haec illud quod inquit Chronicon XV Ministrorum Generalium, scriptum anno 1305: « In septimo anno post ingressum Ordinis Sententias legit Parisius, et in decimo recepit cathedram magistralem », ita intelligendum videtur, ut anno septimo, scil. 1245, factus fuerit baccalaureus idoneusque iudicatus ad theologicas disciplinas tradendas Parisiis; non vero, quod tunc inibi e publico subsellio lecturam acceperit, utpote quam, synchrono teste Salimbeno, incepit non nisi anno 1248, in quem incidit annus decimus, ex quo noster Bonaventura vitam Minoriticam duxit. Eodem modo fas esse videtur interpretari Chronicon XXIV Generalium Ministrorum, Bartholomaeum Pisanum, S. Antoninum, Alexandrum Ariostum et antiquum catalogum Generalium Ministrorum apud Speculum vitae B. Francisci etc ». Hucusque Prodromus, qui deinde corrigit falsam chronologiam editorum Venetorum (Diatriba pag. 10) putantium, sub anno septimo, quo S. Bonaventura inter Minorum septa auditoribus nostris legerit, intelligendum esse annum 1250, et sub decimo, quo cathedram accepit, annum 1253. Denique idem P. Bonelli concludit: « Non tamen negaverim, anno septimo privatim legere potuisse auditoribus nostris inter Minorum septa, dummodo annus septimus statuatur non anno 1250, sed anno 1245 ». Confirmatur haec interpretatio testimonio B. Francisci a Fabriano [1], qui de nostro S. Doctore asserit: « licentiatus sub magistro Alexandro, primo magistro Ordinis, quem, cum esset in saeculo, tota Parisiensis Universitas sequebatur, sub quo septem fratres nostri fuerunt licentiati et magistri effecti in sacra theologia. Hic iam dictus Fr. Bonaventura vir eloquentissimus fuit, mirabilis in intellectu sacrae Paginae et totius sacrae theologiae, pulcherrimus sermocinator ad clerum et praedicator ad populum, in cuius praesentia ubique terrarum omnis lingua silebat ». — Etiam Bernardus a Bessa, ut supra in Praefatione generali [2] relatum est, similiter dicit: « Hinc factum est, ut in septimo anno post ingressum ad Ordinem Sententias legeret Parisiis et in decimo reciperet cathedram ».

Ex his testimoniis patet, S. Bonaventuram in aetate iuvenili incepisse in scholis domesticis interpretationem Sententiarum, ac simul confirmatur quod dicit Salimbene, ipsum scripsisse suum Commentarium anno 1248. Quod tamen, ut bene observatur in Prodromo (col. 516), « cum grano salis accipiendum est, dando antea et postea debitum tempus ad opus adeo grande incipiendum, prosequendum perficiendumque; non quod intra unius anni 1248 angustias illud conceperit peperitque ». Nam si iam anno 1245 suis fratribus Sententias explicavit, absque dubio etiam scriptis mandavit lectiones suas, quas deinde pro more aliorum sui aevi auctorum accuratius elucubravit et publici iuris fecit. Satis autem certum esse videtur, hoc opus usque ad finem anni 1256 iam fuisse ad finem perductum, cum Sanctus 2 Febr. 1257 [3] electus sit in Ministrum Generalem. Manifestum est, hoc gravissimo officio S. Bonaventuram a scholarum disputationibus impeditum fuisse.

Quodsi haec ita se habent, tunc concludere possumus, inter omnes commentarios fere innumerabiles Lombardum explanantes, saltem qui *typis* publicati sunt, hoc opus S. Bonaventurae ordine temporis vel primum vel secundum locum occupare. Dixi: *vel secundum locum*, ne derogem iuri B. Alberti M., qui cum aetate maior sit (natus dicitur 1193, mortuus est 1280) fortasse etiam prius vel eodem cum S. Bonaventura tempore suum Commentarium scripsit. De hoc nihil affirmare nec negare audemus, quia circa chronologiam vitae huius eminentissimi viri hucusque multa sunt incerta [4]. — S. Thomas, si praestamus fidem P. Bernardo Mariae De Rubeis (Dissert. criticae, diss. 10. c. 1; et 12. c. 2.), egregium suum Commentarium incepit ab an. 1253 eumque complevit post acceptam lauream magistralem. — De Petro a Tarantasia omnino constat, cum scripsisse suum Commentarium post S. Bonaventuram, cuius doctrinam in multis locis, ut iam observavit Dionysius Carthus., in compendium redegit, sicut in aliis locis Commentarium S. Thomae abbreviatum exhibet. Teste Echardo (Tom. I. pag. 250) Petrus incepit 1259 legere de Sententiis, quod post aliquorum annorum intercapedinem prosecutus est ab an. 1267.

Nec etiam alios Commentarios, solummodo in *codicibus mss.* asservatos, ante S. Bonaventuram ab *alumnis Ordinis Min.* scriptos et ab ipso auctore publicatos esse putamus. Constat quidem, in Universitate Parisiensi a tempore, quo Mendicantes ad cathedram in ipsa habendam admissi sunt, lectionem super librum Sententiarum vel lege vel consuetudine ad dignitatem magistralem aspirantibus praescriptam fuisse. Nec dubium est, quod licentiati et magistri suas lectiones scriptis mandare eorumque discipuli lectiones *reportare* i. e. quoad partes principales veloci scriptura excipere solebant. Exemplum praebet Scriptum Parisiense Scoti, quod habemus tantum reportatum. Huiusmodi Commentarii reportati etiam aliorum auctorum non pauci adhuc exstant in bibliothecis. Nec volumus *generatim* negare, aliquos commentarios in Magistrum sive reportatos sive ab auctore suo editos, sed nondum impressos, antiquiores esse posse Commentario S. Bonaventurae.

Non pauci scriptores putant, ante S. Bonaventuram et ab ipso eius magistro Alexandro Halensi fuisse scriptum Commen-

---

1 In eius Chronicis Fabrianensibus mss. fol. 9, de quo manuscripto plura dicit P. Bonelli in Prodromo lib. I. c. 15. col. 63, 64, nota f.

2 Pag. III. nota 1.

3 Waddingus ad annum 1256 n. 3. cum aliis eum sequentibus dicit, hanc electionem fuisse 2 Febr. 1256, quod falsum est secundum computum ordinarium, at verum quidem secundum computum illa aetate a multis receptum, qui novum annum a die Incarnationis i. e. 25 Martii, non a 1 Ianuarii incipiebant. Ipsa Chronica XXIV Generalium hanc difficultatem ita dirimit: « Hic Fr. Ioannes (de Parma), convocato Romae Capitulo Generali anno 1256 secundum illos qui computant annos ab Incarnatione Domini, secundum illos vero, qui computant annos a Nativitate, 1257, in festo Purificationis B. M. » Cfr. Prodrom. col. 17, nota d.

4 Echardus (Scriptores O. Praed. tom. I. pag. 165) pro certo habet, B. Albertum an. 1245 fuisse Parisios missum ad legendum pro forma et gradu, ut aiunt. Attamen M. R. P. Henr. Denifle O. Praed., qui in rebus ad historiam illius aetatis spectantibus est versatissimus, pro sua in nos amicitia nobis communicavit, illam assertionem Echardi certo carere fundamento; sed exploratum esse, B. Albertum 1248 legisse Parisiis.

tarium in Lombardum. Hoc asserit auctor libri: *Firmamenta trium Ord. B. P. N. Francisci,* (ed. Parisiensis 1512, fol. 42 recto), qui postquam de Summa theologiae locutus est, haec addit: « Scripsit etiam *primus inter omnes doctores* super Magistrum Sententiarum ad litteram scriptum egregium ». Attamen Natalis Alexander, Oudinus multique post eos volunt, hunc Commentarium non esse diversum a Summa theologiae eiusdem Alexandri. Si hoc est verum, certe non publicavit commentarium in Sententias. Haec enim Summa vocari minime potest commentarius in Magistrum, uti cuique eandem inspicienti manifestum est, cum rerum et ordine et tota dispositione nihil habeat, quod ad commentarium requiritur, non magis quam Summa S. Thomae, quam certo nemo, congrue loquens, velit vocare commentarium in Magistrum. E contrario Sbaralea (Supplem. pag. 17) talem commentarium praeter Summam Alexandro vindicare nititur, adductis multis testimoniis scriptorum, inter quos nominat Henricum Gandaviensem, qui (de Scriptoribus eccles. c. 45.) ait, scripsisse Alexandrum super quatuor libros Sententiarum. Similiter loquuntur Raynerius Pisanus Ord. Praed. in sua Pantheologia, Alphonsus Toletanus Ord. S. August., S. Ioannes Capistranus, Dionysius Carth., qui distinguunt Summam eiusdem et Commentarium, aliique posteriores, qui videri possunt apud eundem Sbaraleam. Afferre potuisset Sbaraleam etiam plures codices mss. in bibliothecis asservatos, qui cum nomine Alexandri inscripti sunt titulo *Commentarii in Sententias* vel *In Sententias.*

Verumtamen iidem hi codices vim testimoniorum, ad quae Sbaralea provocat, magna ex parte elidunt. Nam si accuratius examinantur, apparet, quod non contineant Commentarios a memorata Summa diversos, sed non nisi ipsam Summam. Hoc ipsi observavimus in nonnullis codicibus antiquis, nempe:

Assisii, bibliotheca Conventus S. Francisci, Cod. membr. in fol. parv., saec. XIII., sign. XXXII. B. 268. fol. 1 in sup. marg. *Alexander Halensis I. Sentent.* Incipit: *Quoniam sicut dicit Boethius in libr. de Trinit.* Desinit: *Finis primi et initium secundi.* Secundus liber inscribitur: *in librum II. Sententiarum.*

Florentiae, in bibliotheca Laurentiana, plut. XXIV. dext. Cod. IV. membr. in fol., saec. XIII., constat fol. 325, a secunda manu adnotatum fuit: *Alexander de Hales super secundum Sententiarum.* Incipit: *Completis tractatibus de iis quae pertinent ad speculationem Dei.*

Parisiis, biblioth. S. Victoris; Cod. 44530 membr., saec. XIII.: *in librum IV. Sententiarum.*

Nec *Ioannem a Rupella,* successorem Alexandri in cathedra Parisiensi, commentarium publicasse putamus. Nullum talis operis codicem novimus. Nec verisimile videtur S. Bonaventurae a Superioribus mandatum fuisse, ut novum commentarium scriberet, si isti duo celeberrimi magistri iam simile opus perfecissent, cum ipse an. 1248 non fuerit aetate maior 27 annis.

Negari non potest, aetatem illam adolescentiae videri potius immaturam et imparem istis muneribus obeundis, scilicet docendi in celeberrima studiorum metropoli theologiam et librum immensum de materiis tam arduis scribendi. Sed considerandum est, dona naturalia et supernaturalia huius Seraphici viri magis etiam excessisse ordinem communem et vulgarem, quam annorum paucitas deficiebat a regula ordinaria, ita ut recte dicere potuerit Sixtus IV. in Bulla canonizationis: « Paucorum annorum spatio incredibilem fuerat scientiam consecutus ».

Ceterum S. Bonaventura pro singulari sua modestia et humilitate sua sponte et voluntate nunquam ad tam ardua adhuc iuvenis eniti praesumsisset, nisi obedientia, quam profitebatur erga superiores, et fraterna dilectio erga suos fratres, instanter hunc laborem postulantes, propriam ipsi electionem praeclusisset. Ipse hoc testatur in fine libri tertii in Sententias his verbis: « Iesum Christum rogo, ut faciat provenire mihi ad obedientiae meritum et fratrum profectum; *propter quae duo labor iste fuit a principio assumtus* »; et adhuc expressius in quodam anecdoto prologo ad II. librum Sententiarum vel potius epilogo ad I. librum, quem P. Fidelis primus in bibliotheca civitatis Andegavensis (Cod. 193, membr. in fol., saec. XIV, fol. 164 verso) detexit et exscripsit. Hunc suo loco integrum dabimus; hic autem initium: « Salvatoris opitulante gratia, ex quo perventum est ad completionem primi Sententiarum [1], Patrum interveniente instantia, oportet inchoare secundum. At quemadmodum in primo libro Sententiis [2] adhaesi et communibus opinionibus magistrorum et potissime magistri et patris nostri bonae memoriae Alexandri, sic in consequentibus libris ab eorum vestigiis non recedam. Non enim intendo novas opiniones adversare, sed communes et approbatas retexere. Nec quisquam aestimet, quod novi scripti velim esse fabricator; hoc enim sentio et fateor, quod sum pauper et tenuis *compilator* » etc. More Sanctorum hoc a Seraphico dictum esse magis secundum inspirationem humilitatis, quam secundum rei veritatem, in confesso est apud omnes. Facile etiam demonstrari posset, ipsum non simplicem *compilatorem,* sed vere auctorem, *vel saltem commentatorem* appellandum esse, si attendimus ad eas definitiones, quas ipse sic proponit: « Notandum, quod quadruplex est modus faciendi librum. Aliquis enim scribit aliena nihil addendo vel mutando; et iste mere dicitur *scriptor.* Aliquis scribit aliena addendo, sed non de suo; et iste *compilator* dicitur. Aliquis scribit et aliena et sua, sed aliena tanquam principalia et sua tanquam annexa ad evidentiam; et iste dicitur *commentator,* non auctor. Aliquis scribit et sua et aliena, sed sua tanquam principalia, aliena tanquam annexa ad confirmationem; et talis debet dici *auctor* » (I. Sent. q. 4. Prooemii).

Eadem modestia loquitur in fine II. libri Sententiarum: « Si cui autem aliter videtur et fortassis melius in huius quaestionis determinatione, immo explanatione duorum librorum praecedentium, non invideo; sed hoc rogo, ut si quis aliquid in hoc opusculo invenerit approbatione dignum, agat gratias Deo, largitori bonorum. In aliis vero locis, ubi [3] invenerit vel falsum vel dubium vel obscurum, scribentis insufficientiae benigne indulgeat, qui absque dubio, teste conscientia, vera, aperta et communia dicere concupivit ». Denique in fine III. Sent., « Immensas, inquit, gratias ago Christo, qui adiuvit me pervenire ad consummationem opusculi, miseratus paupertatem scientiae et ingenii mei ».

§ 3. *De relatione quae est inter Summam Alexandri Halensis et S. Bonaventurae Commentarium plura dicenda sunt.* In quaestionibus decidendis auctor Commentarii sequitur

---

1 Lectio est dubia; pro *Sententiarum* etiam legi poterit *fratrum.*
2 Videntur intelligi Sententiae Petri Lombardi; quod magis contextui totius huius Prologi respondet.
3 In ed. Vaticana *ut,* sed contra nostros codices.

plerumque magistrum suum Alexandrum, non tamen semper; et saepius etiam sententiam illius clarius et accuratius determinat. Concedendum est etiam, ipsum plurimas auctoritates sive locos tum Patrum tum philosophorum, multas definitiones aliaque multa ad doctrinam spectantia ex Summa Alexandri secundum sensum adoptasse et interdum etiam partes exiguas ad verbum deprompsisse, immo semel atque iterum etiam paululum plura adoptasse. Huc pertinent aliqui loci ex II. et III. Sent.; praecipue autem II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3, ubi agitur de cognitione Dei, quam habuit Adam in statu innocentiae. Responsio ad hanc quaestionem magna ex parte convenit cum iis, quae leguntur in Summa Alexandri in duabus quaestionibus, scil. S. p. II. q. 92. a. 1. 2. Attamen ubique tum orationis stilique robore, tum idearum mira connexione et sublimitate proprium Seraphici ingenii sigillum quisque facile agnoscit impressum, etiam in iis locis, ubi magni sui magistri vestigiis prope insistit maior discipulus.

Sed remanet quaedam difficultas, quae eo accurratius a nobis discutienda est, quia hucusque a nemine, quod quidem scimus, est observata. In rarissimo opere, quod sub nomine Alexandri Halensis et cum titulo « Summa virtutum » impressum est tanquam Summae theologiae pars, quod etiam a non paucis eruditis viris eidem Alexandro vindicatum est, plus quam 70 quaestiones exhibentur, quae, paucis tantum omissis vel additis, in eodem Commentario reperiuntur. Ad dilucidandam hanc rem necessarium videtur aliquanto diffusius inquirere tum de magna Summa Alexandri, tum de altero illo tractatu de virtutibus. Eo libentius hoc facimus, quia agitur de honore non tantum Doctoris Seraphici, sed etiam Angelici, uti continuo videbimus.

Summa theologiae Alexandri Hal. typis mandata est, teste Sbaralea, Venetiis 1475, tom. IV in fol. per Ioan. de Colonia et socium; Norimbergae 1481 per Anton. Koberger; Papiae 1489 per I. Anton. Birettum; Norimbergae iterum 1502; Lugduni 1515 (Koberger); Venetiis 1576 per Ioan. Bapt. Balainum Ord. Min. Convent., typis Franc. de Franciscis; denique Coloniae 1622. tom. IV in fol. Hae *duae ultimae* editiones in partibus II. III. et IV. novo ordine seu aliis numeris quaestiones dividunt. Habent enim pro parte secunda 171 qq., Kobergerianae vero 189; pro tertia 69, Koberg. 82; pro quarta 35, Koberg. 114, quod infra specialius in elencho auctorum, quibus utitur S. Bonav., pro commodo lectoris indicabimus.

Huius Summae, quae post multas parvas Summas theologicas, a praecedentibus auctoribus compositas, tum immenso voluminum ambitu, tum multiplici excellentis doctrinae laude magnam movit admirationem, auctorem esse Alexandrum, certissime constat. De hoc peremptorium habemus testimonium in litteris Apostolicis Alexandri IV. anni 1256, quas primus omnium edidit Echardus (De Scriptor. etc. t. I. p. 321) ex cod. Parisiensi sign. 15751, fol. ultimo. In Waddingo hoc documentum desideratur, sed receptum est a Sbaralea tum in Bullario, tom. I. p. 151, tum in Supplemento, p. 17. Has litteras Apostolicas, cum sint quasi fundamentum nostrae argumentationis, integras hic transcribimus.

« Alexander episcopus, servus servorum Dei. Dilecto filio ministro Fratrum ordinis Minorum in Francia salutem et Apostol. benedictionem.

« De fontibus paradisi flumen egrediens, exuberans videlicet sacrarum intelligentia scripturarum, per os recolendae memoriae Fratris Alexandri ordinis tui temporibus nostris largo profluxit laetitio impetu super terram, in lucem manifestius editis thesauris scientiae ac sapientiae salutaris. Idem siquidem frater, ut ex his quae scripsit et tradidit comperimus, Deo plenus (nemo enim nisi in spiritu Dei loquens aeternae veritatis mysteria ea inquisitionis indagine attigisset) studia sua publicis utilitatibus commodavit, et laboriosi operis sanctum aggrediendo propositum, super quaestionibus theologicis utiliorem utique quam prolixam molitus est *Summam*, profectibus in lege Domini studere volentium compendiosius profuturam. In qua *sententiarum irrefragibilium* ordinatae sunt acies ad obterendam veritatis pondere contentiosae pervicaciam falsitatis. Prolixitatem quippe si quam in eadem Summa lector delicatus abhorret, studiosis vobis in ea sic reddit continua partium suarum utilitas brevem, ut in tanto verborum agmime, quod immensa videtur divinae profunditatis eloquia continere, non aliud nos rationabiliter possit offendere, quam quod, Deo eiusdem Fratris laboribus finem, antequam suscepti operis dictam perficeret, imponente et ad statutum repositae mercedis evocante denarium; perfectae pietatis imperfectus est labor, quo et pauca videntur et ad satietatem animae insufficientia universa, quae scripta sunt, nisi destinatum, et ad quem animos legentium pars suspendit exhibita, principii sui finem moles tanti operis sortiatur. Quocirca discretioni tuae in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus considerans prudenter, quod indecenter relinquitur, si negligenter omittitur mutilum opus Dei, quod non nisi caelestis sapientia per ministerium servi sui tam clara iam digestae partis iniit venustate, de consilio discretorum fratrum studentium ad perfectionem eiusdem Summae necessarios pro numero et idoneos pro merito convoces Parisius ex quibuslibet administrationis tuae locis Ordinis tui Fratres, quibus ex parte nostra in remissionem iniungas peccaminum et ad suorum cumulum meritorum, ut dilecto filio Fratri Gulielmo de Melitona huic solicitudini deputato sedule assistentes, ipsumque ac se mutuo adiuvantes, sine dilationis dispendio praedictae Summae opus finaliter exequantur, ad hoc uno et eodem Domini spiritu, qui gratis mira scientiarum dona distribuit, adiuvandi. Datum Anagniae V. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno II ». Id est 28 Iulii 1256, cum Alexander electus fuerit 21 Decemb. 1254.

Tria ex hoc documento constant: 1. Alexandrum esse auctorem *Summae* theologiae, quae a Papa describitur ut maximae amplitudinis et utilitatis. 2. Ipsum hoc opus reliquisse imperfectum. 3. Summum Pontificem Fr. Gulielmo de Melitona ad hoc deputasse, ut illam Summam perficeret et « in virtute obedientiae districte praecipiendo mandasse » Ministro Provinciali Ord. Min. in Gallia, ut alios idoneos fratres daret Fr. Gulielmo in hoc labore socios. Hoc unum testimonium iam sufficit — etsi alia non desunt, praesertim ipsius S. Bonav. — ut quisque sententiam ferre possit, quid iudicandum sit de quibusdam verbis, quae a Rogerio Bacon intra annos 1266-1268 inconsiderate pro sua immoderata indole de Alexandro scripta sunt [1]: « Ex suo (Alexandri) ingressu, inquit, fratres exulta-

1 Rogerii Bacon opera quaedam hactenus inedita, ed. Brewer, Londini tom. I. p. 325.

verunt[1] in caelum et ei dederunt auctoritatem totius studii et adscripserunt ei magnam Summam illam, quae est plus quam pondus unius equi, quam ipse non fecit, sed alii; et tamen propter reverentiam ei adscripta fuit, et vocatur Summa fratris Alexandri. *Et si ipse fecisset vel magnam partem, tamen non legit naturalia nec metaphysica* nec audivit ea, quia non fuerunt libri principales harum scientiarum, nec Commentarii translati... Eius autem Summa plures habet falsitates et vanitates philosophiae, cuius signum est, quod nullus facit eam de itero scribi, immo exemplar apud fratres putrescit et manet intactum et invisum his temporibus». Sicut manifeste falsum est quod ultimo loco dicitur, uti testantur tot huius Summae codices et editiones, ita et alia, quae dicit, ad hoc restringenda esse videntur, ut scilicet Alexander (qui, ut vult Sbaralea, ab anno 1234 ingens hoc opus incepit) sociis aliquibus labori eius assistentibus usus sit. Fortasse etiam concedi potest, quod post eius mortem Gulielmus a Melitona aliqua scripta ab Alexandro inchoata et manca relicta in perfectam redegerit formam, vel si ita placet, etiam aliqua pauca aliunde sumta adiecerit.

Hoc ultimum negat Sbaralea, quippe qui in Bullario (loc. cit.) affirmat: «Omnes, quotquot hanc rem tractarunt post Waddingum et de hoc Gulielmo egerunt, eum *Summae* Halensis *supplementum* perfecisse scribunt; at ego nihil ab eo factum esse contendo; aut si quidquam addidit ille, additamentum illud nunquam *Summae* Halensis appositum legitur. Nam in pluribus editionibus antiquis et recentibus *Summa* illa desinit in parte *Sacramenti Poenitentiae* nec ultra progreditur. Neque mihi respondeant, addidisse eum saltem aliqua usque ad *Sacramentum Poenitentiae;* nam p. IV. q. 30. mem. 2. a. 2, quod est prope finem *Summae* incompletae, asserit auctor, Regulam S. Francisci pro Fratribus Minoribus approbatam et confirmatam fuisse ab *Innocentio, Honorio* et *Gregorio*, Summis Pontificibus; nec memorat confirmationem *Innocentii IV.* & *Alexandri IV.*, quam ipsi Pontifices recensent in suis Bullis *Nimis iniqua* etc. annis 1245 et 1256 editis; quod non reticuisset Gulielmus, si post hos annos Summae illi additamentum fecisset. Quemadmodum igitur *Summae theologicae* S. Thomae, quae et ipsa finit in parte *Sacramenti Poenitentiae*, nemo ausus est addere supplementum; ita et Summae Halensis. Magnorum namque summorumque virorum opera satius putant imperfecta manere, quam aliorum inaequalium manibus suppleri, memores, Plinium, Histor. libr. 35. cap. 40. scripto tradidisse: *Illud perquam rarum ac memoria dignum, etiam suprema opera artificum imperfectasque tabulas, sicut Irin Aristidis, Tyndaridas Nicomachi, Medeam Timomachi et Venerem Apellis in maiori admiratione esse, quam perfecta.* Ceterum » etc.

Argumentum a Sbaralea ultimo positum nihil valet, praesertim cum ipse Summus Pontifex Alexander IV. contrarium stricte praeceperit. Primum autem argumentum, petitum ex silentio, quod scil. reticuerit Bullas Innocenti IV. et Alexandri IV., nec in se est peremptorium et eius valori fere derogatur hac ratione, quod non tantum *quarta* pars Summae, sed etiam secunda et tertia imperfectae sunt, cum manifeste magnas habeant lacunas, ut iam observavit De Rubeis (Dissert. crit., diss. 15. c. 3.). In *quarta* parte tantum tractatus de Sacramentis in genere et de primis quatuor Sacramentis in specie inveniuntur. Desunt autem tractatus de tribus aliis Sacramentis et de Novissimis. In *secunda* parte in prologo ad q. 171. (ed. Coloniens.), quae est de scandalo, tractaturum se auctor promittit de homicidio, duello, usura, de fraudulento contractu et de rapina. Nihil tamen de his rebus invenitur in editionibus Summae. Magis etiam *tertia* pars post quaest. 68. «lacunam patentem et hiatum habet» (ut dicit citatus auctor), et finis omnino desideratur. Desunt enim qui in prologo quaestionis 26. et 69. promissi erant tractatus de virtutibus in genere, de donis, fructibus et beatitudinibus. Quaestio autem 78. sic incipit: «Post *tractatum de virtutibus in genere* inquirendum est de speciebus virtutum secundum *praeassignatam* differentiam, et primo agatur de virtutibus theologicis, quae sunt virtutes in finem... Consequenter vero de virtutibus, quae sunt ad finem, ut prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia etc.»

Sed in editionibus nihil omnino antea legitur de virtutibus in genere, nec postea aliud occurrit nisi in sequente q. 69. quaedam *fragmenta* de fide, de passionibus consequentibus fidem, de articulis fidei et de Symbolis. Omnia alia ab auctore promissa desunt.

Ex quo conficitur, quod Alexander, si totam Summam, qualis est in nostris editionibus conscripsit (ut dicit Sbaralea), non semper materias tractandas eo ordine composuit, quo eas in suo libro publicare voluit, cum tractatus plures secundum rerum ordinem posteriores perfecti sint, omissis aliis secundum eundem ordinem priores. Per consequens nec certo concludi potest, *omnes* partes Summae ante declarationes praedictas Innocentii et Alexandri fuisse iam ab Alexandro absolutas, et nihil omnino postea a Gulielmo vel quovis alio esse additum.

Sed transeamus tandem ad illam *Summam virtutum,* de quo opusculo tanta fuit opinionum discrepantia. Impressus est hic liber in forma quarti parvi, duabus columnis, typis parvis; habet 8 folia tabulas continentia, et 374 alia folia sive 748 paginas. Titulus, ornatus stemmate Iohannis Parvi (Jean Petit), notis compendiariis ad communem scripturam redactis, sic legitur: «Irrefragabilis doctoris alexandri de hales ordinis minorum opus de virtutibus excellentissimum: hactenus nusquam impressioni traditum: et est tertie partis sue summe continuativum: prout ab eodem doctore in eadem tertia parte dudum pluries impressa: quaestionibus XXVI. et LXIX. extitit compromissum».

«Parisiis venumdatur in divi Iacobi vico sub argentei leonis intersignio: honesti viri Iohannis petit mercatoris librarii iurati domo, cuius expensis nunc primum (et antea nusquam) id opus profecto dignissimum in patulum prodiit: anno M. CCCCC. IX.»

In ultimo folio dicitur: «Finis. Summa de virtutibus Doctoris irrefragabilis alexandri de hales finem capit, in qua originaliter (pene omnia que in secunda secunde Sanctus thomas colegit) habentur: data Impressione primum a Fratribus minoribus conventus Parisiensis expensis: honesti et famosi bibliopole Iohannis Parvi: a quo venumdatur in vico sancti Iacobi sub leone argenteo. Anno domini M. CCCCC IX. octava die Iunii».

Fol. I. est inscriptio: «Incipit summa de virtutibus disputata et composita per Fratrem alexandrum de Halles (sic) ordinis minorum doctorem Irrefragabilem que dici potest tertia tertie eiusdem doctoris.

Initium textus demonstrat, hunc tractatum non esse opus

---

[1] Ed. Brewer: exaltaverunt.

distinctum, sed potius partem alterius magni operis. Sic enim incipit: « Habito ergo de gratia gratum faciente et gratis data. Consequenter dicendum est de virtute.

Primo in generali.

Secundo in speciali.

Tertio de quibusdam proprietatibus consequentibus.

De virtute in generali queruntur plura.

Primo enim queritur de eius entitate » etc.

Pessimis typis et multis notis compendiariis opusculum est impressum atque erroribus typographicis scatet. Tractatus ipse est incompletus. Dividitur in tres partes, quarum ultima penitus desideratur, sicut et plura secundae partis, quae est de virtutibus in specie. Nam tractat solummodo de tribus virtutibus theologicis et duabus cardinalibus, scil. de prudentia et temperantia; desunt quaestiones de fortitudine et iustitia. Dividitur in 106 « collationes », quarum unaquaeque habet plures articulos, et hi solent habere plures quaestiones, ita ut circa 480 quaestiones proponantur.

Huius operis praeter Possevinum et plurimos modernos mentionem facit ex antiquis auctor Firmamenti trium Ordinum (fol. 42) his verbis: « Idem (Alexander) scripsit Summam virtutum tertiae partis continuativam, quae dici potest tertia tertiae Alexandri. Et istud opus iam novissime, scil. anno Domini 1509, primum in lucem productum et impressioni traditum » etc. Item Auctores editionis Vaticanae Operum S. Bonav. idem opus saepe citant in indice auctorum III. Sent. d. 23. et seqq. — P. Matthias Hauzeur, de quo infra § 7. loquemur, in opere « Collatio totius theologiae, t. II. a col. 77 usque 128 totum hoc opusculum sub titulo « Supplementum Alensis » in compendium redegit, editione ista Ioannis Parvi usus. Altera huius operis editio prodiit Toleti 1530 apud Ioan. Ulhaquiram, ut asserit Ioan. a S. Antonio in sua Bibliotheca.

Nihilominus de hoc opusculo, utrum sit *fictitium* necne, magna orta est controversia, quam eo libentius hic tangimus, quod nobis occasionem praebet, reparandi gravem errorem Waddingi, in quem vir, ceteroquin ingenuus et veritatis amans, aliorum relatione, ut videtur, deceptus, incaute incidit, et quo a via recta abductus nonnulla dixit, quae honori summi Doctoris S. Thomae Aquinatis derogant. Alii, ut Ioan. de Haye et Petrus de Alva, Waddingum in hoc secuti sunt. Huius ingratae controversiae originem et progressum, quae ex his quae dicturi sumus, ut opinamur, perfecte componi potest, breviter referamus.

Waddingus (Annal. tom. I. ad an. 1245. nn. 20. 21.) primo affert quaedam verba Gersonis inter alia haec dicentis: « Testantur scripta eiusdem S. Thomae, maxime Secunda Secundae, quam intimam sibi fecerat et familiarem illum quem laudabat doctorem Alexandrum ». Deinde Waddingus subiungit: « Intelligit Gerson Summam virtutum scriptam ab Alensi familiarem potissimum fuisse S. Thomae, ut quam verbotenus plene [1] Secunda Secundae huius insertam excepit ». Hoc nullo modo scribere potuisset clarissimus Annalista, si ipse Summam illam prae manibus habuisset. Similis enim insertio falsa esse demonstratur *primo* quidem, quia istud opusculum duplo et amplius maius est, quam ea pars Summae Angelici, quae easdem tractat quaestiones, unde non potest verbotenus in illam excipi; *secundo*, quia utraque opera, sicut nobis post qualemcumque collationem visum est, non magis, sed potius minus inter se conveniunt, quam Summa Angelici convenit cum ipsa theologica Summa Alexandri.

Non mirum, quod Waddingo sese opposuerunt plures S. Dominici filii, inter quos eminent Echardus (Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 318. seqq. ed. Paris. 1721) et De Rubeis (Dissert. criticae, diss. 15. c. 3. 4.). In hoc tamen hi viri eruditissimi ultra limites veritatis abrepti sunt, quod ipsi post Natalem Alexandrum istam Summam virtutum opus omnino *fictitium* esse affirmarunt. Nam Echardus dicit (loc. cit. pag. 319. c. 1.): « Unde quotquot rei litterariae periti iam conveniunt, opus esse pure fictitium ». Insuper asserit, Natalem Alexandrum invicte probasse, Halensem non solum Summam illam virtutum ut Summae theologicae supplementum non scripsisse, sed nec scribere *potuisse*, « hoc *ineluctabili argumento*, quod ipsam Summam theologicam Halensis non compleverit. Qui Summae suae Supplementum addere cogitasset Halensis, qui eam Summam nondum finierat, cum humanis exemptus est »? Sed hoc *ineluctabile argumentum* suam perdit vim, si vel supponitur, istam Summam virtutum *prius* scriptam esse quam alteram, vel etiam, si ista Summa non est *opus distinctum*, sed scriptum eo fine, ut ipsi Summae insereretur tanquam eiusdem pars. Haec autem secunda suppositio congruit rei, sicut est.

Argumenta Echardi aliis verbis repetit De Rubeis, qui (loc. cit. c. 4.) addit: « Quod (opus) postremo si alicubi aut typis editum aut manuscriptum reperiatur, *in lucem proferre postulamus*, ut cum Summa theologica S. Thomae eiusque potissimum Secunda Secundae conferatur. *Nondum comparuit illud neque poterit unquam exhiberi*, nisi fortasse eo audaciae processerit quispiam, ut ipsam Secundam Secundae S. Thomae verbotenus describat eamque sub doctoris Halensis nomine, apposito Summae virtutem titulo, edi curet ».

Ut autem, quantum fieri a nobis potest, vera a falsis secernantur et cuique quod suum est tribuatur, tres quaestiones inter se distinguendae sunt, scil. primo, utrum istud opus de Virtutibus a Waddingo nominatum revera scriptum sit et adhuc exstet; secundo, utrum Alexander Halensis eiusdem sit auctor; tertio, utrum S. Thomas in sua Secunda Secundae hoc libro ita usus sit, ut Waddingus asserit.

Circa *primum* nihil dubii relinquitur, cum plura exemplaria editionis Parisiensis, quam supra descripsimus, adhuc exstent. Tria eorum propriis oculis nostris vidimus: duo quidem Monachii in bibliotheca Regia et tertium in nostro conventu civitatis Belgicae S. Trudonis (St. Trond), quod accuratius examinavimus. Non dubitamus, quod etiam alibi alia exemplaria eiusdem operis inveniantur. Mirum sane videtur, Echardum, virum sane imprimis eruditum et acutum, et post eum De Rubeis illud opus, de quo tot libri testificati erant, argumentis levibus tanquam plane fictitium demonstrare voluisse.

Etsi autem in hoc *facto* erraverunt, tamen quoad *tertiam* quaestionem, utrum S. Thomas istud opus transcripserit, pro veritate et iustitia tuenda his auctoribus omnino concedendum est, assertionem Waddingi esse erroneam. Nec dubitamus, quin ipse Waddingus, si istam Summam virtutum examinasset, sincere retractasset, quae contra honorem S. Thomae et contra veritatem scripserat. Nam si paululum examinatur istud opus, inve-

---

1. Videtur esse error pro *pene*, ut legitur in fine memoratae Summae.

nitur tum in dispositione rerum tractandarum, tum in singulis quaestionibus, multum differre a Summa S. Thomae; nec maior inter utrumque opus similitudo deprehenditur, quam quae generatim inter auctores Scholasticos de eadem quaestione scribentes inveniri solet. Cum autem via, quam defensores S. Thomae tenuerunt, denuntiandi scil. istud opus tanquam fictitium, nunc relinquenda sit, disquisitio circa idem institui debet, ut ipsum pro honore Angelici testimonium reddat. In hunc finem subiicimus tabulam generalem rerum primae partis opusculi, quae agit de virtutibus in genere. Iam hoc sufficere videtur, ut etiam plurimi illi, qui rarissimum istud opus non possunt inspicere, iudicare possint, quantum Summa Angelici ab ipso differat.

De virtutibus in genere.

I. De entitate virtutis in statu naturae lapsae, integrae, glorificatae, continet collationem 1. cum articulis 3.
II. De necessitate virtutis, col. 2. cum a. 3.
III. De excellentia virtutis, col. 3.
IV. De causalitate virtutis, col. 3.
1. De causa efficiente:
a. causa prima (Deus), col. 4, a. 3.
b. causa secunda (creata), col. 5, a. 3.
2. De causa formali, col. 6, a. 3.
3. De causa materiali circa quam.
a. circa delectationes et tristitias, col. 7, a. 5, et ultimus articulus habet 4 quaestiones.
b. circa actiones et passiones, col. 8, a. 2.
c. circa bonum et malum, col. 9, a. 2.
4. De causa finali.
a. de causa finali increata, col. 10, a 4.
b. de causa finali creata.
α. de causa finali in patria, col. 11, a. 2, quorum uterque habet 2 quaestiones.
β. de causa finali in via, col. 12, a. 6.
5. De delectatione.
a. quid sit secundum rem,
b. quid sit secundum definitionem,
c. in quo sit subiecto, col. 13, a. 3, quorum unusquisque habet 3 qq.
V. De multiplici effectu sive utilitate, col. 14.
VI. De quidditate virtutis.
1. Secundum rem, col. 15, a. 10.
2. Secundum definitionem, col. 16, a 6. Loquitur de 16 definitionibus et tractat de 29 quaestionibus.
VII. De subiecto virtutis.
1. Quantum ad substantiam, col. 17, a. 8 cum 12 qq.
2. Quantum ad potentiam, col. 18, a. 6 cum 9 qq.
VIII. De actu virtutis in generali.
1. De actu communi virtutis in via, col. 19, a. 4.
2. De actu communi virtutis in patria, col. 20, a. 3.
3. De actu communi virtutis in via et in patria, col. 21, a. 3.
IX. De obiecto communi virtutis, col. 22, a. 3.
X. De cognitione virtutis, col. 23, a. 4.
XI. De divisione virtutis, col. 24, a. 4. cum 8 qq.

Restat igitur *secunda* quaestio adhuc examinanda, utrum scil. memorati opusculi auctor sit Alexander Halensis, quemadmodum putat Waddingus. In favorem huius sententiae praeter auctoritatem antiquae editionis in medium proferri poterit, quod hi tractatus de virtutibus manifeste scripti sunt ut pars alicuius magnae Summae theologicae — quod in editionibus Summae Alexandri p. III. ante quaestionem 68. (secundum ed. Venetam et Coloniensem, vel 78. secundum ed. Kobergerianam) ingens lacuna appareat, ad quam explendam hi tractatus perfecte congruerent, si etiam ipsi essent absoluti — denique quod ipse prologus quaestionis 78. manifeste supponit, illam lacunam iam expletam esse, dum legitur: « *Post tractatum de virtute in genere* inquirendum est de speciebus virtutum secundum *praeassignatam differentiam;* et primo agatur de virtutibus theologicis, quae sunt virtutes in finem... Consequenter vero de virtutibus, quae sunt ad finem, ut prudentia, iustitia. »

His tamen non obstantibus, certum esse putamus, Alexandrum ipsum minime hos tractatus scripsisse. Aliter id quod Waddingus falso dicit de Doctore Angelico, vere de Seraphico affirmandum esset, scilicet quod magnam partem horum tractatuum fere ad verbum in suum Commentarium excepisset. Nam (si excipias nonnullas quaestiones) ea omnia, quae S. Bonaventura habet tum de tribus virtutibus theologicis (III. Sent. d. 23-30, et I. Sent. d. 17.), tum de virtutibus cardinalibus in genere (III. Sent. d. 33.) i. e. circa 70 quaestiones, paucis tantum argumentis vel additis vel omissis vel contractis, ad verbum leguntur etiam in istis tractatibus. Cum res ita se habeat, necessario concludendum est, vel S. Bonaventuram omnia ista transcripsisse, si revera Alexander est auctor illorum tractatuum, vel alium aliquem, non Alexandrum, illa sumsisse ex S. Bonaventura. Prima autem illa coniectura gravissimis argumentis demonstratur omnino improbabilis, dum pro secunda non contemnenda praesumtio militet. Quod breviter exponendum est.

1. Si ponitur, istos tractatus ab ipso Alexandro scriptos esse, nulla ratio dari potest, quare pars tam insignis sit exclusa a Summa theologica, ita ut in ipsa oriatur lacuna ingens et manifesta. Et notandum est, quod non tantum omnes editiones Summae habent istam lacunam, sed etiam antiqui codices manuscripti, quorum duo circa hanc rem examinavimus. *Florentiae* enim in bibliotheca Laurentiana, plut. XXIV. dext., cod. V. membr. in fol., saec. XIII., invenitur haec Summa, quae a secunda manu inscriptionem habet: *Alexander, tertius in Sententiis.* Hic codex praeter eandem lacunam exhibet etiam eadem verba in prologo sequentis quaestionis, quae iam commemoravimus. Insuper in tabula quaestionum ad istum locum (in cod. post q. 39.) spatium amplum relictum est vacuum, ut inserantur alii tituli quaestionum; quo monstratur, istam lacunam non fugisse attentionem librariorum. Numeri etiam sequentium quaestionum sunt a manu posteriore. Alius codex est *Florentiae* in bibliotheca Nationali, cod. membr. in fol., saec. XIV. ineuntis, sign. 25. F. 5., inscriptus: *Tertius Alexandri de Hales.* Incipit: *Tota christianae fidei disciplina.* In hoc etiam codice ista lacuna invenitur et insinuatur spatio relicto vacuo inter memoratas duas quaestiones. Haec omnia indicant, ab ipso Alexandri tempore illam fuisse lacunam.

2. Magis etiam urget altera ratio. Explicari non potest, quod Seraphicus, qui tot tractat alias quaestiones, itidem in Summa Alexandri occurrentes, *nusquam* tali modo integram quaestionem cum suis argumentis ex utraque parte, cum responsione et solutione argumentorum transcribit, sed semper totam quaestionem ut verus auctor digerit. Nec obstat, quod S. Bonav., uti iam observavimus, doctrinam magistri sui potissimum sectatur et quod non paucas res ex magna illa rerum silva,

qualis est Summa Alexandri, mutuatus est. Sed hoc etiam alii Scholastici Alexandro posteriores fecerunt (ut pluries monet Dionysius Carth.), tamen tali modo, ut sint veri auctores sui operis sine ulla furti macula. Etiam paucae propositiones, quas Bonaventura in II. et III. Sententiarum aliquoties ad verbum ex Alexandro sumsit, eiusdem sunt generis. Sicut enim in omnibus nostris libris theologicis inveniuntur verba aliorum auctorum laudata et transcripta, ita etiam a Seraphico factum est, cum hac sola differentia, quod ipse pro more sui saeculi nominare non solet coaevi auctoris nomen. Quanta autem diversitas sit inter talem alicuius libri usum et illum, quo integrae quaestiones transcribuntur, omni luce clarius est.

3. Ipsae quaestiones, quae Commentario et illis tractatibus sunt communes, ita spirant methodum et spiritum Seraphici Doctoris, ut perfecte congruant toto Commentario. Nemo autem negabit, S. Bonaventuram, sicut etiam S. Thomam, singulares aliquas proprietates in scribendo habere, quibus eorum opera certius distingui possunt quam aliorum passim auctorum foetus.

Haec iam sufficere videntur, ut pro certo habendum sit, non a S. Bonaventura ista transcripta esse ex Alexandro, sed potius ab alio, quicumque ille sit, ex Commentario S. Bonaventurae.

Hoc autem *confirmatur* eo quod, si supponimus, tractatus istos post Commentarium nostrum scriptos esse, congrue omnia enodari possunt; unde magna iam oritur praesumtio pro hac sententia.

Primum enim inverisimile est, Fr. Gulielmum a Melitona, qui teste Waddingo usque ad annum 1260 vixit, post acceptum mandatum a Summo Pontifice nihil penitus per quatuor annos fecisse pro perficienda Summa, praesertim ut maximum illum hiatum in tertio libro expleret. Cum autem nec ipse tractatum de virtutibus ad finem perducere potuerit, facile intelligitur, hoc mancum alterius auctoris supplementum nunquam Summae fuisse insertum. Aliter enim res se habet quoad opus imperfectum primi auctoris, aliter autem quoad alterius supplementum non absolutum.

Deinde in hac suppositione nihil mirandum est, Gulielmum a Melitona, cui iam Summus Pontifex adiunctos esse voluit socios laboris, opportune usum esse scriptis praeclaris celeberrimi discipuli eiusdem Alexandri, consentiente et approbante ipso S. Bonaventura, qui tum officio Ministri Generalis fungebatur.

Putamus igitur, Sbaraleam veritatem assecutum esse, cum dixit, etiamsi Gulielmum plura ad perficiendum opus Alexandri composuerit, nunquam ea ipsi Summae fuisse inserta. Hoc tamen restringimus ad partes magnas sive principales, nec volumus contendere, locis in conditione imperfecta ab Alexandro relictis nullam Gulielmum admovisse manum. Sed ut de hac re aliquid certius pronuntiari posset, plurima essent perscrutanda, imprimis autem consulendi codices huius operis.

Quantum autem diiudicare possumus, isti tractatus de virtutibus omnino scholam antiquam Franciscanam ante Scotum et etiam ante Richardum a Mediavilla sapiunt, in specie methodum et spiritum Alexandri quoad generalem dispositionem prae se ferunt, ita ut Gulielmo, discipulo Halensis, vel si placet, saltem alicui ex eius sociis bene convenire possint.

Haec paulo accuratius exposuimus ad praecavendum, ne ex illo opusculo de virtutibus quispiam occasionem accipiat, accusandi S. Bonaventuram furti in rebus ad litteras spectantibus. Sed quod Seraphicus doctrinam eminentissimi sui magistri tanto in honore habuerit, ut eius sententiae plerumque adhaeserit et multa inde in usum suum modo a nobis exposito converterit, hoc nullo modo honori eius poterit derogare. Congruit enim tum pietati boni discipuli, tum spiritui catholicae Ecclesiae. Catholici enim theologi gloria minime in eo ponenda est, ut vel nova tantum ex proprio ingenio excudat, vel neglectis aliorum auctorum laboribus, solus ipse et solitarius ex antiquis fontibus sua corradat, vel etiam ut sine patre et matre, sine magistro et schola, novus doctor et separatus a sapientia praecedentium saeculorum et ab adiutorio coaevorum in se solo nitatur. Absit. *Scriba* enim *doctus in regno caelorum profert de thesauro suo* (qui est thesaurus Ecclesiae et scientiae catholicae) *nova et vetera* (Matth. 13, 52.), *omnia probans, quod bonum est tenens* (I. Thess. 5, 21.). Hoc modo processerunt magni illi doctores Scholastici, nec aspernati sunt addiscere in schola uniuscuiusque, super quem Pater luminum veritatis radios effuderit. Hinc in disciplinis philosophicis *Aristotelem,* licet gentilem, suum proclamabant magistrum et plurima ex eo in proprium usum convertebant; quod quantum fecerint illi magistri, imprimis B. Albertus et S. Thomas, exploratum est apud omnes. Quid mirum, si eodem modo usus sit S. Bonaventura scriptis sui magistri, theologi inter omnes suae aetatis praeclarissimi?

§ 4. *Praestantia huius Commentarii communi suffragio theologorum antiqui et moderni temporis celebratur.* Sed ne materiam praeoccupemus promissae a nobis dissertationis de vita et scriptis nostri Doctoris, interim remittimus lectorem ad Waddingum, (de Scriptoribus Ordinis Minorum pag. 19 col. 2.) et ad Sbaraleam (Supplem. pag. 142 seqq.) et praecipue ad Prodromi librum II., ubi a cap. 1-12. de doctrina S. Bonaventurae in genere et de usu eiusdem in Conciliis generalibus testimonia scriptorum quam plurima collecta sunt. Sufficiat hic notasse quod scribit Angelus Rocca de Camerino, Ordinis S. Augustini, in praefatione ad II. Sententiarum sui Ægidii Romani, scil. communi calculo probari, Scotum excelluisse in Commentario ad primum Sententiarum, Ægidium ad secundum, Bonaventuram ad tertium, Richardum a Mediavilla ad quartum. Quod tamen sine praeiudicio Angelici Doctoris nos intelligendum esse volumus. Gerson[1] vero speciali laude exaltat nostri Doctoris secundum librum Sententiarum.

Legenti constabit, etiam hunc Commentarium nihil sapere nisi summam moderationem, sinceram pietatem et singularem quandam devotionem. Veritatem docere in caritate et humilitate catholici doctoris credidit auctor esse officium, non autem aliorum unius matris Ecclesiae filiorum sententias arroganter contemnere et contentiose impugnare litesque cum detrimento caritatis seminare vel fovere. « Turpe enim profecto est, ut dicit Gregorius Nazianzenus (Oratio 26. n. 27.), in divinis disputationibus principatum et tyrannidem sibi usurpare nec cuiquam omnino fasces submittere ». Spiritu caritatis et humilitatis ductus, S. Doctor a novarum rerum studio, a curiosis quaestionibus, a singularibus opinionibus quam maxime fuit alienus; at traditam tum fidem tum scientiam contra haereticorum et novatorum errores strenue

1 In Epistolà ad quendam fratrem Minorem scripta (ed. Paris. 1521, tom. I. fol. 107, col. I.), nec non in P. IV. de Concordia metaphysicae cum logica, fol. 56. c. 4, teste Prodromo, col. 227.

defendebat, ingenue et subtiliter explicabat validisque rationibus muniebat. Ad rem ipse dicit in fine III. Sent.: « Sufficit in dubiis scire, quod sapientes censuerunt, nec est utile contentionibus deservire. Multa dicimus et deficimus in verbis ». Sub hoc respectu laudatur a cancellario Universitatis Parisiensis Gersone [1]: « Recedit a curiositate quantum potest, non immiscens positiones extraneas vel doctrinas saeculares dialecticas aut physicas, terminis theologicis adumbratas, more multorum, sed cum studet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem et religiositatem affectus ». Nec inutile erit etiam nostris temporibus meditari verba, quae idem subiungit: « Unde factum est, ut ab indevotis scholasticis, quorum proh dolor! maior est numerus, ipse minus exstiterit frequentatus, cum tamen nulla sublimior, nulla divinior, nulla salubrior atque suavior pro theologis sit doctrina. Quanto denique diligentius in senectute mea sum revolutus ad studium ipsius, tanto facta est amplius confusa garrulitas mea ». — Bene etiam observat idem Gerson (P. IV. de Concordia metaph. et logicae): « Bonaventura studuit de variis opinionibus semper elicere illud quod verum apparebat, et cum sobrietate magna demittere illud quod nimium aut parum videbatur ». Admiranda certe in ipso elucet sapientia et ars, qua dissentientes magistrorum opiniones, non tantum disparatas, sed etiam quoad superficiem verborum contrarias, sine detrimento veritatis conciliare, vel saltem inadaequate dicta ad sanum sensum trahere solet, ipse quasi media inter opposita sententias via ingrediens. Iuvat ex anecdota quadam quaestione [2] hic aliqua inserere, quae ad pacem servandam inter membra Ecclesiae, praecipue inter diversarum scholarum asseclas, et ad verum profectum theologicae scientiae promovendum quam maxime proficua essent, si in plurium, quam assolet, animis mentibusque inhaerescerent. « Ex his igitur, inquit, colligitur, quod multae opiniones videntur esse contrariae, quae tamen in unam coincidunt veritatem. Et propterea omnes opiniones praedictas in praecedentibus sustinui, et credo esse sustinendas aliquo modo. Non enim decet iuniores antiquorum aspernari sententias, sed humiliter venerari et fideliter explicare; quia non est credendum, quod magni amatores et inquisitores veritatis celebres positiones suas dixerint sine causa; in omnibus autem dictis praecipue *causa* dicendi consideranda est. Nam quod superficialiter videtur falsum frequenter invenitur verum, cum pertingitur ad intentionem dicentium ».

Nec silentio praetereunda est alia egregia consuetudo, a Sancto in eligendis opinionibus vel dicendi modis, de quibus in scholis dissentiunt catholici magistri, constanter retenta. Haec in eo cernitur, quod quando pro una parte magis iudicium rationis humanae, pro altera vero magis pietas fidei stare videtur, propensius inclinat in sententiam eam, quae Dei vel Christi vel Sanctorum honori et christianae virtutis exercitio magis suffragatur. Ita e. gr. tractans de sententia illa, quod ratio Incarnationis praecipua sit generis humani reparatio (III. Sent. d. I. a. 2. q. 2.), sic concludit: « Quoniam ergo hic modus dicendi, etsi non videatur esse ita subtilis, sicut praecedens, plus tamen consonat pietati fidei in hoc, quod auctoritatibus Sanctorum magis concordat et Deum magis honorificat, etiam Incarnationis mysterium magis commendat et affectum nostrum ardentius inflammat: ideo » etc.

Sicut igitur in eligendis dubiis opinionibus mentem Seraphici Doctoris humilis modestia inclinabat in viam magis tritam et *communem*, et sapiens moderatio in viam *mediam*, ita caritas Dei et proximi in viam *pietati magis consonantem*.

§ 5. *Obsoletae aliquae sententiae nonnullae inveniuntur in his Commentariis, sed non proprie singulares.* Paucae enim illae opiniones, quae nunc a quibusdam S. Bonaventurae ut *singulares* attribuuntur et ut singulares notantur, vel tunc temporis erant in scholis Parisiensibus communiores, at progressu temporis et scientiae theologicae postea obsoletae sunt, vel non exhibent genuinam ipsius sententiam. Sunt tamen opiniones aliquae, quas ipse exemplo S. Augustini et S. Thomae retractasse videtur. Ut de dogmate immaculatae Conceptionis B. M. V. taceamus, de quo eius sententia, postquam omnia etiam anecdota ipsius opuscula genuina examinata sunt, specialius inquirendum est [3], ipse sequitur in Commentario [4] opinionem S. Ioannis Chrysostomi asserentis, S. Ioannem Baptistam non novisse Christum nisi in generali, non autem in speciali, antequam Christus baptizandus ad eum accesserit. Hanc tamen solutionem in genuino Commentario [5] in Ioannem cap. I. v. 31. disertis verbis reprobat. — Item, IV. Sent. d. 23. a. I. q. 2; d. 7. a. I. q. 2; d. 17. p. II. a. I. q. 3. opinioni falsae Magistri adhaeret ut probabiliori, scil. quod duo Sacramenta Confirmationis et extremae Unctionis a Christo quidem « fuerunt insinuata, sed postea a Spiritu sancto instituta ». In Breviloquio [6] autem melius et doctrinae Concilii Tridentini [7] conformius sic resolvit: « Tenendum est, quod septem Sacramenta Legis gratiae Christus instituit... Instituit autem praedicta Sacramenta diversimode: quaedam scil. ex eis confirmando, approbando et consummando, ut Matrimonium et Poenitentiam; quaedam autem insinuando et initiando, ut Confirmationem et Unctionem extremam; quaedam vero initiando et consummando et in semetipso suscipiendo, ut Sacramentum Baptismi, Eucharistiae et Ordinis » etc.

Alia quaedam sunt, quae nunc multis non placent, sive philosophica, ut quae docet circa materiam et formam in quodam sensu omnibus creaturis attribuendam, sive theologica v. gr. doctrina eius de peccato originali, de contritione in Sacramento Poenitentiae requisita, et de licito vel illicito usu matrimonii. Haec tamen illa aetate communius Parisiis docebantur, de quibus et aliis quibusdam suo loco in Scholiis nostris aliqua dicentur.

Non viguisse nec vigere potuisse S. Bonaventurae aetate tantam artem criticam pro discernendis operibus antiquorum genuinis vel spuriis, vel pro stabiliendis factis historicis, sicut in saeculis post artis typographicae inventionem, in concesso

---

1 De Examinat. doctrinar., teste Prodromo col. 97, ubi col. 98 etiam sequens locus citatur.

2 Videtur esse S. Bonaventurae, et integram dabimus ad I. Sent. d. 27. p. I. q. 2.

3 Sufficiat hic dicere, quod de immaculata Virginis Conceptione iuxta sententiam tunc in scholis praevalentem agit III. Sent. d. 3. p. I. a. I. q. I, ubi inter alia dicit: « Nullius conceptionis solemnitatem celebrat Ecclesia nisi solius Filii Dei in Annuntiatione B. V. Mariae. Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis, quos nec omnino laudare nec simpliciter audeo reprehendere ». Sed postea melius informatus, in Capitulo, Pisis 20 Maii 1263 celebrato, ipse hoc correxit et cum Capitulo decrevit, « ut nova festivitas admitteretur in Ordine Conceptionis B. V. Mariae ».

4 IV. Sent. d. 5. dub. 3.

5 Supplem. Bonelli tom. I. col. 479.

6 P. VI. c. 4.

7 Sess. VII. can. I.

est apud omnes. Unde non est mirandum, quod etiam S. Bonaventura nonnulla apocrypha vel spuria scripta cum aliis sui temporis doctoribus receperit, vel saltem dubius de eis haeserit, et quod aliquas pias quidem et antiquas, sed falsas traditiones ad historiam spectantes non respuerit. Pluries tamen de similibus tantum hypothetice loquitur. Ita v. gr. IV. Sent. d. 20. p. I. dub. 3. non omnino respuit illam narratiunculam, quod anima Traiani precibus S. Gregorii ab inferis liberata sit. Nam dicit: « Si alicui unquam post mortem (Deus) dedit gratiam, intelligendum est, quod ille non erat damnatus per sententiam, sicut legitur de Traiano ». — Eodem fere modo de hac historia loquitur S. Thomas, Summ. Suppl. q. 71. a. 5. ad 5, nempe illud non affirmando, sed hypothetice explicando [1].

Ad rem bene dicit Bonelli [2]: « Dementia esset illam Doctoris nostri aevo exigere notitiam rerum, quae solummodo post saecula plura, post improbos criticorum labores postque innumera monumenta a tenebris vindicata tandem innotuerunt. Hinc Symbolum *Quicumque* tribuit S. Athanasio, *Opus imperfectum* in Matthaeum Ioanni Chrysostomo, plures libros Dionysio Areopagitae, libros de *Vita contemplativa* S. Prospero, opus de *Ecclesiasticis dogmatibus* et alium de *Fide ad Petrum* S. Augustino ». Etiam librum de *Causis* adhuc attribuit Aristoteli, et opusculum de *Hebdomadibus*, qui inscribitur etiam de *Paradoxis*, Boethio, quod etiam ab ipso Trithemio fit, cum videatur potius idem esse cum Alani *Maximis theologiae*.

Minime tamen omnis criticae artis expertem se ostendit S. Bonaventura. Ita librum de *Nativitate*, quem transtulisse ferebatur S. Hieronymus, non recipit dicendo [3]: « Quamvis sit apocryphus, continet tamen multa verissima ». Dubitavit etiam de authenticitate *Quaestionum novi et veteris Testamenti*, quas magister Petrus Lombardus inter opera S. Augustini recensuit, asseritque [4]: « Ibi multa sunt, quae non videntur verba Augustini ». Librum de *Anima et spiritu* plerumque laudat sub nomine S. Augustini, sed II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. ad 1. dicit: « Sive fuerit Augustinus, sive alius ». Denique librum de *Ecclesiasticis dogmatibus*, quem in Commentario attribuit Augustino, in Apologia pauperum (resp. III. c. 1.) vero suo auctori Gennadio Massiliensi restituit.

§ 6. *A multis aliis auctoribus opuscula scripta sunt ad illustrandum amplum S. Bonaventurae Commentarium. Agamus primo de ineditis.* — Plurimi codices ab ipso aevo S. Bonaventurae scripti inveniuntur in bibliothecis, qui modis diversis Commentarium S. Bonaventurae in compendium contrahunt. Multitudo similium operum est tanta, ut sufficienter inde probetur, in quanto pretio habitus sit illa aetate liber iste S. Bonaventurae. Nonnulla horum operum prolixum Commentarium simpliciter contrahunt, ut facilius comparari et studeri possit. Alii praeter sententiam S. Bonaventurae breviter expositam exhibent propriam vel aliorum opinionem. Alii tantum tabulas vel indices habent. Opera illa, quae a P. Fideli notata sunt, hic subiicimus, ordinando hos codices quoad fieri a nobis potuit. Primo loco ponimus opera, quorum auctor in codicibus nominatur, deinde anonyma secundum ordinem alphabeticum bibliothecarum, et ultimo loco aliquos codices, qui nonnisi tabulas vel locos citatos exhibent. Monemus autem lectorem, notitias, quas habemus, saepe non sufficere, ut certo determinare potuerimus, utrum diversi codices idem opus contineant, an diversum. Saepe enim in codicibus ista opuscula eodem modo incipiunt, sed alio modo desinunt, vel e converso; aut primus liber Sententiarum convenit cum alio primo libro, sed secundus vel reliqui minime conveniunt. Sed etiamsi codices aliis verbis incipiunt, hoc tamen non certo demonstrat, diversa haec continere opera, cum vel initium in uno codice omissum esse possit, vel in altero aliquid additum. Quod quam saepe in codicibus opusculorum minoris momenti accidat, norunt omnes experti. Unde non dubitamus, quod accuratiore instituto codicum examine, adhuc plura, praesertim ex anonymis quae sequuntur opusculis, ad unum idemque opus pertinere cognoscerentur.

1. *Alexander ab Alexandria,* sive Lombardus, primo lector sacri Palatii, deinde ab anno 1313 Minister Generalis Ordinis Minorum, plurimorum librorum auctor, de quibus videri potest apud Waddingum et Sbaraleam; mortuus Romae 1314.

Scripsit Summam quaestionum S. Bonaventurae in quatuor libros Sententiarum, cuius exemplar invenitur *Mediolani* in bibliotheca Ambrosiana, cod. B. 5. sup. membr. in 12., saec. XIV. Libr. primus *incipit: Alta profunditas, quis invenit eam? Eccle. 7, 25.* Hic innuitur quadruplex causa libri Sententiarum. *Desinit* fol. 47. recto: Possum velle voluntate pietatis. Per hoc patet solutio ad obiecta. Fol. 48 recto incipit libr. secundus: *Fecit Deus hominem rectum, et ipse se immiscuit infinitis quaestionibus.* Eccle. 7. In verbo proposito clauditur tota intentio secundi Sententiarum. *Desinit* fol. 122 verso: dum non sunt contraria animae et regulae suae. Per haec solvuntur omnia, quia vera procedunt. Amen. Explicit. — Liber tertius *incipit* fol. 124 r.: *Cum venerit plenitudo temporis* etc. Hic duo principaliter quaeruntur: Primum est de Incarnationis possibilitate. *Desinit* fol. 174 r.: Sicut pennae in avibus, et rotae in curribus, et vela in navibus, quia sine illis multo graviores sunt. — Fol. 175 r. *incipit* quartus liber: *Altissimus creavit de terra medicinam. Eccli. 38.* Altissimus Deus Pater... De terra, id est utero Virginis... *q. 1.* Hic quaeruntur sex, scilicet, si Sacramenta debuerint institui etc. *Desinit* fol. 238 v.: Per propriam virtutem, ut supra dictum est in principio huius paginae... prohibentur. — Deinde sequitur tabula singulorum librorum, quae desinit fol. 248. Hinc a manu saec. XV., abrasis prioribus litteris, additur: Summa questionum sancti Bone venture super (hic manus antiquior prosequitur) quatuor libros Sententiarum in hoc volumine breviter reducta per venerabilem fratrem Alexandrum de Alexandria Ordinis Minorum.

Idem Opus invenitur etiam *Assisii,* biblioth. Conventus sancti Francisci, cod. membr. in fol., saec. XIV., sign. B. IX. 1. Continet autem tantum *quaestiones abbreviatas* ex I, II. et III. Sent. — Item *Neapoli,* bibliotheca Nationalis, Cod. membr. in fol., saec. XIV., sign. VII. C. 40: *Quaestiones abbreviatae* ex I. et II. Sent. — Item *Florentiae,* bibliotheca Nationalis, cod. membr. in fol., saec. XIV., sign. V. D. 26. *Compendium* ex II. et IV. Sent. — Item *Parisiis,* bibliotheca Arsenalis, cod. membr. in 8. saec. XV., hoc titulo: *Breviloquium* super IV. Sent. — Item *Romae,* bibliotheca Societatis Iesu, cod. membr. in fol., saec. XIV.,

1 Cfr. Prodromus, col. 522.

2 Prodromus II. c. 12. col. 113.

3 IV. Sent. d. 28. a. 1. q. 6. — Cfr. de his Prodrom. col. 522 et 113.

4 III. Sent. d. 3. p. I. a. 2. q. 3. ad 2.

continet: Quaestiones abbreviatae in I. II. III. Sent.; caret numero; sed praecedens cod. Parisien. sign. n. 3413.

2. Fr. *Henricus* Ord. Min., Lector in Turico, Helvetiae civitate (codd. nostri scribunt vel Thurico, vel Thurego, vel Thurago). Quis sit iste Henricus non audemus decidere. Est certe auctor saec. XIII, ut constat ex codice a nobis ultimo loco posito, qui est saec. XIII. exeuntis vel XIV. ineuntis. Coniectamus autem, auctorem esse posse illum celeberrimum praedicatorem Henricum Gökelmann de Jsny, qui fuit confessarius et consiliarius Imperatoris Rudolphi I. de Habsburg, ab anno 1255-1286 Episcopus Basileensis, deinde Archiepiscopus Moguntinus (+ 1288). Quod hic fuerit Lector Moguntiae et Guardianus Lucernae, constare videtur. Quum autem saltem ab anno 1247 Conventus Minorum fuerit Turici, nihil obstat, quominus idem etiam ibidem per aliquos annos officio lectoris functus sit. Ipsum opus iudicio P. Fidelis satis bene elaboratum est.

Bergomi, biblioth. Civitatis, cod. Δ VIII. 3. membr. in fol., saec. XIV. circa medium, in Germania scriptus, ut videtur. Fol. 1. recto, col. 1. est tabula: Incipiunt questiones et problemata primi libri. Quid sit subiectum in hoc libro. Fol. 2. verso, col. 2: Expliciunt questiones et problemata primi libri. Questiones in universo sunt 230. Deinde fol. 3. r. col. 1: Incipit excerptum questionum Bone venture. Veritates questionum ex opere Bonaventure super librum Sententiarum pro modico intelligentie mee ad instantiam fratrum extrahere cupiens, brevitati studui in hunc modum. *Desinit:* voluntate conditionali non vult. Benedictus Deus. Explicit. Suscipe placatus, bone rex de virgine natus, *Henrici* munus, qui regnas trinus et unus. Deinde sequitur tabula II. libri et post eam: Secundus liber... de rerum omnium creatione. *Desinit:* in multis locis utilis est. — Sequitur tabula III. libri, qui *incipit:* Determinatum est etc. *Desinit:* Hec videtur sentire Augustinus et Hugo de S. Victore. Post tabulam super IV. librum hic *incipit:* Finitis per Dei gratiam tribus libris, in quorum primo etc. *Desinit* ut in S. Bonaventura. In fine legitur: Hec ego frater H. de ordine fratrum Minorum, eiusdem Ordinis in Thurego lector existens, ex opere Bonaventure abbreviando conscripsi, cupiens desiderio satisfacere pauperum in scripturis, ut qui integri voluminis copiam habere non possunt, saltem hanc abbreviationem habeant pro memoriali. Unde rogo ipsum lectorem pium, ut, si sibi quod erraverim alicubi videatur, ad opus integrum recurrat, et forsitan ibi me reperiet non errasse. Sed si nec hoc ei sufficit, mihi placet et peto, ut si que a me male intellecta aut certe incaute posita invenerit, in nomine Domini corrigat et emendet, mecum mercedem recipiens ab eo, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Idem opus invenitur *Berolini,* biblioth. Regia, cod. membr. fol. magn., saec. XV, sign. M. L. Fo. 355: *Veritates questionum ex opere Bonav. sup. librum Sent.* — Item, *Friburgi* in Helvetia, biblioth. Min. Convent., cod. chart., anni 1478, sign. 72: *Veritates questionum super librum Sententiarum.* Amplectitur quatuor huius operis libros. — Item, *Norimbergae,* biblioth. Civitatis, membr. in 8, saec. XIII. exeuntis et XIV. ineuntis, sign. Centur. IV. mss. VI. n. 48: *Veritates questionum ex opere Bonav. sup. libr. Sent.* Continet quatuor libros.

3. *Ioannes de Altzeya,* presbyter in Ratisbona. Utrum hic sit auctor, an tantum scriptor sequentium excerptorum, ignoramus. Scriptum hoc exstat *Colmar* in Alsatia, bibliotheca Civitatis, cod. chart., saec. XV. Continet II. Sent. *Incipit: Solummodo hoc inveni...* Sollicite consideranti. *Desinit:* Finiunt excerpta ex scriptis Bonaventure supra secundo Sent. per me Iohannem de Altzeya, presbyterum in Regensburg; Basileens. Dioeces. 1471.

4. *Ioannes de Erfordia* Ord. Min., Provinciae Saxoniae lector et doctor utriusque iuris, scripsit opus: *Tabula originalium,* iam laudatum in Summa Astesana, quae anno 1317 perfecta est; item, *Glossarium,* seu Vocabularium latinarum vocum, quae in Bibliis habentur, aliaque plura, ut videri potest apud Trithemium et Sbaraleam, praesertim vero compendium Commentarii S. Bonaventurae.

Hoc opus asservatur *Luneburgi* in Borussia, biblioth. Civitatis; inter codd. theolog. latinae n. 20, membr. in fol., saec. XIII. exeuntis vel XIV. ineuntis. In asseri anteriore legitur: Ioannes Erphordiensis super primum, secundum et tertium Sententiarum, minorum doctor probatus. Liber primus *incipit:* Primo queritur, utrum theologia sit scientia. Secundus: Utrum sint plura principia, sicut Manichei dicunt. Tertio praemittitur prologus S. Bonaventurae, *Deus autem, qui dives est* etc. Deinde: Queritur, utrum divina natura potuerit uniri cum humana natura. *In fine:* Expliciunt scripta super tertium Sententiarum.— Item, *Lipsiae* in Saxonia, biblioth. Paulina, cod. membr. in fol. min., saec. XIV, sign. 556: *Questiones abbreviate super I. II. et III. Sent.* — Item, *Hafniae* in Dania, biblioth. Regia, cod. chart. in fol., saec. XV, sign. 69: Questiones devoti doctoris Bonaventure *super II. Sent.* — Item, *Patavii,* biblioth. S. Antonii, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 128: *Questiones abbreviate in III. Sent.* — Item, *Parisiis,* biblioth. Nationalis, cod. membr. in fol., saec. XIII. exeunt., sign. 14308: *Questiones abbreviate super III. et IV. Sent. Incipit* tertius: *Cum venit plenitudo* etc. Quartus *incipit: Deus, docuisti me a iuventute mea. Desinit:* et sic continue rodit etc.

5. Fr. *Ioannes de Fonte* Ord. Min., Gallus. Sbaralea (Supplementum) cum Possevino dicit, eum floruisse circa annum 1483; sed ex aetate codicum apparet, attribuendum eum esse saec. XIV.

Seitenstetten in Austria, biblioth. Patrum Ord. S. Benedicti, cod. chart. in fol., saec. XV. ineunt., sign. CXCI: *Conclusiones super quatuor libros Sent.* — *Incipit:* Ad preces studentium, dum essem lector in Montepessulano... ego frater Ioannes de Fonte Ordinis minorum... *Desinit:* a principio facte, patent ex dictis. Deo gratias.

Item, *Colmar* in Alsatia, biblioth. Civitatis, cod. chart. in fol. min., saec. XIV. exeunt. et XV. ineunt., sign. 451: *Conclusiones super quatuor* etc. — Item, *Cremisani* (Kremsmünster) in Austria, biblioth. Patrum Ord. S. Benedicti, cod. membr. in 4, saec. XV, sign. 117: *Conclusiones* etc. — Item, in *Monasterio Ensidlensi* in Helvetia, biblioth. Conventus, cod. chart. in fol., saec. XV, sign. 216: *Conclusiones* etc. — Item, *Herbipoli* in Bavaria, biblioth. Universitatis, cod. sign. 182: *Conclusiones...* — Item, *Lubeci* (Lübeck) in Germania, biblioth. Civitatis, cod. chart. in fol., saec XIV: *Conclusiones* etc. — Item, *Wratislaviae* in Borussia, biblioth. Universitatis, cod. chart. in fol., saec. XIV, sign. I. Clas. 197: *Conclusiones* etc. — Teste Sbaralea idem opus cum titulo *Conclusiones* exstabat *Lovanii,* biblioth. Societatis Iesu.

6. Fr. *Kiliani Ord. Minor.* — *Wratislaviae*, biblioth. Universitatis, cod. I. Clas. 186. chart. in fol., saec. XV, continet lecturam super III. et IV. Sententiarum. Fol. 1. r.: Liber tertius, distinctio I. *Cum venerit plenitudo temporis.* Hic incipit tertius liber sententiarum, in quo Magister tractat de Christo. *Desinit:*

fol. 77. r. col. 2: qui custodit legem, beatus est hic in spe et in patria in re. Amen. Explicit lectura venerabilis baccalarei formati in sacra pagina, fratris videlicet Kyliani Ordinis Minorum super tertium sententiarum anno Domini... Fol. 78: Liber quartus, distinctio 1, Samaritanus. Hic incipit liber quartus, qui est de Sacramentis. *Desinit* fol. 166. col. 2: introeundo portas celestis paradisi, quod nobis concedat crucifixus qui pro nobis, cum Patre et Spiritu sancto eternaliter benedictus. Amen. Volo autem scire legentes hec scripta super Sententias, quod quantum valui ac intelligere potui, vestigia ut communiter doctoris ordinis mei secutus sum. Quorum duo sunt precipue: unus in speculativis, ille Magister Ioannes Duns, natione Scotus; alius in positivis, videlicet devotissimus ille Dominus et frater Bonaventura Cardinalis. Quorum dicta ac sequacium eorum etsi non de verbo ad verbum semper posui, a sententia tamen ipsorum vel saltem unius de ipsis secundum.... meam non deviavi, addendo quandoque vel obmittendo, sive sententiam summando, sicut videbatur tenuitati ingenii mei expedire. Unde non te moveat, quod nominatim eos non allegavi toties quoties occurrebant, quia non superbie aut elationis titulo hoc factum est, sed pro tollendo legendi aliis et scribendi mihi taedio. Si quando vero mea vox parum insonuit , non ab nutibus predictorum patrum presumptuose recessit.

7. *Richardus Rufus* Ord. Min., Anglus. De hoc auctore non conveniunt scriptores. Sbaralea (Supplement. p. 635), citans Rodulphium et Possevinum, inclinat in opinionem, Richardum, qui scripsit Compendium Commentarii S. Bonaventurae, diversum esse a Richardo Ruys, qui secundum Possevinum scripsit *Commentarium* in libros Sententiarum et circa an. 1270 floruisse dicitur. Sed Commentarius citatus a Rodulphio et Possevino eodem modo incipit, sicut opus infra descriptum; quod etiam Commentarius vocari potest, quia praeter doctrinam S. Bonaventurae alias etiam opiniones tanquam probabiles saepe affert, ad quas in margine codicis non raro apponitur nota: *calumniosum, calumniam patitur*, vel etiam *insanissimum*. Magis placet sententia Antonii Voord (Histor. Universitatis Oxoniens. I. pag. 72), relata a Sbaralea, utrumque Richardum esse eundem.

Assisii, biblioth. Conv. S. Francisci, cod. membr. in fol. min., saec. XIII. exeunt., qui continet I. et II. librum. *Incipit: Altissimus creavit de terra medicinam.* Verbum istud scribitur Eccli. XXXVIII, quod etsi contineat verborum paucitatem etc. *Desinit:* et que sunt hec vel illa precise patet ex dictis. Liber II., qui immediate prosequitur, *incipit:* Creationem rerum etc. In hoc secundo libro principaliter intenditur de homine... *Desinit:* sicut ipse, qui est in malo obstinatus, a quo sumsit exordium omne malum.— Hi duo primi libri, qui tempore Sbaraleae in hac bibliotheca erant, nunc ibi non inveniuntur, sed tantum libri III. et IV. in cod. membr. in fol. min., saec. XIII. exeunt., sign. 36. Incipit: *Deus autem qui dives est* etc. Post prooemium: Hic queritur, utrum divina natura potuerit uniri cum humana: et videtur quod non... Liber IV. protenditur usque ad distinctionem XXV. et *desinit:* quia inseparabiliter est adiunctum exteriori Sacramento et quod potest per pecuniam. — Idem opus exstat etiam *Berolini*, biblioth. Regia, cod. chart. in 4, saec. XV, sign. M. L. th. 48; sed habet tantum I. et II. Sent.

Anonymi.

8. *Ambianorum* in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol., saec. XIII. exeunt., sign. n. 234 continet compendium super I. Sent. *Incipit: Altissimus de terra creavit medicinam* (Eccli. XXXVIII. v. 4.). In his verbis singulariter expositis quatuor cause sacre Scripture connotantur... *Desinit*: quoniam hoc non est nature tantum, sed etiam rationis. — Auctor, quamvis omnia ex Commentario S. Bonaventurae sumserit et saepissime ipsius verbis usus sit, ordine tamen admodum immutato procedit. Initio praemittitur tabula quaestionum. Simile et fortasse idem opus est illud quod exstat in biblioth. civitatis *Dolensis*, quod continet praeter librum I. Sent. etiam II. et quod accuratius describitur infra n. 18.

9. *Assisii*, biblioth. Conv. S. Francisci, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. B. IX. 1: Questiones abbreviate in I. II. et III. Sent. I. liber *incipit: In medio et in circuitu sedis... Desinit:* quia possumus sancte et iuste velle oppositum. Liber II. *incipit:* Creationem rerum... iste secundus liber dividitur... In prima agit de hominis conditione. In secunda... *Desinit:* et ipse infinitis se immiscuit questionibus peccatorum, secundum quod series manifestat duorum librorum precedentium. Cui est honor et gloria, laus et imperium per infinita sec. secul. Amen. Liber III. *incipit* absque titulo: *Cum igitur venit plenitudo temporis* etc. Liber iste tertius dividitur in partes duas. In prima Magister determinat de vita... *Desinit* verbis ipsius S. Bonaventurae: et mandata dedit secundum quod in hoc libro explanatum est. Sit omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.

10. *Assisii*, biblioth. Conv. S. Francisci, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. B. X. 12. Compendium in IV. Sent. *Incipit:* Samaritanus iste... *Desinit:* ad quam nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

11. Item, *Basileae* in Helvetia, cod. miscell. plurium aetatum, scilicet saeculor. XIII. XIV. et XV, sign. B. X. 26. Compendium ex IV. Commentarii. *Incipit:* Utrum Sacramenta debuerint institui... *Desinit:* dolorem spiritualem requiruntur.

12. Item, *Brugis* in Belgio, biblioth. Civitatis, cod. membr. in 8, saec. XIII, sign. 174. Quaestiones super III. et IV. *Incipit* III. liber in superiore marg.: Prima questio. Utrum divina natura potuerit uniri cum humana natura... *Desinit:* quanto aliquid durius comedit, magis debilitatur et gravatur. Responsio ad obiecta patet. Liber IV. *incipit:* Utrum Sacramenta debuerint institui. *Desinit:* non oblatione novi.

13. Item, *Cantabrigae* in Anglia, biblioth. Domus S. Petri, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 1. 2. 0: Questiones super quatuor libros Sent. Liber I. *incipit:* De uti primo queritur, cum sit actio... Liber II. *incipit:* De creatione primo queritur... Liber III. *incipit:* Utrum divina natura potuerit uniri cum humana... Liber IV. *incipit:* Samaritanus... Primo queritur, quid sit Sacramentum... *Desinit:* melius patuit et in questione de igne infernali.

14. *Ibidem*, codex sign. 1. 7. 9. continet quatuor libros abbreviatos et divisos per capita. *Incipit* c. 1: Veteris ac nove Legis continentiam etc... *Desinit* liber IV: a facie exorsus sedentis per media ad pedes usque via duce pervenit.

15. *Carnuti* in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in 8, saec. XIV ineunt., sign. n. 259. $\frac{G.}{2}$: Conclusiones in quatuor libr. Sent. *Incipit* liber I: Cupientes etc. Questio prima. Utrum preter doctrinas philosophicas sit necessaria etc. *Desinit...* per comparationem ad naturam patientis. Liber II. *incipit:* Creationem rerum etc. Utrum sint plura prima principia. *Desinit:* et in his Prelato obedire necesse est. Liber III. *incipit: Cum venit igitur* etc. Questio prima. Utrum congruum fuerit, Deum

incarnari. *Desinit:* per beneficia et speranda. Liber IV. *incipit:* Samaritanus interpretatur custos etc. Questio prima. Utrum sacramenta fuerint necessaria *Desinit...* ignis ille est turbidus et fumosus et feculentus. Explicit. Denique additur: conclusiones fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum super quatuor libros sententiarum, optimum opus.

Eaedem *conclusiones* sunt Florentiae, biblioth. Mediceo-Laurentiana. Cod. Aedil. LXIX. chart. in fol. grand., saec. XIV. et XV. Secunda manus praemisit: Itinerarium S. Thome seu Bone venture. Ad calcem quarti libri: Explicit itinerarium S. Thome, secundum alios Bone venture... Anno Domini 1442.

16. *Cesenae* in Italia, biblioth. Malatestiana, cod. membr. in fol., saec. XIV. circa medietatem, sign. plut. XVIII. III. Summa I. II. et III. Sent. *Incipit* I. liber: Veteris ac nove etc. Queritur de subiecto theologie, et quod sit Deus... *Desinit:* quia ordinavit eam ad redemptionem nostram, ut dictum est... Liber II. *incipit:* Creationem rerum insinuans etc. Circa istam distinctionem queritur primo, utrum mundus sit eternus... *Desinit:* que non sunt contra animam et regulam suam. Liber III. *incipit:* Circa principium tertii queruntur quatuor. Primo queritur de possibilitate Incarnationis... *Desinit:* et laboris presentis continuationem nobis concedat etc.

17. *Darmstadii* in Germania, biblioth. Ducalis, cod. chart. in 8, saec. XV. exeunt., sign. 95. Excerpta super II. III. et IV. Sent. *Incipit:* De creationis statu et casu Angelorum. Utrum in primo instanti creationis sue Angelus... *Desinit:* sed plus ascendet quam aqua diluvii.

Idem opus exstat etiam *Alba-carolinae* (Karlsburg) in Transilvania, biblioth. Cathedralis, cod. chart. in fol., saec. XIV. exeunt. et XV. ineunt., sign. I. 5. III. 5. Commentarium in II. III. et IV. Sent. Liber II. *incipit:* Queritur, utrum Angelus in primo instanti creationis sue... *Desinit:* invidentia fraterne caritatis. *Sequitur III. liber:* Queritur, que sit precipua causa Incarnationis. Resp.: Reparatio humani generis... *Desinit:* ad agendum vel patiendum persone. *Deinde immediate:* Queritur, utrum Sacramenta debuerint institui. Resp.: Institutio Sacramentorum... *Desinit:* omnia peccata memorabuntur, ut continue simul torqueantur. — Item, *Lambaci* in Austria superiore, biblioth. Patrum Ord. S. Benedicti, cod. membr. in 4, saec. XIV. ineunt., sign. 132, Quaestiones ex II. III. et IV. Sent. — Item, *Monachii* in Bavaria, biblioth. Regia, cod. membr. in fol. min., saec. XIV, sign. C. L. M. 4647, Quaestiones sumtae de II. III. et IV. Sent. — *Ibidem,* cod. chart. in fol., saec. XV, sign. C. L. M. 4701, Quaestiones excerptae de II. — *Ibidem,* cod. chart. in fol., saec. XV, sign. C. L. M. 5861, Quaestiones super II. III. et IV. Sent. — *Ibidem,* cod. chart. in 4, saec. XV, sign. C. L. M. 8986, Quaestiones abbreviatae in II. III. et IV. Sent. — *Ibidem,* cod. chart. in 4, saec. XV, sign. C. L. M. 11740, Quaestiones abbreviatae in II. et III. Sent. — *Ibidem,* cod. chart. in 4, saec. XV, sign. C. L. M. 11751, Quaestiones abbreviatae in II. Sent. — *Ibidem,* cod. membr. in fol. min., saec. XIV, sign. C. L. M. 16090, Quaestiones abbreviatae in II. III. et IV. — *Ibidem,* cod. chart. in 4, saec. XIV, sign. C. L. M. 18728, Quaestiones abbreviatae in II. Sent. — *Ibidem,* biblioth. Universitatis, cod. chart. in 4, saec. XV, sign. 33, Quaestiones abbreviatae in II. Sent. — Item, *Oenoponti* in Tirolo, biblioth. PP. Praemonstratensium in Wiltin, cod. chart. in fol., saec. XV, sign. XXXII. B. 4, Quaestiones excerptae ex II. Sent. — Item, *Parisiis,* biblioth. Nationalis, cod. membr. in fol. min., saec. XIII, sign. 13472: Solutiones questionum ex IV. Sent. — Item, *Romae,* biblioth. Vaticana, cod. Palat. chart., saec. XV, sign. 438, Quaestiones super II. III. et IV. Sent. — Item, *Sancti Floriani* in Austria, biblioth. Monasterii, cod. chart. in fol., saec. XIV. exeunt., sign. XI. 103: Compendium in II. III. et IV. Sent. — *Ibidem,* cod. chart. in fol., saec. XIV. exeunt., sign. XI. 25. Continet II. III. et IV. Sent. — Item, *Treviris* in Borussia, biblioth. Publica, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 435: Excerpta ex II. III. IV. Sent.

18. *Dolii* in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in 8, saec. XIII. exeuntis, sign. n. 56. Primus Bonaventure abbreviatus. *Incipit:* Queritur de causa finali, et dictum est etc. Liber II. *incipit:* Creationem rerum etc. Queritur hic de exitu rerum in esse. *Desinit:* sententia pastoris sive iusta sive iniusta tenenda est. Ceteri libri desiderantur in codice.

19. *Florentiae,* biblioth. Nationalis, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 218. D. 5, olim Conv. S. Crucis Fr. Minor. n. 288. Continet compendium in librum III. Sent. *Incipit: Cum igitur plenitudo temporis* etc. *Desinit:* et multiplicat sibi meritum et consolamen. Explicit liber Sententiarum tertius fratris Bonaventure. Deo gratias. Amen.

Idem opus habetur *Viennae* in Austria, biblioth. Palatina, cod. membr. in fol., saec. XIV. ante medium, sign. 1573. *Incipit:* Bonaventura super tertium Sententiarum... *Cum igitur plenitudo* etc. *Desinit:* expliciunt questiones principales tertii libri Bonaventure. Deo gratias. Amen.

20. *Florentiae,* biblioth. Nationalis, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 225. B. 9: Veritates summarie librorum Bonaventure super Sententias. Fol. 2. r. a prima manu praemittitur: Veritates summarie librorum Bonaventure et aliorum super Sententias. *Incipit:* Que sit causa finalis, quia ut boni fiamus. *Desinit:* tenetur enim homo ad hoc etiam sine iudicio sacerdotis.

21. *Florentiae,* ibid., cod. membr. in fol., saec. XIII, sign. 360. B. 5. Continet librum IV. Sent. S. Bonav. abbreviatum. *Incipit:* Samaritanus vulnerato etc. Dividitur iste liber in duas partes, in quarum prima etc. *Desinit:* post plenam punitionem, que erit post iudicium, a qua nos custodiat qui cum Patre etc.

22. *Florentiae,* ibid., cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 507. A. 2. Continet *Extractiones* ex I. et II. Sent. S. Bonav. *Incipit:* Questio I. Queritur, quid sit subiectum in scientia. *Desinit:* et sic non habent ideam in Deo. Liber II. *incipit:* Questio I. Utrum res habeant principium causale. *Desinit:* vel possint esse plures.

23. *Florentiae,* ibid., cod. membr. in fol., saec. XIV. ineuntis, sign. 846. G. 3. *Incipit:* liber I. a peritissimo Parisius exceptatus. Quoniam sicut dicit Hugo de sancto Victore, natura hominum. Fol. 16. *incipit* II. liber: *Solummodo hoc inveni* etc. Libri III. et IV. in hoc codice desunt.

24. *Hafniae* in Dania, biblioth. Regia, cod. 1363. membr. in fol., saec. XIII. exeuntis, continet conclusiones in IV. Sent. *Incipit:* Queritur, quid sit Sacramentum. Resp. Augustinus de Civ. Dei et in littera. *Desinit:* ipso ad suscipiendum nos disponente, qui est benedictus in secula. Amen.

25. *Alba-carolinae* (Karlsburg) in Transilvania, cod. membr. in fol., saec. XIV. ineuntis, sign. G. 5. VI. 31. Fol. 105. r. col. 2. legitur: Incipiunt veritates questionum Bonaventure super quartum Sententiarum de Sacramentis et remuneratione finali. Deinde *incipit:* quartus liber de Sacramentis, et primo de Sacramentis

in genere. Queritur autem primo, quid sit signum, quia omne Sacramentum est signum. *Desinit* fol. 193: et ideo remota illa actione remanent incorruptibiles. Scriptor scribebat, pennam palma retinebat. Sequitur tabula quaestionum.

26. *Londini*, biblioth. Regia, cod. membr. in fol., saec. XIV. ineuntis, sign. 18322, olim monasterii Montis sancti Georgii, continet Quaestiones cum problematibus. *Incipit* fol. 3: Circa quartum librum Sententiarum primo queritur, quid sit Sacramentum. Dicendum, quod Sacramentum quatuor modis. *Desinit:* qui ad gaudia nos secum trahit eterna, ad que nos perducat Iesus Christus. Amen. Expliciunt extractiones super quartum librum Sententiarum continentes veritatem.

27. *Medelcii* in Austria, biblioth. Patrum S. Benedicti, cod. chart. in 4, saec. XV, sign. A. 6, in quo fol. 3. legitur: Questiones breves per modum conclusionum Domini Bonaventure super primo Sententiarum, quam tabellam seu registrum sui operis principalis super librum Sententiarum intitulat, eo quod hic questionum titulos modo et ordine principalis operis sui portiones questionum annotavit. Questio prooemialis: Utrum docere sit solius Dei. Actus docendi ut ab... *Desinit* fol. 48. v.: eorundem revocatoria in te placide determinetur. Amen. Expliciunt questiones per modum tabule. Fol. 49. r.: Secundi libri distinctionis prime questio prima, utrum aliquid sit eviternum Deo. Primum imperante bonitate... *Desinit* fol. 98. v.: simplici et solide innitantur veritati. Fol. 99. r.: Tabula per modum registri super tertium Sententiarum Domini Bonaventure. Distinctio prima. An natura divina sit unibilis humane. Veneranda est sacratissima unio... *Desinit* fol. 136. r.: et de vita gratie, quam nobis per virtutem donorum et mandatorum observantiam impendit. Explicit tabella per modum registri super tertium Domini Bonaventure secundum titulos questionum in vero scripto suo super Sententiis positos per ordinem. — Fol. eodem v.: Libri Bonaventure de Sacramentis. Queritur, utrum Sacramenta debuerint institui. Respondeo: Institutio Sacramentorum Deum decuit. *Desinit* fol. 175.v.: mali simul omnia peccata memorabuntur, ut continue torqueantur.

28. *Moguntiae*, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign.: chart. 363. Continet quaestiones abbreviatas ex commentariis sancti Bonav. super quatuor libros Sent. *Incipit* circa finem codicis: Queritur, utrum in Deo (sit ponere) essentie seu nature unitatem. Et quod sic, videtur ratione ostensiva etc. Amplectuntur hae quaestiones folia 35 cum dimidio. Postea sequuntur quaestiones aliorum pariter abbreviatae.

29. *Monachii*, biblioth. Regia, cod. chart. in fol. min., saec. XIV, sign. C. L. M. 5959. Continet quaestiones abbreviatas super primum tantum Bonaventurae. *Incipit* fol. 1. r.: Cupientes aliquid de penuria etc. Huic operi Magister premittit prooemium. *Desinit* fol. 94. r.: a quo omnia et finis, ad quem ordinantur omnia, cui est honor et gloria, decus et imperium in secula seculorum. Amen. Sequitur tabula quaestionum, sed incompleta.

Idem opus habetur *Tuderti*, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol. min., saec. XIV. ineuntis, sign. 33. Habet commentarium sancti Bonav. in primum librum Sententiarum passim abbreviatum. *Incipit* fol. 2. r.: Cupientes aliquid etc. Premittit Magister huic totali libro etc. *Desinit* fol. 83. r.: explicit hic primus Sententiarum. Explicit expliciat, ludere scriptor eat.

30. *Monachii*, biblioth. Regia, cod. chart. in fol., saec. XV, sign. C. L. M. 11414. Continet secundum Sententiarum sancti Bonav. abbreviatum, cui fol. 1. r. praemittitur tabula quaestionum, et fol. 11. r. col. 2. *incipit: Dominus sapientia fundavit terram. Desinit* fol. 329. r.: et ideo malum dicitur corruptio istorum aequaliter.

31. *Neapoli*, biblioth. Nationalis, cod. membr., saec. XIV, sign. VII. D. 5. Extra in vitta membranacea tabulae affixa legitur: Bonaventura super primum et secundum Sententiarum, et tertius et quartus Scotelli de Aquila. *Incipit* fol. 1: Cupientes aliquid de penuria, videlicet, queritur de hoc quod dicit opus... Fol. 66. *incipit* secundus liber: Creationem rerum. Ad intelligentiam eorum, quae in hac parte etc.

32. *Parisiis*, biblioth. Arsenalis, cod. membr. in fol., saec. XIII, sign. 619. Continet compendium quatuor librorum Sententiarum ex Commentario sancti Bonaventurae excerptum. *Incipit:* Veteris ac nove Legis etc. Hic queruntur duo principaliter 1. de fruitione; 2. de uti. *Desinit* liber quartus verbis ipsius Bonaventurae: et *nos apparebimus cum ipso in gloria*, ad quam nos perducat Iesus Christus, Filius Dei precibus beate Marie et adiutricis nostre, cui est benedictio etc.

33. *Parisiis*, biblioth. Nationalis, cod. membr., saec. XIII, sign. 14307. Continet abbreviatam expositionem in I. et II. Sent., decerptam ex Commentario sancti Bonaventurae. *Incipit* fol. 1. r. col. 1: *Deus, docuisti me a iuventute mea...* verba ista scripta sunt in Psalmo. Commentarius vero *incipit:* Antequam accedatur ad formam tractatus, quedam communia possunt dubitari. *Desinit* fol. 135: loquitur de peccatoribus adhuc existentibus in via, non in vie termino, id est in inferno. Liber II. *incipit* fol. 136: *Mirabilia testimonia tua...* Questio I. Utrum res create etc. *Desinit* fol. 252: et in iis que nec contraria sunt anime nec sue regule.

34. *Parisiis* ibid., cod. membr. in fol. min., saec. XIII, sign. 16417. Continet quaestiones abbreviatas in librum IV. Sententiarum sancti Bonav. *Incipit* fol. 1. r.: Queritur de hoc quod dicit, in duobus consistit Sacramentum. *Desinit* fol. 22. r.: illa tamen tentatio, que est carnis a nullo est appetenda.

35. *Parisiis* ibid., cod. membr. in fol., saec. XIII. et XIV, sign. 3085. Post Comment. sancti Bonav. in librum I. Sententiarum continet dubitationes litterales abbreviatas ex Commentario IV. libri eiusdem sancti Doctoris. *Incipit* fol. 140. r. col. 1: Incipiunt questiones litterales quarti libri cum divisione littere. Samaritanus etc. Liber iste habet duas partes. *Desinit* vel potius deficit fol. 143: characteris impressione.

36. *Patavii*, biblioth. Sancti Antonii, cod. membr. in fol., saec. XIV. ineuntis, sign. 126. Fol. 1. r. in margine super. manus saec. XVIII. scripsit: S. Bonaventurae liber secundus Sent. abbreviatus. *Incipit:* Creationem rerum insinuans etc. Supra egit Magister in primo libro. *Desinit:* quos per perfectam paupertatem, continentiam et obedientiam ad celestem perducat gloriam in s. s. Amen.

37. *Pragae*, biblioth. Universitatis, cod. IV. H. 14. chart. in 4, saec. XIV. Quaestiones abbreviatae ex quarto Sent.

38. *Pragae*, biblioth. Capituli Metropolitani, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. A. LXXXVII. Continet multa ex Commentariis sancti Bonaventurae et aliorum excerpta. *Incipit: Gloria Dei celare verbum et gloria regum investigare sermonem.* Prov. XXV. Verbum Dei Patris eternaliter a Patre etc. *Desinit:* sua maiestate implevit et ornavit, qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit scriptum extractum de diversis ope-

ribus magistrorum, scilicet Bonaventure, Thome et Petri cum magno labore et vigiliis et sollicitudinibus.

39. *Romae*, biblioth. Vaticana, cod. membr. in 8, saec. XIV. ineuntis, sign. 919. Continet quatuor libros super Sententias abbreviatos, ut innuit sequens inscriptio posita fol. 74: Bonaventura super quatuor libros Sententiarum abbreviatus. *Incipit:* Quod theologia est de rebus. *Desinit* fol. 189: et sic patent ea que queruntur circa quartum librum.

40. *Romae* ibid., cod. membr. in fol., saec. XIII, sign. 914. Continet II. et III. Sententiarum sancti Bonaventurae abbreviatos. *Desinit* fol. 138: ad vindictam malorum, laudem vero bonorum et gloriam Dei, qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Finito libro sit laus et gloria Christo.

41. *Romae* ibid., cod. 928. Continet compendium in II. librum Sententiarum. *Incipit: Qui vivit in eternum creavit omnia simul.* His verbis opus creationis sufficienter exprimitur.

Idem opus videtur esse *Taurini*, biblioth. Universitatis, cod. in fol., saec. XIV, sign. D. III. 28. Continet excerpta ex II. et III. sancti Bonav. Fol. 18. r. col. 1. *incipit:* primus (sic) liber Bonaventure. *Qui vivit in eternum creavit omnia simul.* Verbum istud scribitur etc. Queritur, utrum mundus fuerit ab eterno. *Desinit:* explicit secundus Bonaventure exceptatus (sic). III. liber *incipit: Deus autem, qui dives est* etc. *Desinit:* explicit tertius Bonaventure exceptatus.

42. *Romae*, biblioth. Casanatensis, cod. membr. in 8, saec. XIV, sign. A. V. 1. Opus abbreviatum ex Comment. in quatuor libros Sent. *Incipit:* Veteris ac nove legis etc.

43. *Taurini*, biblioth. Universitatis, cod. membr. in 4, saec. XV, sign. E. V. 48, cuius *initium:* Summa Bonaventure in I. Sententiarum. Commendat autem Dominus caritatem suam etc. *Desinit:* consentiendo et in actum progrediendo.

44. *Trecis* (Troyes) in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol. minore, sign. 829, continet compendium in IV. librum Sententiarum. *Desinit* verbis sancti Bonaventurae: tunc videbimus, amabimus et laudabimus, cum apparebit Christus vita nostra, et nos apparebimus etc.

Nota. In eadem bibliotheca est cod. membr. in 8, sign. 1862, qui sub nomine S. Bonaventurae refert commentarium in III. et IV. Sent.; sed auctor eius est Odo Rigaldus Ord. Min., Archiepiscopus Rothomagensis.

45. *Tuderti*, biblioth. Communalis, cod. membr. in 8, saec. XIV ineuntis, sign. 137. Continet inter alia abbreviationes Commentarii sancti Bonav. super III. et IV. Sententiarum. *Incipit* fol. 83: Natura divina potuit uniri cum humana etc. *Desinit* fol. 121. Deinde prosequitur quartus: Samaritanus etc. Queritur, utrum Sacramenta debuerint institui. *Desinit* fol. 244. r.

46. *Turonis* in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. chart. in 8, saec. XV, sign. 409. Fol. 38. r. refert excerpta ex II. libro Sententiarum sancti Bonaventurae.

47. *Venetiis*, biblioth. sancti Marci, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. clas. III. 93. Initio praemittitur: in isto volumine continentur II. et III. Bonaventure ordinis minorum Presbyteri Cardinalis, quorum principia mutata sunt ab aliquo invido. *Incipit: Sapiens mulier aedificat domum* etc. Questio I. Ad maiorem evidentiam eorum, que hic dicuntur de exitu rerum in esse. *Desinit* fol. 65. v.: isti ergo beatissime Trinitati sit sempiterna laus et gloria pro fine huius libri. Amen. Sequitur tabula quaestionum. Tertius liber *incipit* fol. 68. r.: *Veritas de terra orta est* etc. Questio I. Ad maiorem evidentiam... utrum divina natura uniri potuerit cum humana. *Desinit* fol. 134. r.: hoc autem in quarto libro plenius declarabitur, adiuvante gratia Iesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto pro fine huius libri sit honor et gloria cum laude perenni. Amen.

48. *Viennae* in Austria, biblioth. Palatina, cod. chart. in fol., miscell. saec. XIV. XV. et XVI, sign. 3872. Fol. 209. r. (charact. saec. XVI.) habet: Ex primo Sententiarum secundum Doctoris Seraphici palestram ac subtilissimi Scoti annotatio compendiosa. *Incipit: Fluvius egrediebatur de loco voluptatis.* Haec annotatio prosequitur etiam in librum II. et IV. Sententiarum.

49. *Viennae* in Austria ibid.; cod. chart. in fol., saec. XIV, sign. 4363. Continet: Determinationes de Sacramento Eucharistiae ac poenitentiae etc. ex Comment. in IV. Sent. S. Bonaventurae.

50. *Voravii* (Vorau) in Stiria, biblioth. Canonic., cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. CXCV., continet: Questiones Bone Venture super IV. librum sententiarum.

Indices sive tabulae super Commentarios S. Bonaventurae.

51. *Bonaventura a Cin ribus*, Italus, scripsit tabulas super Commentarium S. Bonaventurae. Mentionem ipsius faciunt Rodulphus (Ill. ad an. 1586), Waddingus, Sbaralea. Waddingus asserit, eum praeter tabulam uberrimam in omnia opera scripsisse: *Epitomen* operum Bonaventurae. Sed iste Bonaventura videtur tantum scripsisse duplicem tabulam, quae exhibetur in codice Senensi. Auctores citati saeculum, quo ille floruit, ignorant; sed ex codicibus constat, eum vixisse saltem non post saeculum XIV. medium.

Senis in Tuscia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. F. V. 19. Continet tabulas super libros Sententiarum, compilatas a fratre Bonaventura de Cineribus. *Incipit* fol. 137: Incipit super primum fratris Bonaventure. In fine tabulae tertii libri legitur: Explicit tabula edita a fratre Bonaventura de Cineribus ordinis Minorum super tertium fratris Bonaventure de Ordine supradicto.

Tabulae in singulos libros sancti Bonaventurae praemittitur index rerum, quae discutiuntur a doctoribus tum super libros Sententiarum, tum in theologicis quodlibetis; estque exaratus ab eadem manu saeculi XIV. et, ut videtur, ab eodem auctore editus, scilicet Bonaventura de Cineribus. *Incipit* fol. 1. r.: Abstinentia (absolutio) a culpa. Utrum quilibet sacerdos possit quemlibet absolvere. *Desinit* fol. 136. v.

Idem opus invenitur *Tuderti*, biblioth. S. Fortunati, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 14. Continet tabulam alphabeticam rerum et pro unaquaque re plures quaestiones, ad quarum singulas citantur auctores, inter quos saepe Bonaventura et saepius Thomas. *Incipit* a verbo: absolutio. *Desinit:* verbo Xps.

Idem opus etiam habetur *Hispali* in Hispania, bibliothec. Columbina Capituli, cod. membr. in fol. minor., saec. XV, sign. tab. 130. n. 35., in quo exarata est tabula, alphabetico ordine disposita, super quatuor libros Sententiarum. Ad calcem legitur: A. de Solucar manu propria.

Idem opus invenitur *Monachii*, biblioth. Regia, cod. L. chart. in fol., saec. XV, sign. 22110. Continet quaestiones in II. et III. Sententiarum. Fol. 128. v.: Incipiunt capitula et rubrice secundi libri questionum Bone venture Cardinalis minorum fratrum existens: *Desinit* fol. 173. v.: Expliciunt capitula et rubrice secundi et terti libri sententiarum questionum Bona-

venture Cardinalis ordinis minorum frater existens per me Conradum Bernhartt de Aicheberg, Plebanum in Oggar, licet indignum, anno Domini 1460, in die sancte Prisce virginis et martyris. Deo gratias.

Simile opus habetur in eadem biblioth., cod. membr. in fol., saec. XIV. et XV, sign. n. 8005, pluribus manibus exarat. Fol. 135. v. col. 2. usque ad fol. 157. continet titulos quaestionum super libr. I. II. et III. Sent. ex opere sancti Bonaventurae extractos quorum *initium:* Incipiunt tituli primi libri Bonaventure. *Finis:* Explicit tertius liber Bonaventure. —

Tandem mentionem facimus sequentis opusculi, in quo plura excerpta quaestionem specialem tractantia ex Seraphico Doctore exhibentur.

52. *Carolopoli* (Charleville) in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in 4, saec. XIV, sign. n. 47, continet excerpta ex libro IV. Commentarii. — Item, *Leodii* in Belgio, biblioth. Seminarii maioris, cod. chart. in 4, saec. XV, sign. 6. g. 23.

53. *Wratislaviae*, biblioth. Universitatis, cod. chart., saec. XV, sign. I. clas. oct. 13. Fol. 1. r. *incipit:* prologus Magistri Mathie de Ianaw super XXVIII doctores pro quotidiana seu crebra communione corporis Christi a plebeis christianis. Anno Domini 1460. Fol. 25. v.: Determinatio Vener. Magistri Bonaventure. — Item, *ibidem*, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol., saec. XV, sign. I. 9. — Item, *ibidem*, biblioth. Cathedralis, cod. chart. in 4, saec. XV, sign. D. III. 1. *Incipit* fol. 144. v. — Item, *Vindobonae*, biblioth. Palatina, cod. ms. chart. in fol., saec. XV, sign. 4363, sub fine una cum determinationibus de Sacramento Poenitentiae ex IV. Sententiarum sancti Bonaventurae. — Item, *Graecii* in Stiria, biblioth. Universitatis, cod. chart. in fol., saec. XV, sign. 347, post medium, et cod. chart. in fol., saec. XV, sign. 492. similes habent *determinationes* ex eodem libro sancti Bonaventurae.

His opusculis subiungimus antiquum indicem locorum, in quibus dissentiunt S. Thomas et S. Bonaventura. Licet hoc documentum nihil contineat, quod non sit compertum, tamen haud ingratum fore confidimus antiquitatis amantibus. Invenitur tum *Romae,* biblioth. Burghesiana, cod. membr. in fol., saeculi XIII. exeuntis vel XIV. ineuntis, sign. 19., et *Luneburgi* in Germania, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol., saec. XIII. vel XIV. ineuntis, sign. *Theol. 20 in fol.* Textum exhibemus secundum cod. Burghesianum, adiectis intra uncinos alterius codicis lectionibus variantibus, quae sunt alicuius momenti.

Haec sunt loca, in quibus dissentiunt frater Bonaventura et frater Thomas in primo libro super Sententias [In his dissentiunt Thomas et Bonaventura super Primum.].

1. Utrum theologia sit scientia speculativa, vel practica, in prologo.

2. Utrum malo contingat uti, prima d.

3. Utrum potentiae animae sint ei substantiales, vel accidentales, d. 3.

4. Utrum potentia generandi dicat *quid*, vel *ad aliquid,* d. 7.

5. Utrum potentia generandi et creandi dicantur univoce, vel [aequivoce, et] quae per prius, d. 7.

6. Utrum ratio vestigii sit in accidentalibus [accidentibus] vel solum in substantialibus [vel in substantiis], d. 3. in Bonaventura circa litteram, in Thoma d. 3.

7. Utrum modus, species et ordo et cetera talia sint essentialia in creaturis vel accidentalia, d. 3. in Bonaventura, in solutione illius quaestionis [argumenti]: *utrum potentiae animae sint ei* [deest *ei*] *substantiales.*

8. Utrum anima rationalis sit composita ex materia et forma, d. 8. Bonaventura sic, Thomas non [verba post. d. 8. desunt].

9. Utrum generatio et processio dicantur de Spiritu Sancto et non de Filio, d. 13.

10. Utrum caritas augeatur per additionem vel depurationem, d. 17.

11. Utrum augmentum caritatis habeat terminum, d. 17.

12. Utrum donum dicatur tantum personaliter, d. 18.

13. De differentia inter essentiam, subsistentiam [substantiam], hypostasim et personam, d. 23.

14. Utrum hoc nomen *unus* dicatur positive, vel privative, d. 24.

15. Utrum hoc nomen *persona* significet substantiam, vel relationem, d. 25. in Bonaventura, in Thoma d. 23.

16. Utrum persona sit nomen commune in divinis, diversitas in modo quantitatis, d. 25. in Bonaventura, 26. in Thoma.

17. Utrum Pater sit Pater quia generat, vel generat quia Pater, d. 27. in Bonaventura, 26. in Thoma.

18. Utrum verbum in divinis dicatur semper [deest *semper*] personaliter, d. 27.

19. Utrum aequalitas in divinis aliquid ponat. d. 31.

20. Utrum Pater diligat se Spiritu Sancto, d. 32.

21. Utrum Angeli sint in loco definitive [deest *definitive*] et quomodo definitive, d. 37.

22. Utrum Angelus movendo se de loco [deest *loco*] ad locum, pertranseat [additur *necessario*] medium, d. 37.

23. Utrum Angelus pertranseat medium subito, vel successive, d. 37.

24. Utrum antecedens istius conditionalis: *Si Deus praescivit, ergo erit,* sit contingens vel necessarium, d. 38.

§ 7. *Etiam libri typis mandati non desunt, qui Commentarios S. Bonaventurae data opera explicant vel eius doctrinam tradunt.* Eorum qui nobis innotuerunt elenchum hic exhibemus.

1. *Gulielmus Vorilongus* (alias Vurrilonis, Vorlion), doctor Parisiensis, scripsit: In quatuor libros Sententiarum iuxta doctrinam S. Bonaventurare et Scoti. Lugduni 1484, fol.; ibidem 1489, fol. (Iohannes Trechsel); Parisiis 1503; Venetiis 1496 et 1519 (Ioh. de Leucho, impensis Lazari de Soardis). Tanti habebatur eius doctrina, ut cum controversia de sanguine Christi coram Summo Pontifice Pio II. inter Minores et Praedicatores disputaretur, a Ministro Generali ex Gallia vocatus fuerit Romam, ut sententiam Minorum defenderet. De eo quod a. 1460 passus sit, loquitur epistola Petri Chambonis in libro *Firmamenta* trium Ordinum S. Francisci, P. IV. circa finem, (ed. Paris. 1512). Obiit Romae a. 1464, sepultus ad Aram Caeli. In isto tamen Commentario Scoti potissimum doctrinam sectatur.

2. *Stephanus Brulifer* (Brulever) Ordinis Minorum, scripsit Reportata in IV. libros S. Bonaventurae. Patria fuit Maclofiensis in Britannia Armorica, doctor Parisiensis, Gulielmi Vorilongi auditor et per aliquot annos rector studii in conventu Minorum Moguntino, plurium librorum auctor, quos enumerant Waddingus et Sbaralea. Mortuus est circa annum 1499. Primum librum Commentarii Bonaventuriani Moguntiae elucidavit an. 1490; deinde brevius secundum, tertium et quartum Metis. Post eius mortem quidam eius discipuli ea, quae ex ore ipsius in scholis exceperant,

typis mandarunt Basileae apud Iacobum de Pforzheim an. 1501, et iterum an. 1507, in quarto. Prodiit hic liber etiam Venetiis apud Lazarum de Soardis an. 1504, in quarto, et Parisiis an. 1521, in octavo, per Franciscum Regnaut, teste Ioanne a S. Antonio (Bibliotheca Franciscana, pag. 80), qui tamen errat, attribuendo haec Reportata cuidam Fr. Sanctovillae Mediolanensi. Iterum Parisiis an. 1570 idem opus prodiisse affirmat P. Bonelli (Prodrom. col. 308). Ad calcem huius libri impressum est aliud eiusdem Bruliferi opusculum de Formalitatibus Scoti, textum Scoti cum « commento perlucido » exhibens. — In his Reportatis ad singulas quaestiones praemittuntur variae definitiones et axiomata secundum scholam Scotisticam; deinde responsio Seraphici ad quaestionem distinctis propositionibus enucleatur, interdum etiam solutio obiectorum breviter explicatur. Licet auctor Scotisticae doctrinae sit addictus, tamen plerumque sensum S. Bonaventurae minus quam posteriores commentatores ad normam praeconcepti systematis trahere nititur. Dolendum, quod haec Reportata, saltem duae primae editiones, scatent mendis et erroribus, quae partim iis qui verba magistri sui exceperunt, partim typographo attribuenda sunt.

3. *Nicolaus de Tudeschis,* abbas Ordinis S. Benedecti, postea Archiepiscopus Panormitanus, iuris canonici peritissimus, inter alia scripsit etiam super librum D. Bonaventurae in II. Sent., Venetiis 1477. Ita Antonio Orlando Carmelita: Origine e progressi della stampa, teste P. Bonelli, Prodrom. col. 310.

4. *Nicolaus de Niise* Ordinis Minorum de Observantia, scripsit in IV. libros Sententiarum opus, Resolutio theologorum inscriptum, editum primo Rothomagii, deinde etiam Venetiis 1574. Primo fuit canonicus et vicarius generalis Episcopi Constantiensis, deinde frater Minor; obiit an. 1509. In suo libro, brevitate et claritate conspicuo, saepe refert sententias D. Bonaventurae, sed sequitur plerumque Scotum.

5. *Pelbartus de Temesvar* Ordinis Minorum de Observantia: Rosarium iuxta quatuor Sent. libros quadripartitum ex doctrina Doctoris subtilis, D. Thomae, D. Bonaventurae aliorumque sanctorum Doctorum. — Res tractandas ordine alphabetico iuxta quatuor libros Lombardi compilavit. Quartum librum post mortem Pelbarti supplevit Fr. Oswaldus a Lasco. Plurimae huius operis sunt editiones, ut Hagenau 1503, 1504, 1507, 1508, in fol.; Venetiis 1586, apud Franc. Ziletti, et ibidem 1589; Brixiae 1594. Etiam Pelbartus magis addictus est scholae Scoti quam S. Bonaventurae.

6. *Hugo de Sletstad* Ord. Min., de quo Trithemius (de Scriptoribus eccles. c. 702) dicit: Natione Teutonicus, vir in Scripturis divinis studiosus et eruditus atque in philosophorum disciplinis egregie doctus, ingenio subtilis et quaestionum scholasticorum disputator insignis. Scripsit quaedam, *ut ferunt,* praeclara volumina, quibus nominis sui memoriam posteris reliquit, e quibus exstat Quaestionum Sententiarum libri IV. et quaedam alia. Fuit autem divi patris Bonaventurae ordinis Minorum in suis determinationibus sectator et interpres luculentus, enucleans ea quae in singulari philosophia illius obscura et rariora simplicibus videri potuerunt. — Auctoritatem Trithemii secutus, eiusdem Hugonis meminit Fabricius (Biblioth. Latina mediae et infimae aetatis tom. III. pag. 299 ed. Pataviensis 1754) et post utrumque Bonelli multique alii. Istius autem libri nos hucusque nullum aliud vestigium invenire potuimus.

Doctrinam S. Bonaventurae illustrantes Auctores ex Ordine Minorum Conventualium.

7. *Petrus Capuleus Cortonensis,* a Paulo V. an. 1605 ad Episcopatum ecclesiae Conversanae promotus († an. 1625), scripsit Commentarium in I. et II. Sent. D. Bonaventurae, impressum Venetiis 1622. Voll. 2 in fol.

8. *Felix Gabrielli* Minorum Conventualium (ab anno 1653) Magister Generalis, deinde Episcopus Nursinus (1659-1684): Disputationes de praedestinatione et reprobatione ad mentem S. Bonaventurae et Scoti, Romae 1653, in quarto.

9. *Matthaeus Ferchius,* natione Dalmata, magister Patavinus († an. 1669, annos natus 87): De Angelis tractatus theologicus ad mentem D. Bonaventurae, Patavii 1658, in quarto; qui et alia de S. Bonaventura scripsisse fertur et laudatur a Bartholomaeo de Barberiis (Praefat. ad cursum theolog.) ut « solus inter omnes fidelissimus Bonaventurista ».

10. *Bonifacius de Augustinis:* Theologia S. Bonaventurae in summam redacta, Romae apud Corbelletum 1696, in folio. Huius operis solummodo tomus primus in lucem prodiisse videtur [1].

Auctores ex Ordine Minorum Capuccinorum.

11. *Petrus Trigosus,* natione Hispanus, discipulus Petri Soto, primo Societatis Iesu professus, deinde ad PP. Capuccinos transiit († an. 1593, aetatis suae 68). Edidit insigne opus: S. Bonaventurae etc. Summa theologica, quam ex eius in Magistrum Sententiarum scriptis accurate collegit et in hunc ordinem redegit copiosisque commentariis illustravit R. P. F. Petrus Trigosus O. S. F. C., tomus I. Partis I. Ad Clementem VIII. Pont. Max., Romae 1593. — Alia editio « a mendis, quibus prior scatebat, repurgata nec non elucidata », ut in titulo dicitur, prodiit Lugduni 1616. Typis mandatus est tantum primus tomus primae partis de Deo uno, in quo magno volumine in fol. praeter prologum non nisi circa 21 distinctiones primi libri Sententiarum tractantur. Mutato rerum ordine multisque additis aliis quaestionibus sive, ut dicit, *dubiis,* diffusissime et docte interpretatur Seraphicum, ita ut fere semper eum ad mentem S. Thomae et scholae eiusdem intelligat. — Quod ad explicationem primi libri S. Bonaventurae in Trigoso desideratur, id suppletum est ab alio eiusdem Ordinis alumno, qui sequitur.

12. *Theodorus Foresti,* Bergomensis, Ordinis sui Definitor Generalis et Visitator Apostolicus, Urbano VIII. familiaris († an. 1637), scripsit: Paraphrases, commentaria et disputationes de alma et sanctissima Trinitate iuxta mentem D. Bonaventurae, in quibus praeter diligentem textus et verborum expositionem, divinarum litterarum locis ac SS. Patrum assertis perpetuo fere cum D. Thomae assensu Seraphica doctrina illustratur et sustinetur, Romae apud Iacobum Mascardum 1633, fol. Haec unica, quantum scimus, editio innumeris scatet erroribus typographicis. Auctor licet sit doctus, cedere debet Trigoso.

13. *Franciscus (Longus) a Coriolano,* Calabriae oppido

1. Similia opera, sed manuscripta et nunquam typis tradita, plura existunt, Inter alia a Sbaralea in Suppl. laudatur Petrus Paulus Carnota, Navarriensis, Min. Convent., cuius Commentaria in quatuor libros Sententiarum iuxta mentem S. Bonaventurae inter annos 1605-1608 scripta asservantur in bibliotheca sacri conventus Assisiensis.

(† a. 1625): Summa theologiae ad instar Summae D. Thomae ex operibus D. Bonaventurae compacta variisque annotationibus illustrata, Romae 1622, typis Vaticanis et sumtibus Camerae Apostolicae. Ut constat ex bulla Gregorii XV., quae impressa est in principio Breviarii chronologici, ab eodem auctore conscripti, ista Summa in septem tomos in folio erat distributa, at tantum primus tomus prodiit.

14. *Ioannes Maria Zamorra,* Utinensis, qui obiit Veronae a. 1622, praeter plurima de B. M. V. opuscula edidit octo Tractatus sive Commentarios theologicos, in quibus omnes controversias inter S. Thomam, S. Bonaventuram et Scotum componere nititur. Impressi sunt Venetiis a Iacobo Sarzina 1626, in fol.

15. *Bonaventura Lingonensis,* natione Gallus, scripsit: Bonaventura Bonaventurae, scil. Bonaventura et Thomas, sive Summa theologica ex omnibus fere SS. Thomae et Bonaventurae placitis concinnata, inter quos si aliquando videatur esse dissensio, aut benigna explicatione componitur, aut problematica disputatione ventilatur, difficultatesque omnes in scholis plurimum agitari solitae de mente illorum Sanctorum resolvuntur; Lugduni, sumtibus Laurentii Annisson, 1653-1673, 3 tomi in fol.

Idem scripsit etiam cursum philosophicum iuxta mentem S. Bonaventurae, qui utrum sit impressus, nescimus.

16. *Marcellus Regiensis,* Gallus: Summa Seraphica, in qua S. Bonaventurae Seraphica theologia, per eius in Magistrum Sent. Commentarii libros dispersa, dilucide est enodata et accurate redacta in scholae methodum; Massiliae, apud Carolum Brebion et Ioannem Penot 1669, 2 tom. in fol.

Haec Summa non continet proprie elucidationem doctrinae Bonaventurianae, sed tantum doctrinam Seraphici, plerumque verbotenus propositam, ad methodum Summae D. Thomae coordinat.

17. *Marcus a Baudunio,* Gallus: Paradisus theologicus unius et trium doctorum, Angelici, Seraphici, Subtilis, horumque conciliatoris fonte irriguus; Lugduni apud Ioannem Molin 1663. Auctor semper studet illos tres doctores Scholasticos ad eandem sententiam trahere, sed non semper feliciter.

Idem scripsit etiam Compendium theologiae, tam speculativae quam practicae, ibidem 1673, 4 tomi in octavo; et cursum philosophicum minoris momenti sub titulo: Paradisus philosophicus unius ac trium doctorum Angelici, Seraphici et Subtilis horumque conciliatoris fonte irriguus; Massiliae 1654, in fol. et ibidem 1664, in quarto.

18. *Gaudentius (Bontempi),* Brixiensis († an. 1672, annos 69 natus), post cuius mortem discipulus ipsius P. Ioannes Franciscus Durantis, Brixiensis, edidit Gaudentii opus mole ingens: Palladium theologicum, seu tota theologia scholastica, ad intimam mentem D. Bonaventurae; Lugduni, sumtibus Laurentii Arnandi, Petri Bordet etc., 1667, 7 tomi in fol. Hoc opus eruditione excellit, doctrinam S. Bonaventurae ad methodum Summae Aquinatis ordinat et fere semper etiam ad mentem eiusdem interpretatur, ut notat P. Bartholomaeus a Barberiis in praefatione ad suum Cursum theologicum.

19. *Bartholomaeus a Barberiis,* Italus, a Castrovetro, Provinc. Lombardiae alumnus, quotidiana, ut ipse ait, per quinquaginta annos lectione operum S. Bonaventurae in doctrina eiusdem prae ceteris versatus et plerumque fidelior Seraphici interpres, edidit: Cursus theologicus ad mentem Seraph. Doct. Bonaventurae, in 2 tomos distributus; Lugduni, sumtibus Francisci Comba, 1687, in fol. Hi duo tomi sunt parvae molis. Haec editio intolerabilibus erroribus typographicis foedata est, de quo auctor lectori « flens et cum rubore maximo » conqueritur. Aliam editionem Parisiensem eiusdem anni, ab aliis laudatam, non vidimus.

Scripsit etiam cursum philosophicum ad mentem S. Bonaventurae sub titulo: Flores et fructus Seraphici ex Seraphico paradiso excerpti; Lugduni, sumtibus Laurentii Arnaud etc. 1677. Insuper utilissimum librum: Tabula seu index generalis in opera omnia S. Bonaventurae; Lugduni, apud Arnisson etc., 1681. Iterum hic index impressus est, nonnullis mutatis, tomo XV. edit. Parisiensis Operum omnium S. Bonav.

Item: Glossa seu Summa, ex omnibus S. Bonaventurae expositionibus in sacram Scripturam exacte collecta et secundum ordinem biblicum concinnata; ibidem 1681, 4 tom. in fol. — Opus pro praedicatoribus valde utile.

20. *Franciscus Maria a Bruxellis:* Theologia Seraphica, Gandavi 1715, 4 tomi in quarto; laudatur ut opus succosum et praxi accommodatum.

Plura alia opera, a Patribus Ord. Capucc. elaborata ad doctrinam S. Bonaventurae illustrandam, nunquam typis sunt mandata. Inter cetera laudantur a Sbaralea in suo Supplemento Commentaria in quatuor libros Sent. ad mentem S. Bonaventurae P. Marci Anton. Galitii, huius Ordinis Min. Gener. († 1665), quae asservabantur Brixiae in conventu PP. Capuccinorum. Item Commentaria in eosdem libros P. Mauritii Gamborini in conventu Genuensi Immaculatae Conceptionis eiusdem Ordinis.

Auctores Ordinis Minorum de Observantia Recollect.

21. *Matthias Hauzeur,* Herviensis, Prov. Flandricae bis Provincialis et multorum scriptorum polemicorum auctor, versatissimus in doctrina S. Augustini, cuius opera in compendium redegit et explicavit libro: Anatomia Augustiniana, 2 tomi in fol., 1644. Scripsit: Collatio totius theologiae inter maiores nostros F. Alexandrum Alensem, patriarcham theologorum, Doctorem irrefragabilem, S. Bonaventuram, Doctorem Seraphicum, F. Ioannem Duns Scotum, Doctorem subtilem. Ad mentem S. Augustini: sub Magisterio Christi; interiore, per Gratiam; exteriore, per Ecclesiam. Typis eiusdem Provinciae (Flandriae) in conventu Leodiensi et Namurcensi. Ab anno 1646-1652, 2 tomi in fol. — Stilo laconico Summam Alexandri et Commentarios S. Bonaventurae et Scoti in compendium contrahit et quaestionibus plurimis explicat ac eorum sententias inter se et cum S. Augustino non sine acumine conciliare studet. Defectus ordinis et methodi copiam doctrinae et ingenii aliquatenus obscurat.

Alii libri theologici, ab alumnis Ordinis S. Francisci de Observantia cum tribus suis familiis tribus ultimis saeculis scripti, maxima ex parte sequuntur vel Scotum, vel neminem ex antiquis Scholasticis, et tantum interdum S. Bonaventurae faciunt commemorationem, inter quos laudari meretur theologia dogmatica-scholastica edita a P. Henno, Prov. Flandr.

Commemorari hic etiam merentur duo libri occasione sexti Centenarii S. Bonaventurae editi, licet de doctrina S. Bonaventurae in genere, non in specie de Commentario agant, nempe: Seraphicus Doctor S. Bonaventura in oecumenicis Catholicae Ecclesiae Conciliis cum Patribus dogmata definiens, disquisitio historico-theologica a *P. Ludovico a Castroplanio,* Ord. Min. de Obs. — et opus Italice scriptum: Della vera filosofia e delle

dottrine filosofiche del Serafico Duttore S. Bonaventura, Studi del P. Marcellino da Civezza M. O., Genova, tipografia della Gioventù, 1874.

§ 8. *Editiones typis expressae huius Commentarii recensentur.* Non paucae sunt huiusmodi editiones, sed primae sunt incompletae, non omnes quatuor libros exhibentes. De his primo disseramus.

Editiones incompletae.

1. Secundus liber Commentarii in fol. parv. duabus columnis exaratus, prodiit *Tarvisii* anno 1477 per Herm. Lichtenstein.

Incipit absolute fol. 1. recto, cum signo A ad calcem sic [1]: Solummodo || hoc inveni, quod Deus fe || cerit hominem rectum || et ipse se infinitis etc. *Desinit* fol. 333. verso, col. II: Religiosi patris Bonaventure ordinis minorum || veritatis theologice professoris eximii. sacreque || apostolice sedis cardinalis super secundum sen || tentiarum scriptum finit. Anno salutis nostre || MCCCCLXXVII, per magistrum Hermanum || lichtenstein Taruisii feliciter impressum.

Deinde sequitur: tabula eiusdem libri (implet 2 fol. et med.). Haec editio a nobis collata est cum Vaticana.

2. Item secundus liber Commentarii in fol. parv., duabus columnis, prodiit *Venetiis* anno 1477 per Theodoricum de Reynsburch et Reynaldum de Novimagio socios.

Incipit fol. 1. cum signo a 2: Viri excellentissimi artium et sacre || theologie divi monarce summique pro || fessoris: super 2° sententiarum domini Bonaven || ture minorum ex ordine opus praeclarissi || mum feliciter incipit: Solummodo hoc inveni etc. *Desinit* fol. 335 verso, col. 1: Religiosi patris Bonaventure ordinis || Minorum veritatis theologie professoris || eximii: sacreque apostolice sedis Cardinalis || super secundum sententiarum scriptum finit. || Per excellentissimum sacre theologie do || ctorem magistrum Thomam penketh angli- || cum ordinis fratrum herėmitarum sancti Au || gustini in famosissimo studio Patavi || no ordinarie legentem maxima cum diligentia || emendatum. Anno salutis nostre. MCCCC || LXXVII. per Theodoricum de Reynsburch || et Reynaldum de Novimagio socios || Venetiis feliciter impressum. — Deinde sequitur tabula eiusdem libri (implet 2 fol. et med.).

Haec editio a nobis collata est cum Vaticana.

3. 4. Primus liber Commentarii in quarto, duabus columnis, editus est Brixiae anno 1490 per presbyterum Farfengo. Fol. 1. recto: Prologus. Reverendissimi patris: et domini sancti Bo || naventure septimi generalis minorum cardi || nalis. et episcopi: catholicique Doctoris Pa || risiensis Theologi. super primo sententiarum opus || seraphicum feliciter incipit. — Profunda fluviorum etc. Praecedit tabula quaestionum 6 foliorum. *Desinit:* Reverendissimi patris et domini sancti Bonaventure septimi generalis minorum cardina || lis et episcopi catholici doctoris parisiensis. Super primo sententiarum opus seraphi || cum. Accuratissime correctivum (sic!) atque emendaeltum (sic!). Maximaque diligentia ac studio || Brixie per presbyterum Baptistam de farfengo Feliciter. Impressum. Anno domini || MCCCCLXXXX. die vero vigesimo mensis Octobris. — Sequitur stemma impressoris.

Haec editio collata est a nobis cum Vaticana, sed in nostro exemplari deerant bis duo folia in dd. 35, 36, 37. Inter omnes editiones primi libri haec maxime repraesentat eundem textum, quem habent antiquiores codices, cum quibus fere semper convenit. Sed innumerabilibus et magnis scatet mendis, quae partim ex siglis male solutis, partim ex vitio codicis, partim et praecipue ex typographi negligentia ortum duxisse videntur.

Alia a P. Bonelli citatur editio Brixiensis Commentarii ad primum librum, impressa anno 1496, quae dicitur esse asservata in bibliotheca Universitatis Patavinae.

5. Primus liber Commentarii sine loco et anno. Iuxta Panzer (VI. 99. 210.) et Hain (I. n. 3536.) haec editio impressa est ab Eustadio Reyser et ab Hain sic describitur: «*F. I. a:* ( ) Rofunda fluviorum scru || tatus est et abscondi || ta produxit in lucem. ver || bum istud quod sumptum || est ex iob. XXVIII. diligen || etc. *Expl. f. 163. a. col. 2. l. 12:* generationes seculi seculorum. Amen. *F. 164. a:* Sequuntur questiones seraphici doctoris || domini bonaventure cardinalis super primo li || bro sententiarum. Et primo quatuor questiones preambule secundum quadruplex genus cause. Terminat tab. 165 col. 1. l. 29. s. l. a. et typ. n. f. mai. g. ch. s. f. c. et pp. n. 2 col. 62. l. 165. ff. (Eustadii Reyser.) ».

6. Aliam primi libri editionem sine loco, sed cum anno 1480 in bibliotheca Nationali Parisiensi (Inventaire D. 1284) a quodam nostro collaboratore sic denotatam invenimus: Questiones super primum Sententiarum S. Domini Bonaventure, gothicis litteris; in fine 1480. — Aliis relinquimus decernendum, utrum differat haec editio a praecedentibus.

7. Item alia primi libri editio, Londini (bibl. Mus. Britann., 3833 f.) asservata sic notata est: Eichstadt, anno 1478 in fol. duae columnae linearum 62. Incipit: Profunda fluviorum scrutatus est etc. In fine sequitur tabula: Questiones domini Bonaventure.

Editiones completae quatuor huius Commentarii librorum.

8. Una completa sine loco, anno et nomine typographi tribus tomis in fol. laudatur a Ioanne a S. Antonio in sua Bibliotheca universa Franciscana, tom. I. pag. 156, quae fortasse eadem est cum illa, de qua loquitur Panzer (IV. 99. 210.).

9. Alia citatur a Mazzuchello, degli Scrittori d'Italia, tom. II. pars 4. pag. 2360, ut edita Argentinae 1489, de qua dicit Sbaralea (Suppl. pag. 146. c. 2.): « Hoc opus primum prodiisse dicitur Argentorati anno 1489 ». — Cum editiones sub n. 8 et 9 nunquam ad manus nostras venerunt, aliis iudicium relinquimus, utrum vere existant.

10-13. Editiones quatuor ex officina celebris typographi Koberger vel sociorum eius. Hae omnes habent duos tomos in folio cum duabus columnis. *Prima,* licet non indicet annum impressionis, videtur esse anni 1491, ut ex epistola responsoria Nicolai Tinctoris ad Ioannem Beckenhaub [2], Moguntinum, data ex Bamberga 1491 die 2 Martii, et ex alia Iacobi Wimpfling, Sletstatensis, item data 1491, argui posse videtur. Cum accuratissime describatur ab Hain (tom. I. n. 3540.), pauca nobis de hac editione sufficiant: *Perlustratio* in lib. quatuor sententiarum. Fol. 1. verso: Ioannes Beckenhaub, Moguntinus, evan-

1 Pro siglis sive notis compendiariis integras litteras posuimus.

2 Fuit clericus, qui plurimum laboravit pro novis libris edendis, primum Argentinae, deinde ut adiutor Ioannis Koberger.

gelice theologie summo doctori domino Nicolao Tinctoris de Guntzenhau || sen imperialis ecclesie Bambergensis praedicatori salutem etc. Hanc epistolam excipit eiusdem carmen in laudem utriusque auctoris, in quo hi versus: Quo libri impressor Nurnberge *Anthonius* ipse || Koberger tendat post sua fata precor.

Sequitur responsum Tinctoris ex Bamberga 1491 die 2 Martii. Fol. 3. recto: Celebratissimi patris domini bonaventure || ordinis minorum artis divine summi discusso || ris: et apostolice sedis episcopi cardinalis prolo || gus in primum librum sententiarum. *Explicit* fol. 198. recto, col. 2: *Amen*. Accedunt sex folia tabulae. Similiter incipiunt alii libri, sed liber quartus, qui explicit fol. 264. verso, in fine habet: Concludit epilogando breviter que in hoc libro et || omnibus precedentibus determinata sunt || etc. Fol. 265. recto est epistola Iacobi Wimpfling Sletstatensis ad quoslibet theologie studiosos, data ex Nuremberga 1491. Sequitur: Tabula super libros senten || tiarum cum Bonaventura. Fol. 2. recto: Ioannis bekenhaub moguntini in scripta divi || bonaventure cum textu sententiarum tabula. quam si || etc. Fol. 92. verso: tabula super textum sententiarum cum Bonaventura finis. || In quam sparsim viciola quedam adnotavi in Bona || ventura et lombardo suis locis emendanda etc. Fol. 93. recto: Sequuntur varii articuli erronei omnium pe || ne facultatum. in anglia et parisius studiose et autori || tative condemnati cum revocationibus eorundem. *Explicit* fol. 103. verso: Deo gratias.

Secunda editio parum differens a priore in fine IV. libri Sent. annum impressionis habet sic: quartus Liber Sententiarum cum disputatis Ce || lebratissimi patris domini Bonaventure ordinis || minorum. per Anthonium Koberger Nurnberge in || pressus Anno domini Millesimo quingentesimo. fi || nit feliciter. — Accurate describitur ab Hain I. N. 3543.

Tertia, quae secundae est admodum similis, an. 1510 edita est impensis Antonii Koberger, adiuvante Iacobo Sacon. In fine enim quarti libri sic legitur: Quarti divi Bonaventure sententiarum libri dilucidatio adest || qui veluti et praecedentes nunc ab infinitis ferme quibus scatuit er || roribus corruptis (?) secundum exemplaria dudum per pie memorie Re || verendum sacre theologie parisiensem doctorem profundissimum fratrem Stephanum brulifer ordinis minorum methis pro tunc eiusdem sera || phici doctoris scripta legentem: edita. Et ad debitam correctionis li || mam summis cum laboribus redacta. Pro dicti sancti Bonaventu || re honore et omnium studiosorum utilitate novissime impressus est. || sumutibus (sic!) atque impensis Anthonii Kobergis civis et incole Nurenbergensis. Industria quoque Iacobi sacon artis impressorie magistri so || lertissimi in lugdunensi galie metropoli civitate auspici fini datus. || Anno millesimo quingentesimo decimo vigesima Augusti. — De isto Iacobo Sacon, cuius signum seu stemma typographicum in fine uniuscuiusque libri conspicitur, dicit P. Bonelli [1], eum fuisse typographum Lugdunensem, «cuius opera celeberrimus Cobergerus Noremburgensis eo in Emporio uteretur». — Haec editio quoad textum recedit ab antiquis codicibus magis quam ed. anni 1491.

Quarta etiam editio ab ista tertia paululum differens, nempe tantum in litteris initialibus et verborum in paginas distributorum, eodem signo typographico Iacobi Sacon insignita est. Primum tomum huius editionis, Commentarium in I. e II. Sent. complectentem, prae manibus habemus, in quibus deest annus impressionis. Tamen teste P. Fideli, qui eam integram vidit, prodiit Lugduni an. 1515 per eundem Iacobum Sacon. Idem testatur Sbaralea in suo supplemento.

Etiam secunda, tertia et quarta editio exhibent epistolam Ioannis Beckenhaub, cum versibus illis: quo libri impressor Nurnberge Anthonius ipse || Koberger tendat post sua fata precor, et etiam responsum Nicolai Tinctoris de Guntzenhausen, atque epistolam Iacobi Wimpfling Sletstatensis ad quoslibet theoligiae studiosos, mutato tamen tempore, quo hae litterae scriptae perhibentur. Prima enim editio exhibet eandem epistolam Iacobi Wimpfling tanquam scriptam Nurembergae 1491; secunda ut datam ex Nuremberga 1499. Tertia in fine IV. libri sic: ex Lugduno nobilissima Galliae civitate anno MDX.

Quatuor hae editiones etiam librum Sententiarum Lombardi continent, et *dubia* S. Bonaventurae circa litteram Magistri, a suo loco remota et quoad titulos abbreviata et mutata, ad marginem textus libri Lombardi ponunt. — Si fides habenda est rubricae ad finem IV. libri huius tertiae editionis positae, P. Stephanus Brulifer textum harum editionum correxit. Cum autem hic ante an. 1500 mortuus sit, huc ad verbum non potest intelligi, nisi de prima vel fortasse secunda editione. Nec improbabile est, Ioan. Beckenhaub, cum primam editionem curaverit, Bruliferi commentario reportato usum esse in corrigendo textum, ita ut Brulifer ipse non adstiterit huic editioni adornandae. — Ceterum editio anni 1491 magis respondet antiquorum codicum lectioni quam sequentes, quae in aliquibus mutatae sunt, vel omnino inconsultis manuscriptis vel adhibitis codicibus saeculi XV.

Editiones aliae antiquae, sed post Kobergerianam in Germania, Gallia et Venetiis publicatae, manifeste sequuntur plerumque quoad textum unam vel aliam harum quatuor editionum, aut simpliciter iterum eam imprimendo, aut textum in nonnullis locis arbitrarie mutando.

14. Editio Kiliani Piscatoris, Friburgi, ut videtur, an. 1493 impressa, tom. 2 in fol. cum 2 col., manifeste primam editionem Kobergeri repetit. Versus Ioannis Beckenhaub impressorem indicantes hic leguntur sic: Quo libri impressor *Friburgi Kilianus ipse* || *Piscator* tendat post sua fata precor. Nomen Beckenhaub in hac editione scribitur Bekenhub, et Guntzenhausen scribitur Guntzenhusen; epistola Nicolai Tinctoris responsoria data est ex Bamberga 2 Maii 1493, ex quo suspicari licet, eodem anno 1493 editionem fuisse impressam. Inscriptio in 1. fol. est: Perlustratio Sancti Bonaventure || in Primum librum Sententiarum. Fol. 3. recto: Celebratissimi patris domini bonaventure or || dinis minorum artis divine summi discussoris: et || apostolice sedis episcopi Cardinalis prologus in pri || mum librum sententiarum. Haec accurate describitur ab Hain n. 3541.

A multis alia laudatur editio huius anni 1493, Bambergae impressa. Sed haec non videtur differre ab editione Kiliani Piscatoris. Et error videtur esse inde ortus, quia litterae Tinctoris in principio positae istum locum et annum prae se ferunt. — Item fictitia videtur esse editio facta Lipsiae 1498 in fol., de qua loquuntur Mich. Maittaire in Annal. typogr. tom. I. pag. 556, et multi alii cum P. Bonelli. Nemo horum hanc editionem descripsit, nec Panzer nec Hain eam viderunt. Dns Dr. Krehl, bibliothecae

1. Prodromus, col. 334.

Universitatis Lipsiensis Praefectus, pro sua humanitate a nobis saepissime probata, communicavit nobis, nullam se de hac editione certam notitiam, omni adhibita diligentia, invenire potuisse, et vix esse dubium, eam fictitiam esse.

15-16. Editio Parisiensis apud Franciscum Regnault 1522, in 8, sequitur textum editionis Kobergianae. Alia Parisiensis prodiit in lucem 1688.

17. Venetiis 1562, iussu Ministri Generalis totius Ordinis Seraphici P. Francisci Zamorae et typis Francisci Sansovini, 4 tom. in 4. Primo tomo praefixa est magna illa tabula super 4 libros Commentarii facta a Ioanne Beckenhaub, Moguntino. In fine eius additur: tabula haec alphabetica revisa et correcta est per Rev. Patrem fratrem Iulium Urceanum or. m. observantie provincie Brixie.— Post folium titulum exhibens sequitur epistola fr. Aloysii Putei dedicatoria ad Ministrum Generalem Franc. Zamoram, scripta Tridenti (ubi auctor Concilio Oecum. assistebat) 6. idus Sept. 1562, in qua nonnulla occurrunt memoratu digna. Luget in hac epistola auctor super communem iacturam verae illius theologiae Scholasticae in scholis Ordinis, cuius cladis causam attribuit « tum altitudini sensus doctoris Subtilis inattingibili, tum negligentiae in studiis sacrarum Scripturarum ». Deinde prosequitur: « De hac idcirco vice nobis dolenter quaerentibus atque animo vertentibus, quonam remedio gravi adeo periculo succurrendum foret, ecce tu opportune advenis, qui... publicis ipse iussis edixisti, quotquot in observantina familia theologiam profitentur, praelegere suis scholasticis libros seraphici patris divi Bonaventurae, sententiarios vulgo appellatos, doctrina peracutissimi nihilominus Scoti haudquaquam interim valere iussa » etc. Sequitur: Epistola ad lectorem fr. Bonifacii de Ragusio O. Min. sacri montis Sion Guardiani, qua laudes celebrat doctrinae S. Bonaventurae, et quae subscripta est: in suo oecumenico et generali Concilio Tridentino, sub die octava Sept. 1562. — Denique accedit alia praefatio ad lectorem de eodem argumento, dat. Venetiis eodem anno. — In titulo legitur: Ab innumeris fere mendis purgatus et annotationibus tam rerum memorabilium quam omnium locorum Scripturae et Doctorum in margine nunc demum decoratus. — Exhibet tamen haec editio textum primae editionis Kobergerianae, paucis tantum locis nec semper feliciter mutatis; etiam *dubia* cum eadem editione ad marginem textus Magistri ponit. In hoc autem praecellit, quod ad marginem indicat locos, unde multae auctoritates sumtae sunt.

18. Venetiis apud Georgium Angelerium 1573, 4 tom. in 4, recognoscente fratre Ioan. Balainio Andrio, Franciscano Conventuali, qui etiam quincuplicem indicem adiecit et editionem suam dedicavit Cardinali Felici Peretto de Monte Alto, qui postea fuit Sum. Pontifex Sixtus V.

19. Venetiis 1580, absque nomine typographi, 4 tom. in 8, recognoscente magistro Angelo Rocch. ord. S. Augustini. Haec editio omnino sequitur editionem Balainii; ipsa dubia iterum a textu Magistri separat, non autem ea ponit, uti codices, post quaestiones, sed immediate post divisionem textus, mutatis eorum titulis. In hac mutatione ipsa, praecedens et sequentes edd. sequuntur Romanam an. 1569.

Quoad recensionem textus ambae editiones multum conveniunt cum editione Romana anni 1569, de qua mox loquimur.

20-22. Romae annis 1569, 1573, 1580 apud haeredes Antonii Bladii, 4 tom. in 4. parvo. Titulus ed. anni 1569 est: Scriptum d. Bonaventurae... in quatuor libros Sententiarum P. Lombardi. Ex antiquissimis exemplaribus nunc primum studio F. Antonii Posii a Monteilcino ordin. Min. Conv. ab innumeris pene erroribus emendatum, singulis quaestionibus argumentis adiectis, collationeque locorum atque controversiarum d. Thom., Io. Scot. et S. Bonav. in albis apposita illustratum. Munificentia... S. N. D. Pii V. nec non solertia congreg. Fr. Capuccinorum, praesertim fr. Hieronymi Pistoriensis novissime impressum. — Incipit cum litteris dedicatoriis Antonii Posii ad S. Pium V; exhibet etiam tabulam Ioan. Beckenhaub.

Haec editio fere tota transiit in Vaticanam, tum quoad recensionem textus, tum quoad summaria et notas marginales, paucis tantum in Vaticana additis vel mutatis.

23. Venetiis an. 1611. 4 tom. in fol. typis H. Scoti.

24-28. In quinque editionibus omnium operum S. Bonaventurae, scilicet Vaticana, Lugdunensi, Moguntina, Venetiana, Parisiensi.

CAP. II.

De nostra editione primi libri Commentariorum S. Bonaventurae.

§ 1. *De codicibus et editionibus, quibus in reformando textu primi libri Commentariorum usi sumus, et de methodo, in isto labore a nobis observata, haec referimus.*

Rarissime quatuor libri huius Commentarii ita scripti et uniti sunt, ut unum totum opus eos efficere appareat, sed ordinarie singuli libri alia manu et alio in volumine scripti, vel ad summum duo libri in uno volumine coniuncti inveniuntur. Hinc fit, ut in multis bibliothecis plura exemplaria unius vel alterius horum Commentariorum libri inveniantur, nullus autem aliorum trium librorum, vel ut unius libri codex sit optimus et antiquus, aliorum codices vero mediocres. Fit etiam, ut pro singulis libris numerus et praestantia codicum differant. Unde sicut in reformando textu quatuor librorum diversis diversarum bibliothecarum codicibus utendum nobis fuit, sic etiam singulatim de codicibus in Prolegomenis ad singulos libros nobis agendum est. Referendo hic elenchum codicum *primum* librum complectentium, quos P. Fidelis inspexit et adnotavit, primo loco ponimus secundum ordinem alphabeticum bibliothecarum codices, ex quibus cum editione Vaticana collatis variantes lectiones collegimus, deinde ceteros. Cum autem haec collatio diversis temporibus et locis a pluribus sociis, sive ordinariis sive extraordinariis, facta sit, et iam codices complures, antequam omnium lectiones variantes colligebantur, certis litteris alphabeti designati essent, nimis nobis difficile fuisset, ipso ordine litterarum alphabeti affinitatem singulorum codicum vel familiarum exprimendi. Hinc electio istorum signorum nulla certa lege facta est. — Omnes codices integri collati sunt, exceptis illis paucis, de quibus in ipso elencho contrarium notatum est.

SYLLABUS MANUSCRIPTORUM

QUAE CONTINENT

COMMENTARIOS SANCTI BONAVENTURAE

SUPER LIBRUM I. SENTENTIARUM.

I.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, biblioth. Conventus S. Francisci, cod. N. 42. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Fol. 1. v. antiqua manus praemisit: *Primus fratris Bonaventure.* Incipit: *Profunda fluviorum scrutatus est.* Desinit ut in editis: *in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum. Amen.* — Nitide scriptus, sed non sine multis mendis, quia deest correctio, quae illo aevo post scriptum codicem fieri solebat. Sign. in nostra ed. littera A.

2. *Bambergae,* biblioth. Publica, cod. B. III. 42. chart., saec. XV, in fol. In initio legitur: *Prooemium sancti Bonaventure.* Deinde: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. 243. v. — Licet sit recentioris aetatis, tamen cum vetustioribus codd. satis convenit; habet nihilominus praesertim in locis difficilioribus multas lectiones ipsi proprias et interdum utiles. Sign. Y.

3. *Bononiae,* biblioth. Collegii Hispanorum, cod. 35. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Initio alia manus praemisit: *Primus Bonaventure* Incipit et desinit ut in editis. — Tantum in difficilioribus locis est a nobis inspectus. Sign. kk.

4. *Cracoviae,* biblioth. Universitatis, cod. 1246. D. D. XIV. 4. chart. in fol., saec. XV. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. 274. v. col. 2. ut in editis; cui additur: *Explicit scriptum Bonaventure super primum sententiarum per me Petrum de Novagora 1471.* — Codex bonus, qui sequitur fere semper antiquiorem codicem sub sequenti numero relatum, ita ut ipsi ad eandem familiam pertineant; in construcione propositionum saepe discedit ab aliis codd., ut orationem latinam reddat magis correctam vel elegantem; insuper non raro praebet lectiones, quae attentione sunt dignae. Sign. aa.

5. *Cracoviae,* cod. 1252. A. A. XI. 16. membr. in 4, saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1. r. col. 1. Desinit fol. 160. v. col. 1: *Explicit liber primus.* Deinde sequuntur tabulae distinctionum, in quarum fine alia manus saec. XIV. exaravit: *Bonaventura super primum sententiarum.* — Convenit fere omnino cum praecedente. Sign. bb.

6. *Florentiae,* biblioth. Nationalis, cod. C. 6. 209. membr. in fol. parvo, binis columnis conscriptus. Incipit fol. 2. r. Post finem sequitur tabula quaestionum, cuius finis: *utrum Spiritus sanctus procedat a Patre mediante Filio. Amen.* Deinde alia manus prosequitur: *Finito libro referamus gratiam Christo.— Per gratiam Trini finiunt capitula libri. — Primus est certe Bonaventure doctus a Patre... Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, die luneXXIII mensis septembris indictione XII.* — Verum, ait P. Fidelis a Fanna in revisione, quam fecit de hoc codice, posset quis dubitare, an haec manus sit saeculi XIII; codex tamen est saec. XIII, unde de manu illa non litigandum. Est unus ex illis codicibus, qui melioris sunt notae. Sign. F.

7. In eadem biblioth., cod. D. 5. 206. membr. in fol., saec. XIII. Fol. 1. v. antiqua manus scripsit: *Primus Bonaventure completus et bonus commentarius.* Incipit fol. 3. r. col. 1. Desinit sicut edd. Inde prima manus addidit: *Explicit liber primus Bonaventure.* — Multis mendis scatebat, sed a posteriore manu saepissime est correctus. Exhibet cum codd. aa et bb notabilem additionem ad d. 27. p. I. q. 2. Sign. G.

8. In eadem biblioth., cod. D. 5. 207. membr. in fol., saec. XIV. exeunt. Incipit fol. 3. r. col. 1: *Profunda fluviorum* etc. Desinit ut edd. — Inter bonos codd. est numerandus. Sign. H.

9. In eadem biblioth., cod. I. 7. 45. membr. in fol. min., saec. XIV. Incipit fol. 2. r. col. 1; *Profunda fluviorum* etc. Desinit: *in omnes generationes seculi seculorum. Amen, Amen, Amen, Amen.* — Codex a pluribus manibus est exaratus. Lectiones ab aliis codicibus differentes non raro exhibet, quae una alterave vice a nobis sunt receptae. Sign. I.

10. In eadem biblioth., cod. C. 6. 208. membr. in fol., saec. XIII. Incipit fol. 2. r. col. 1. Desinit fol. tertio ante ultimum, col. 2: *Explicit liber primus.* Sequitur tabula quaestionum, quarum ultima: *utrum teneamur conformari in volito. Explicit totum.* — Codex satis bonus, a variis manibus correctus. Sign. ff.

11. *Florentiae,* biblioth. Mediceo-Laurentiana, plut. XXV. dext. cod. 2. membr. in fol., saec. XIII. Incipit fol. 4. r. col. 1. Desinit fol. 186. Sequitur tabula copiosa rerum et quaestionum etiam litteralium. — Saepius discrepat a ceteris codicibus, praesertim addendo glossemata, quae tamen aliquando nullius valoris sunt. Sign. K.

12. In eadem biblioth., cod. LXX. Mediceo-Fesulan., membr. in fol., saec. XIV. circa med. Incipit fol. 1. r. col. 1. Desinit fol. 136. v. col. 2. Postea additur a prima manu: *Explicit primus*

liber fratris Bonaventure super primum librum sententiarum. Deo gratias. Sequitur tabula, quae percurrit usque ad fol. 141. v., tribus columnis disposita. — Correctio codicis a *prima* vel suppari manu facta est tantum quoad primam partem; correctiones vero a diversis manibus recentioris saeculi tam in prima, quam in secunda parte inveniuntur. Scriptura clara ipse excellit et codicibus bonae notae annumerandus est. Sign. ee.

13. *Lipsiae*, biblioth. Paulina, cod. 491. membr. in fol., saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Profunda fluviorum.* In fine: *Explicit primus liber sententiarum Bonaventure fratris minoris.* Postea sequitur tabula quaestionum, ad cuius calcem iterum repetitur: *Explicit liber primus fratris Bonaventure de Ordine fratrum minorum, sed Magister Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, erat auctor principalis.* — Inter optimos codices est recensendus. Peculiare ipsius est, quod in pluribus additionibus etc. consentit cum codicibus Oxoniensibus mox referendis. Sign. Z.

14. *Mediolani*, biblioth. Ambrosiana, cod. I. 95. infer., traditus ex legato Bernardini Ferrari, VII. idus martius 1830, sed olim fuit Francisci Petrarchae, poetae clarissimi. Incipit fol. 3. rect. in marg. super.: *Sancti Spiritus adsit mihi gratia. Amen, Amen, Amen.* Subinde: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 194. v. col. 1: *Hec sunt scripta fratris Bonaventure supra primum sententiarum.* Sequitur indiculus quaestionum ab alia manu confectus saec. XIII. — Codex est conscriptus, vivente adhuc Bonaventura. Codex bonus, distinguitur studio emendandi locutiones parum Latinas et praesertim in fine quaestionum plerumque aliis verbis conclusionis utitur. Sign. V.

15. *Monachii*, biblioth. Regia, C. L. M. 8079. chart. in fol., saec. XV, complectitur tantum dubia litteralia Domini Bonaventurae super quatuor libros sententiarum, ut legitur fol. 241. r. in marg. super. Subinde incipit col. 1: *Cupientes aliquid de penuria* etc. *Sed queritur de hoc quod dicit: opus agere presumpsimus; sed presumptio est peccatum.* Desinit fol. 279. r. col. 1: *in omnes generationes seculi seculorum. Amen. Deo gratias. Explicit conscriptum domini Bonaventure circa primum de dubitationibus litteralibus.* — Continet tantum dubia circa litteram Magistri. Sign. dd.

16. In eadem biblioth., cod. lat. 14086. membr. in fol., saec. XIII, exeunt. Incipit et desinit ut in editis. — Praescindendo a multis omissionibus et mendis, quae in codicibus non bene correctis communiter inveniuntur, textum genuinum exhibet. Sign. W.

17. In eadem biblioth., cod. lat. 18344. chart. in fol., saec. XV. Praemittitur tabula distinctionum, deinde incipit: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. 287. v. col. 2. — Convenit plerumque cum antiquis codicibus, sed tum glossando plura addit, tum locutiones paulo incongruas emendare nititur. Sign. X.

18. *Montis Cassini*, biblioth. Monasterii, cod. membr. in fol., saec. XIII, sign. 398. OO., alias 252. Fol. 1. r. manus posterior praemisit: *D. Bonaventura in primum librum sententiarum.* Et manus adhuc recentior ad calcem eiusdem folii subdit: *Thomas in primo sententiarum.* Incipit: *Profunda fluviorum* etc. Desinit: *Explicit liber primus.* Sequitur index quaestionum. Codex antiquus et bonus. Quandoque praebet lectiones magis exquisitas. Sign. M.

19. *Mutinae*, biblioth. Atestina, cod. membr. in fol., saec. XIII, notatus num. 974. VII. I. 14. Incipit fol. 1. r., cui manus saec. XV, addidit: *Primus Bonaventure.* Hinc col. 1: *Profunda fluviorum* etc. In fine legitur: *Explicit liber primus, qui scripsit est benedictus.* Postremo sequitur tabula, quae percurrit usque ad distinctionem XIV. — Non integre collatus, sed solum in paucis locis difficilioribus inspectus. Sign. ii.

20. *Neapoli*, biblioth. Nationalis, cod. in 4. membr., saec. XIV, binis columnis exaratus, sign. VII. D. 28. Fol. 1. r. in margine superiore legitur: *Primus liber sententiarum fratris Bonaventure.* Deinde col. 1: *Profunda fluviorum.* Desinit ut ceteri. Convenit cum antiquis codd. Scriptor autem multa omisit, forsan opportuno tempore conscribenda, ut indicant spatia quam plurima, quae adhuc vacua permanent. Sign. N.

21. *Oxoniae*, biblioth. Collegii Balliolensis, cod. 133, in fol. membr., saec. XIV. ineunt. Fol. 2. v. ab antiqua manu: *Bonaventura super primum et secundum.* Commentario praemittitur tabula ordine alphabetico disposita. — Codex bonae notae, tamen multas exhibet breves additiones ipsi proprias, quae generatim sunt concinnae et bonae. Sign. O.

22. *Ibidem*, biblioth. Collegii Lincoln., cod. 25. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Ad calcem fol. 1. legitur: *Bonaventura super primum et secundum sententiarum.* Notulis marginalibus est illustratus. — Multis diversarum manuum emendationibus insignitus, ratione quarum in permultis locis cum codice O, quandoque etiam cum editione Vaticana concordat. Sign. L.

23. *Parisiis*, biblioth. Nationalis, cod. 3085. membr. in fol., saec. XIV. ineunt. A fol. 1. usque ad fol. 39. continet dubitationes litterales et tabulam primi libri sententiarum. Deinde incipit: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 139. v. per verba: *Explicit liber primus de quaestionibus extra litteram.* — Hic codex aliqua habet propria tum quoad formam, tum quoad materiam. Quoad formam, quia in ipso dubia litteralia non in fine cuiuslibet distinctionis, sed omnia insimul in principio voluminis collecta inveniuntur. Eandem separationem, etiam duplice volumine distinctam, D. Peltier (Praefat. ad tom. I. ed. Paris. pag. II.) observavit in quodam antiquo codice, qui prius fuit Capituli ecclesiae Rhemensis (cfr. infra n. 53). Quoad materiam distinguitur, quia unam alteramque dictionem sive addendo sive mutando claritatem textus promovere studet. Sign. R.

24. In eadem biblioth., cod. 15821. membr. in fol., saec. XIII. Incipit fol. 1. r.: *Profunda fluviorium.* Desinit fol. 113. v. col. 2: *Explicit liber primus.* Inter bonos codices numerandus. Sign. S.

25. In eadem biblioth., cod. 17480. in fol. membr., saec. XIII. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 149. v. col. 2: *Explicit liber primus.* Hinc: *Capitula super primum sententiarum.* Est tabula distinctionum et quaestionum a posteriore manu disposita. — In multis convenit cum modo nominato cod. S. Sign. C.

26. *Ibidem*, biblioth. Universitatis Parisiensis Sorbonae, cod. membr., saec. XIII. exeuntis, sign. Th. II. 48. Initio praemittitur tabula distinctionum, inde Commentarius, qui recurrit usque ad fol. 135. Desinit ut in edd. — A variis manibus recentioris aetatis correctus est. An. 1877 a D. Messager, tunc Vicario Eccles. Antissiod. S. Stephani, cum editis collatus est; cuius hic grato animo mentionem facimus. Sign. U.

27. *Patavii*, biblioth. S. Antonii, cod. membr. in fol., saec. XIII., sign. num. 120. Incipit fol. 3, sed 1. numerato, absque titulo: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. 153. r. col. 1: *Explicit liber primus.* — Antiquus et correctus. In pluribus textus difficultatibus utilis nobis fuit, praesertim propter praecisionem et positionem verborum. Sign. P.

28. In eadem biblioth., cod. membr. in fol., saec. XIII, sign. 125. Abest primum folium. Incipit a verbis: *siccatus est fluvius*

et transierunt etc. Desinit fol. 139. r. col. 1: *Explicit liber primus.* Manus saec. XIV. addidit: *Bonaventure.* — A diversis manibus correctus. Antiquiores correctiones conveniunt cum lectionibus codicis praecedentis. Fol. 127. legitur: *Iste liber datus est ad usum fratris Guidonis anno 1283.* Sign. Q.

29. In eadem biblioth., cod. 123. membr., saec. XIV. ineunt. exaratus. Incipit fol. 1. r., cuius in superiore parte scriptum est maioribus litteris: *L. I. fratris Bonaventure.* Inferius: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 152. v. col. 2: *Explicit liber primus fratris Bonaventure super sententias.* Sequitur tabula, quae extenditur usque ad dist. XV. — Non integre collatus, sed in pluribus difficilibus locis tantum inspectus. Sign. gg.

30. In eadem biblioth., cod. 124. membr. in fol., saec. XIII. Incipit fol. 1. col. 1: *Profunda* etc. Desinit fol. 156. r. *Explicit liber primus sententiarum.* Alia manus addidit: *d. Bonaventure.* — Idem valet de hoc quod diximus de codice praecedente. Sign. hh.

31. *Romae,* biblioth. Vaticana, cod. Vat. lat. 907. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Incipit: *Profunda fluviorum* etc. Habet folia 192. In fine prima manus addidit: *Explicit liber primus Bonaventure.* — Convenit cum aliis praestantioribus codicibus. Sign. B.

32. In eadem biblioth., ex eadem collectione cod. 908. membr. in fol., saec. XIV. Incipit: *Profunda fluviorum* etc. Desinit ut in editis. — Idem de hoc iudicium ac de praecedente. Sign. D.

33. *Romae,* in biblioth. Chisiana, cod. B. VIII. 128. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 115. ut in editis. Hinc a prima manu: *Explicit primus liber boni fortune.* Quae verba rubricator linea rubra operuit et suffecit haec alia: *Explicit primus domini fratris Bonaventure super sententias.* — Multas habet lacunas et menda; praebet nihilominus bonas lectiones. Sign. E.

34. *Tuderti* in Umbria, antiqua biblioth. S. Fortunati, cod. 39. membr. in fol., saec. XIII. Incipit fol. 4. r. col. 1: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 139. rect. col. 2, ut in editis. Fol. seq. subiicitur tabula tribus columnis exarata, referens distinctiones, quaestiones et dubitationes circa litteram. Desinit fol. 142. rect. col. 1. — Primatum tenet inter omnes nostros codd. tum propter antiquitatem (cum tempore S. Bonaventurae sit scriptus), tum propter textus multiplicem correctionem, iam a prima manu et suppari et etiam a recentioribus manibus factam, tum propter lectiones ipsi interdum proprias, quae non raro a nobis in textum sunt receptae. Notandum etiam, quod mendum aliquod, a scriptore codicis in textu scriptum, sed deinde in hoc codice iam a manu antiqua correctum, saepissime non correctum invenitur in ceteris nostris codicibus *antiquis,* et aliter correctum in *iunioribus.* Certum esse videtur, hunc codicem esse unum ex illis duobus Commentarium in I. Sent. complectentibus, quos cum multis aliis libris Cardinalis Bentivegna de Bentivegnis conventui Tudertino S. Fortunati an. 1289 legavit. Fuit hic in Ordine Min. Guardianus Tuderti, ab an. 1276 Episcopus Tudertinus, deinde successor S. Bonaventurae in episcopatu Albanensi. In biblioth. antiqua S. Fortunati adhuc exstant plura librorum inventaria antiqua (codd. 184, 186, 187.), relata apud Bonelli (Prodr. col. 479); quorum antiquius, quod refert duo exemplaria libri I. Sent., videtur factum paulo post mortem dicti Cardinalis, ergo circa an. 1289. Sign. T.

35. In *Collegio nostro* asservatur cod. chart. in 4, saec. XV, parvis litteris et abbreviate scriptus, qui inter omnes nostros codices maxime a lectione codicum saeculi XIII. discedit et ad textum ed. Vaticanae magis accedit. Sign. cc.

II.

Codices a nobis non collati.

36. *Andegavis* in Gallia, biblioth. Civitatis, asservatur cod. 193. membr. in fol., saec. XIII. exeunt., olim monasterii sancti Albini Andegavensis. Fol. 1. r. a manu recente praemittitur: *Primus liber Magistri sententiarum expositus ab anonymo.* Deinde ab antiqua manu, quae codicem exaravit: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, amen. Profunda fluviorum* etc. In fine: *Explicit liber primus.*

37. *Berolini,* biblioth. Regia, cod. 55. memb., saec. XV. Fol. 1. col. 1: *Tabula Bonaventure ordinis minorum super primo sententiarum incipit feliciter.* Ad calcem eiusdem: *Finis. Tabula Bonaventure ordinis minorum exit feliciter.* Inde: *Prologus Bonaventure super sententiis incipit feliciter. Profunda fluviorum.* Desinit fol. 224. r. col. 1: *Finis. Liber primus Bonaventure super sententiis ordinis minorum exit feliciter.*

38. *Brugis* in Belgio, biblioth. Civitatis, cod. 173. membr. fol., saec. XIII. Fol. 1. r. in margine superiore manus posterioris temporis scripsit: *Sanctus Bonaventura in quatuor libros sententiarum.* Sed nunc codex complectitur tantum Commentarios in librum primum et secundum.

39. *Cracoviae,* biblioth. Universitatis, cod. 1250. A. A. VI. 1. membr. in fol., saec. XIII. exeunt., et XIV. ineunt. Incipit fol. 1. r., a secunda manu praemittitur: *Scriptum fratris Bonaventure super primo sententiarum. Profunda fluviorum* etc. In fine additur: *Explicit liber primus. Deo gratias.*

40. *Erfordiae* in Germania, biblioth. Regia, collect. Amploniana, cod. 122. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Fol. 1. r.: *Bonaventura super primum et tertium.* Deinde col. 1.: *Profunda fluviorum.* Desinit circa medietatem voluminis: *Explicit primus liber sententiarum.*

41. *Hispali* in Hispania, biblioth. Columbina, cod. Y. Tab. 132. N. 5. membr. in fol. parv., saec. XIV. Fol. 3. r. praemittitur Commentario tabula quaestionum, quae desinit fol. 5. v. per verba: *Expliciunt problemata primi libri sententiarum.* Deinde fol. 6. r. col. 1. incipit: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. ultim. codicis: *Explicit expliceat, ludere scriptor eat.*

42. *Lipsiae,* biblioth. Universitatis, cod. 492. in fol. membr., saec. XIV. ante med. In pergameno asseri exteriori annexo legitur: *Bonaventura super primum librum sententiarum in questionibus et lectura.* Incipit fol. 2. r. col. 1. Desinit fol. ultim. codicis, ut in editis.

43. *Lubeci* (Lübeck) in Germania, biblioth. Civitatis, cod. theol. n. 15. in fol., chart. saec. XV. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. ultim. codicis: *et hac voluntate merebatur.*

44. *Monachii,* biblioth. Regia, Cod. Lat. ms. 5175, chart. in fol., saec. XV. Fol. 1. r. legitur: *Registrum super primum sententiarum Domini Bonaventure.* Hoc *registrum* est tabula copiosa rerum, quaestionum ac dubitationum litteralium, quae desinit fol. 8. Fol. seq. r. col. 1. incipit Commentarius: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 259.

45. In eadem biblioth., cod. C. L. M. 6949, chart. in fol., saec. XV. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Profunda fluviorum.* Commentarium sequitur copiosa tabula, ut in praecedente, quae desinit fol. 357. r.

46. In eadam biblioth., C. L. M. 8844, chart. in fol., saec. XV. Fol. 1. r. legitur: *Principium Prologi in primum scriptum Domini Bonaventure est profunda fluviorum.* Sequitur tabula ab alia manu, sed eiusdem aevi confecta, quae protenditur usque ad fol. 3. r. Deinde Commentarius: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 327. r. col. 2, ut in editis.

47. In eadem biblioth., C. L. M. 8950. chart. in 4, saec. XV. Fol. 233. v. est Prologus sancti Bonaventure in libr. primum sententiarum. Incipit ut in editis. Desinit fol. 239. r.: *quo beata sit, nisi Deus. Et sic finitur principium Bonaventure super Sententias.*

48. In eadem biblioth., C. L. M. 11413. *a*, chart. in fol., saec. XV. Incipit fol. 1. r.: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. ultim. ut in editis.

49. *Oxoniae*, biblioth. Bodleiana, Codices Canoniciani, cod. 16, in 4. min., folior. 152, saec. XV. ineuntis. Fol. 1: *Profunda* etc. Desinit ut in editis. Dein: *Expliciunt veritates primi fratris Bonaventure cum tribus argumentis ad utramque partem.* Sequitur tabula. Ex his verbis argui posse videtur, plura argumenta in multis quaestionibus deesse.

50. *Ibidem*, biblioth. Collegii Mertonensis, cod. 0. 1. 8. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Fol. 1. r.: *Bonaventura super primum librum sententiarum.* Incipit: *Profunda fluviorum.* Desinit ut in editis: Deinde a prima manu additur: *Completus est liber primus Bonaventure.*

51. *Parisiis*, biblioth. Universitatis Sorbonae, asservatur cod. miscellaneus, sign. num. 3572. membr. in fol. min., saec. XIII. Fol. 77. incipit absque titulo et nomine auctoris: *Profunda fluviorum* etc., Prologus scilicet sancti Bonavennture in primum librum Sententiarum, cui subsequitur Commentarius, qui est mutilus.

52. *Patavii*, biblioth. Universitatis, cod. 1098. in fol. membr., saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. 158. v. Sequitur inde tabula, cui additur: *Explicit hic primus auctoris in agmine simus.* Denique: *collectiones errorum in Anglia Parisius condemnatorum*, exaratae ab alia manu, sed eiusdem aevi.

53. *Rhemis*, olim Capitali Rhem. cod. E $\frac{369}{297}$ membr. in fol., saec. XIII, fol. 1. In superiore parte legitur: *Ave Maria: Sancte Martialis.* Inferius col. 1. incipit a d. 1. a. 1. *Veteris ac nove legis* etc. *Ad evidentiam definitionum et aliorum, que Magister ponit* etc. Desinit fol. 94. In sequente folio subiicitur tabula quaestionum. Fol. 97. col. 1. iterum incipit a verbis Magistri: *Cupientes aliquid de penuria* etc.; et prosequitur referens quaestiones circa litteram totius libri, quae percurrunt usque ad folium 127. Desinit: *quae operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu in omnes generationes seculi seculorum. Amen.*

54. *Romae*, biblioth. Vaticana, cod. Palat. 364. chart. in fol., saec. XV. Fol. 1. in superiore margine legitur: *Liber primus sive scriptum primi sententiarum Seraphici doctoris Bonaventure Cardinalis. Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 266: *Explicit liber primus.*

55. In eadem biblioth., cod. Urbinat. 141. in fol. membr., saec. XV. Initio praemittitur: *In hoc codice continetur liber Bonaventure de Bolneo regio Ordinis minorum super primo libro sententiarum.* Fol. 3: *Incipit liber Bonaventure Ordinis minorum super primo libro sententiarum. Profunda fluviorum* etc. In fine: *Explicit liber primus Bonaventure Ordinis minorum.* Hinc sequitur tabula, cui additur: *Tituli questionum Bonaventure super primo sententiarum expliciunt feliciter.*

56. *Spinalii* (Epinal in Gallia), cod. 61. membr. in 4, saec. XIII. Manus saec. XVIII. adiecit titulum: *Commentarius in Magistrum sententiarum*, sed siluit nomen auctoris. Incipit: *Profunda fluviorum scrutatus est.* Desinit ut in editis.

57. *Taurini*, biblioth. Universitatis, cod. D. III. 23. membr. in fol., saec. XIII. Fol. 1. r. a prima manu praemissum fuit in parte superiore: *nota hic proprietates fluvii.* Inde col. 1: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 185. v. col. 2. Additur: *Finis adest operis, mercedem posco laboris; si bene lectus ero, si non, veniam mihi quero.*

58. *Turonis* (in Gallia), biblioth. Publica, cod. 372 membr. in fol., saec. XIII, mutilus in principio; Incipit enim a distinctione XVI. ultim. quaest: *minorem dicens, si totum* etc. Manus saec. XV. superius praemisit: *Bonaventure super primo sententiarum.* Desinit, ut in editis.

§ 2. *De via ac ratione, in emendando textu primi libri Commentariorum observata, haec notamus.*

Magna illa lectionum variantium farrago, ex tot collatis manuscriptis et editionibus coacervata, novo et taedioso labore colligenda et sub uno conspectu ponenda erat, ut apta ad textum emendandum discretio earum fieri posset. Tunc apparuit, antiquiores codices saeculi XIII. ordinarie inter se, at contra editionem Vaticanam conspirare. Plerumque vix differunt nisi iis mendis, quae toties in manuscriptis etiam bonae notae inveniuntur, praecipue in verborum omissionibus, quando iidem vel similes termini repetuntur. Apparuit etiam, iuniores codices menda veteribus communia novis et saepe disparatis lectionibus corrigere solere. Apparuit porro, codicem recentioris aetatis, signatum cc, ab antiquis multum discedere cumque praelusisse saepe lectionibus editionis Vaticanae. Apparuit denique, nec hunc iuniorem codicem tantum a textu antiquo aberrasse, quantum editio Vaticana, quae secuta est proxime praecedentes editiones, discrepat ab isto codice. Unde manifestum est, per ipsas editiones saeculi XV. et praecipue XVI. textum primitivum non parum glossis et arbitrariis correctionibus mutatum esse, licet ipsi editores textum ab innumeris vitiis et mendis a se purgatum esse praedicaverint. Sed iam compertum est, editores saeculi XVI. non raro, inconsultis antiquioribus manuscriptis vel omnino neglectis omnibus codicibus, textum suo proprio iudicio vel secundum systemata eo tempore vigentia non parum mutasse vel potius corrupisse. Loci enim, qui ipsis videbantur obscuri, vel quorum modus loquendi ut obsoletus ipsos offendebat, proprio marte et non raro infausto successu corrigere nitebantur, ut diligens lector ex nostris notis saepe potest observare.

Quae principia et quas regulas nos in eligendis lectionibus variantibus et in textu Vaticanae editionis reformando simus secuti, iam in Praefatione generali breviter dictum est. Hoc loco tantum observamus, nullam nos rationem habuisse editionum Vaticanae succedentium, cum ad usum nostrum prorsus inutiles apparuerint. De antiquioribus editionibus iam supra (c. 1. § 8.) locuti sumus. Ad usum nostrum valde serviebat editio antiqua Brixiensis (sign. 1) et post eam prima Kobergeriana (sign. 2).

Dum textui emendando operam dabamus, non raro evenit, ut codices meliores unanimiter lectionem aliquam a Vaticana

discrepantem praeberent, quae primo aspectu falsa, vel non intelligibilis, vel saltem a Latino sermone abhorrens et ideo reiicienda nobis videbatur. Sed accuratiore inquisitione instituta, apparuit, codicum lectionem esse genuinam atque penitus explicari simul et probari usu loquendi illa aetate in scholis usitato. In antiquis enim versionibus operum Aristotelis, sive a Boethio secundum textum Graecum, sive ab aliis secundum textum Arabicum factis, in Commentariis Averrois vel Avicennae simili latinitate expressis, in Summulis philosophorum vel theologorum coaetaneis (v. g. Petri Hispani) invenimus easdem dicendi formulas saepe barbaras, quae in saeculis subsequentibus in scholis frequentari cessarunt. Hinc in iunioribus codicibus, sed praecipue in editionibus, non raro suppressae sunt tanquam obsoletae, immo vitiosae et absurdae, ut scilicet hac ratione textus a vitiis infinitis purgaretur. Exemplum videri potest benevolus lector in hoc I. tomo p. 13, nota 7. et p. 357, nota 8, (quae refertur ad prima verba paginae sequentis). Nos autem primitivam codicum lectionem, licet minus usitatam et elegantem, restituimus et eiusdem explicationem ad calcem subiecimus. Iure affirmare possumus, nihil nos in textu S. Doctoris proprio arbitrio mutasse, sed omnia ad normam codicum et editionum, adhibitis criticae artis regulis, sincere et moderate, quantum Deus dederit, exegisse.

In recensendis lectionibus variantibus non adoptavimus systema, novissime introductum, ponendi quam plurimas variantes lectiones cuiuscumque valoris ad calcem, ita ut lectori ipsi relinquatur onus, eligendi sibi eas quae placent. Quidquid sit de utilitate huius methodi in libris ad historiam et philologiam pertinentibus, non pauca certe adversantur usui eiusdem in edendis operibus S. Bonaventurae. Consuluimus de hac re plurimos in arte critica eruditos viros Italiae, Galliae et Germaniae, quorum consilio antiquum systema editorum Maurinorum in substantia retinuimus, notando tamen plures, quam ipsi solent, variantes lectiones, sed verbis brevissimis, et rationem etiam nostrae electionis in locis maioris momenti saltem indicando.

Nihilominus cum standum esset auctoritati codicum, luculenter apparuit, tot mutationes (licet saepe quoad sensum sint minoris momenti) in textu esse faciendas atque tot variantes ad calcem ponendas, ut notarum frequentia legentes taedio afficere atque nimio numero signorum in textu notas indicantium oculos eorundem offendere debuerimus. Ut his malis aliquo modo remedium pararemus, *primo* plures notas criticas, spectantes ad plures lineas aliquatenus inter se connexas, sub uno eodemque numero coniunximus, ita tamen, ut diversae lectiones sine difficultate inveniri possint.

Secundo, cum in codicibus plurimae lectiones variantes inveniantur in textum recipiendae, quae minoris sunt momenti et fere indifferentes, atque quo magis sunt minutae eo frequentiores occurrunt, supervacaneum et lectori molestum visum est, de eis et de mutatione in textu facta semper mentionem facere. Huiusmodi sunt frequentissimae *transpositiones* verborum, quando minime sensum attingunt; item *repetitiones* earundem particularum *et, vel, sive* etc. et verbi *est* vel *sunt* in locis, ubi facile suppleri possunt, v. g. post *notandum, intelligendum, dicendum;* item *substitutio* quarundam particularum eiusdem significationis, v. g. *vel, aut, ac, et, nec, neque* et praecipue *ergo, igitur*. Codices quidem meliores differentiam aliquam inter *ergo*, quod fere constanter post praemissas ante conclusionem ponunt, et *igitur* observant, sed editiones saepissime in hoc dissentiunt. Idem dicendum de aliquibus verbis, quae in codicibus minus accurate scriptis frequenter vel dubiae sunt lectionis, ut *contingit* et *convenit, significat* et *signat, significatum* et *signatum*, vel in scribendo falso confunduntur, ut *hic, haec, hoc*. Fere continuo in his et similibus inter se codices et editiones discrepant. Postquam in primis distinctionibus harum variantium et mutationis in textu factae aliquoties mentionem fecimus, deinceps de hoc siluimus. Attamen nihil sine auctoritate codicum commutavimus.

Etiam in modo citandi Vaticana differt saepissime a codicibus, ponendo v. g. *Per Augustinum* vel *dicitur ab Augustino* pro *dicit Augustinus*. Idem valet quoad titulos quaestionum, in quibus eadem omittendo vel addendo verba saepe differt a codicibus; quos tamen sequimur, quin in progressu operis huius mutationis mentionem faciamus.

Monemus insuper lectorem, nos constanter primitivum ordinem partium Commentarii restituisse. Ad quamlibet enim Lombardi distinctionem Commentarius tres partes distinctas habet, et quidem hoc ordine. Primo loco ponitur brevis *divisio textus*, qua et totus liber Sententiarum et unaquaeque distinctio in partes dividuntur; deinde sequuntur plures de hac materia *quaestiones* a S. Doctore propositae et solutae, quae *tractatio* plerumque subdividitur in duas vel etiam tres *quaestiones principales* (ab editoribus nominatae sunt *articuli*), quae iterum ordinarie duas vel plures quaestiones speciales continent. Tertio et ultimo loco sequuntur *dubitationes* (quemadmodum ab auctore vocantur) sive *dubia* circa verba vel sententiam Magistri, quae a S. Bonaventura solvuntur diffusius quam ab aliis commentatoribus eiusdem libri. Hanc tertiam partem codices incipiunt ordinarie his verbis: *In parte ista sunt dubitationes circa litteram et primo quidem dubitatur* (quaeritur) etc. Iam observavimus, locum et ordinem horum dubiorum in editionibus mutatum esse. In editione prima Norimbergensi 1491, cum liber Petri Lombardi (qui in codicibus Commentarii et primis editis deest) Commentario adiungeretur, ista dubia ad marginem textus Magistri ita posita sunt, ut quibusdam signis verba indicarentur, ad quae explicatio dubiorum refertur, omissis et titulis dubiorum et verbis Magistri a S. Bonav. repetitis. Sed postea ed. Romana an. 1569 et post eam editiones aliae textum Magistri ab istis additamentis ad marginem positis liberarunt; tamen illa dubia suo primo loco non restituerunt, sed immediate post divisionem textus posuerunt, nec aliquo titulo ab eadem divisione separaverunt, nec eis originarios titulos vel inscriptiones integre restituerunt, sed pro libitu aliis verbis suppleverunt. Hac immutatione plurimi errores in posteriores editiones irrepserunt, non raro sensum perturbantes, vel saltem falso citantes aliquam sententiam ut *supra* (scil. in quaestionibus) iam dictam, quae tamen iuxta ordinem harum editionum in *sequentibus* quaestionibus legitur. Omnes autem codices et etiam antiquissimae editiones habent ordinem supra dictum, quem nos cum integris titulis dubiorum restituimus. Superfluum autem esset, hunc omnium codicum consensum et hanc editionum recentiorum differentiam earumque vitia ad singula dubia notare. Sit hoc dictum semel pro semper.

Haec autem quam S. Bonav. scripsit textus Sententiarum explicatio tanti aestimata est, ut a nonnullis separatim pluries exscripta sit, cuius exemplum habemus in codice signo dd notato. D. Peltier, qui ed. Parisiensem curavit, commemorat, ut diximus, quendam codicem, qui et ipse dubia habuit separata

et in distincto volumine scripta. Mira tamen est hypothesis, quam idem editor in praefatione ad I. tomum suae editionis profert, quod scilicet Commentarius S. Bonaventurae duplicem cursum theologicum contineat, quorum primus pro incipientibus textum Magistri istis dubiis litteralibus explicaverit, alter vero postea provectis in doctrina quaestiones profundiores proposuerit. Hanc suppositionem omni carere fundamento, facile editor percepisset, si inspexisset Commentarios aliorum antiquorum v. g. S. Thomae, Petri a Tarantasia, Richardi a Mediavilla, qui post longas quaestiones brevissime aliqua dubia circa litteram Magistri explicant. Hinc patet, pauca illa verba quaestionibus succedentia non posse appellari primum cursum theologiae. Diffusiora quidem plerumque sunt ista dubia apud S. Bonaventuram, sed non possunt esse primus cursus pro incipientibus, tum quia in codicibus ordine loci sequuntur illum, quem hic editor *secundum* cursum appellat, tum quia, citando saepe praecedentes quaestiones earumque doctrinam supponendo, illas iam lectas praesupponunt. Quo fit, ut plerumque haec dubia difficiliora sint ad intelligendum quam ipsae quaestiones.

Ut autem melius in editione tres Commentarii partes, quas commemoravimus, oculis legentium appareant, adiecimus titulos superscriptos: *divisio textus, tractatio quaestionum, dubia circa litteram Magistri.*

§ 3. *De aliis subsidiis nostram editionem illustrantibus haec subiicimus.*

Editio Vaticana, quae in hoc secuta est proxime praecedentes edd., ordinarie citationes S. Scripturae et Patrum, quae in ipso textu positae erant, ad marginem reiecit. Nos autem reposuimus in textum omnes locos, quos secundum codices in ipso textu S. Bonaventurae positos invenimus. Plurimum temporis et laboris consumsimus in reperiendis et conferendis auctoritatibus, quae vel ab ipso S. Doctore passim laudantur, vel ab ipso supponuntur, vel in nostris Scholiis et notis citantur. Nullum locum citavimus, quem ipsi non inspeximus, nisi paucis in locis, ubi, deficiente opere, fidem alienam expresse allegavimus. Hoc nostrum studium doctis viris, qui nobiscum fide illarum citationum, quae a saeculis de libro in librum transmigrarunt, saepe se deceptos esse doluerunt, gratissimum esse confidimus. Veniam etiam dabunt, si nobis, adhibita etiam magna diligentia, error interdum sive in notando sive in intelligendo sive in transcribendo aliquo loco obrepserit. Hoc in primis huius libri distinctionibus facilius accidere potuit quam in posterioribus, ex quo in foliis iam typis compositis fere omnes locos in suis fontibus denuo inspeximus. Multos sane locos invenimus, qui hucusque etiam ab aliorum commentariorum in Lombardum editoribus vel omnino fuerunt neglecti, vel falso citati; pauci tantum omnem nostram diligentiam effugerunt.

Licet Doctor Seraphicus in tractandis quaestionibus philosophicis sit valde sobrius, plurima tamen philosophica in hoc Commentario *supponit,* ut iam in Praefatione generali observavimus. In omnibus argumentis ex *ratione* sumtis fundamenta eorum ex receptis illa aetate *definitionibus, axiomatibus, distinctionibus* affert, quin saepissime fontem eorum et originem indicet. Philosophiae studiosis gratum esse putamus, quod multam operam contulerimus indagando originem vel saltem primam radicem harum auctoritatum, quae plerumque in scriptis Aristotelis vel commentatorum eiusdem quaerendae erant.

Quoad *Scholia,* singulis quaestionibus a nobis addita, iis quae supra in Praefatione generali diximus, haec subnectimus. Imprimis *veritatem* et *genuinam interpretationem* Seraphici Doctoris sectandam nobis esse censuimus, quantum Deus dederit, ne ex praeconceptis scholarum opinionibus alienam vel nostram sententiam arbitrarie nostro Doctori subiiciamus. Iure autem conqueritur P. Bartholomaeus a Barberiis Ord. Capucc., in Praefatione sui cursus theologici, omnes commentatores, excepto uno Matthaeo Ferchio Ord. Min. Conventual., « vere fidelissimo Bonaventurista », Seraphicum Doctorem plerumque pertraxisse plus minusve « ad partes vel Thomistarum vel Scotistarum iuxta cuiusvis propensionem », eosque vocat non commentatores, sed adversarios doctrinae Seraphicae. — Ceterum in interpretandis locis difficilioribus et obscuris etiam invitum in talem errorem incidere posse, manifestum est. Vel ipse P. Barth. de Barberiis, licet in scriptis S. Doctoris quotidianis quinquaginta annorum studiis, ut ipse testatur, occupatus et in eis versatissimus atque veritatis, ut videtur, studiosissimus, scopulum illum, ut sui temporis opiniones S. Bonaventurae attribueret, non omnino effugisse nobis videtur. Inde ut eo cautius procederemus, non tantum ad ipsum S. Bonaventuram, sed etiam ad suum magistrum Alexandrum Halensem et ad alios synchronos scriptores nobis recurrendum esse putavimus, ut facilius veram sententiam auctoris nostri assequeremur. Inter hos eminent Petrus a Tarantasia, amicus S. Bonaventurae, qui in suo Commentario in Lombardum, manifeste plurimis in locis S. Bonav. sequitur, B. Albertus M., S. Thomas et ex nostris praeter Alexandrum praecipue Richardus a Mediavilla et Scotus. Multum nobis profuit etiam opus Fr. Bruliferi a suis discipulis reportatum; nec non in quaestionibus de Deo *uno* Summa illa P. Trigosi, et in aliis quaestionibus opus P. Foresti de Trinitate. Librum P. Barth. de Barberiis non accepimus, nisi postquam Scholia in I. librum iam scripta erant; interdum tamen eo usi sumus.

Ceterum in his nostris Scholiis minime praesumsimus, viris in doctrina theologica consummatis aliquid proponere, quod eorum attentione sit dignum. Etiam a controversiis diiudicandis, profundis mysteriis perscrutandis, longis apologiis scribendis abstinuimus, sapientioribus ea relinquendo. Nam nihil animo intendimus nisi ea proferre, quae usui esse possint studium huius Commentarii *incipientibus.*

Tentavimus autem pro viribus etiam difficillimos quosque locos explanare. Interdum autem fortasse in facilioribus locis explicandis abundavimus; peccavimus autem tunc in gratiam lectoris, quem breviter instruere iam scientem minus videtur incommodum, quam negligere nescientem.

In fine Scholiorum apposuimus praecipuorum Scholasticorum locos praecedenti quaestioni S. Bonav. respondentes. Idem iam fecit editio Vaticana, cuius tamen citationes saepissime correximus et supplevimus addendo alios auctores. Constat autem, magnos illos saeculi XIII. magistros invicem se plerumque explicare, et alium supplemento explere quod deest alii. Huic auctorum elencho adiecimus etiam aliquos Scholasticos sequioris aetatis et minoris auctoritatis, ut Durandum et Gabrielem Biel. Hi enim ipsis opinionibus suis non probabilibus et rationibus insufficientibus sapienti lectori ad veritatem distinctius intelligendam nonnunquam aliquid conferre possunt. Dionysium autem Carthusianum, saeculi XV. doctorem, ideo adscripsimus, tum quia transcribit perlongos locos fere omnium antiquorum magistrorum saeculi XIII, etiam ineditos (v. g. ex Summa Uldarici), tum quia ipse illorum antiquorum spiritum aemulatur. Notandum tamen est,

locos ab eodem transcriptos saepissime esse aliquatenus contractos vel mutatos. Ab auctoribus posteriorum saeculorum citandis vel eorum opinionibus referendis consulto nobis temperavimus, ne et nos labore et lectorem taedio opprimamus.

Ut aliquid etiam de *ratione et mente* nostra in explanando S. Bonaventura dicamus, studuimus potius diversas illorum magnorum virorum sententias conciliare et benigne interpretari, quam differentiis inter ipsos apparentibus studiose insistere, in hoc pro viribus magnum S. Doctoris nostri exemplum secuti (cfr. supra c. I. § 4.). Putamus autem, ipsum Doctorem Seraphicum in hoc motum esse a vero spiritu Ecclesiae, quae in necessariis vult unitatem, in dubiis concedit libertatem et in omnibus commendat caritatem. Bonum quidem est et utile profectui discipulorum, si uni praecipue adhaerent doctori atque uni libro; optandum etiam esset, si ad eadem principia philosophica antiqua et a S. Thoma perfectissime proposita omnes scholae catholicae reverterentur, quemadmodum a Ss. Domino nostro Leone XIII. in celeberrima sua Encyclica *Aeterni Patris Unigenitus* (4 Augusti 1879) omnibus Episcopis orbis Catholici sapienter commendatum est, ut infinitis erroribus, intellectum hominum hac nostra aetate obscurantibus, remedium paretur. Haec tamen minime obstant illi libertati, quam Ecclesia suis doctoribus et scholis in rebus dubiis concedit, immo pro bono universalis Ecclesiae tuetur. Videtur enim et providentiae divinae et utilitati Ecclesiae potius congruere, quod in decursu saeculorum S. Doctores varias rationes et modos loquendi excogitaverint, praecipue in arduis fidei mysteriis, ut infinitum atque ineffabile divinae veritatis pelagus humanis mentibus humano modo explicarent et ostenderent. Nec haec pluralitas sententiarum vel verborum, dum restringitur inter certos limites, officit fini revelationis divinae, immo etiam mysterium revelatum reddere potest hominibus suavius et credibilius.

Ad rem P. Matthias Hauzeur, de quo supra c. I. § 7. commemoravimus, egregie explanat (Collationes, tom. II. libr. III. col. 255), quomodo in una fide, quae intellectum omnium captivat in obsequium Christi, pluralitas rationum et modorum loquendi sine detrimento finis a Deo revelante intenti stare possit: « tum quia singuli, inquit, conferunt aliquid ad modum perfectiorem; tum quia non omnes homines idem eodem modo capiunt, sed ut differunt vultu, sic et saepe animi captu et affectu; hinc varii modi explicandi idem mysterium sunt accomodati ad captum plurium; tum quia singuli doctores collineant ad eandem veritatem per suum radium lucis naturalis vel alicuius illuminationis specialis, ergo non tam contradicunt sibi invicem, quam negant sibi videri... Ut enim singuli habent suam quandam sphaeram visus vel auditus, secundum quam de obiectis valde distantibus varie iudicant, sic et singuli habent quandam sphaeram intellectualem, communem quidem circa evidentia, sed velut radiis differentem circa obscura ».

Hinc iam sequitur, non esse sapientis, aliorum catholicorum doctorum praecedentium sententias vel rationes tanquam falsas contentiose impugnare atque suas proprias vel novas commendare tanquam solummodo veras, sed praestare, si fieri potest, omnes a catholicis doctoribus non omnino erronee positas sententias potius ad quandam concordiam inter se et ad eandem ineffabilem veritatem reducere, quam veritatem catholicam in infinitum varie opinando rescindere. Hoc praeclaris verbis idem auctor (tom. I. in append. col. 27) sic commendat: « *Cum nec Deus, nec ulla eius veritas sua unitate ac simplicitate sit causa vel occasio ullius dissensionis, sed pacis (I. Cor. 14, 33.), singulique doctores catholici quasi ex circumferentia veritatis sub distinctis et propriis radiis rectis ad eius centrum studiose collineent; non sunt contentiosis interpretationibus et opinionibus ab invicem alienandi, sed potius inter se et eidem veritati intentae saltem inadaequate conciliandi, ut ex Rom. 12, 3-6: unusquisque in suo sensu abundet, i. e. non sola intentione studiosa, sed etiam inadaequata participatione eiusdem veritatis* ».

Denique coacti sumus, ut maxima ex parte reformaremus illa summaria, quae sub nomine *conclusionis* et in Vaticana editione et in nostra ante responsionem ad quaestionem posita sunt. Haec ex editione Romana an. 1569 in Vaticanam transierunt. Sed plerumque doctrinam Doctoris Seraphici ista antiqua summaria minus iuste exprimere nobis visa sunt.

CAP. III.

De nostra editione librorum Sententiarum Petri Lombardi.

Vix inceptis nostris in edendo hoc Commentario laboribus, manifeste apparuit, libros Sententiarum, saltem in editione Vaticana, pluribus vitiis laborare tum quoad textum, tum quoad errores in citandis locis, ex quibus totum fere suum librum Petrus Lombardus contexit. Licet novam editionem criticam Petri Lombardi publicare non spectet ad programma a nobis publicatum, tamen P. Fidelis, dum adhuc esset in vivis, aliquid etiam pro castigandis his quatuor libris faciendum esse censuit propter intimum nexum, qui est inter libros Sententiarum et eorum Commentarium. S. Bonav. enim magnam partem earum auctoritatum, quibus utitur, sumsit ex Magistro, et praesertim in dubiis circa litteram semper ad eundem recurrit. — Ad huius consilii exsecutionem accedentes, mox invenimus, laborem hunc esse et longiorem et difficiliorem, quam cogitavimus.

Primo quidem improbus labor requirebatur, ut tot Patrum sententiae, quibus refertum est istud opus, in suis veris locis invenirentur et cum originali conferrentur. — Deinde curandum erat, ut plurima, quae auctor excerpsit ab aliis, discernerentur ab iis paucis, quae ex proprio ingenio scripsit. Familiare est enim Magistro, verba, quae aliunde accepit, tum undequaque excerpere, ita ut interdum unius eiusdemque propositionis verba contexerit ex plurium capitulorum suorum auctorum propositionibus, tum haec in usum suum mutare, eadem per varios casus inflectendo, transponendo, aliaque omittendo vel etiam interpolando. Huius rei exempla nonnulla iam in ipso Prologo Magistri lectoribus exhibuimus, ut ipsis constaret, tum quantum laboris consumendum esset in separandis per signa typographica ad hoc usitata istis testimoniis a reliquo textu Magistri, tum quod impossibile esset, ut differentia, quae intercedit inter locos a Magistro prolatos et originale, unde sumti sunt, a nobis in notis semper exhibeatur. Siquidem tam multa ex illis fontibus ad calcem producenda essent, ut ea sua mole bis vel etiam ter Magistri opus excederent.

Ut textum Magistri castigaremus adhibiti sunt quinque codd. manuscripti ex bibliotheca Nationali Florentiae, quorum infra indicem dabimus, et insuper novem editiones. Horum accurata cum editione Vaticana collatione instituta, sobrie textum corre-

ximus a plurimis mendis, quorum nonnulla satis gravia sunt. Cum autem propter paucitatem codicum, quos consuluimus, labor iste noster non sit omni ex parte completus, ordinarie nihil mutavimus in textu sola auctoritate istorum codicum, nisi eorum lectio saltem una alterave editione sive Magistri, sive illius auctoris, ex quo ipse ea verba sumsit, comprobata esse videbatur. Unde aliquas lectiones variantes, licet nobis probabiliores viderentur, ad calcem reiecimus. Notavimus autem ibi omnes variantes lectiones, quae alicuius momenti sunt, multis aliis inutilibus omissis, praesertim fere innumerabilibus iis verborum transpositionibus, quae quoad sensum vel stilum fere indifferentes videbantur. Elegimus tamen ex iis et in textu exhibuimus quae nobis magis probabantur, quamvis de istis rebus minutis saepe nullam in notis nostris mentionem fecerimus, sicut iam supra quoad textum S. Bonaventurae observavimus. Collegimus et notavimus in notis plures variantes etiam eo fine, ut si quis forte novis studiis aliam et omnino perfectam editionem Petri Lombardi editurus sit, lectionibus variantibus nostrorum codicum uti possit. Opinamur tamen, textum a nobis exhibitum satis esse correctum.

Auctoritate nostrorum codicum et illarum antiquarum editionum, quae opus Lombardi exhibent separatim, nullo adiecto commentario, quales sunt quae a nobis numeris 1, 2, 7, 9 distinguuntur, restituimus titulos singulorum capitum post Prologum positos et ab aliis editionibus ibi omissos, cum a Magistro ibi positi sint, ut in fine Prologi ipse testatur. Hos titulos etiam aliae editiones in ipso opere suis locis inseruerunt; sed valde mutatos et permixtos cum plurimis aliis rubricis, quae iam sua forma manifestant, eas non a Magistro esse factas. Nam passim de Magistro ut de tertia persona loquuntur (v. g. *ad idem redit*). Istae rubricae marginales manifeste additae sunt pro usu scholarum, et videntur in margine appositae esse sive ab innumerabilibus commentatoribus et interpretibus huius libri, sive ab alumnis scholarum, sive ab ipsis rubricistis. Paulatim cum genuinis capitulorum titulis permixtae sunt. Germani autem tituli non possunt esse alii, quam qui ab ipso Magistro in principio sui operis exhibentur. Quis enim dubitare poterit, quin Magister titulorum elenchum scripserit et Prologo subiunxerit eo fine, ut proprio loco tituli singulis capitulis in eadem forma proponerentur? Genuinos igitur hos titulos, post Prologum a codicibus et antiquis editionibus exhibitos, suo loco inserendos et ab aliis rubricistarum plurimis adiunctis penitus separandos esse, nobiscum censuit P. Fidelis, qui etiam, ut hos titulos securius suae sincerae formae restitueret, alios quindecim codices praeter istos quinque Florentinos in hac parte conferri voluit, et iuxta hos codices ipsum textum in capitula distribuit. Verum est, capitula a S. Bonaventura citata, interdum aliam distributionem textus supponere. Hoc autem nihil aliud probat, nisi quod circa medium saeculum XIII. ista rubricarum mutatio et additio iam inceperat. Videtur etiam, quod codex, quo S. Doctor utebatur, aliquas habuerit lectiones diversas ab iis, quas exhibuerunt nostri codices et editiones meliores. Nam verba Magistri, ab ipso in divisione textus et in dubiis laudata, saepius in particulis minoribus et in positione verborum aliquatenus a nostra editione discrepant. Quae differentia non penitus ex erratis involuntariis, in transcriptione facile occurrentibus, explicanda esse videtur. Cum autem nec Magistri textum iuxta lectionem *unius* codicis Bonaventuriani mutare, nec multos codices Commentarii propter lectionem textus Magistri prudenter liceat respuere, consulto utrumque dedimus iuxta codices sibi proprios.

Rubricas praestantiores, posteriore tempore additas et in editionibus aliis impressas, nos ad marginem posuimus, et quidem plerumque brevius contractas; nonnullas inutiles omisimus. — Mirum est, Magistrum nihil in suo Prologo dicere de illa distributione textus in *distinctiones,* quae in codicibus nostris et omnibus editis invenitur, licet cum aliqua differentia, ut in notis nostris monuimus. Videtur autem nobis probabilius, hanc divisionem in *distinctiones*, quae omni carent titulo, esse posterioris originis et ad usum scholae factam. Item distributio illa in *duas partes*, quae in nonnullis distinctionibus invenitur, non Magistrum habet auctorem, sed commentatorem.

Pro conclusione adiungimus tres tabulas, quae sequuntur.

INDEX AUCTORUM ET LIBRORUM

QUOS SANCTUS BONAVENTURA CITAT IN QUATUOR LIBRIS SUI COMMENTARII.

Scriptus est hic index secundum textum, qui est in editione Vaticana, non consultis codicibus, qui tamen interdum in citando auctore vel libro differunt. Si igitur aliquis defectus in hoc indice inveniatur, eum in notis corrigemus, atque in fine editionis ea opera adiiciemus, quae citantur in aliis Seraphici Doctoris libris, non vero in Commentario. Simul etiam editiones, quibus usi sumus, in hoc indice nominavimus.

1. *Alanus de Insulis.* Liber eius de Regulis fidei sine nomine auctoris saepe citatur a S. Bonav. Opera omnia habentur in Patrologia Latina edita a I. P. Migne, tom. 210. Hac editione usi sumus.

2. *B. Alcuinus, Flaccus Albinus.* Opera omnia apud eundem Migne, Patrol. Latina, tom. 100. 101.

3. *Alexander I., Papa.* Epistolae, Decreta, Privilegia, Diplomata etc. tam huius quam aliorum Summorum Pontificum, quorum nomina infra recurrunt, a S. Bonav. plerumque ex iure canonico, praesertim ex Decreto Gratiani, accepta esse videntur. Plurima horum inveniuntur etiam in amplissima Conciliorum collectione Ioannis Dominici Mansi, Episcopi Lucensis, ed. Florentiae et Venetiis 1757, 31 tom. in fol.

4. *Alexander III., Papa.*

5. *Alexander de Hales.* Summa theologica. De editionibus huius Summae cfr. supra Prolegom. c. I. § 3. Usi sumus edd. Coloniensi 1622, et Veneta 1576. Cum editiones praecedentes, sicut et codices, in partibus II. III. IV. alios numeros quaestionum habeant, horum differentiam subiungimus, conferendo nostras editiones cum editione Lugdunensi 1516, quae convenit cum Norimbergensi Antonii Koberger 1482.

In II. parte ed. Colon. habet 171 quaestiones, ed. Lugdun. 189. — Q. 72. (72. 73. 74. 75.); q. 87. (90. 91. 92.); q. 91. (96-97.); q. 94-96. (101-107.); q. 100. (111-116.); q. 143. (159-160.); q. 158. (175-176.).

In III. parte ed. Colon. habet 69 quaestiones, ed. Lugdun. 82. — Q. 15. 16. (15.); q. 18. (17-18.); q. 55. (55-59.); q. 59. (63-67.); q. 61. (69-71.).

In IV. parte ed. Colon. habet 35 quaestiones, ed. Lugdun. 114. — Q. 2. (2-5.); q. 8. (11-23.); q. 9. (24-28.); q. 10. (29-42.); q. 11. (43-53.); q. 21. (80-81.); q. 24. (84-86.); q. 26. (88-96.); q. 28. (97-104.); q. 33. (109-112.).

6. *Algazel, philosophus Arabus.* Logica et philosophia Algazelis Arabis, Venetiis 1506.

7. *S. Ambrosius, Episcopus Mediolanensis.* Opera omnia. Utimur ed. Veneta an. 1748, tom. 4 in fol.

8. *Anacletus Papa.*

9. *S. Anselmus, Episcopus Cantuariensis.* Opera omnia. Venetiis 1744, tom. 2 in fol.

10. *Apparatus.*

11. *Apuleius, L. Medaurensis philosophus.* Opera edidit Henricus de sancto Urso, Vicentiae an. 1488, tom. 1 in fol.

12. *Aristotelis Stagirita.* — Variis editionibus usi sumus ad inveniendum et seligendum eum textum, qui cum citatione verborum Aristotelis, a S. Bonaventura facta, magis concordat. Quoad *Logicam* satis conveniebat versio Boethii (ed. Migne, tom. 64., cum qua respectu divisionis capitulorum concordat ed. Veneta 1584); quoad *Physicam* vero, *Metaphys. libros de General. et corruptione, de Caelo et mundo, de Anima, Meteororum* utimur Veneta 1489 (impensa Bernardini de Tridino), in qua duas versiones continentur, scil. graeco-latina et arabico-latina (quam saepe S. Bonaventura adhibuit), una cum commentario *Averrois.* Quoad *Ethicam* consuluimus versionem antiquam in operibus S. Thomae (editio Petri Fiaccadori, Parmae 1867). In casibus alicuius momenti semper editiones nominavimus, quas secuti sumus. Quod pertinet ad citationem capitulorum, sequimur edit. Venetam 1584 supra nominatam; insuper semper allegavimus edit. Parisiis 1878 factam ab Ambrosio Firmin-Didot, eiusque citationem invenies in parenthesi positam [1].

13. *S. Athanasius, Episcopus Alexandrinus.* Opera omnia apud Migne, Patrol. Graeca [2], tom. 25-28.

14. *S. Augustinus, Episcopus Hipponensis.* Inter plurimas editiones operum huius sancti Doctoris praecipue utimur Veneta an. 1729, tom. 14 in fol. S. Augustino falso attribuuntur a Seraphico etiam libri de Spiritu et anima (de quo tamen dubitat, cfr. Prolegom. c. I. § 5.), de Fide ad Petrum, qui est Fulgentii Ruspensis, et nonnulla alia.

15. *Averroës* (Ibn Rodsch), celeberrimus inter philosophos Arabos. Praeter editionem Venetam Bernardini de Tridino 1489 consuluimus et ed. Venetam an. 1560.

16. *Avicenna* (Ibn Sina), *item Arabs.* Adhibuimus ed., Venetiis 1489 (pag. 408, n. 4. per errorem dicitur *sine anno).*

17. *S. Basilius, Episcopus Caesareae Cappadociae.* Opera omnia, Venetiis 1750, tom. 3 in fol.

18. *Ven. Beda.* Apud Migne, Patrol. Latina, tom. 90-95.

---

1 Pro inveniendis locis spectantibus ad philosophiam non raro nobis utilis fuit liber: *Auctoritates* Aristotelis, omnium recte philosophantium facile principis, insuper et Platonis, Boethii, Senecae etc. impressae (Coloniae) per Henricum Quentel 1500. Continentur in hoc libro propositiones ex praedictis auctoribus collectae et persaepe quaedam adiuncta, quae ut consectaria respiciunt illas propositiones et in scholis tanquam dicta istorum auctorum habebantur. Cfr. v. g. in nostra edit. pag. 101, n. 5.

2 Intellige: Graeca cum versione Latina.

19. *S. Benedictus, Patriarcha Monachorum occidentalium.* Regula et opuscula, Patrol. Latina, tom. 66.

20. *S. Bernardus, Abbas Claraevallis.* Opera omnia, Venetiis 1765, tom. 6 (voll. 3).

21. *Boethius, Manlius Severinus.* Opera omnia, Migne, Patrol. Latina, tom. 63. 64.

22. *Caelestinus, Papa.*

23. *Callistus, Papa.*

24. *Canones sacri.* Vide infra sub n. 53.

25. *Cassianus.* Opera, Patrol. Latina, tom. 49. 50.

26. *Cassiodorus, Magnus Aurelius.* Patrol. Latina, tom. 69. 70.

27. *De causis,* liber a S. Bonav. adhuc Aristoteli adscriptus, qui tamen continet tantum excerpta, a quodam incognito philosopho Arabo facta ex libro Neoplatonici philosophi Procli στοιχείωσις θεολογική, qui continet elementa metaphysicae. Istum libellum Gerhardus a Cremona († 1187) in Latinum convertit sub titulo *de Expositione bonitatis purae.* Cfr. de his librum doctissimum Dr. Otto Bardenhewer: Die pseudo-aristotelische Schrift Ueber das reine Gute. (Liber de causis). Freiburg, Herder 1882.

28. *Cicero, Marcus Tullius.* Opera omnia, Augustae Taurinorum 1824, tom. 16 in 8.

29. *S. Clemens I., Papa.*

30. *Concilium Caesariense.* Conciliorum collectionem iam supra n. 3 nominavimus.

31. *Concilium Carthaginense.*

32. *Concilium Chalcedonense.*

33. *Concilium Campendiense.*

34. *Concilium Eliberitanum.*

35. *Concilium Laodicense.*

36. *Concilium Lateranense.*

37. *Concilium Nicaenum.*

38. *Concilium Rhemense.*

39. *Concilium Toletanum.*

40. *S. Cyprianus, Episcopus Carthaginensis,* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 3. 4.

41. *Didymus, Alexandrinus* (Caecus). Patrol. Graeca, tom. 39.

42. *Dionysius, sub titulo Areopagita.* Usi sumus edit. Venet. 1756, tom. 2 in fol., interprete Balthasare Corderio S. I.; aliquando vero translatione Ioannis Scoti Erigenae, apud Migne, Patrol. Latina, tom. 122.

43. *Evaristus, Papa.*

44. *Euclides Megarensis.* Opera, impressa Venetiis 1509.

45. *S. Eusebius, Episcopus Vercellensis.* Opera, Patrol. Latina, tom. 12.

46. *S. Fabianus, Papa.*

47. *S. Franciscus Assisiensis.* Regula et opuscula, Parisiis 1641, tom. 1 in fol.

48. *S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 65. Eius librum de Fide ad Petrum S. Bonav. attribuit S. Augustino.

49. *Gelasius, Papa.*

50. *Gennadius Massiliensis.* Opera, Patrol. Latina, tom. 58. Opus eius de Ecclesiasticis Dogmatibus in Commentario a S. Bonav. Augustino attribuitur, sed in Apologia Pauperum recte Gennadio (cf. supra Prolegom. c. I. § 5.).

51. *Gilbertus Porretanus.* Commentaria edidit in aliquos libros Boethii. Ipsi tribuitur etiam liber *Sex principiorum,* inter opera Aristotelis editus. Opera omnia apud Migne, Patrol. Latina, tom. 188.

52. *Glossa* ad S. Scripturam, tum *ordinaria* Walafridi Strabi, tum *interlinearis* Anselmi Laudunensis. Utraque invenitur in Commentario Nicolai de Lyra Ordinis Minorum, cuius editione impressa Venetiis 1588, tom. 6 in fol., usi sumus.

53. *Gratianus.* Decretum seu Concordia discordantium canonum. Ex plurimis edd. nominamus Romanam an. 1582, tom. 2 in fol. et Parisiensem, Patrol. Latina, tom. 187, quibus utimur.

54. *S. Gregorius I., Papa.* Opera omnia, Venetiis 1744, tom. 4 in fol.

55. *S. Gregorius VII., Papa.*

56. *S. Gregorius, Episcopus Nazianzenus.* Opera omnia, Venetiis 1753, tom. 2 in fol.

57. *Gulielmus Antissiodarensis,* (rectius Autissiodorensis). Summa theologica.

58. *Gulielmus, Episcopus Parisiensis.* Opera, Venetiis 1591, tom. 1 in fol.

59. *Hayma.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 116-17-18.

60. *Hesychius, presbyter Hierosolymitanus.* Migne, Patrol. Graeca, tom. 93.

61. *Hermas.* Patrol. Graeca, tom. 2.

62. *S. Hieronymus.* Opera omnia, Veronae 1734, tom. 11 in fol.

63. *S. Hilarius, Episcopus Pictaviensis.* Opera omnia, Venetiis 1750, tom. 2 in fol.

64. *Horatius Flaccus.* Carmina, Augustae Taurinorum, 1830, tom. 2 in 8.

65. *Hugo de S. Victore.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 175-177.

66. *Hugutio* vel *Huguitio,* Vercellensis, edidit Glossas in decretum Gratiani; allegantur in edit. Romana indicata sub n. 53.

67. *S. Innocentius I., Papa.*

68. *Innocentius III., Papa.* Patrol. Latina, tom. 214-217.

69. *Ioachim Abbas.* Hunc S. Bonaventura I. Sent. d. 5. dub. 4. memorat, sed confutando.

70. *S. Ioannes Chrysostomus, Episcopus Constantinopolitanus.* Opera omnia, Venetiis 1734, tom. 13 in fol.

71. *S. Ioannes Damascenus.* Opera omnia, Patrol. Graeca, tom. 94. 95. 96.

72. *Iosephus.* De Bello Iudaico, Venetiis anno 1487, tom. 1 in fol.

73. *Isaac Beimiram.* Liber Definitionum, de Diaetis.

74. *Isaac, Abbas Stellensis.* Opera, Patrol. Latina, tom. 194.

75. *S. Isidorus, Episcopus Hispalensis.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 82. 83, 84.

76. *Isidorus Mercator.* Collectio decretalium, Patrol. Latina, tom. 130.

77. *Iulius, Papa.*

78. *Iulius Caesar.* Commentarii de Bello Gallico et civili, Patavii 1746, tom. 1.

79. *Legendae Sanctorum;* in specie S. Bonav. mentionem facit Legendae S. Genovefae (Acta Sanctorum, sub die 3 Ianuarii), S. Laurentii (Ibid. 10 Augusti), et S. Martini et Nicolai.

80. *S. Leo I., Papa.* Opera omnia, Lugduni 1700, tom. 2 in fol.

81. *Liber Institutionum.* Utrum sit Lactantii Firminiani (Divinarum institutionum libri VII.), in medio relinquimus.

82. *Macrobius.* Opera, Lugduni 1550, tom. 1 in 4°.

83. *S. Maximus, Episcopus Taurinensis.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 57.

84. *S. Melchiades, Papa.*

85. *Mercurius Trismegistus.* De Potestate et sapientia Dei, Venetiis 1491, tom. 1 in 4⁰. Dialogi, quorum titulus *Asclepias,* requiruntur supra n. 11. inter opera Apuleii.

86. *Nicolaus I., Papa.*

87. *Odo,* Cancellarius Parisiensis, quem Bonav. (II. Sent. d. 24. in fine) laudat, dum sub ipso aliqui errores a Gulielmo, Parisiensi Episcopo, anno 1240 reprobati sunt, quod decretum videri potest in pluribus editionibus Magistri Sententiarum, ut in Veneta anni 1489, Basileensi 1513 et alibi.

88. *Origenes.* Opera omnia, Patrol. Graeca, tom. 11-17.

89. *Ovidius.* Opera omnia, Augustae Taurinorum 1822, tom. 8 in 8⁰.

90. *Pelagius, Papa.*

91. *Petrus Comestor.* Citatur sub nomine *Magister in historia.* Historia scholastica, Patrol. Latina, tom. 198.

92. *S. Petrus Chrysologus, Episcopus Ravennatis.* Opera omnia, Venetiis 1742, tom. 1 in fol.

93. *Petrus Pictaviensis.* Libri V Sententiarum, Patrol. Latina, tom. 211.

94. *Petrus Lombardus, Magister Sententiarum.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 191. 192.

95. *Petrus Praepositivus.* Videtur adhuc esse ineditus.

96. *Philippus,* Cancellarius Parisiensis.

97. *Pius I., Papa.*

98. *Plato.* Opera, ed. H. Stephani 1578, tom. 3 in fol.

99. *Porphyrius.* Isagogae et commentaria quaedam in Aristotelem.

100. *Priscianus Caesariensis, Grammaticus.* Opera, cura Aug. Krehl, Lipsiae 1819, tom. 2 in 8⁰. Haec ed. continet 18 libros Prisciani; aliae edd. antiquae dividunt haec opera in duas partes, quarum prima continet libros 16 de octo partibus orationis, secunda libros 2 de constructione.

101. *S. Prosper, Aquitanus.* Opera, Venetiis 1744, tom. 2 in fol.

102. *Prudentius.* Opuscula varia, Patrol. Latina, tom. 115.

103. *Ptolemaeus Alexandrinus.* Geographia, Venetiis 1562, tom. 1 in 4⁰.

104. *Rabanus Maurus.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 107-112.

105. *S. Remigius, Episcopus Antissiodorensis.* Patrol. Latina, tom. 131.

106. *Richardus a S. Victore.* Patrol. Latina, tom. 196.

107. *Sallustius, C. Crispus.* Opera omnia, Augustae Taurinorum 1827, tom. 1 in 8⁰.

108. *Seneca, Lucius Annaeus.* Opera omnia, Augustae Taurinorum 1828, tom. 5 in 8⁰.

109. *Simon Tornacensis.* Fuit magister in Universitate Parisiensi circa an. 1216. Summa eiusdem theologica videtur adhuc esse inedita.

110. *Sotherus* (Sother), *Papa.*

111. *Strabo.* Rerum geographicarum libri XVII, Lutetiae Parisiorum 1620, tom. 1 in fol. Idem de Motu orbis, Venetiis 1510, tom. 1 in fol.

112. *Strabus Walafridus.* Vid. supra n. 52.

113. *Symbola* Apostolorum, Nicaenum et Athanasian.

114. *Theodorus, Papa.*

115. *Urbanus, Papa.*

116. *Victor, Papa.*

117. *Victorinus Afer.* Opera, Patrol. Latina, tom. 8.

118. *Zacharias, Papa.*

Huic elencho addimus editiones auctorum, quibus in notis et Scholiis saepe usi sumus, nempe B. Alberti M. in libros Sententiarum, ed. Basileae 1506; Summa, ibid. 1507. — S. Thomae Opera omnia, Parmae, Fiaccadori. — Scoti Opera omnia, Lugduni 1639. — Richardi a Mediavilla Comment. in Sententias, Venetiis 1509. — Ægidii Romani Comment. in Sententias, Venetiis 1521. — Gabrielis Biel Comment. in Sententias, Tubingen 1501. — Petri Hispani *Summulae* sive Isagogae in Aristotelicos dialecticae libros, Basileae per Michaelem Furter 1511; *Parva Logicalia* (tract. Syncategorematum), Venetiis 1572.

Praenotanda ad tabulam sequentem.

In sequenti tabula codices a nobis collati sub uno conspectu iuxta ordinem alphabeticum *signorum* ponuntur. Pauci illi codices, qui tantum in nonnullis difficilioribus locis a nobis consulti sunt, distinguuntur signo *. Ne enumerando semper singulos codices, serie codicum nimis longa lectorem taedio afficeremus, verbis generalibus saepe numerum eorum significavimus hoc modo. Ponendo verba *antiqui codd.* (antiquiores) notamus omnes vel fere omnes codices a nobis collatos, excepto codice cc. — *Fere omnes* a nobis saepe adhibetur, quamquam coniectamus, *omnes* convenire. Si enim paucissimi tantum nostrorum codicum pro aliqua lectione desunt, praesumendum potius est, hoc silentium debere explicari ex quadam involuntaria omissione conferentis, non ex differente lectione codicis. Quam facile istae omissiones in rebus parvis etiam diligenter codices conferentibus accidant, noverunt omnes huius rei periti. — Sub vocabulo *plurimi* intelliguntur saltem 20 codices, ex omni familia et natione notati. — *Multi* intelligantur 15 et amplius. — *Plures* (plerique) sunt saltem 8. — Quando numerus eorundem est minor quam 8, adhibemus terminum *nonnulli* et denique *pauci.* Vix opus est dicere, nos sub termino generali *codices* non intelligere nisi eos, qui a nobis cum editione Vaticana sunt collati.

Praeterea haec notamus. 1. Citando distinctiones ex ipso libro Petri Lombardi utimur numeris *Romanis;* citando vero Commentarios S. Bonaventurae vel aliorum, numeris *Arabicis.* Quando, citando Commentarium S. Bonav., in aliqua distinctione omittimus *articulum*, signum est in ista distinctione esse unicum tantum articulum. 2. Brevitatis gratia in Scholiis notisque usi sumus verbo *hic* (hic), ut significemus, istum locum esse in Commentario ad libros Sententiarum et quidem in *eodem libro* et in *eadem distinctione*, de qua agitur. 3. Locos ex aliis libris S. Bonaventurae afferentes, facere non potuimus, quin textu uteremur editionum et quidem Vaticanae, in quo tantum interdum aliqua errata correximus.

TABULA

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM

I. LIBRI COMMENTARIORUM [1].

A . . Cod. Assisiensis 42. (1.).
B . . . » Vaticanus 907. (31.).
C . . . » Parisiensis I. Nation. 17480. (25.).
D . . . » Vaticanus 908. (32.).
E . . . » Romanus Chisian. B. VIII. 128. (33.).
F . . . » Florentinus I. C. VI. Nation. 209. (6.).
G . . . » Florentinus II. Nation. D. V. 206. (7.).
H . . . » Florentinus III. Nation. D. V. 207. (8.).
I . . . » Florentinus IV. Nation. I. VII. 7. 45. (9.).
K . . . » Florentinus V. Laurent. plut. dext. XXV. 2. (11.).
L . . . » Oxoniensis I. Colleg. Lincoln. 25. (22.).
M . . . » Cassiniensis 398.00 (18.).
N . . . » Neapolitanus Nation. VII. D. 28. (20.).
O . . . » Oxoniensis II. Colleg. Balliol. 133. (21.).
P . . . » Patavinus I. Convent. S. Ant. 120. (27.).
Q . . . » Patavinus II. Convent. S. Ant. 125. (28.).
R . . . » Parisiensis II. Nation. 3085. (23.).
S . . . » Parisiensis III. Nation. 15821. (24.).
T . . . » Tudertinus 39. (34.).
U . . . » Parisiensis IV. Sorb. Th. II. 48. (26.).
V . . . » Mediolanensis Ambros. I. 95. infer. (14.).
W. . . » Monacensis I. Reg. C. L. M. 14086. (16.).
X . . . » Monacensis II. Reg. C. L. M. 18344. (17.).
Y . . . » Bambergensis Civit. B. III. 42. (2.).
Z . . . » Lipsiensis Univers. 491. (13.).
aa . . . » Cracoviensis I. Univers. 1246. DD. XIV. (4.).
bb. . . » Cracoviensis II. Univers. 1252. A. A. XI. 16. (5.).
cc . . . » In Collegio S. Bonavent. (35.).
dd. . . » Monacensis III. Reg. C. L. M. 8079. (15.).
ee . . . » Florentinus VI. Laurent. [2] LXX. Fes. (12.).
ff . . . » Florentinus VII. Nation. C. VI. 208. (10.).
gg. . . » Patavinus III. * Conv. S. Ant. 123. (29.).
hh. . . » Patavinus IV. * Conv. S. Ant. 124. (30.).
ii . . . » Mutinensis * Atestin. 974. VII. I. 14. (19.).
kk. . . » Bononiensis * Colleg. Hisp. 35. (3.).

EDITIONES.

1. Brixiae 1490.
2. Norimbergae 1492.
3. Venetiis I. 1562.
4. Venetiis II. 1673.
5. Venetiis III. 1580.
6. Lugduni 1570.

---

[1] Numeri intra parenthesim positi indicant locum in Prolegom. c. II. § 1. (pag. LXXVI seqq.), ubi hi codices describuntur.

[2] Hic codex in primis distinctionibus per errorem cum cod. ff confusus est, quod lector faveat corrigere p. 2, nota 1. et 7; pag. 3, nota 2, ponendo ff pro ee. Pag. 40, nota 3. convenit cum cod. A. Pag. 2, nota 19. circa medium, pag. 67, nota 8. et pag. 139, nota 10. cod. ee omitti debet, sicut etiam cod. ff pag. 4, nota 1. in fine.

TABULA

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM LIBRI SENTENTIARUM PETRI LOMBARDI.

CODICES SUNT FLORENTINI (Nation.).

A. . . Cod. VI. 27. S. Marci.
B. . . . » VI. 28. S. Marci.
C. . . . » VI. 32. S. Marci.
D. . . . » 2599. B. 1. olim Abbatiae Florentinae.
E. . . . » 2559. A. 4. olim Abbatiae Florentinae [1].

EDITIONES LIBRI SENTENTIARUM A NOBIS CONSULTAE.

1. Edit. Veneta an. 1481.
2. Edit. Nuremberg. (Koberger cum Comment. S. Bonaventurae) 1499.
3. Edit. Veneta 1509. (cum Comment. Richardi).
4. Edit. Lugdunens. 1540.
5. Edit. Coloniens. 1535. (cum Comment. Dionysii Carth.).
6. Edit. Lugdunens. 1639. (cum Comment. Scoti).
7. Edit. Veneta 1489.
8. Edit. Parisiens. 1659. (cum Comment. D. Thomae).
9. Edit. Basileens. 1513.

Pro edendis capitulis post Prologum Magistri positis usi sumus his codicibus.
Ex biblioth. Laurentiana Florentiae:

F — plut. 21.	. cod. 24.		L — plut. 30.	dext.	cod. 1.	S. Crucis.
G — » 21.	. » 26.		M — » 25.	»	» 1.	S. Crucis.
H — » 21.	. » 27.		N — » 31.	»	» 1.	S. Crucis.
I — plut. 28. dext.	» 2.		O — Gaddian.	. .	» 59.	
K — » 24. dext.	» 1. S. Crucis.					

Ex biblioth. Patavina Conv. S. Antonii:

P . . .	N. VIII.	cod.	151.	S . . .	N. VIII.	cod.	149.
Q . . .	» »	»	136.	T . . .	» »	»	150.
R . . .	» »	»	139.				

---

[1] Hi codices sunt saeculi XIII. ante medium, excepto Cod. E, qui est saec. XV, et licet sit splendidissime scriptus pro usu criticae minoris est pretii quam alii quatuor, inter quos praeponendus est cod. D.

PROŒMIUM
SANCTI BONAVENTURÆ
IN LIBRUM PRIMUM SENTENTIARUM.

Profunda fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem.

IOB, XXVIII, 11.

Verbum istud, quod[1] sumtum est ex Iob vigesimo octavo, diligentius consideratum nobis aperuit viam ad praecognoscendum quadruplex genus causae in libro Sententiarum, scilicet *materialis, formalis, efficientis* et *finalis.* Causa namque materialis innuitur in nomine *fluviorum,* causa formalis in perscrutatione *profundorum*, causa finalis in revelatione *absconditorum,* causa vero efficiens intelligitur in supposito duorum verborum, scilicet *scrutatus est* et *produxit in lucem.*

Causa materialis 4 librorum significatur fluviis.

Innuitur[2] causa *materialis* nomine *fluviorum* pluraliter, non singulariter, ut non solum tangatur libri totius materia vel subiectum in generali, sed etiam particularium librorum in speciali. Propter quod notandum, quod iuxta *quadruplicem* proprietatem fluvii materialis quadruplex est fluvius spiritualis, de quo secundum quadruplicem differentiam sunt quatuor libri Sententiarum. Considero[3] namque fluvium materialem quoad durationem, et invenio *perennitatem.* Nam sicut dicit Isidorus[4]: «Fluvius est perennis fluxus». Considero quantum ad extensionem, et invenio *spatiositatem.* In hoc enim distinguitur fluvius a rivulo. Considero quantum ad motum, et invenio *circulationem.* Sicut enim dicitur Ecclesiastis primo[5]: *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur* etc. Considero[6] effectum, et invenio *emundationem.* Nam fluvius propter aquarum abundantiam mundat terras, per quas currit, ita quod non inquinatur[7]. Et quoniam omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt[8], ex hac quadruplici conditione sumta metaphora, quadruplex in spiritualibus fluvius invenitur, sicut colligere possumus ex Scripturis.

Quadruplex proprietas fluvii materialis et spiritualis.

Perennitas significat personarum divinarum emanationem.

Primo, propter *perennitatem* dicitur fluvius personarum emanatio, quoniam illa emanatio sola est sine principio, sine fine[9]. De hoc fluvio Daniel septimo[10]: *Antiquus dierum sedit, et fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius.* Antiquus iste dierum est Pater aeternus, cuius antiquitas est aeternitas. Iste antiquus *sedit,* quia non solum in eo est aeternitas, sed etiam immutabilitas[11]. *A facie illius antiqui egrediebatur fluvius igneus rapidusque,* id est, de sublimitate divinitatis eius procedebat plenitudo *amoris* et plenitudo *virtutis:* plenitudo *virtutis* in Filio[12], ideo fluvius erat rapidus; plenitudo *amoris* in Spiritu sancto, et ideo fluvius erat igneus.

---

[1] Auctoritate mss. et ed. 1 in hac propositione substituimus constructionem relativam, addendo *quod* et *est*, pro simpliciori participiali, quam habet Vat. Mox ponendo *aperuit* loco *aperit* sequimur praestantiores ex nostris codd. A B C E G K O R S T W X Y ff aliosque, quos specialiter consuluimus.

[2] Vat., refragantibus mss. et ed. 1, addit hic particulam *enim;* cod. Y adiicit *autem;* praeferimus tamen lectionem aliorum codd. et ed. 1, qui quamlibet particulam omittunt.

[3] Plures codd. ut A G I O T V W Y aa bb *Considerando*, qui et deinde propter mutatam constructionem post *durationem* omittunt *et.* Idem recurrit in tribus subinde sequentibus propositionibus. Lectio haec, utpote in se elegantior, non displiceret, si sufficienti numero codd. fulciretur, et si praedicti codd. sibi constarent; at in ultima propositione paucissimi codd. pro hac lectione reperiuntur.

[4] Libr. XIII. Etymolog. sive Originum, c. 21: Fluvius est perennis aquarum decursus, a fluendo perpetim dictus.

[5] Vers. 7. — Vat. contra mss. et edd. 1, 2, 3, 6 modo activo *dicit Ecclesiastes.*

[6] Codd. F M X sibi constantes addunt *quantum ad.*

[7] Vat. *inquinantur*, sed falso, uti ex applicatione inferius facta colligitur, et repugnantibus mss. ac ed. 1.

[8] Haec propositio ex VI. Topic. Aristotelis c. 2. sumta iisdem verbis exhibetur in ed. operum Aristotelis impressa Venetiis per Gregorium de Gregoriis expensis Benedicti Fontanae, 1496, et in ed. Parisiensi ab Ambrosio Firmin-Didot, 1878; in aliis vero edd. habetur ita: Omnes enim metaphora utentes secundum aliquam similitudinem ea utuntur. — Paulo post, renitentibus mss. et ed. 1, Vat. male omittit *sumta;* deinde ponit *fluviis* pro *fluvius.*

[9] Cod. Y ultimam propositionis partem sic exhibet: *in quantum ipsa sola est sine principio et sine fine.*

[10] Textus iste partim ex v. 9, partim ex v. 10 sumtus est.

[11] Ed. 1 *incommutabilitas.*

[12] Vat. *Filium* et paulo post *Spiritum sanctum;* sed lectionem in textum receptam, quae est fere omnium mss. et ed. 1, praeferimus tamquam meliorem; ipsi enim termino primae emanationis divinae sive Filio appropriatur *virtus* (infra d. 32. a. 2. q. 2. ad ult.), secundae vero emanationis termino sive Spiritui sancto *amor* (d. 10. a. 2. q. 1.).

Spatiositas significat mundi productionem.

Secundo, propter *spatiositatem* dicitur fluvius rerum mundanarum productio, ob quam causam non tantum fluvius, sed mare a Propheta dicitur in Psalmo [1] iste mundus: *Hoc mare magnum et spatiosum etc.* De hoc fluvio Ezechielis vigesimo nono [2]: *Ecce ego ad te Pharao, rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum et dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et ponam frenum in maxillis tuis* etc. Draco iste magnus, quem Dominus alloquitur et cui comminatur in figura et persona Pharaonis, diabolus est, qui est rex Ægypti [3], quoniam regnat in eis, quos excaecavit tenebris erroris, ut puta sunt haeretici, ad quos [4] etiam dicit: *Meus est fluvius, et ego feci memetipsum*, quasi ipse fecerit mundum istum et ipse non habeat aliud principium. Hunc errorem ipse dixit et suggessit [5] impiis Manichaeis, qui totam machinam visibilium a Deo malo esse conditam contendunt. Huius draconis maxillas Dominus *infrenabit* [6], quando ablata sibi potestate suggerendi falsa, ostendet, se esse huius fluvii conditorem; unde in eadem auctoritate sequitur: *Scient omnes habitatores Ægypti, quoniam ego Dominus.*

Circulatio significat incarnationem.

Tertio, propter *circulationem* dicitur fluvius Filii Dei incarnatio, quoniam, sicut in circulo ultimum coniungitur principio, sic in incarnatione supremum coniungitur imo, ut Deus limo [7], et primum postremo, ut Filius Dei aeternus homini condito die sexto. De hoc fluvio Ecclesiastici vigesimo quarto [8]: *Ego quasi fluvius Dorix, et sicut aquaeductus exivi de paradiso.* Dorix interpretatur generationis medicamentum, et est ibi figurativus sermo, ut conversim intelligatur, id est, generatio medicamenti. Incarnatio enim Filii Dei nihil aliud fuit quam generatio medicamenti: *Vere enim languores nostros ipse tulit et infirmitates nostras ipse portavit* [9]. Recte igitur Filii incarnatio fluvius Dorix dicitur. Et ipse Christus [10] de se vere dicit: *Ego quasi fluvius Dorix*, id est, medicinalis fluvius, *et sicut aquaeductus exivi de paradiso.* Natura aquae haec [11] est, quod tantum ascendit, quantum descendit. Talis fuit exitus incarnationis, secundum quod dicitur in Psalmo [12]: *A summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius.* Et Joannis decimo sexto [13]: *Exivi a Patre et veni in mundum: iterum relinquo mundum et vado ad Patrem*, et ita fecit circulum. De hoc etiam fluvio quantum ad egressum eius ex matre potest exponi illud, quod dicitur Esther decimo [14] in somnio Mardochaei: *Parvulus rivulus crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est.* Quis, obsecro, est parvulus rivulus iste nisi humillima virgo? Haec crevit in fluvium, cum generavit Christum, qui non solum fluvius per [15] abundantiam gratiae, sed etiam lux sapientiae et sol iustitiae dicitur, secundum quod Ioannes capitulo primo [16] de ipso dicit: *Erat lux vera* etc.

Emundatio significat Sacramentorum dispensationem.

Quarto, propter *emundationem* dicitur fluvius Sacramentorum dispensatio, quae sine sui pollutione mundat nos a coinquinationibus peccatorum. De hoc fluvio Apocalypsis vigesimo secundo [17]: *Ostendit mihi fluvium aquae vivae splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.* Sacramentorum dispensatio dicitur fluvius *splendidus tamquam crystallus* propter claritatem et nitorem, quem relinquit in animabus, quae in hoc flumine depurantur. Dicitur etiam fluvius *aquae vivae* propter efficaciam gratiae, quae vivificat animam. Hic etiam *procedit de sede Dei et Agni.* Nam sacramentalis gratia procedit a *Deo* tamquam ab auctore [18] et efficiente, a *Christo* tanquam a mediatore et a promerente. Propter quod dicuntur omnia Sacramenta efficaciam habere a passione Christi; unde testatur Augustinus [19]: « De latere Christi dormientis

---

[1] 103, 25. — Paulo ante plurimi codd. ut A B C D G H I K M O P R S T W ee et ed. 1 omittunt *causam;* lectio non spernenda, forte sincerior, in qua relativum *quam* refertur ad *spatiositatem.*

[2] Vers. 3. Vulgata in hoc textu post *fluminum* addit *tuorum;* immediate post edd. 4 et 6 habent *qui* pro *et.*

[3] Fide mss. et ed. 1 expunximus propositionem in Vat. hic adiunctam *quae interpretatur tenebrae.* Immediate post cod. O *qui* loco *quoniam.*

[4] Vat. *quem,* sed omnino false, uti ex ipso contextu patet, et repugnantibus mss. cum ed. 1.

[5] Codd. K V et ed. 1 addunt *et suggerit*, alii vero ut codd. A T pro *suggessit* legunt *suggerit* respectu Manichaeorum tempore S. Doctoris viventium. Mox, postulantibus mss. ac edd. 1, 2, 3, post *conditam* expunximus *asserunt et.*

[6] Cod. U *refrenabit.* Dein codd. B C D G I O T W X Z bb minus bene *quoniam*, cod. A *qui* loco *quando.* Paulo post sub verbis *in eadem auctoritate* intellige Ezech. 29, 6, ubi et Vulgata cum ed. 1 legit *quia* pro *quoniam.*

[7] Verba in Vat. omissa *ut Deus limo* adiecimus ope mss. et ed. 1. Cfr. Liber de Spiritu et anima c. 14. — Paulo ante cod. ee cum ed. 1 legit *coniunctum est* loco *coniungitur.* In fine propositionis codd. A C F I M S T etc. *sexto;* Vat. *sexta.*

[8] Vers. 41. Vulgata: Ego quasi *fluvii Dioryx* et sicut etc. Idem recurrit paulo infra. Sed vide Lyranum et Cardinalem Hugonem de S. Charo super hunc locum.

[9] Isaiae 53, 4, in quo textu Vulgata pro *infirmitates nostras* legit *dolores nostros.*

[10] Praeter fidem mss. et ed. 1 non bene deest in Vat. *Christus.*

[11] Refragantibus codd. et ed. 1, ponit Vat. *huius*, sed mendose, quia subnexa conveniunt non solum huic vel illi aquae, sed omni.

[12] 18, 7 (6).

[13] Vers. 28.

[14] Vers. 6, in quo textu hic et paulo post Vat. *parvus*, dissentientibus mss. et ed. 1; Vulgata autem: *Parvus fons, qui crevit* etc. Paulo ante codd. I T omittunt *quod dicitur*, pro quo Vat. cum ed. 1 et uno alterove cod. *quod dicit.*

[15] Codd. H ee *propter;* dein cod. M *superabundantiam.*

[16] Vers. 9.

[17] Vers. 1.

[18] Auctoritate plurium codd. ut K R Y Z ee substituimus *auctore* pro *actore*, ut habet Vat. Utrumque verbum a codd. saepe eodem modo scribitur. Mox ed. 1 post *Christo* addit particulam *vero.*

[19] In Ioannis Evang. c. 2. Tract. 9. n. 10; Dormienti Adae fit Eva de latere; mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Vide etiam libr. Sentent. ex Augustino decerptarum (qui est Prosperi

fluxerunt Sacramenta, dum inde fluxit sanguis et aqua ».

De omnibus istis fluviis simul et per ordinem habetur Genesis secundo [1], ubi dicitur, quod *fluvius egrediebatur de loco voluptatis, qui inde dividitur in quatuor capita: nomen primi Phison, nomen secundi Gehon, nomen tertii Tigris et nomen quarti Euphrates.* Fluvius iste egrediens de Paradiso est totius libri huius materia. Quatuor fluvii ex isto procedentes sunt speciales materiae quatuor librorum, sicut facile potest aptare, qui praedictorum nominum interpretationes vult diligenter exponere [2]. Phison enim interpretatur oris mutatio, et in hoc significatur personarum emanatio. Sicut enim ex ore materiali procedit verbum et spiritus, ita ex ore Patris Filius et Spiritus sanctus, Ecclesiastici vigesimo quarto [3]: *Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam.* Hoc dicit ipse Filius, qui est Verbum et Sapientia Patris. Et in Psalmo [4]: *Verbo Domini caeli firmati sunt: et spiritu oris eius* etc. Gehon interpretatur arena, et in hoc significatur rerum mundanarum productio. Sicut enim universitas creaturarum comparatur mari propter spatiositatem, ita arenae propter numerositatem, Ecclesiastici primo [5]: *Arenam maris et pluviae guttas quis dinumeravit?* Tigris interpretatur sagitta, et in hoc significatur Filii Dei incarnatio. Sicut enim in sagitta ferrum coniunctum est ligno, sic in Christo fortitudo divinitatis coniuncta est mollitiei humanitatis. Et sicut sagitta ex arcu et ligno volat ad percutiendum adversarios, sic Christus de cruce saliens confregit adversarium. Haec est illa sagitta, de qua dicitur quarti Regum decimo tertio [6]: *Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam.* Euphrates interpretatur frugifer, in quo significatur Sacramentorum dispensatio, quae non tantum animam purgant a culpa, sed etiam fecundant in gratia. Quod significatum est Apocalypsis ultimo, [7] ubi dicitur, quod iuxta fluvium crystallinum *erat lignum afferens fructum, cuius folia erant in medicinam.*

Applicatio ad 4 libros Sent.

Cum igitur quatuor sint fluvii, quatuor sunt fluviorum *profunda* praedictis fluviis correspondentia.

Causa formalis significatur perscrutatione profundorum.

Profundum *aeternae emanationis* est sublimitas esse divini, de quo potest intelligi illud Ecclesiastici septimo [8]: *Alta profunditas, quis inveniet eam?* Vere profunditas alta et altitudo profunda, ita ut exclamet Apostolus ad Romanos undecimo [9] et dicat: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!* Vere iudicia incomprehensibilia, quia profunda. *Iudicia enim Dei abyssus multa* [10], et Ecclesiastici primo [11]: *Profundum abyssi quis dimensus est?* Haec profunditas innuitur Iob undecimo [12]: *Forsitan vestigia Dei comprehendes et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior coelo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces?* quasi dicat: ex te non potes; ideo consulit Apostolus ad Ephesios tertio [13]: *In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere* etc.

Profundum aeternae emanationis.

Et hoc *profundum* perscrutatur Magister in primo libro. Sublimitas enim divini esse consistit in duobus, scilicet in nobilissimis *emanationibus*, quae sunt generatio et processio, et [14] in nobilissimis *conditionibus*, quae sunt summa sapientia, omnipotentia et perfecta voluntas, de quibus est primus liber. Nam in prima parte agit de sacratissima Unitate et Trinitate, in secunda vero [15] speciali tractatu agit de supradicta eius triplici conditione sive proprietate.

Magister perscrutatur in I. libro.

Profundum *creationis* est vanitas esse creati. Creatura enim quanto magis evanescit, tanto magis in profundum tendit, sive evanescat per culpam sive per poenam. Propter hoc dicitur per Prophetam in persona hominis, qui evanuit per culpam, in Psalmo [16]: *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Et rursus orans Propheta, ne evanescat per poenam: *Non me demergat, inquit, tempestas aquae, neque absorbeat me profundum* etc.

Profundum creationis.

Hoc profundum scrutatur Magister in secundo

In II. libro.

Aquitani) Sent. 329. — Paulo ante ex codd. A C F G H I K P R S T U X Y aa bb ee et ed. 1 posuimus *unde* loco *ut*. Deinde codd. S aa bb cum ed. 1 *teste Augustino* pro *testatur Augustinus*, in cuius verbis cod. M post *fluxerunt* addit *ecclesiae*.

[1] Vers. 10-14, ubi Vulgata post *voluptatis* addit *ad irrigandum Paradisum* et nomina fluminum ita enumerat: Nomen uni Phison... et nomen fluvii secundi Gehon... Nomen vero fluminis tertii, Tigris... Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates. Plures codd. A F G I S W Y etc. cum edd. 1, 2, 3, 6 nomen secundi fluvii sic exhibent *Gyon*. — Paulo ante cod. M *secundum* loco *per*.

[2] Cod. ee et ed. 1 *considerare*.

[3] Vers. 5, ubi Vulgata *prodivi* pro *prodii*.

[4] 32, 6.

[5] Vers. 2, in quo textu Vat. cum Vulgata post *guttas* addit *et dies saeculi*. — Paulo ante substituimus ex codd. A C G H I O R S T U Y Z bb ee ff et ed. 1 *numerositatem* pro *innumerositatem*, licet utraque lectio in idem recidat.

[6] Vers. 17.

Vers. 2, ubi Vulgata: Lignum vitae afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum et folia ligni ad sanitatem gentium.

[8] Vers. 25.

Vers. 33, in quo textu fide codd. et ed. 1 addimus *et investigabililes viae eius*, quod omittit Vat.

[10] Psalm. 35, 7, ubi Vulgata: Iudicia tua abyssus multa.

[11] Vers. 2. [12] Vers. 7. et 8. [13] Vers. 17. et 18.

[14] Perturbatam lectionem Vat., in qua omittitur particula *et* ipsiusque loco ponitur punctum, ita ut cum sequenti praepositione *in* nova incipiat propositio, emendavimus ex mss. et ed. 1.

[15] Inserta est hic in Vat. sequens propositio: *quae incipit in distinct. 35: Cumque supra disseruerimus* etc., quam ut interpolatam auctoritate codd. et ed. 1 removimus.

[16] 68, 2. Textus s. Scripturae proxime sequens habetur in eodem Psalmo 68, 16.

libro. Nam vanitas esse creati in duobus consistit, videlicet in mutatione de *non esse* in *esse* et rursum in reversione in *non esse*. Et quamvis nulla creatura omnino cedat in non ens per naturam, tamen, sicut dicit Augustinus [1], peccator tendit ad non esse per culpam. Et de his duobus est totus secundus. Nam in prima parte agit de rerum egressu, in secunda vero parte [2] agit de lapsu, ut de tentatione diaboli, de peccato originali et actuali, usque in finem.

Profundum incarnationis.

Profundum *incarnationis* est meritum humanitatis [3] Christi, quod tantum fuit, ut vere possit dici profundum, quasi non habens terminum nec fundum. De quo potest intelligi illud Ionae secundo [4]: *Proiecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me.* Hoc potest dici de Christo, qui tantum humiliatus est, ut vere possit dici *proiectus* et *abiectus*, Isaiae quinquagesimo tertio [5]: *Et vidimus eum, et non erat ei aspectus, et desideravimus eum: despectum et novissimum virorum* etc. Vere igitur dicit se *proiectum*, sed ubi? *in profundum maris et fluminis.* Nam passio Christi comparatur *mari* propter poenalitatis amaritudinem, sed et [6] *flumini* propter caritatis dulcedinem. Dulcissimum enim cor Iesu Christi tanta circa [7] nos afficiebatur teneritudine amoris, ut non videretur ei grave pro nobis sustinere extremum et acerbissimum genus mortis.

In III. libro.

Et hoc profundum perscrutatur Magister in tertio. Nam meritum Christi in duobus consistit, scilicet in *passione*, per quam nos redemit, et in *actione*, per quam nos informavit, quae consistit in operibus virtutum, donorum et praeceptorum, de quibus duobus est tertius liber. Nam in prima parte agitur de incarnatione et passione, in qua consistit nostra redemptio, in secunda [8] de virtutibus, donis et praeceptis, in quibus consistit nostra informatio.

Profundum sacramentalis dispensationis.

Profundum *sacramentalis dispensationis* est efficacia perfecti medicamenti. Tanta enim est efficacia medicinae sacramentalis, quod humanam mentem excedit, ut vere profundum possit dici. De hoc Isaiae quinquagesimo primo [9]: *Posuisti profundum maris viam tuam, ut transirent liberati.* Profundum istud, in quo Ægyptii demerguntur et filii Israel [10] liberati transeunt et salvantur, est efficacia Sacramentorum, in quibus destruuntur opera tenebrarum et conferuntur arma lucis et dona gratiarum, per quae homo transfertur de potestate tenebrarum in regnum filii caritatis Dei. Haec efficacia Sacramentorum est profundum *maris* et *fluminis: maris* [11], in quantum primo liberat a culpa et introducit in amaritudinem poenitentiae; *fluminis*, in quantum liberat a miseria et introducit in dulcedinem gloriae [12]. Quod optime praesignatum fuit in filiis Israel, quibus exeuntibus ex Ægypto siccatum est mare, et transierunt *per siccum in medio eius*, sicut dicitur Exodi decimo quinto [13]; et introeuntibus in terram promissionis siccatus est fluvius, et transierunt per medium eius, sicut dicitur Iosue quarto [14].

In IV. libro.

Hoc profundum perscrutatur Magister in quarto libro. Nam efficacia perfecti medicamenti in duobus consistit, scilicet in *sanatione* a varietate infirmitatum deprimentium et in *liberatione* ab universitate miseriarum aggravantium; et de his duobus est totus quartus liber. Nam in prima parte agit de multiplici *sanatione*, quam efficiunt septem Sacramenta. In secunda [15] agit de *perfecta sanitate*, ad quam perducunt, sicut de *gloria resurgentium*, qui veraciter et fideliter Sacramenta Ecclesiae perceperunt; et per oppositum de *poena malorum*, qui Sacramenta Ecclesiae contempserunt.

Causa finalis est revelatio 4 absconditorum.

Ex perscrutatione autem quatuor profundorum in quatuor libris elicitur *finis*, scilicet revelatio *quatuor absconditorum*.

---

[1] Verba ex Augustino citata non verbotenus in eiusdem operibus inveniuntur, sed tantum quoad sensum; de quo vide VII. Confess. c. 16; de Vera Religione c. 11. et XIV. de Civ. Dei, c. 13. — Cod. X cum ed. 1 habet *tendat* pro *cedat*, et codd. F H aa *in non esse* pro *in non ens;* in seq. propositione post *secundus* plures codd. B E H K P V W X ff addunt *liber*.

[2] Vat. contra auctoritatem mss. et ed. 1 hic addit *quae incipit in distinctione 21: Videns igitur diabolus* etc. moxque pro *in finem* legit *ad finem*.

[3] Praeter fidem mss. ac edd. 1, 2, 3 ponit Vat. *humilitatis*. Mox codd. F I T propositionem cum verbo *terminum* concludentes alteram ita incipiunt: *Hoc est profundum de quo* etc., lectio non spernenda.

[4] Vers. 4.

[5] Vers. 2.3, ubi Vulgata post *erat* omittit *ei*.

[6] Indebitam omissionem verborum *sed et* emendavimus ope fere omnium codd. et ed. 1.

[7] Cod. Y *erga*.

[8] Propositio, quam hic Vat. interserit: *quae incipit in distinctione 23: Cum vero supra habitum sit* etc. *agitur*, deest in mss. et ed. 1.

[9] Vers. 10, ubi Vulgata omittit *tuam*.

[10] Supplevimus ex pluribus codd. K R S T X Y ee etc. ac ed. 1 *Israel*.

[11] Mutilam Vat. lectionem, in qua abest *et fluminis: maris*, restauramus ex mss. et ed. 1.

[12] Vat. cum plurimis codd. *gratiae* loco *gloriae* contra codd. aa et bb, quorum tamen lectionem genuinam indicamus, tum quia in *secunda* parte quarti libri Sententiarum agitur non de *gratia*, sed de *gloria*, tum quia subnexa tantummodo de *gloria* verificantur. — Paulo infra, sequendo plures codd. ut A F G H M T etc. cum ed. 1, substituimus *praesignatum* pro *praefiguratum*.

[13] Vers. 19, quem Vulgata ita proponit: Filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio eius. In codd. citatur c. 14, ubi v. 22. legitur: Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris.

[14] Vers. 22-24. — Auctoritate mss. et ed. 1 castigavimus corruptam lectionem Vat. *ex Ægypto divisa est aqua, et transierunt per medium sicci maris, sicut dicitur: Et introeuntibus in terram promissionis per arentem alveum transivit Israel Iordanem istum, siccante Domino Deo nostro aquas eius* etc. *Simile dicitur in Iosue.*

[15] Propositio hic in Vat. adiecta *quae incipit in distinctione 43: Postremo de conditione resurrectionis* etc., non habetur in mss. nec in ed. 1. Mox ed. 1 pro *sicut* satis bene habet *scilicet*.

Primum absconditum, magnitudo divinae substantiae.

Primum est *magnitudo divinae substantiae*, de qua Isaiae quadragesimo quinto [1]: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator*. Vere magnitudo divinae substantiae est abscondita secundum illud Iob vigesimo sexto [2]: *Cum vix parvulam stillam sermonis eius audierimus, magnitudinem tonitrui eius quis poterit intueri?* Certe nullus potest intueri, nisi ille, cum quo sapientia Dei inhabitat. Propter hoc petebat ille sapientiae amator, nono Sapientiae [3]: *Mitte illam de caelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae.*

Revelatur in I. libro.

Hoc absconditum Magister, repletus sapientia de supernis, per primi libri perscrutationem produxit in lucem. Nam visis et intellectis nobilissimis emanationibus et nobilissimis proprietatibus, innotescit nobis, secundum quod possibile est viatoribus, divinae substantiae magnitudo.

Secundum absconditum ordo divinae sapientiae.

Secundum absconditum est *ordo divinae sapientiae*, de quo Job vigesimo octavo [4]: *Ubi invenitur sapientia? et quis est locus intelligentiae? abscondita est ab oculis omnium viventium.* Vere abscondita, quia, sicut dicitur ibidem [5], *sapientia trahitur de occultis*; ita, ut cognoscatur, indiget perscrutatione profunditatis non in se, sed in operibus, in quibus ipsa relucet. Unde dicitur Ecclesiastici primo [6], quod *unus est altissimus Creator, qui effudit illam super omnia opera sua.*

Revelatur in II. libro.

Hoc igitur absconditum manifestat Magister in perscrutatione secundi. Nam viso ordine bonorum et malorum, patet nobis, quomodo ab aeterno sapientia Dei *ordinata* est *et ex antiquis, antequam terra fieret* [7].

Tertium absconditum, fortitudo divinae potentiae.

Tertium absconditum est *fortitudo divinae potentiae*, de qua Habacuc tertio [8]: *Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius;* loquitur de Christo pendente in cruce, ubi latuit fortitudo virtutis sub pallio infirmitatis. Et *hoc est sacramentum absconditum a saeculis*, de quo ad Ephesios tertio [9]: *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo.* Hoc est *sacramentum absconditum*, sacrum secretum, quod [10] Deus fortis, ut hostem vinceret, indutus est armis nostrae infirmitatis; quod est inauditum a saeculis.

Revelatur in III. libro.

In perscrutatione tamen [11] tertii libri, ubi ostenditur, quod Christus in sua infirmitate vicit contrariam potestatem, manifestatur fortitudo divinae potentiae. Si enim vicit per infirmitatem, quid fecisset, si pugnasset per virtutem? Et si *infirmum Dei fortius est hominibus*, brachium Dei *quis poterit infirmare* [12]? Vere patet, quod inenarrabilis fortitudo eius, cuius tam fortis infirmitas.

Quartum absconditum dulcedo divinae misericordiae.

Quartum absconditum est *dulcedo divinae misericordiae*, de quo in Psalmo [13]: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Vere abscondita et reservata timentibus dulcedo misericordiae, quia, sicut dicitur in Psalmo [14]: *Misericordia Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia eius.*

Revelatur in IV. libro.

Haec dulcedo manifestatur in perscrutatione quarti libri. Nam viso, qualiter Deus dimittit peccata in praesenti, et qualia [15] nostris vulneribus adhibet medicamina, et qualia in futuro dabit praemia, nobis dulcedo divinae misericordiae aperitur.

Causa efficiens.

Horum igitur absconditorum propalatio est finis libri generalis, ad quem perduci et perducere volens Magister sententiarum *perscrutatus est profunda fluviorum* praevia gratia Spiritus sancti. Ille enim est praecipuus perscrutator secretorum et profundorum, secundum quod dicitur primae ad Corinthios secundo [16]: *Spiritus omnia perscrutatur, etiam profunda Dei.* Huius spiritus caritate agitatus et luce et claritate illustratus, composuit Magister hoc opus et *scrutatus est profunda fluviorum;* hoc etiam spiritu adiuvante, factus est *revelator absconditorum.* Ipse enim est, de quo scribitur Danielis secundo [17]: *Ipse revelat profunda et abscondita: et novit in*

---

[1] Vers. 15. — Mox restituimus ex mss. et ed. 1 post *substantiae* verbum *est*.

[2] Vers. 14, in quo textu fide mss. et ed. 1 mutavimus *parvam* in *parvulam*. Vulgata legit *parvam* et in fine: *quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?*

[3] Vers. 10. — Paulo ante substituimus ope codd. ac edd. 1 2, 3 *Propter* loco *Pro*.

[4] Vers. 12, 20. et 21, quem textum Vat. praeter fidem mss. prosequitur addendo: *volucres quoque coeli latet.*

[5] Iob. 28, 18. — Mox Vat., repugnatibus mss. ac ed. 1, post *ita* minus recte: *quod si cognosci optatur.*

[6] Vers. 8. et 10. ubi Vulgata pro *qui* habet *et*. — Paulo post codd. cum ed. 1 rectius *igitur* loco *ergo*.

[7] Respicitur illud Prov. 8, 23.

[8] Vers. 4. — Mox codd. non consentiunt inter se; magna pars cum Vat. habet *legitur;* cod. R *hoc legitur;* cod. O *quod intelligitur;* secuti sumus codd. S Y ff et ed. 1, qui habent *loquitur.*

[9] Vers. 8. 9.

[10] Substituimus auctoritate fere omnium mss. et ed. 1 *quod* pro *quo;* quae lectio maiori vi insignita esse videtur. Cod. R praecedentem propositionem sic exhibet: *Hoc enim est sacramentum absconditum, id est sacrum secretum.*

[11] Codd. I M W *autem.*

[12] Respicitur I. Cor. 1, 25. et Isai. 14, 27. — Mox Vat. *Vere igitur patet inenarrabilis eius fortitudo, cuius est tam;* elegantius vero, ut in textu reformato, cum ed. 1 codd., quorum tamen non pauci ut A B C E F O T U V W cc omittunt insuper *eius*, alii vero ut P Q S Y loco *eius* habent *est*, cod. R *fuit.*

[13] 30, 20. — Mox post *reservata* codd. P Q R addunt *est.* Dein codd. H T, transpositis verbis et addito *divinae*, legunt *divinae misericordiae dulcedo.*

[14] 102, 17. et 146, 11.

[15] Codd. A B D F M R X non ita bene *qualiter*. Mox cod. R *medicamenta* loco *medicamina;* et paulo post Vat. cum cod. cc, antiquioribus tamen mss. et ed. 1 contradicentibus, *dat* pro *dabit.*

[16] Vers. 10, ubi Vulgata post *Spiritus* addit *enim.* — Paulo infra post *scrutatus* supplevimus ex mss. et ed. 1 *est.*

[17] Vers. 22. — Mox post *lucernam* ex mss. et ed. 1 adiecimus *inquit*, quod a Vat. abest.

tenebris constituta. Et haec fuit intentio et finis Magistri, secundum quod ipse dicit in Prologo: « Lucernam, inquit, veritatis in candelabro exaltare volentes, in sudore ac labore multo hoc volumen, Deo praestante, compegimus ex testimoniis veritatis in aeternum fundatis ». Et paulo ante dixerat, quod propositum suum est « theologicarum inquisitionum abdita pandere ».

Patet igitur in verbo proposito praesentis libri causa materialis, formalis, efficiens et finalis.

QUÆSTIONES PROŒMII.

Ad intelligentiam eorum quae primo tacta sunt [1], quatuor possunt quaeri iuxta quatuor praedicta.

Primo [2], quae sit huius libri materia vel subiectum.

QUÆSTIO I.

Quae sit materia quodve subiectum huius libri vel theologiae.

Et [3] quod *Deus* sit subiectum, videtur.

Fundamentum. 1. Illud enim subiectum est in scientia, de quo et de cuius proprietatibus est scientia tota [4]; sed de Deo et eius operibus, utpote creatione et reparatione, est totus iste liber: ergo etc.

2. Item, videtur quod subiectum istius libri sint *res et signa.* Illud enim est subiectum in scientia, secundum cuius divisionem dividitur illa scientia, quia « scientiae secantur in res [5] », hoc est, dividuntur secundum divisionem subiectorum; sed hoc est res et signum, sicut manifestum est: ergo etc.

3. Item, videtur quod *credibile* sit subiectum huius libri. Illud enim est subiectum in libro, circa quod versatur auctoris intentio et tractatus; sed credibile est huiusmodi. Unde Magister dicit in Prologo, quod propositum suum est, « fidem nostram clypeis Davidicae turris munire », hoc est, ad probandum fidem rationes adducere, non, inquam, *fidem-habitum,* sed *creditum* [6]: ergo etc.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Subiectum in scientia debet complecti omne, quod determinatur in illa; sed in hoc libro non tantum determinatur de Deo, sed etiam de creaturis: ergo Deus non est subiectum totius istius [7] libri generaliter, sed solum primi libri.

2. Item, aliter ostenditur illud idem sic. Licet tres causae coincidant in unam, tamen materia nōn coincidit simul cum fine [8]; quia materia dicit quid incompletum, finis autem dicit totius operis complementum; sed Deus est finis totius istius operis, quia finis totius theologiae: ergo non est subiectum vel materia.

3. Item, quod *res et signa* non sint subiectum [9], videtur. Omnis enim scientia est de rebus vel de signis: ergo si res et signa sunt subiectum huius libri, liber iste est generalis ad omnes. Quodsi [10] specialis scientia et doctrina traditur in hoc libro, patet quod res et signa non debent assignari in eo pro subiecto.

4. Item, constat quod alia est scientia de rebus et alia de signis, ut patet; differt enim sermocinalis scientia a naturali; ergo scientia tradita in hoc libro aut [11] non est unius generis, aut non est simul de rebus et de signis; sed est unius generis: ergo etc.

5. Item, quod *credibile* non sit subiectum, videtur, quia scientia et virtus [12] sunt diversi habitus: ergo habent diversa obiecta; ergo cum credibile, in quantum huiusmodi, sit obiectum virtutis, non erit obiectum scientiae in quantum huiusmodi: ergo etc.

6. Item, sicut consideratio huius libri versatur

---

[1] Hoc est: quae in Prooemio generaliter de quatuor causis libri Sententiarum dicta sunt. Nunc quatuor quaestiones speciales de eisdem causis proponuntur.

[2] Codd. F bb cum ed. 1 addunt hic *quaeritur.*

[3] Restituimus ex mss. et ed. 1 particulam *Et.* Mox post verbum *videtur* cod. M adiungit *Probo.*

[4] Vide Aristot., I. Poster. c. 7. et 8. — Mox sequimur codd. et ed. 1 ponendo *et* pro *de* ac dein *utpote* loco *ut puta.* Codd. F et S *operationibus* pro *operibus.*

[5] Aristot., III. de Anima, text. 38. (in ed. Paris. Firmin-Didot c. 8.), ubi sic habetur: Secatur igitur scientia et sensus in res. Cum quibus verbis concordant antiquiores codd. et ed. 1 contra Vat. ac recentiorem cod. cc, qui habent *ut res* pro *in res.* Paulo ante Vat. post *scientid* addit *ab aliis;* sed mendose (agitur siquidem de divisione scientiae *in se,* uti ex subnexis colligitur) et praeter fidem mss. ac ed. 1. Mox Vat. cum cod. cc, refragantibus tamen antiquioribus mss. et ed. 1, ante *dividuntur* repetit particulam *quia,* sed male, eo quod proxime subnexa non sint nisi explicatio verborum *secantur in res.* Paulo post sub demonstrativo *hoc* intellige tale subiectum, secundum cuius divisionem dividitur theologia. Substituimus ex codd. A G H I M Y etc. et ed. 1 *hoc* pro *haec,* licet multi codd. cum Vat. habeant *haec,* quia in eorum lectione syllogismus perturbaretur.

[6] Sensus est: non, inquam, fidem in quantum est habitus a Deo in animam infusus, sed in quantum est ipsum creditum, scil. veritates revelatae; sive aliis verbis, si recte tamen intelligantur: non fidem subiective, sed obiective sumtam. — Vat. *sed fide creditum;* edd. 2, 3, 4, 5, 6 legunt: *fidem creditum secundum habitum, sed secundum creditum;* omnes vero codd. cum ed. 1 exhibent textum nostrum.

[7] Vat. cum cod. recentiori cc *huius* contra antiquiores mss. et ed. 1.

[8] Aristot., II. Phys. text. 70. (ed. Paris. Firmin-Didot. c. 7.), ubi sic legitur: Veniunt autem tres (causae) in unam plerumque.

[9] Cod. V *materia seu subiectum.* Mox post *vel* restituimus ex fere omnibus mss. et ed. 1 omissam particulam *de.*

[10] Lectio Vat., quae est et multorum codd., explicatur per sequentem cod. L: *Sed constat quod specialis;* codd. A C F R aa *Sed specialis;* cod. G *Sed si specialis.* Mox codd. S U ff post *patet* adiiciunt *igitur.* Dein fide mss. et ed. 1 posuimus *debent* pro *habent.*

[11] Vat. cum recentiori cod. cc vitiose et contra antiquiores mss. ac ed. 1 particulam *aut* transponit post *ergo.* Mox cod. V verbo *generis* adiungit *determinati.*

[12] Mendum Vat. *veritas* loco *virtus* et paulo infra *veritatis* pro *virtutis* castigavimus auctoritate mss. et ed. 1.

circa fidem, ita etiam [1] circa spem et caritatem: ergo si sperandum vel diligendum sive diligibile non est subiectum huius libri, pari ratione nec credibile est subiectum in eo.

CONCLUSIO.

Deus est subiectum theologiae radicale, Christus est subiectum integrale, res et signa sunt subiectum universale sive etiam credibile, prout transit in rationem intelligibilis.

RESPONDEO: Dicendum, quod subiectum in aliqua scientia vel doctrina tripliciter potest accipi. Uno modo dicitur subiectum in scientia [2], ad quod omnia reducuntur sicut ad *principium radicale;* alio modo, ad quod omnia reducuntur sicut ad *totum integrale;* tertio modo, ad quod omnia reducuntur sicut ad *totum universale.*

Subiectum tripliciter accipitur.

Exemplum huius manifeste patet in *grammatica.* Nam subiectum primo modo, ad quod omnia reducuntur sicut ad principium elementare [3] vel radicale, est littera, quam ideo vocat Priscianus [4] *elementum,* quia est minimum, in quo stat resolutio grammatici. Subiectum, ad quod omnia reducuntur sicut ad totum integrale, est oratio congrua et perfecta. Subiectum vero, ad quod omnia reducuntur sicut ad totum universale, est vox litterata, articulata [5] ordinabilis ad significandum aliquid in se vel in alio.

Exemplum in grammatica.

Per hunc modum est distinguere in *quadrivialibus.* Nam subiectum in geometria, ad quod omnia resolvuntur [6] ut ad principium, est punctus. Subiectum, ad quod omnia reducuntur ut ad totum integrum, est corpus, quod continet in se omne genus dimensionis. Subiectum, ad quod omnia reducuntur ut ad totum universale, est quantitas continua, immobilis.

Item in quadrivialibus.

Per hunc modum et in hoc libro est assignare subiectum secundum triplicem differentiam.

Conclusio triplex.

Nam subiectum, ad quod omnia [7] reducuntur ut ad *principium*, est ipse *Deus.*

Subiectum quoque, ad quod omnia reducuntur, quae determinantur in hoc libro, ut ad *totum integrum,* est *Christus,* prout comprehendit naturam divinam et humanam sive creatum et increatum [8], de quibus sunt duo primi libri; et caput et membra, de quibus sunt duo sequentes. Et accipio large [9] *totum integrum,* quod multa complectitur non solum per compositionem, sed per unionem et per ordinem.

Subiectum quoque, ad quod omnia reducuntur sicut ad *totum universale,* possumus nominare per circumlocutionem [10] sive sub disiunctione; et sic est res vel signum; et vocatur hic *signum* Sacramentnm. Possumus et unico vocabulo nominare; et sic est *credibile,* prout tamen credibile transit in rationem *intelligibilis,* et hoc per additionem rationis; et hoc modo, proprie loquendo, est [11] subiectum in hoc libro.

Concedendae ergo sunt rationes probantes, et *Deum* esse subiectum et *res* et *signa*, et *credibile*, diversimode, sicut dictum est.

1. Quod ergo obiicitur in contrarium, quod non tantum de Deo [12] agitur in hoc libro; dicendum,

Solutio oppositorum.

---

[1] In Vat. et recentiori cod. cc non bene deest *etiam,* quod tamen in antiquioribus mss. et ed. 1 habetur. Mox cod. F *sicut* pro *si.* Dein fide omnium codd. et ed. 1 expunximus *sperabile vel*, quod Vat. praemittit verbo *diligibile.*

[2] Cod. U hic satis bene addit *illud.* Mox, postulantibus fere omnibus mss. et ed. 1, substituimus *alio* pro *secundo.*

[3] Vat. *primum elementale.* Auctoritate codd. ee ff et ed. 1 in textum recepimus *principium,* utpote quod praecedentibus et subsequentibus magis correspondere videtur; multi codd. propter abbreviationem ambigui sunt; omnes tamen cum ed. 1 legunt *elementare.*

[4] Libr. I. Grammat. c. 2 (de Littera). — Non multo post cod. X *grammaticae* pro *grammatici.*

[5] Explicationem horum verborum accipe a Prisciano, I. Grammat. c. 1: Articulata est, quae coarctata, hoc est, copulata cum aliquo sensu mentis eius, qui loquitur, profertur... Litterata est, quae scribi potest. — Unus alterve cod. ut aa haec duo adiectiva coniungit per particulam *et.*

[6] Codd. HIK *reducuntur.* Mox post *principium* codd. P Q X ff addunt, ut et supra in textu additum est, *radicale.* Paulo post codd. H Q *integrale* pro *integrum.*

[7] Cod. D hic addit, sicuti et paulo post in textu reperitur, *quae determinantur in hoc libro;* codd. vero DK post *principium* adiiciunt *radicale vel initiale* et cod. ff tantum *radicale*, quae adiectiva cum praecedentibus correspondent textumque distinctiorem reddunt. Paulo post codd. K Q *integrale* loco *integrum.*

[8] Lectio Vat. *sive creatam et increatam*, quae nimis arcta videtur, castigatur auctoritate mss. et ed. 1.

[9] Consulto dicit *large*, quia *totum integrum* in sensu stricto dicit compositum ex partibus; sed duae naturae in Christo faciunt totum integrum secundum Scholasticos per unionem hypostaticam, non per strictam compositionem. — Vat. praemittit particulam *hic* et mox post *sed* addit *etiam*, quod hic et alibi saepius omnes mss. omittunt, licet minus congrue.

[10] Contra auctoritatem codd. et ed. 1 loco *per circumlocutionem* Vat. ponit *dupla nominatione*, fortasse propter maiorem oppositionem cum verbis paulo post sequentibus *unico vocabulo.*

[11] Praeter fidem mss. et ed. 1 repetit hic Vat. *credibile*, quod certe in textu subintelligendum est. Mox codd. P Q cum edd. 4 et 5 post *diversimode* satis bene addunt *tamen.*

[12] Vat. *quod de Deo non agitur per totum in hoc libro;* mss. cum ed. 1 contra Vat. in eo conveniunt, quod omittant *per totum;* codd. vero R T ee ff et ed. 1, transpositis verbis et addendo *tantum*, suppeditant lectionem, quam in textum recepimus, quae et in se clarior est et ad amussim correspondet propositioni minori supra in obiectione positae. Mox post *tamen* ex codd. T et ee supplevimus *de Deo*, quae verba certe subaudienda sunt. Dein cod. F post *substantiam* addit *et operationem.* Plures codd. ex repetitione vocis *substantiam* decepti propositionem mutile exhibent. Cod. K vero totam responsionem magis succincte ita proponit: *Quod ergo obiicitur in contrarium, quod Deus non complectitur omnia, quae hic considerantur, dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod Deus non sit subiectum in hac scientia, sed tantum* (sic primitus, postea correctum in *tamen*) *sequitur, quod non est subiectum*

quod, quamvis non agatur de Deo quantum ad substantiam tantum, agitur tamen de Deo quantum ad substantiam, vel quantum ad opera eius; et ideo non est subiectum ut totum, sed ut principium.

2. Quod obiicitur, quod materia non coincidit in unum cum fine; dicendum, quod materia tripliciter dicitur: scilicet materia *ex qua*, materia *in qua* et materia *circa quam;* et haec ultima materia magis [1] dicitur obiectum quam materia. Quando ergo dicitur, quod materia non coincidit cum fine, verum est de materia *ex qua*, quae proprie est materia [2], sed non de materia *circa quam*, quae proprie est obiectum; nam idem potest esse obiectum habitus et finis; et tali modo accipitur materia in scientia pro obiecto virtutis [3] cognoscentis.

3. 4. Quod obiicitur de *rebus* et *signis*, quod sunt subiecta omnium scientiarum; dicendum, quod res et signum [4] possunt accipi *in sua generalitate;* et sic non pertinent ad scientiam specialem nec ad librum nec ad eandem scientiam. Possunt iterum accipi secundum quod induunt rationem *credibilis*, et sic, quemadmodum una est *virtus* [5] et unus est habitus de omnibus credibilibus, sive sint res sive sint signa, ut fides, sic una est *scientia* specialis de omnibus, in quantum induunt hanc rationem [6], sive sint res sive signa.

Aliter potest dici, quod dupliciter est loqui de rebus et signis, aut *absolute*, aut in *relatione* ad fruitionem sive ad illud, quo fruendum est. Primo quidem modo spectant ad speciales scientias et diversas; secundo modo ad unam scientiam sive doctrinam Unde quemadmodum de omnibus entibus, in quantum reducuntur ad unum primum ens, est una scientia et [7] unus liber, sic de omnibus rebus et signis, in quantum reducuntur ad unum, quod est alpha et omega, est una scientia.

Alia solutio.

5. 6. Quod obiicitur, quod *credibile* est obiectum virtutis [8] etc.; dicendum, quod alio modo est credibile obiectum virtutis, alio modo scientiae. Credibile enim, secundum quod habet in se rationem *primae veritatis*, cui fides assentit propter se et super omnia, pertinet ad habitum fidei; secundum quod super rationem veritatis addit rationem *auctoritatis*, pertinet ad doctrinam sacrae Scripturae, de qua dicit Augustinus super Genesim ad litteram [9], quod « maior est eius auctoritas quam humani ingenii perspicacitas »; sed secundum quod supra rationem veritatis et auctoritatis addit rationem *probabilitatis*, pertinet ad considerationem praesentis libri, in quo ponuntur rationes probantes fidem nostram. Et sic patet, quomodo differenter est *fides* de credibili, et *libri* de canone sacrae Scripturae, et *praesens scriptura*. Et ideo non valet illa [10] obiectio, quoniam iste liber non est sic ad defensionem spei et caritatis, sicut fidei; et ideo non est simile.

SCHOLION

I. Supponit Doctor Seraphicus in his quaestionibus prooemialibus et alibi passim, quod theologia sit vera scientia; immo in Breviloq. p. I. c. 1. dicit: Ipsa sola est scientia perfecta. Quo sensu hoc dicatur, explicatur III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. ad 4, et ibid. q. 4. — Scotus (Prolog. q. 4.) cum Nominalibus negat, theologiam in viatoribus esse *proprie* scientiam; S. Thomas (S. I. q. 1. a. 2.) vero hoc affirmat.

II. Non quaeritur hic de subiecto, *in quo* est scientia, quod est intellectus, sed de subiecto, *de quo* est scientia et *circa* quod immediate versatur. Dicitur *subiectum*, quia de illo ea praedicantur, de quibus agitur in illa scientia. Licet ab auctoribus non raro hi termini: *subiectum, obiectum* et *materia circa quam*, confundantur, tamen in sensu stricto obiectum scientiae est id *quod* scitur, subiectum vero eius est id *de quo* conclusiones praedicantur. S. Doctor accipit hic subiectum in sensu stricto.

III. Circa distinctionem, quam habet in solutione ad 2, hoc notandum. Materia *in qua* vocatur subiectum sive corporale sive spirituale, in quo recipitur aliquod accidens: sic intellectus dici potest materia, in qua recipitur scientia. Materia *ex qua* dicitur ea pars compositi, quae cum forma facit compositum. Materia *circa quam* dicitur in scientia ipsum subiectum, circa

---

ut totum, sed ut principium. Mentem suam S. Doctor hac de re in Breviloq. p. I. c. 1. ita aperit: Cum s. Scriptura sive theologia sit scientia dans sufficientem notitiam de primo principio secundum statum viae... et Deus non tantum sit rerum primum principium et exemplar effectivum in creatione, sed etiam refectivum in redemptione et perfectivum in retributione; ideo non tantum agit de Deo creatore, sed etiam de creatione (ita codd. contra edd., quae habent *creatore)* et creatura.

[1] Cod. N addit *proprie.*

[2] Codd. aa adiungit *et similiter de materia in qua*, quae lectio in textum recipienda videretur, si sufficienti numero codicum fulciretur; certe tamen ipsa subintelligenda est.

[3] Falsa lectio Vat. *veritatis* loco *virtutis* emendatur ex mss. et sex primis edd.

[4] Cod. aa satis bene *signa.* Mox codd. A T Y etc. ante *librum* non repetunt particulam *ad*, cod. I ponit *vel librum*, cod. X *nec ad librum unum.*

[5] Vat., quae falso ponit *veritas*, corrigitur ex mss. et sex primis edd.

[6] Vat. cum recentiori cod. cc superflue hic addit *scilicet credibilis*, quod deest in antiquioribus mss. et ed. 1.

[7] Ex codd. A F G H I K P R S T V Y etc. cum ed. 1 posuimus *et* loco *aut.* Deinde codd. I et T post *liber* bene addunt *scilicet metaphysica.* Mox, fere omnibus mss. et ed. 1 refragantibus, Vat. habet *ordinantur* pro *reducuntur;* cod. vero bb *reducuntur vel ordinantur.*

[8] Vat. contra mss. et ed. 1 in hac propositione bis habet mendose *veritatis* loco *virtutis.*

[9] Libr. II. c. 5: Maior est quippe Scripturae huius auctoritas quam omnis humani ingenii capacitas. — Dein Vat. praeter fidem codd. voci *secundum* praemittit *sed;* ed. 1 addit *vero.*

[10] Magis placeret, si pro *illa* haberetur *alia.* Vat. autem absque ulla mss. auctoritate post *obiectio* adiungit *de sperabili vel diligibili.* Circa finem propositionis codd. inter se non conveniunt; Vat. cum cod. cc pro *et ideo* habet *unde;* multi codd. ut A C F G S V W X bb etc. nullam coniunctivam particulam ponunt; cod. D *nec* pro *et ideo non;* codd. autem B D K Q R exhibent lectionem nostram *et ideo;* codd. I T *ideo.*

quod versatur scientia. Haec ultima sub diverso respectu potest esse tum *obiectum* habitus tum *finis*, ut patet in virtutibus theologicis: v. g. fidei obiectum et finis est prima Veritas; creditur enim summum verum propter summum verum. Cfr. Alexander Hal. Sum. p. 1. q. 1. m. 3.

IV. In solutione ad 3. tangitur quaestio de *unitate scientiae theologicae*. Hanc Nominales ex suis falsis principiis impugnant; sed eam adstruunt S. Bonaventura, Breviloq. p. 1. c. 1. Alexander Halensis, p. I. q. 1. m. 3. ad 4. et 5. — Scotus, I. Report. Prolog. quaestiunc. 2. — S. Thomas, I. Sent. Prolog. q. 1. a. 2; Sum. I. q. 1. a. 3. — B. Albertus M., Sum. p. 1. tr. 1. q. 3. m. 2; I. Sent. d. 1. a. 3. — Petrus a Tarantasia, I. Sent. Prolog. a. 2. — Richardus a Mediavilla, I. Sent. Prolog. q. 3. — Ægidius Romanus, I. Sent. Prolog. part. 1. principalis 2. q. 3. — Henricus Gandaviensis, Sum. a. 6. q. 3. — Durandus, I. Sent. Prolog. q. 4.

V. In solutione principalis quaestionis antiqui scholastici valde saltem verbis dissentiunt. Nonnulli affirmant, Deum esse quidem subiectum theologiae, non autem sub ratione Deitatis, sed sub aliqua limitatione, v. g. quatenus est restaurator et glorificator (ita Ægidius R.) vel quatenus est perfectissimus (Dionys. Carth). Haec vero limitatio ex parte subiecti non videtur probabilis. — Alexander Hal. ponit tria subiecta secundum tria, quae sunt in quolibet ente completo, scil. secundum substantiam, virtutem (potentiam) et operationem: primo modo subiectum est Deus, secundo modo est Christus, qui est virtus Patris, tertio modo sunt opera restaurationis facta per Christum. — Scoto attribuitur sententia, Deum sub ratione entis infiniti esse subiectum theologiae; attamen cum ipse (I. Sent. Prolog. q. 3. n. 9.) dicat: Deum sub ratione entis infiniti aut necessarii non legitime poni obiectum theologiae, sententia eius a Frassenio (Scotus academicus, tom. I. disp. prooem. a. 2. q. 5.) et a Lycheto (ad loc. cit.) ita explicatur, ut in substantia cum S. Thoma conveniat, qui (S. I. q. 1. a. 7.) unum assignat subiectum, scil. Deum sub ratione Deitatis. Differentia tamen inter utrumque consistit in hoc, quod Scotus putat, hoc subiectum *Deus* intelligi *materialiter*, uti res est et causa omnium veritatum, quas virtualiter in se continet; S. Thomas vero intelligit Deum in ratione *formali*, id est, ut scibilis vel revelabilis, non autem in se et subiective. De hac differentia cfr. Caietanus in Comment. et Macedo (Collationes doctrinae S. Thomae et Scoti, Coll. 2. diff. 4. sect. 4.).

Sententia nunc communior accuratius distinguit in qualibet scientia tria obiecta: obiectum *materiale* (quod in theologia est omne a Deo revelatum) et duplex obiectum *formale*. Horum alterum se tenet ex parte subiecti, de quo est scientia, et est res ipsa, quae primo cognoscitur; hoc vocatur obiectum formale *quod;* alterum se tenet ex parte potentiae ut ratio, sub qua intelligimus, et vocatur obiectum formale *quo*. Hac ultima ratione illae scientiae, quae idem obiectum materiale habent, proprie distinguntur et specificantur.

Uti ex textu patet, S. Bonaventura aliter et tripliciter distinguit subiectum theologiae et secundum hanc distinctionem convenienter triplex subiectum theologiae assignat; sic diversas thelogorum sententias nititur conciliare. Et notandum, quod *totum integrale* est compositum ex partibus, quae cum aliis constituunt totum, unde vocantur partes integrales. *Totum universale* vero est quodlibet superius substantiale sumtum ad suum inferius in linea praedicamentali, ut animal ad hominem et homo ad Socratem. Ita Petrus Hispanus, Bonaventurae coaevus, in sua Summula super librum Topicorum, de locis concomitantibus. Nec sententia Seraphici contradicit S. Thomae, qui unum tantum assignat subiectum, cum hic subiectum praecise sumat ut subiectum *formale quod*. Non tamen negat S. Thomas, quod sub diversis respectibus etiam alia subiecta theologiae rationabiliter assignari possint; immo hoc in utroque loco infra citato sufficienter innuit. Ipse autem S. Bonaventura dicit in corpore quaestionis, et *Deum* esse subiectum, et *Christum*, et *res* et *signa* et *credibile*, tamen diversimode. Unde sibi constans in 1. conclusione ipse cum S. Thoma dicit, Deum esse subiectum theologiae; sed hoc aliter explicat, scil. ut subiectum *radicale*, ad quod omnia reducuntur ut ad principium. Hoc Trigosus intelligit de subiecto *formali adaequato* et sic Seraphicum omnino ad sententiam S. Thomae trahit. Ex contextu tamen patet, intelligendum esse potius de subiecto *materiali*, quatenus Deus est *principium*, a quo omnia derivantur sive, ut dicit in Breviloquio p. I. c. 1: Subiectum, ut a quo omnia, est Deus. In 2. conclus. sub alio respectu ponit Christum ut subiectum materiale adaequatum, per quod et de quo propinque omnia sciantur. In 3. conclus. ponit duplex subiectum, nempe *res* et *signa*, sed sub ratione *credibilis*, et ipsum *credibile*, quatenus veritates revelatae per rationes fiunt intelligibiles et probabiles. In hac ultima conclusione vocabula *totum universale* significant subiectum *formale et attributionis*. Trigosus, Sum. S. Bonav. q. 1. a. 2. dub. 2; Hauzeur, Collatio totius theologiae, tom. I. q. 1.

VI. Auctores antiqui de hac quaestione tractantes: Breviloq. p. I. c. 1. — Alexander Hal., S. p. I. q. 1. m. 3. — Scotus, I. Sent. Prolog. q. 3; I. Report. Prolog. q. 1. — S. Thomas, I. Sent. Prolog. q. 1. a. 4; Sum. I. q. 1. a. 7. — B. Albertus M., Sum. p. I. tr. 1. q. 3. m. 1; I. Sent. d. 1. a. 2. — Petrus a Tarantasia, I. Sent. Prolog. a. 3. — Richardus a Mediavilla, I. Sent. Prolog. q. 6. — Ægidius Romanus, I. Sent. Prolog. p. 1, princip. q. 1. — Henricus Gandaviensis, Sum. a. 19. q. 1. — Durandus, I. Sent. Prolog. q. 5. — Gabriel Biel, I. Sent. Prolog. q. 9.

QUAESTIO II.

Quae causa formalis quive modus procedendi sit in his libris Sententiarum.

Secundo quaeritur [1] de causa *formali* sive modo agendi. Et dictum est, quod est *perscrutatorius* et inquisitivus secretorum.

Ad opposi-tum. SED CONTRA: 1. Isaiae quadragesimo [2]: *Deus dat secretorum scrutatores quasi non sint.*

2. Item, Proverbiorum vigesimo quinto [3]: *Perscrutator maiestatis opprimetur a gloria.*

3. Item, Ecclesiastici tertio [4]: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris.* Ergo, si ea quae Magister perscrutatur, sunt secreta,

[1] Praeter fidem mss. et ed. 1, omissis verbis *Secundo quaeritur*, Vat. deinde addit *huius libri*. — *Et dictum est,* scilicet in Prooemio; *perscrutatorius,* id est rationativus sive rationalis, quod vocabulum S. Bonav. sumsit ex loco Iob, in principio Prooemii posito. Constat quod, suppositis fidei principiis, per usum rationis formatur scientia theologica, cuius obiectum, ut supra q. 1. S. Doctor exposuit, est credibile, prout transit in rationem intelligibilis, et hoc per additionem rationis.

[2] Vers. 23.

[3] Vers. 27; Vulgata legit: *Qui scrutator est maiestatis* etc.

[4] Vers. 22.

sunt magna, sunt alta et fortia, male Magister procedit.

4. Item, *ratione* ostenditur sic: modus procedendi in parte scientiae debet esse uniformis *modo* totalis scientiae [1]; sed modus procedendi in sacra Scriptura est typicus et per modum narrationis, non inquisitionis: cum ergo liber iste pertineat ad sacram Scripturam, non debet procedere inquirendo.

5. Item, modus agendi debet esse conveniens *materiae*, de qua est; unde in principio veteris Ethicae [2] dicitur: « Sermones inquirendi sunt secundum materiam »; sed materia huius doctrinae est credibile; sed credibile est supra rationem: ergo modus procedendi per rationes non convenit huic doctrinae.

6. Item, modus agendi debet esse conveniens *fini*, ad quem ordinatur scientia; sed haec scientia, ut dicit Magister in littera [3], ordinatur ad fidei promotionem; sed rationes fidem non promovent, sed evacuant; unde Gregorius [4]: « Fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum »: ergo talis modus contrariatur fini, ergo non est conveniens. Unde et Ambrosius [5]: « Tolle, inquit, argumenta, cum de fide agitur. Piscatoribus creditur, non dialecticis ». Vanus ergo et inutilis videtur hic modus.

Sed contra: 1. Primae Petri tertio [6]: *Parati,* Fundamenta. *omni poscenti reddere rationem de ea quae in vobis est fide et spe.* Cum ergo multi sint, qui fidem nostram impugnant, non tantum rationem de ea poscunt; utile et congruum videtur per rationes eam astruere et modo inquisitivo et ratiocinando procedere: ergo etc.

2. Item, Richardus de sancto Victore in libro de Trinitate [7]: « Credo sine dubio, ad quorumlibet explanationem, quae necesse est esse, non modo probabilia, sed etiam necessaria argumenta non deesse, licet contingat nostram industriam latere ». Ergo cum fides nostra credat necessaria, et illa habeant rationes latentes, et talia indigeant perscrutatione, ut enodentur [8]; patet quod modus perscrutatorius maxime convenit huic scientiae.

3. Item, non est peioris conditionis veritas fidei nostrae quam aliae veritates; sed in aliis veritatibus ita est, quod omnis, quae potest per rationem impugnari, potest et debet per rationem defendi: ergo pari ratione et veritas fidei nostrae.

4. Item, non est modo fides nostra peioris conditionis quam in principio; sed in principio, quando impugnabatur per falsa miracula magorum, defendebatur per vera Sanctorum: ergo cum modo impugnetur per falsa argumenta haereticorum, debet defendi per vera argumenta doctorum.

CONCLUSIO.

Modus procedendi perscrutatorius sive ratiocinativus convenit huic doctrinae, cum valeat ad confundendum adversarios fidei, ad fovendum infirmos in fide, ad delectandum perfectos.

Respondeo: Dicendum, quod modus perscrutatorius convenit huic doctrinae sive libro. Cum Conclusio. enim finis imponat necessitatem his quae sunt ad finem; quia, sicut dicit Philosophus [9]: « Serra est dentata, quia est ad secandum »; sic iste liber, quia est ad promotionem fidei, habet modum inquisitivum. Modus enim ratiocinativus sive inquisitivus valet ad fidei promotionem, et hoc tripliciter secun-

---

[1] Cod. R propositionem maiorem sic exhibet: *modus procedendi in scientia debet convenire scientiae.*

[2] Nullius mss. auctoritate ponit Vat. *primo Ethicorum.* Lectio mss. confirmatur codice lat. 6569 Bibliothecae Regalis Parisiensis, qui continet Aristotelis Ethicam in duas partes distributam. Prima pars comprehendit *primum* Ethicorum librum estque translationis graeco-latinae, uti ex verbo *proheresis*, quod iam in principio occurrit, colligitur. Haec pars intitulatur *Ethica nova.* Secunda pars complectitur *secundum et tertium* Ethicorum librum et vocatur *Ethica vetus.* Vide Jourdain: Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote, pag. 179, ubi et de hac *Ethica veteri* adiungitur: Non videtur mihi, quod haec translatio sit aetatis multum antiquioris. Ibidem citatur alia graeco-latina translatio Ethicorum, quae in operibus S. Thomae sub nomine *Translatio vetus* invenitur, in eaque (II. c. 2.) locus a S. Bonaventura allegatus sic exhibetur: Sermones sunt expetendi secundum materiam. Similis locus habetur quidem I. Ethic. c. 3, qui tamen etiam in cit. antiqua translatione aliis verbis exhibetur: Dicetur autem utique sufficienter, si secundum subiectam materiam manifestetur. — Mox Vat., refragantibus mss. et ed. 1 pro *sed credibile* non ita bene *et credibile*, quia est minor subsumta. In hac propositione forsan respicitur illud Dionysii de Div. Nom. c. 1: Eius quidem (Divinitatis) scientia et contemplatio omnibus invia est.

[3] Infra in Prologo.

[4] Homil. 26. in Evang.

[5] Quoad hunc textum Ambrosii notamus, quod ipse tam in mss. quam in Vat. exhibetur sub nomine *Hieronymi*, at falso; non enim in operibus S. Hieronymi habetur, sed in Ambrosii libro I. de Fide c. 13. n. 84. his verbis profertur: Aufer argumenta, ubi fides quaeritur... non creditur philosophis, creditur piscatoribus; non creditur dialecticis, creditur publicanis. — In quo textu Vat., non consentientibus antiquioribus mss. et ed. 1, ante *piscatoribus* ponit *pastoribus et.*

[6] Vers. 15, ubi Vulgata legit: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe. — Mox lectionem Vat. *utique* pro *non tantum*, in qua et constructio propositionis perturbatur et sensus ipsius non integre redditur, emendamus ex fere omnibus mss. (aliqui ut H ff falso habent *non tamen*) et ed. 1. Cod. B vero bene explicans aliorum codd. lectionem ponit *et non tantum.* Mox cod. R non ita bene *eos instruere* loco *eam astruere;* et immediate post ex codd. A F G H I R S T etc. cum ed. 1 *inquisitivo* pro *inquisitorio* substituimus.

[7] Libr. I. c. 4. — Vat., reluctantibus mss. et ed. 1, circa initium huius textus omittit relativum *quae* et verbum *est*, quibus omissis sensus omnino perturbatur.

[8] Plures codd. ut M P Z cum ed. 1 *enucleentur.*

[9] Aristot., II. Phys. in fine, text. 92, ubi legitur: Haec autem (divisio sive sectio) non erit, nisi serra habeat dentes tales. Et I. de Partib. animal. c. 5: Non enim sectio serrae gratia facta est, sed serra sectionis gratia.

dum tria genera hominum. Quidam enim sunt fidei *adversarii*, quidam sunt in fide *infirmi*, quidam vero *perfecti*.

Triplex utilitas.

Modus inquisitivus valet *primo ad confundendum adversarios*. Unde Augustinus primo de Trinitate [1]: Adversus garrulos ratiocinatores elatiores quam capaciores rationibus catholicis et similitudinibus congruis ad defensionem et assertionem fidei est utendum. *Secundo* valet *ad fovendum infirmos*. Sicut enim Deus caritatem infirmorum fovet per beneficia temporalia, sic fidem infirmorum fovet [2] per argumenta probabilia. Si enim infirmi viderent, rationes ad fidei probabilitatem deficere et ad oppositum abundare, nullus persisteret. *Tertio* valet *ad delectandum perfectos*. Miro enim modo anima delectatur in intelligendo quod perfecta fide credit. Unde Bernardus [3]: « Nihil libentius intelligimus, quam quod iam fide credimus ».

Solutio oppositorum.

1. 2. 3. Quod ergo obiicitur in contrarium, dicendum, quod omnes illae auctoritates intelliguntur de perscrutatione curiosa, non de perscrutatione studiosa. Nam ipse Dominus dixit Iudaeis, Ioannis quinto [4]: *Scrutamini scripturas* etc.

Theologia subalternatur S. Scripturae.

4. Quod obiicitur, quod iste [5] modus non competit sacrae Scripturae; dicendum ad hoc, quod liber iste ad sacram Scripturam reducitur per modum cuiusdam subalternationis, non partis principalis; similiter et libri doctorum, qui sunt ad fidei defensionem. Quod patet sic: quia non *quaelibet* determinatio trahens in partem facit subalternationem scientiae, sed determinatio quodam modo *distrahens* [6]. Nam scientia de linea recta non dicitur subalternari geometriae, sed scientia de linea visuali, quoniam haec determinatio quodam modo trahit ad alia principia. Quoniam igitur sacra Scriptura est de credibili ut credibili [7], hic est de credibili ut facto intelligibili, et haec determinatio *distrahit* — « nam quod credimus debemus auctoritati, et quod intelligimus, rationi [8] » — hinc est, quod sicut alius modus certitudinis est in scientia superiori et inferiori, ita alius modus certitudinis est in sacra Scriptura et alius in hoc libro, et ideo alius modus procedendi. Et sicut scientia subalternata, ubi deficit, redit ad certitudinem scientiae subalternantis, quae maior est; sic etiam, cum Magistro deficit certitudo rationis, recurrit ad auctoritatis certitudinem [9] sacrae Scripturae, quae excedit omnem certitudinem rationis.

5. Quod tu obiicis, quod [10] debet convenire *materiae*; dicendum, quod convenit. Et quod obicitur, quod credibile est supra rationem; verum est, supra rationem quantum ad *scientiam acquisitam* [11], sed non supra rationem *elevatam per fidem* et per donum scientiae et intellectus. Fides enim elevat ad assentiendum; scientia et intellectus elevant ad ea quae credita sunt intelligendum.

6. Quod obiicitur, quod [12] non convenit *fini*, quia evacuat meritum; dicendum, quod, quando assentitur propter se rationi, tunc aufertur locus fidei, quia in anima hominis dominatur violentia rationis. Sed quando fides non assentit propter rationem, sed propter amorem eius cui assentit, desiderat habere rationes; tunc non evacuat ratio humana meritum, sed auget solatium. Et primo modo intelligit [13] Hieronymus, quod non sunt inducenda argumenta dialectica, quibus homo principaliter innitatur, quia innitendum est auctoritati principalius quam rationi.

---

[1] Cap. 2, ubi dicitur: Istis garrulis ratiocinatoribus, elatioribus quam capacioribus atque ideo morbo periculosiore laborantibus, sic fortasse serviemus, ut inveniant aliquid, unde dubitare non possint. — Vat. contra mss. et ed. 1 in hoc textu post *ratiocinatoribus* addit *magis*.

[2] Cod. K hic addit *quis*, sed non bene, ut videtur.

[3] Libr. V. de Consid. c. 3. in fine: Nil autem malumus scire, quam quae fide iam scimus.

[4] Vers. 39.

[5] Substituimus ex antiquioribus mss. et ed. 1 *iste* pro *ille*.

[6] Id est, quae rem ad alium conceptum vel ad alia principia specialia trahit.

[7] Ita antiquiores mss. (quorum aliqui ut A F G P Q ee cum ed. 1 ante *credibili* repetunt praepositionem *de*) contra Vat., quae habet *credibile*. — Mox per demonstrativum *hic* intelligitur liber Sententiarum. Cod. B addit *vero*, cod. O habet *haec autem scientia* loco *hic*. Dein cod. F pro *facto* ponit *ratione*.

[8] August. de Utilit. credendi c. 11. n. 25: Quod intelligimus igitur debemus rationi, quod credimus auctoritati. In quo textu plures codd. ut F G H T etc. cum Vat. *debetur* pro *debemus*.

[9] Vat. cum recentiori cod. cc, omittendo *certitudinem*, legit *auctoritates*; codd. B L N O T ee lectionem Vat. servantes addunt *et ad certitudinem*; codd. autem C D F M P Q U W X Z aa bb exhibent lectionem in textum receptam, quam praeferimus eo, quod in ipsa duae species certitudinis, scilicet *auctoritatis* et *rationis*, distinctiori modo exhibentur.

[10] Supple: *modus*, quod Vat. sola addit. — Cod. R *obiicitur* loco *tu obiicis*.

[11] Hoc est, habitam investigatione naturalis rationis et modo naturali, qui secundum Scholasticos a via sensus et experientiae incipit. Huic scientiae opponitur scientia infusa, sub qua continetur cognitio fidei, utpote quae tam respectu obiecti cogniti, quam respectu modi cognoscendi homini immediate a Deo praestatur. Cfr. III. Sent. d. 35. q. 2. — Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 hic addit *per rationem evidentem*, quam additionem tamen nimis arctam iudicamus; certum siquidem est quod ratio, nisi elevetur per donum fidei, ad stricte credibilium cognitionem ne quidem *probabilem* pertingere non possit. Melius cod. K pro *ad scientiam acquisitam* ponit *ratio in se consideratur*. — Mox plurimi codd. A B C D F G I L M P Q S T V X Y ee *sapientiae* loco *scientiae*, quod tamen ex subnexis improbatur.

[12] Supple: modus iste. — Mox ad idem subiectum propositionis servandum fide multorum mss. A F G I K R S T etc. et ed. 1 praeferimus *evacuat* passivo *evacuatur*, quod habet Vat.

[13] Faventibus mss. et ed. 1, removimus additionem Vat. *Gregorius similiter et*, quae additio, sicuti iacet, omissa scil. qualibet interpunctione, erronea est, quia quae sequuntur non respiciunt verba Gregorii, sed solummodo Hieronymi. Cod. D post *intelligit* adiungit particulam *et*.

SCHOLION.

I. In solut. *ad 4.* S. Doctor tangit aliam quaestionem, utrum scil. theologia sit *scientia subalternata*, de qua scholae Scoti et D. Thomae dissentiunt, quatenus eius subalternatio intelligitur respectu *theologiae beatorum*. Scotus enim negativam sententiam tenet, sumendo *subalternationem* in sensu stricto cum omnibus conditionibus, quas requirit Aristoteles (I. Poster. c. 10.); S. Thom. vero (S. I. q. 1. a. 2.) subalternationem aliquam admittit. Seraphicus autem hic loquitur tantum de subalternatione relate ad *s. Scripturam* et in hac solutione omnino concordat cum S. Thoma (S. I. q. 1. a. 2.), Scoto (hic Prolog. q. 4. et 5.) aliisque doctoribus. — De subalternatione respectu theologiae *beatorum* cfr. Scot., I. Report. Prolog. q. 3. a. 3. quaestiunc. 4; I. Sent. Prolog. q. 4. 5. — S. Thom., S. I. q. 4. a. 2. cum Comment. Caietani. — B. Albert., I. Sent. d. 1. a. 4. ad ult. — Richard. a Med., I. Sent. Prolog. q. 1. et 5. — Ægid. R., I. Sent. Prolog. p. 1. princ. 2. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 7. q. 4. et seqq. — Durand., I. Sent. Prolog. q. 7. et 8.

II. Cum dicitur in solut. *ad 6*: Quando assentitur propter se rationi; sensus est: quando homo non habet voluntatem aliquid credendi nisi propter rationem convincentem. Cfr. Sent. d. 24. a. 2. q. 1. ad 2. et 5. — Notabilis est forma locutionis: « In anima hominis *dominatur violentia rationis* ». Ratio enim humana, quae se intra suos limites angustos claudendo influxum primae veritatis reiicit legitimoque suo Domino obsequium denegat, iusto iudicio condemnatur, ut sub iugo erroris servire debeat.

III. In solutione ipsius quaestionis omnes doctores satis consentiunt, et plurima hic dicta confirmantur Conc. Vaticano cap. IV. de fide cath. — Bonav. Breviloq. Prooem.; Comment. in Evang. S. Ioannis, Prolog. n. 10. (in I. tom. Suppl. Bonelli). — Alex. Hal., S. p. I. q. 2. m. 3. a. 4. — Scot., I. Sent. Prolog. q. 3. in fine; II. Sent. d. 1. q. 4. — S. Thom., I. Sent. Prolog. q. 1. a. 5; S. I. q. 1. a. 8. — B. Albert., S. p. I. tr. 1. q. 5; I. Sent. d. 1. a. 5. — Petr. a Tar., I. Sent. Prolog. a. 6. — Richard. a Med., I. Sent. Prolog. q. 7. — Henr. Gand., S. a. 14. q. 2; a. 8. q. 1. — Dionys. Carth., I. Sent. Prolog. q. 3. — Durand., I. Sent. Prolog. q. 1. — Gabr. Biel, I. Sent. Prolog. q. 7.

QUÆSTIO III.

Utrum hic liber sive theologia sit contemplationis gratia, an ut boni fiamus, sive utrum sit scientia speculativa, an practica.

Tertio quaeritur [1] de causa *finali*. Et cum dictum sit, quod liber iste est ad revelandum abscondita, quaeritur, utrum opus hoc sit contemplationis gratia, vel ut boni fiamus. Et quod sit, ut boni fiamus, videtur sic.

Fundamenta. 1. Omnis doctrina, quae est de his, sine quorum cognitione non contingit recte vivere, est, ut boni fiamus; sed iste liber est ad cognitionem verae [2] fidei, sine qua *impossibile est placere Deo* nec recte vivere, ut dicitur ad Hebraeos undecimo [3]: ergo iste liber est, ut boni fiamus.

2. Item, omnis doctrina, quae convenit cum *virtute* in obiecto, est, ut boni fiamus; haec per se manifesta est; sed haec doctrina convenit cum fide in obiecto, quia est de credibili, de quo etiam est fides sive in quo: ergo etc.

3. Item, doctrina particularis convenit cum totali in *fine*; sed finis totalis Scripturae sacrae non est tantum, ut fiamus boni, sed etiam ut fiamus beati; et beatitudo est optimum: ergo finis istius scientiae est, ut boni fiamus.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Magister dicit in littera [4], quod finis sive intentio sua « est theologicarum inquisitionum abdita pandere »; sed hoc pertinet ad eum, cuius finis est speculatio: ergo etc.

2. Item, scientia, quae est, ut boni fiamus, pertinet ad mores; sed cum theologia sit de fide [5] et moribus, liber autem iste de his quae spectant ad fidem, non de his quae spectant ad mores: ergo opus hoc non est, ut boni fiamus.

3. Item, omnis scientia, quae est, ut boni fiamus, est practica; sed omnis talis est de his quae sunt ab opere nostro [6]; sed haec non est de his quae sunt ab opere nostro, sed a Deo: ergo est contemplationis gratia, non ut boni fiamus.

---

[1] Vat. proprio marte omittit *Tertio quaeritur*.

[2] Ita plures codd. ut A I K T X etc. cum ed. 1 contra Vat., quae habet *nostrae*; praeferimus lectionem codd., utpote quae est S. Doctori familiarior et planius exprimit praerequisitum ad recte vivendum.

[3] Vers. 6.

[4] In Prolog. vide infra.

[5] Substituimus particulam *et* pro *non de*. Dubium quidem non leve hac in re ingerebatur nobis eo, quod, cum Scholasticorum tempore theologia communiter dicta contineretur compendiose in libro Sententiarum, sicuti de isto libro statim subiicitur, quod sit *de his quae spectant ad fidem, non de his quae spectant ad mores*, ita etiam de theologia dicendum sit, quod *sit de fide, non de moribus*. Sed consentientibus omnibus mss. et ed. 1, lectionem Vat. mutavimus; qua mutatione supposita, *theologia* largiori sensu accipienda est, quatenus diversas complectitur disciplinas. — Mox plures codd. inter quos et cod. T cum ed. 1 post *iste* addunt *est*.

[6] Duabus his propositionibus consimiles habet Aristot., II. Ethic. c. 2: Quoniam praesens tractatio (Ethicae) non est speculationis causa, quemadmodum aliae; non enim fit, ut cognoscamus, quid sit virtus, sed ut boni efficiamur. Et II. Metaph. text. 3. (I. brevior. c. 1.): Speculativae etenim (scientiae) finis veritas, practicae autem opus. — Secundam huius argumenti propositionem cod. K ita exhibet: *et omnis scientia practica est de his quae sunt ab opere nostro, non a Deo: sed ista scientia non est* etc.

CONCLUSIO.

Scientia thelogica est habitus affectivus et medius inter speculativum et practicum, et pro fine habet tum contemplationem, tum ut boni fiamus, et quidem principalius, ut boni fiamus.

Respondeo: Ad intelligentiam praedictorum notandum est, quod perfectibile a scientia est intellectus noster.[1] Hunc autem contingit considerare tripliciter, scilicet *in se*, vel prout extenditur *ad affectum*, vel prout extenditur *ad opus*. Extenditur autem intellectus per modum dictantis et regulantis. Secundum hunc triplicem statum, quia[2] errare potest, habet triplicem *habitum directivum*. Nam si consideremus intellectum *in se*, sic est proprie speculativus et perficitur ab habitu, qui est contemplationis gratia, qui[3] dicitur *scientia speculativa*. Si autem consideremus ipsum ut natum extendi *ad opus*, sic perficitur ab habitu, qui est, ut boni fiamus; et hic est *scientia practica* sive moralis. Si autem medio modo consideretur ut natus[4] extendi *ad affectum*, sic perficitur ab habitu medio inter pure speculativum et practicum, qui complectitur utrumque; et hic habitus dicitur *sapientia*, quae simul dicit cognitionem et affectum: *Sapientia enim doctrinae est secundum nomen eius*, Ecclesiastici sexto.[5] Unde hic est contemplationis gratia, et ut boni fiamus, principaliter tamen, ut boni fiamus.

Intellectus triplici habitu perficitur.

Sapientia est scientia sapida.

Talis est cognitio tradita in hoc libro. Nam cognitio haec iuvat fidem, et fides sic est in intellectu, ut, quantum est de sui ratione, nata sit movere affectum[6]. Et hoc patet. Nam haec cognitio, quod Christus pro nobis mortuus est, et consimiles, nisi sit homo peccator et durus, movet ad amorem; non sic ista: quod diameter est asymeter costae[7].

Conclusio.

Concedendum ergo, quod est, ut boni fiamus.

1. Quod obiicitur, quod[8] est ad pandendum abscondita; dicendum, quod ibi non est status, quia illa revelatio ordinat ad affectum.

Solutio oppositorum.

2. 3. Quod obiicitur, quod non est de moribus nec de his quae sunt ab opere nostro; iam patet responsio ad illud[9], quia ipse loquitur de illa quae proprie est, ut boni fiamus, ut de practica.

SCHOLION.

I. Haec quaestio communiter sic proponitur: utrum theologia sit speculativa, an practica? Attamen, stricte loquendo, inter hunc et illum loquendi modum est differentia. Nam *proprie practica* est notitia, quae per se est ordinabilis ad *operationem;* et in hoc sensu S. Doctor negat, theologiam esse practicam (ad 2. et 3.). Sed ut *boni fiamus* per directionem ad *finem ultimum* sive per inflammationem affectus, hoc inter speculativas scientias propriissime convenit theologiae.

II. In corp. tangitur quaestio inter scholasticos agitata, utrum theologia sit *sapientia*, quod communiter affirmatur, cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 1. m. 1. — Scot., I. Sent. Prolog. q. 3. — S. Thom., I. Sent. Prolog. a. 1. q. 3; S. I. q. 1. a. 6. — B. Albert., I. Sent. d. 1. a. 4. ad 1. — Richard. a Med., I. Sent. Prolog. q. 5. ad 3. — Ægid. R., I. Sent. Prolog. p. 2. q. 1. — Petr. a Tar., I. Sent. Prolog. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 6. q. 2. — Durand., I. Sent. Prolog. q. 1. in fine.

III. In ipsa solutione quaestionis cum Seraphico Doctore et re et modo loquendi conveniunt Alex. Hal., B. Albert., Petr. a Tar., Ægid. R., Thom. de Argentina. S. Thom. in Commentar. in Sent. loco infra cit. simpliciter dicit: Ergo (scientia sacra) non est practica, sed speculativa; in Summa vero: Comprehendit sub se utrumque, magis vero est speculativa quam practica. Haec ultima solutio parum distat a doctrina Seraphici, quod patet sic.

---

[1] Hoc est, intellectus est subiectum aptum perfici a scientia. — Vat., refragantibus mss. et ed. 1, ponendo *perfectibilis* transponit verba *a scientia* post *noster*.

[2] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1, transponendo *quia* cum praefixa particula *et*, in principio huius propositionis aliqualiter respectum considerationis immutat. — Mox cod. X *perfectivum* pro *directivum*, et plures codd. ut CFGLRS etc. corrupte *ductivum*.

[3] Vat. minus bene *quae*. Simile recurrit in sequenti propositione, in qua Vat. habet *haec* pro *hic;* utrobique tamen contra maiorem partem mss. ut ACFGHKMPQSTUWZ cc ee ff et ed. 1.

[4] Codd. K et Z, sicuti in praecedentibus, *consideremus ut natum*. — Mox ex mss. et ed. 1, 2, 3, 6 castigavimus mendum Vat. legentis *effectum* pro *affectum*.

[5] Vers. 23, ubi Vulgata transponit *est* post *nomen*. — Sensus est: sapientia secundum etymologiam tempore S. Doctoris communiter receptam idem est ac *sapida scientia*, sive *scientia*, quae dat *saporem*. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 1. m. 1; S. Bonav., III. Sent. d. 35. q. 1. — Paulo supra ante *simul* Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 *quia* loco *quae*. — In principio sequentis propositionis sub demonstrativo *hic* subaudi *habitus;* ed. 1 habet *haec*, quod refertur ad *sapientia*. — Mox cod. K cum ed. 1 satis bene *principalius* loco *principaliter*.

[6] Codd. I et T *et fides licet sit in intellectu, tamen quantum est de sui ratione, nata est movere affectum;* lectio non spernenda. — Mox cod. X pro *Et hoc* ponit *Quod sic*. Dein ex fere omnibus mss. et ed. 1 hic restituimus particulam *quod*, quae deest in Vat., sed modo loquendi Scholasticorum magis congruit; e contra paulo infra post *amorem* expunximus fide mss. et ed. 1 in Vat. addita verba *et devotionem*.

[7] Id est, diameter quadrati est incommensurabilis lateri, quae sententia occurrit in IV. Phys. Aristot., ubi iuxta antiquam versionem impressam Venetiis 1489 studio Bernardino de Tridino, textu 120. (ed. Paris. c. 12.) sic legitur: Quoniam neque quod non est, erit in tempore, ut quaecumque non contingunt aliter esse, sicut diametrum esse lateri symetrum. Et ibidem iuxta translationem arabico-latinam: Illud quod impossibile est, ut sit aliter, ut diametrum esse symetrum costae (τὴν διάμετρον εἶναι τῇ πλευρᾷ σύμμετρον.). Pro quo textu in Vat. habetur *circulus vincit diametrum*, sed obstant codd. et ed. 1.

[8] Subaudi hic et in principio sequentis responsionis: liber iste, vel, scientia praesentis libri.

[9] Vat. contra mss. et sex primas edd., perturbata propositionis constructione, habet *duo ultima* pro *illud*. Immediate post plures codd. ut CFHLOQ etc. minus bene *quod* loco *quia*. — Mox post *illa* supple cum Vat. *scientia*.

1. Uterque admittit praeter scientiam speculativam et practicam tertium membrum, quod simul utrumque continet. Licet Scotus (Prolog. q. 4.) de hac divisione male sentiat, tamen fere ab omnibus et rationabiliter admittitur et bene defenditur ab Ægid. Rom. loc. cit. Ita habitus theologicae scientiae, cum sit superioris ordinis, quia fundatur in principiis fidei, quae imperatur a voluntate et involvit inclinationem in Deum, videtur esse eminenter speculativus et aliquo modo practicus; habet enim virtutem et intellectum illuminandi et affectum inflammandi. Unde saltem in sensu largo haec scientia potest appellari practica, licet ex parte *obiecti* non immediate dirigat operationem, quia ex parte *finis* de sui ratione inclinat ad amorem Dei. Pro explicatione servire potest III. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. in corp.

2. Si S. Thomas dicit, quod theologia sit magis speculativa quam practica, hoc verum est, si consideratur ex parte *obiecti;* et hanc rationem etiam S. Bonaventura satis innuit, cum in solut. ad 2. et 3. neget, quod haec scientia sit practica in sensu stricto. Si vero Seraphicus affirmat, quod sit « principaliter, ut boni fiamus », hoc iterum verissimum est, si spectatur eius *finis,* qui certe magis est, ut boni fiamus, quam ut tantum divina speculemur.

3. S. Bonaventura hic theologiam expresse non nominat scientiam *affectivam;* tamen tertium membrum divisionis, quod speculativum et practicum in se complectitur, non inepte cum B. Alberto aliisque antiquis hoc vocabulo distingui potest, attendendo finem principalem, qui est caritas in affectu. Nam a fine principali aliqua res nomen bene sortiri potest. — De duplici genere cognitionis, scil. speculationis et devotionis, cfr. III. Sent. d. 35. q. 1.

IV. De tota quaestione: Alex. Hal., S. p. I. q. 1. m. 1. et 2. — Scot., I. Sent. Prolog. q. 4. — S. Thom., I. Sent. Prolog. q. 1. a. 3; S. I. q. 1. a. 4. — B. Albert., S. p. I. tr. 1. q. 3. m. 3; I. Sent. d. 1. a. 4. — Petr. a Tar., I. Sent. Prolog. a. 4. — Richard. a Med., Prolog. q. 4. — Henr. Gand., S. a. 8. q. 3. et seqq. — Dionys. Carth., I. Sent. prolog. q. 2. — Durand., I. Sent. Prolog. q. 6. — Biel, I. Sent. Prolog. q. 12.

QUÆSTIO IV.

Quae sit causa efficiens sive auctor huius libri.

Postremo ad maiorem evidentiam potest quaeri [1] de causa *efficiente.* Et dicitur fuisse Magister Petrus Lombardus, Parisiensis Episcopus. Sed quod non debeat dici *auctor* huius libri, videtur [2].

Ad oppositum. 1. Ille solus dicendus est auctor libri, qui est doctor sive auctor doctrinae; sed, sicut dicit Augustinus in libro de Magistro [3]: « Solus Christus est doctor » : ergo solus debet dici huius libri auctor.

2. Item, sicut dicit Philosophus in Ethica veteri [4]: « Non quicumque facit grammaticalia vel musicalia, debet dici grammaticus vel musicus, utpote si faciat casu, vel fortuna, vel alio supponente sive dicente » ; sed Magister hoc opus composuit ex aliena doctrina, sicut ipse dicit in littera [5], quod « in hoc opere maiorum exempla doctrinamque reperies » : ergo non debet dici auctor.

Si tu dicis [6], quod non tantum hic est doctrina Sanctorum, sed etiam sua, ratione cuius debet dici auctor; *contra:* « A maiori et digniori debet fieri denominatio [7] » ; sed Magister dicit, quod « paulisper vox sua insonuit, et tunc a paternis limitibus non discessit » : ergo non deberet iste liber dici esse Magistri.

Fundamenta. Contra: Constat quod Deus hoc opus non scripsit digito suo, ergo habuit alium, creatum auctorem [8]; sed non est dare alium nisi Magistrum.

Item, si auctoritas Magistri in hac causa recipitur, ipse dicit in littera [9]: « In multo labore et sudore hoc volumen, Deo praestante, compegimus » : ergo videtur, quod ipse fuit auctor praesentis libri.

CONCLUSIO.

Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, est auctor huius libri.

Respondeo: Ad intelligentiam dictorum notandum, quod quadruplex est modus faciendi librum. Quadruplex modus faciendi libros. Aliquis enim scribit aliena [10], nihil addendo vel mutando; et iste mere dicitur *scriptor.* Aliquis scribit aliena, addendo, sed non de suo; et iste *compilator* dicitur. Aliquis scribit et aliena et sua, sed aliena

---

[1] Suffragante nullo codice, Vat., omissis praecedentibus verbis, incipit ab istis: *De causa.*

[2] Vat. adiungit *sic,* quod tamen deest in mss. et sex primis edd.

[3] Colligitur ex c. 14. Cfr. etiam Expos. in Epist. I. S. Ioan. Tract. 4.

[4] Verba Aristotelis (II. Ethic. c. 4.) iuxta antiquam translationem in operibus S. Thomae (Parmae 1867) sunt: Vel neque in artibus ita (res) se habet? Contingit enim grammaticum quid facere a casu et alio supposito; tunc igitur grammaticus, si grammaticum quid faciat et grammatice. — Vide supra q. 2. arg. 5. ad opp. — Vat. sola post Ethica omittit *veteri.* — Codd. ILNOVX *vel docente* pro *sive dicente.*

[5] In Prologo. — Ex mss. et sex primis edd. substituimus *sicut* loco *nam* et mox supplevimus omissum *quod.*

[6] Plures codd. AHIKT etc. *dicas.*

[7] Aristot., II. de Anima text. 49. (c. 4.): *A fine appellari omnia iustum est.* Finem autem Aristot. diversis in locis (II. Phys. text. 23. et V. Metaph. text. 3.) dicit esse *optimum rei.* — Verba Magistri mox citata vide infra in Prologo. Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 in prima parte verborum Magistri post *quod* addit *si* et ultimam eorum partem ita exhibet: *non tamen a paternis limitibus discessit.* Sed notandum, quod S. Doctor saepe saepius verba sive Magistri sive S. Patrum non verbotenus, sed tantum ad sensum recitet. — Mox ex pluribus codd. CFGIKL RST etc. *deberet* posuimus pro *debet.*

[8] Vat. cum recentiori cod. cc, omisso *creatum,* non bene habet *doctorem* pro *auctorem,* antiquioribus mss. et ed. 1 reluctantibus.

[9] In Prologo; vide infra. — In prima propositione huius argumenti post *Item* ex antiquioribus mss. et ed. 1 adiecimus *si* et dein substituimus *causa* pro *parte,* quae lectio iam ex isto adagio: Nemo in propria causa est iudex, praeferenda videtur. — Mox post *recipitur* in Vat. additur *ideo cum,* quod abest a mss. et ed. 1.

[10] Vat. et recentior cod. cc non cohaerenter cum consequentibus habent *alienam materiam,* obnitentibus antiquioribus mss. et ed. 1.

tamquam principalia, et sua tamquam annexa ad evidentiam; et iste dicitur *commentator*, non auctor [1]. Aliquis scribit et sua et aliena, sed sua tamquam principalia, aliena tamquam annexa ad confirmationem; et talis debet dici *auctor*. Talis fuit

Conclusio. Magister, qui [2] sententias suas ponit et Patrum sententiis confirmat. Unde vere debet dici auctor huius libri.

Solutio oppositorum. 1. Quod ergo obiicitur, quod solus Christus est doctor et auctor; dicendum, quod sicut dicit Augustinus in libro de Doctrina christiana [3], docere est dupliciter, sicut dicitur dupliciter aliquis facere videre. Aliter enim facit videre qui visum restituit, aliter, qui visibile digito ostendit; et [4] primum facit Deus, secundum homo. Similiter aliter docet qui scientiam, quam habet in anima [5], verbo vel scripto offert vel ostendit, aliter, qui habitum scientiae imprimit; uterque tamen dicitur doctor et auctor, sed Deus principalius; sic [6] in proposito.

2. Quod obiicitur, quod fecit [7] librum, alio supponente; dicendum, quod non ideo dicitur facere aliquis, supponente alio, quia [8] ab alio didicit — tunc enim pauci essent doctores vel grammatici — sed si omnino scientia eius dependet ab alio, ita quod non habet habitum intra, sicut illi qui faciunt bonum latinum, quia alii eis [9] dixerunt, sed ipsi ignorant artem; hoc modo non fuit Magister. Nam a scientia, quam acquisierat longo tempore vel labore, hoc opus composuit et per doctrinas Patrum suas sententias [10] confirmavit. Et quod sunt ibi multa dicta aliorum, hoc non tollit Magistro auctoritatem, sed potius eius auctoritatem confirmat [11] et humilitatem commendat.



[1] Sequimur codd. R T X cc addendo *non auctor*, quae lectio et ex se et ex subnexis probatur, insuper ex falsa lectione multorum codd. ut ABFHIMVWYZ aa bb cc ff cum ed. 1 *et auctor* confirmatur.

[2] Fide mss. et ed. 1 mutavimus *quoniam* in *qui*. Mox plures codd. ut FHIOTU aa et ed. 1 *per Patrum sententias*.

[3] In Prooemio, ubi haec Augustini sententia quoad sensum verborum invenitur.

[4] In Vat. deest particula *et* a mss. et ed. 1 exhibita.

[5] Falsam lectionem Vat. et cod. cc *alium* pro *anima* emendamus ope aliorum mss. et ed. 1.

[6] Substituimus ex codd. DFHR aa cc et ed. 1 *sic* loco *sicut;* quae lectio sincerior nobis videtur eo, quod per particulam *sic* applicatio generalium principiorum in praecedentibus nondum facta, sed iam facienda melius indicatur. Codd. D cc et ed. 1 addunt *est*.

[7] Subaudi: Magister.

[8] Codd. BCDGHKOSUV cc ff cum ed. 1 *qui* pro *quia*, Cod. A *quae*, sed non bene propter superius positum *non ideo*. Paulo post Vat. contra mss. et ed. 1 *dependeat* pro *dependet* et *habeat* loco *habet*.

[9] Lapsum librariorum in Vat. *ei* pro *eis* emendavimus; paulo post reposuimus *fuit* loco *fecit librum istum* auctoritate mss. et ed. 1.

[10] Codd. FOX *per doctrinas et Patrum sententias;* lectio non spernenda, a qua codd. HSV et ed. 1 in eo tantum discedunt, quod omittant particulam *et*. Cod. R *per catholicas Patrum sent ntias.*

[11] Non ita bene Vat. cum recentiori cod. cc omittit *confirmat*, quod tamen in antiquioribus mss. et ed. 1 habetur.

PROLOGUS MAGISTRI

IN LIBROS SENTENTIARUM[1].

Amor catholicae veritatis, et odium haereticae pravitatis Magistrum movent ad aggrediendum hoc opus.

Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra cum paupercula in gazophylacium Domini mittere[2], ardua scandere, opus ultra vires nostras agere praesumsimus, consummationis fiduciam laborisque mercedem in Samaritano[3] statuentes, qui, prolatis in curationem semivivi duobus denariis, supereroganti cuncta reddere professus est. Delectat nos veritas pollicentis, sed terret immensitas laboris: desiderium hortatur proficiendi, sed dehortatur infirmitas deficiendi, quam vincit zelus domus Dei. « Quo[4] inardescentes, fidem nostram adversus errores carnalium atque animalium hominum » Davidicae turris clypeis munire vel potius munitam ostendere ac theologicarum inquisitionum abdita aperire nec non et sacramentorum ecclesiasticorum pro modico[5] intelligentiae nostrae notitiam tradere studuimus, « non valentes studiosorum fratrum votis iure resistere, eorum in Christo laudabilibus studiis lingua ac stilo nos servire flagitantium, quas bigas in nobis agitat Christi caritas[6] ».

« Quamvis[7] non ambigamus, omnem humani eloquii sermonem calumniae atque contradictioni aemulorum semper fuisse obnoxium, quia, dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit animorum sensus », « ut, cum omne dictum veri ratione perfectum sit, tamen, dum aliud aliis aut videtur aut complacet, veritati vel non intellectae vel offendenti[8] impietatis error obnitatur, ac voluntatis invidia resultet », « quam *Deus huius saeculi operatur* in illis *diffidentiae filiis*[9], qui non rationi voluntatem subiiciunt nec doctrinae studium impendunt, sed his quae somniarunt sapientiae verba coaptare nituntur, non veri, sed placiti rationem sectantes, quos iniqua voluntas non ad intelligentiam

---

[1] Editiones et codices, quos contulimus, aut omittunt hanc epigraphem, aut varie exhibent; cumque non sibi constent, nihil est cur in ea aliquid immutemus. Editores Vaticani, editionem 2 secuti, hunc prologum in tres partes diviserunt, singulas singulis titulis distinguentes, at contra fidem omnium codicum nec non aliarum editionum, quorum auctoritate divisionem sustulimus, titulis contractis et in marginem reiectis. Ipse S. Bonaventura in Commentario hunc prologum in duas partes principales dispertit in margine notatas.

[2] Respicitur illud Luc. 21, 2; et Marc. 12, 42. — Mox post verbum *scandere* in sola ed. 8 additur coniunctio *et*.

[3] Alluditur ad Luc. 10, 35.

[4] Haec verba, paucis mutatis vel transpositis a Magistro, ita leguntur apud August. III. de Trin. n. 1: « Pro studio, quo fidem nostram adversus errorem carnalium et animalium hominum muniri inardesco, necesse est me pati ». Omnes codd. et edd. cum. Vat. legunt *atque* pro *et*. *Errorem* vero pro *errores* habet cum Augustino etiam ed. 2, quam tamen, contradicentibus omnibus codd. ceterisque edd., sequi non licet, cum perfamiliare fuerit Magistro verba, quae aliunde accipit, in usum suum mutare, ea per varios casus inflectendo, transponendo et minuendo, vel de suo alia interponendo et addendo. Quod non semel lectoribus observandi occasionem dabimus.

[5] Cod B cum omnibus edd. legit *pro moduto*, refragantibus Codd. A C D E cum aliis plurimis, quos Florentiae et Patavіae consuluimus. In cod. D manus altera saeculi XV. scripsit ad marginem *pro modulo:* glossema, quod forte in aliis mss. a margine in textum irrepsit et inde in editis obtinuit.

[6] August. loc. cit. «... fratribus autem non valeam resistere, iure, quo eis servus factus sum, flagitantibus, ut eorum in Christo laudabilibus studiis lingua ac stilo meo, quas bigas in me caritas agitat, maxime serviam ».

[7] Hilar. de Trin. libr. x. n. 1: « Non est ambiguum, omnem humani eloquii sermonem contradictioni obnoxium semper fuisse: quia dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit sensus animorum; cum adversantium affectione compugnans, assertionibus his, quibus offenditur, contradicit. Quamvis enim omne dictum veri ratione perfectum sit, tamen, dum aliud aliis aut videtur, aut complacet, patet veritatis sermo adversantium responsioni: quia contra veritatem aut non intellectam aut offendentem vel stultae vel vitiosae voluntatis error obnititur. Immoderata enim est omnis susceptarum voluntatum pertinacia; et indeflexo motu adversandi studium persistit, ubi non rationi voluntas subiicitur nec studium doctrinae impenditur, sed his quae volumus rationem conquirimus, et his quae studemus doctrinam coaptamus. Iamque nominis potius quam naturae erit doctrina, quae fingitur: et non iam veri manebit ratio, sed placiti, quam sibi voluntas magis ad defensionem placentium coaptaverit, non quae voluntatis instinctum per intelligentiam veri rationabilis incitabit ». Dein post verba *placentium incitat*, totidem omissis quot attulit, sequentia usque ad *foedere bellant* ex eodem Hilario ibidem n. 2. passim excerpsit Magister. Tum ad Hilar. n. 1. rediens, ut pauca illa: *Inter ceri namque* usque *tuetur,* accipiat, ubique pro more suo etiam in iis, quae accipit, aliquid demit, mutat interpolatque.

[8] Vat. male et contra codd. et fere omnes edd. addit *et* ante *impietatis*, et mox legit *obnititur* et *resultat*.

[9] II. Cor. 4, 4. et Eph. 2, 2. — Vat. *saeculi huius* pro *huius saeculi,* sed renitentibus omnibus mss. cum edd. 1, 8 atque ipso sacro textu, et mox post *filiis* adiungit *suis* contra codd. et edd. omnes et ipsam Vulgatam, ubi legitur: *operatur in filios diffidentiae*.

veritatis, sed ad defensionem [1] placentium incitat, non desiderantes doceri veritatem, sed ab ea *ad fabulas convertentes auditum* [2]. Quorum professio est magis placita quam docenda conquirere nec docenda desiderare, sed desideratis doctrinam coaptare. *Habent rationem sapientiae in superstitione* [3]: quia fidei defectionem sequitur hypocrisis mendax, ut sit vel [4] in verbis pietas, quam amiserit conscientia, ipsamque simulatam pietatem omni [5] verborum mendacio impiam reddunt, falsae doctrinae institutis fidei sanctitatem corrumpere molientes auriumque pruriginem sub novello sui desiderii dogmate aliis ingerentes, qui contentioni studentes contra veritatem sine foedere bellant ». « Inter veri namque assertionem et placiti defensionem pertinax pugna est, dum se et [6] veritas tenet, et se voluntas erroris tuetur ». Horum igitur et [7] Deo odibilem ecclesiam evertere atque ora oppilare, ne virus nequitiae in alios effundere queant, et lucernam veritatis in candelabro exaltare volentes [8], in labore multo ac sudore hoc volumen, Deo praestante, compegimus ex testimoniis veritatis in aeternum fundatis, in quatuor libros distinctum. In quo maiorum exempla doctrinamque reperies [9], in quo per dominicae fidei sinceram professionem vipereae doctrinae fraudulentiam prodidimus, aditum demonstrandae veritatis complexi nec periculo impiae professionis inserti [10], temperato inter utrumque moderamine utentes. Sicubi vero parum vox nostra insonuit [11], non a paternis discessit limitibus. « Non igitur debet hic labor cuiquam pigro vel multum docto videri superfluus, cum multis impigris multisque indoctis, inter quos etiam mihi, sit necessarius [12] », brevi volumine complicans Patrum sententias, appositis eorum testimoniis, ut non sit necesse quaerenti librorum numerositatem evolvere, cui brevitas collecta [13] quod quaeritur offert sine labore. « In hoc autem tractatu non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero, maxime ubi profunda versatur veritatis quaestio, quae utinam tot haberet inventores, quot habet contradictores [14] ». Ut autem quod quaeritur facilius occurrat, titulos, quibus singulorum librorum capitula distinguuntur, praemisimus.

Explicit prologus.

INCIPIUNT CAPITULA PRIMI LIBRI SENTENTIARUM [15].

---

[1] Solus cod. E hic addit *sibi*.

[2] II. Tim. 4, 4.

[3] Coloss. 2, 23; Vulgata: Quae sunt rationem quidem habentia in superstitione. Ceterae edd. et omnes codd. relativum *quae* suppriment eiusque loco punctum ferunt post *coaptare*, dum Vat. et ed. 4 legunt *coaptare, quae habent*.

[4] Vat. omittit *vel*, quod restituimus ex Hilario, ex omnibus codd. et edd., excepta 4. Mox pro *amiserit* legitur *amisit* in cod. D et *amiserat* in ed. 2. Utrumque respuunt cum Hilario ceteri codd. et edd.

[5] Codd. A B E et edd. 1, 8 male *omnium* pro *omni*.

[6] Codd. D E hic male praetermittunt particulam *et*.

[7] Solus cod. D cum edd. 1, 2, 3, 5, 7, 8, 9 omittit *et*. Utraque lectio bona, sed facilior sine *et*.

[8] Respicitur Matth. 5, 15. — Mox deest *hoc* in codd. A B C et in edd. 1, 8. Deinde codd. D F *et quatuor libris* pro *in quatuor libris*.

[9] Cod. E *invenies*.

[10] Solummodo Vat. et ed. 4 *incerti* pro *inserti*.

[11] Edd. 2, 9, 10 *insonuerit*. Tum cod. B bene post *non* adiungit *tamen;* deinde cod. A *liminibus* pro *limitibus*.

[12] Ex August. de Trin. III. n. 1, quibusdam omissis et nonnullis additis; in quo textu superflue et contra originale codd. A B D E cum edd. 1, 4, 5, 6, 7 post *etiam* addunt *et*.

[13] In Vat. ac edd. 3, 4, 5, 6, 7, 9 nec non cod. A desideratur *collecta*. Paulo ante legitur *revolvere* pro *evolvere* in ed. 1.

[14] Paulo aliter apud August. ibid. n. 2, cuius integer locus, cum sit brevis, describitur: Sane cum in omnibus litteris meis non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderem, multo maxime in his, ubi ipsa magnitudo quaestionis, utinam tam multos inventores habere posset, quam multos contradictores habet.

[15] Hanc tabulam exhibemus, adhibitis 19 codicibus mss., quos in Prolegomenis cap. 3. indicavimus. Addidimus autem distinctiones, ad quas referuntur capitula.

[16] Codd. C F P Q R S T *vel*.

[17] Cod. B *et*. Particula *vel* a scriptoribus sequioris latinitatis crebro usurpatur in sensu copulativo.

[18] Cod. I *scribendi*.

[19] Cod. E *creaturae* et cod. L pro *creantis* habet *creatoris*.

[20] Codd. A B G L: De Trinitate *et* Unitate, sed perperam, tum quia eiusmodi titulo inscribitur I. praecedentis dist. capitulum, tum quia in praesenti capitulo agitur praecipue de unitate Trinitatis.

[21] Codd. G H L M addunt *an alium Deum*.

[22] Cod. D *in*, sed male.

Patre, vel de ipsa natus sit Filius, vel Spiritus sanctus procedens[1].

II. Quod Filius non est de nihilo, sed de aliquo, non tamen de materia, sic[2] et Spiritus sanctus.

III. Quare Verbum Patris dicatur Filius naturae[3].

DISTINCTIO VI.

Utrum Pater voluntate genuerit Filium, an necessitate[4], et an volens vel nolens sit Deus.

DISTINCTIO VII.

CAP. I. Utrum Pater potuerit[5] vel voluerit gignere Filium.

II. An[6] posse gignere Filium sit aliqua potentia in Patre, quae non sit in Filio.

DISTINCTIO VIII.

CAP. I. De veritate ac proprietate divinae essentiae.

II. De incommutabilitate eiusdem.

III. De simplicitate eiusdem.

IV. De corporali et spirituali creatura, quomodo sit multiplex et non simplex.

V. Quod[7] Deus, cum sit simplex, tamen multipliciter dicitur.

VI. Quod Dei simplicitas nulli praedicamentorum subiicitur.

VII. Quod Deus abusive dicitur substantia.

VIII. Quod non est in Deo aliquid, quod non sit Deus.

DISTINCTIO IX.

CAP. I. De distinctione trium personarum.

II. De coaeternitate Patris et Filii.

III. De ineffabili et inintelligibili[8] generationis modo.

IV. Utrum debeat dici: semper gignitur Filius vel semper genitus est.

V. De obiectionibus haereticorum nitentium probare, Filium non esse coaeternum Patri.

DISTINCTIO X.

CAP. I. De Spiritu sancto, quod[9] amor Patris et Filii proprie dicitur, cum sit in Trinitate amor, qui est Trinitas, sicut Verbum proprie dicitur sapientia, et tamen tota Trinitas dicitur sapientia.

II. Quod eadem nomina proprie et universaliter accipiuntur.

III. Quod Spiritus sanctus sicut Patri et Filio est communis, ita commune nomen habet proprium.

DISTINCTIO XI.

CAP. I. Quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, quem tamen Graeci a Filio procedere diffitentur.

II. De convenientia Latinorum et Graecorum[10] in sensu et differentia in verbis.

DISTINCTIO XII.

CAP. I. Utrum Spiritus sanctus prius[11] vel plenius procedat a Patre quam a Filio.

II. Quod Spiritus sanctus principaliter et proprie dicitur procedere a Patre.

DISTINCTIO XIII.

CAP. I. Quare[12] Spiritus sanctus, cum sit de substantia Patris, non dicatur genitus, sed tantum procedens.

II. Cur Filius dicatur procedere, cum Spiritus sanctus non dicatur gigni.

III. Quod non potest mortalis distinguere inter generationem Filii et processionem Spiritus sancti.

IV. Utrum Spiritus sanctus debeat dici ingenitus, cum non sit genitus.

DISTINCTIO XIV.

CAP. I. De gemina processione Spiritus sancti, temporali et aeterna.

II. Quod non solum dona Spiritus sancti, sed etiam ipse Spiritus sanctus[13] datur hominibus et mittitur.

III. An[14] viri sancti possint dare Spiritum sanctum.

DISTINCTIO XV.

CAP. I. Quod Spiritus sanctus a se ipso datur et Filius a se ipso mittitur.

II. Quomodo intelligenda sit missio utriusque.

III. Quod a Spiritu sancto etiam[15] Filius sit missus.

IV. Quod Filius etiam sit datus[16] a se ipso.

V. Quomodo intelligendum sit illud[17]: A me ipso non veni.

VI. Utrum semel tantum sit missus Filius, an saepe.

VII. De duobus modis missionis Filii.

VIII. Quod secundum alterum modum semel sit missus, secundum alterum saepe, et secundum alterum modum dicitur missus in mundum, secundum alterum non.

IX. Quare Pater non dicitur missus.

X. Quod Filius et Spiritus sanctus non sunt quasi[18] minores Patre, quia missi.

DISTINCTIO XVI.

CAP. I. De missione Spiritus sancti, quae fit duobus modis, visibiliter et invisibiliter[19].

II. Quod Filius, secundum quod homo, non modo Patre, sed Spiritu sancto etiam minor est.

DISTINCTIO XVII.

CAP. I. Quod Spiritus sanctus est caritas, qua diligimus Deum et proximum.

---

[1] Supple: *sit*, vel lege cum edd. 7, 9 *processerit.*

[2] Codd. A B *sicut.*

[3] Codd. C K L *natura,* sed male.

[4] Codd. A B D verbum *voluntate* post *Filium* locant; postea codd. A E K M P R S T cum ed. 1 omittunt *et;* demum codd. C et R pro *vel* habent *an.*

[5] Ed 1 praemittit *vel* ante *potuerit.*

[6] Cod. H *Utrum.*

[7] Cod. E hic et deinceps *Item* loco *Quod.*

[8] Codd. cum edd. 1, 9 *intelligibili*, quod licet explicari possit, castigavimus tamen ope edd. 2, 7.

[9] Codd. D H L *qui* pro *quod.* Mox codd. A C E I Q R S T post *Filii* adiiciunt *et.*

[10] Codd. B K N *Graecorum et Latinorum.*

[11] Per lapsum librariorum multi codd. et ed. 1 *proprius* pro *prius,* cod. H *per prius.*

[12] Codd. A L *Quod.*

[13] Codd. F P R S T et ed. 1 addunt *Deus*, quod et legunt codd. C H N, omisso tamen *sanctus* in C H, et *Spiritus sanctus* in N.

[14] Codd. M N *utrum.*

[15] Ita legas, ut *etiam* iungas cum *sancto*, non cum *Filius*, quo germanum habeas sensum. In cod. B deest *etiam.*

[16] Cod. C *datur.*

[17] Deest *illud* in codd. A E F K M P R T et ed. 1.

[18] Omittitur *quasi* in codd. C H P R.

[19] Inter titulum hunc et sequentem habetur haec rubrica in cod. H: *Cum sit Filius minor Patre secundum formam creatam, in qua apparuit, cur non Spiritus sanctus similiter.* Idem reperitur in codd. G L, eo excepto, quod pro *Cum sit Filius* legatur *Cur Filius sit* et omittatur *creatam cur* et *similiter;* in cod. G post *apparuit* additur *et.*

II. Quod fraterna [1] dilectio est Deus nec Pater vel Filius, sed tantum Spiritus sanctus.

III. Quod non est dictum per causam illud: Deus caritas est, sicut illud: Tu es patientia mea et spes mea.

IV. Quomodo Spiritus sanctus mittatur vel detur nobis.

V. Utrum Spiritus sanctus augeatur in homine, vel minus et [2] magis habeatur vel detur, et an detur habenti et non habenti.

VI. Quod aliqui dicunt, caritatem Dei et proximi non esse Spiritum sanctum.

DISTINCTIO XVIII.

CAP. I. Utrum concedendum sit, per donum dari dona.

II. Utrum Spiritus sanctus eadem ratione dicatur donum, qua datum sive donatum.

III. Quod sicut Filius nascendo accepit non tantum, ut esset Filius, sed etiam essentia [3], ita Spiritus sanctus procedendo accepit non tantum, ut esset donum, sed ut esset essentia.

IV. Quod Spiritus sanctus dicitur donum et donatum secundum duos modos praedictos processionis, qui [4], secundum quod donum est, refertur ad Patrem et Filium; secundum quod datum, ad eum qui dedit et ad eos quibus datur.

V. An Filius, cum sit nobis datus, possit dici noster, ut Spiritus sanctus.

VI. Utrum Spiritus sanctus ad se ipsum referatur.

DISTINCTIO XIX.

CAP. I. De aequalitate trium personarum.

II. Quod aeternitas et magnitudo et potentia in Deo unum est [5], etsi videantur diversa.

III. Quod aliqua personarum aliam non excedit magnitudine, quia non est maior una persona quam alia, nec maius aliquid duae quam una, nec tres quam duae vel una.

IV. Quomodo dicitur Pater esse in Filio et Filius in Patre et Spiritus sanctus in utroque.

V. Quod nulla personarum pars est in Trinitate.

VI. Quare tres personae dicantur summe unum.

VII. Cum dicimus, tres personas esse unam essentiam, nec ut genus de speciebus nec ut speciem de individuis praedicamus, quia non est essentia genus, et persona species, vel essentia species et personae individua.

VIII. Quod nec [6] secundum materialem causam dicuntur tres personae una essentia.

IX. Nec ita dicuntur tres personae una essentia ut tres homines una natura vel unius naturae.

X. Utrum tres personae differant numero, quae proprietatibus distinctae sunt.

XI. Quare tres personae simul non sunt maius aliquid quam una.

XII. Quod Deus non est dicendus triplex, sed unus.

DISTINCTIO XX.

CAP. I. Quod aliqua personarum non excedit aliam potentia [7].

II. Quod non minus potest Filius quam Pater.

III. De obiectionibus haereticis contra hoc [8] et responsionibus catholicis.

DISTINCTIO XXI.

CAP. I. Quomodo possit dici solus Pater vel solus Filius vel solus Spiritus sanctus, cum sint inseparabiles.

II. Utrum debeat dici solus Pater est Deus, vel solus Filius est Deus, vel solus Spiritus sanctus est Deus; an Pater est solus Deus, Filius est solus Deus, Spiritus sanctus est solus Deus.

III. Quomodo Trinitas dicatur [9] solus Deus, cum ipsa sit cum spiritibus et animabus sanctis.

DISTINCTIO XXII.

CAP. I. De nominum differentia [10], quibus utimur loquentes de Deo.

II. De his [11] quae temporaliter Deo conveniunt et relative dicuntur.

III. De hoc nomine, quod est Trinitas [12].

IV. De his [13] quae proprie ad singulas personas pertinent, et de his quae unitatem essentiae significant.

DISTINCTIO XXIII.

CAP. I. De hoc nomine, quod est [14] persona, quod cum secundum substantiam dicatur, non singulariter, sed pluraliter accipitur in summa.

II. Qua necessitate dictum sit [15] tres personae a Latinis, et a Graecis tres hypostases vel substantiae.

III. Quare non dicimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse tres Deos, ut tres personas.

IV. Cur non dicimus tres essentias, ut tres personas.

V. Quod in Trinitate non est diversitas vel singularitas vel solitudo, sed unitas et trinitas et distinctio et identitas.

---

[1] Codd. BENPT *superna*, Magistri texto refragante. Mox codd. MP *non* pro *nec*; codd. ER *nec* pro *vel*.

[2] Codd. EH et edd. 7, 9 *vel*; codd. HP primo loco ponunt *magis*. Mox codd. ACES: *vel non habenti*, pro *et non habenti*; sed male.

[3] Intellige cum cod. I *sed ut esset essentia*. In fine tituli edd. 7, 9 non male legunt: *sed etiam ut*.

[4] Codd. AFIKPQS *quod* pro *qui*.

[5] Cod. E *sunt* et cod. R *sint*. Mox in codd. BQ verbo *videantur* additur *esse*. Mox post *persona* in codd. BDGHN et edd. 7, 9 deest *quam*.

[6] Codd. BDPQRST *non*.

[7] Codd. BQ *potestate*. Pro *excedit* codd. GHLNOQR legunt *excellit*.

[8] Cod. D *haec*.

[9] Codd. ACFOPS hic addunt *est*.

[10] Codd. ACEFIMOPQRT et ed. 1 *differentiis*; mox codd. BE *utuntur* pro *utimur*. [11] Codd. AFR *illis*.

[12] Codd. CEGHLM et edd. 1, 7, 9 paucis immutatis hic addunt: *De illis quae temporaliter Deo conveniunt et non dicuntur relative*; ubi codd. HM *his* pro *illis* legunt, et CE cum ed. 1 omittunt *non*. Cod. T solum habet: *et de illis quae temporaliter Deo conveniunt*. Sequimur auctoritatem meliorum et plurimorum mss., qui hanc partem tituli ex ipso textu Magistri a rubricistis fortassis transumtam penitus omittunt.

[13] Cod. D *illis*.

[14] Codd. DH omittunt *quod est*. Mox particula *cum* deest hic quidem in multis codd. et ed. 1, habetur tamen in omnibus infra, ubi hic titulus capitulo praemittitur; ubi etiam edd. 7, 9 post *dicatur* inserunt particulam *tamen*.

[15] Cod. D *dictae sint*, cod. C *dicuntur*, codd. PRST *dicamus*; mox cod. D omittit *esse*.

VI. Quod non debet dici Deus multiplex.

Distinctio XXIV.

Quid significetur his nominibus unus[1], duo vel duae, tres vel tria, trinus vel trinitas, plures vel pluralitas, distinctio vel distinctae, cum his utimur loquentes de Deo.

Distinctio XXV.

Cap. I. Quid significetur hoc nomine persona in plurali numero, scilicet cum dicitur personae[2].

II. De triplici acceptione huius nominis persona in Trinitate.

III. Ex quo sensu dicatur alia persona Patris, alia Filii[3], sive alius in persona Pater, alius Filius.

IV. De hoc nomine hypostasis.

Distinctio XXVI.

Cap. I. De proprietatibus personarum et de nominibus earum relativis.

II. Quod non omnia dicuntur de Deo secundum substantiam, quaedam enim secundum relationem, nihil tamen secundum accidens.

III. Quare dicatur, proprium esse Unigeniti Filium Dei esse, cum etiam homines sint filii Dei.

IV. Quod homo dicitur filius Trinitatis et Trinitas pater hominum.

V. Quod Spiritus sanctus eadem proprietate donum dicitur, qua Spiritus sanctus, et utroque modo relative ad Patrem et[4] Filium.

VI. Utrum Pater vel Trinitas ipsa vel Filius[5] possit dici Spiritus sanctus.

VII. Quod non omnia[6], quae relative dicuntur, suis ad se vicissim respondent vocabulis.

Distinctio XXVII.

Cap. I. Quae sint[7] illae proprietates, quibus distinguuntur personae.

II. Quod non est omnino idem dicere: esse patrem et genuisse vel habere filium.

III. Quod proprietates determinant hypostases, non substantiam, id est naturam.

IV. De generali regula eorum quae ad se, et eorum quae relative dicuntur.

V. An secundum substantiam dicatur Deus de Deo et huiusmodi.

Distinctio XXVIII.

Cap. I. Quod non tantum tres sunt proprietates personarum.

II. An solus Pater debeat dici non-genitus vel non-Filius, sicut dicitur ingenitus.

III. De proprietate, quam notat ingenitus.

IV. Responsio Ambrosii contra Arianos de ingenito.

V. An diversum sit esse Patrem et esse Filium.

VI. Si[8] sapientia genita dicitur secundum relationem, vel secundum substantiam.

VII. De imagine.

Distinctio XXIX.

Cap. I. De principio.

II. Quod ab aeterno Pater est principium et Filius, sed[9] non Spiritus sanctus.

III. Quomodo Pater sit principium Filii, et ipse[10] cum Filio Spiritus sancti.

IV. An eadem notione[11] Pater et Filius sint principium Spiritus sancti.

Distinctio XXX.

Cap. I. De his quae temporaliter de Deo dicuntur, et relative secundum accidens, quod non Deo, sed creaturis accidit.

II. An Spiritus sanctus dicatur datum vel donatum relative ad se, cum a se detur.

Distinctio XXXI.

Cap. I. An Filius dicatur aequalis vel similis Patri secundum substantiam.

II. De sententia sancti Hilarii, qua in Trinitate personarum propria ostendit.

III. Quare Patri attribuitur unitas.

IV. Quare Pater et Filius dicantur esse[12] unum vel unus Deus, sed non unus.

V. Quare dicitur esse aequalitas in Filio.

VI. Quare in Spiritu sancto dicitur esse utriusque[13] concordia vel connexio.

Distinctio XXXII.

Cap. I. Utrum Pater vel Filius ea dilectione diligat[14], quae procedit ab utroque, id est Spiritu sancto.

II. Utrum Pater sit sapiens sapientia, quam genuit[15].

III. An Filius sit sapiens se ipso vel per se ipsum.

IV. An una tantum sit sapientia Patris[16].

V. Sicut in Trinitate est dilectio, quae est Trinitas, et tamen Spiritus sanctus est dilectio, quae non est Trinitas, nec ideo sunt duae dilectiones, ita et de sapientia.

---

1 Solus cod. B et edd. 7, 9 addunt *vel una*, quae verba infra in ipso textu Magistri habentur. Mox codd. C F P S T *utamur* pro *utimur*.

2 Verba post *numero* omittuntur in cod. D. Codd. ER *tres* personae.

3 In cod. M et edd. 1, 2, 7, 9 post *alia Filii* addunt *alia Spiritus sancti* et similiter post *Filius* addunt *alius Spiritus sanctus*.

4 Septem codd. et ed. 1 *vel* in sensu copulativo.

5 Edd. 2, 7, 9 transponunt sic: Pater vel Filius vel Trinitas ipsa.

6 Plurimi codd. et ed. 1 hic male *omnino*, qui tamen in textu *omnia* legunt. Mox cod. C *ad invicem*, ed. 1 *suis vicissim*, ubi ceteri codd. *a se vicissim* pro *ad se vicissim*, quod cod. M et ed. 7, 9 habent.

7 Codd. nonnulli *sunt*.

8 Cod. K *An*.

9 Codd. A D F S *et* pro *sed;* mox codd. E R *sed non cum Filio Spiritus S.*

10 Codd. E R et *ipse Filius principium Spiritus sancti.*

11 Codd. E R *ratione.*

12 *Esse* deest in codd. B D M.

13 In codd. G L N M clare scriptum reperitur *utriusque,* quod correspondet textui, ceteri codd. et omnes edd. eius loco habent *virtus.*

14 Edd. 2, 7, 9 *se diligant;* cod. S addit *vel diligatur.* Mox codd. B C E S: *i. e. Spiritus sanctus*, cod. S tamen addit *vel Spiritu sancto.*

15 Codd. G H L M hic adnectunt: *Utrum Filius sit sapiens sapientia genita vel ingenita.* Paulo ante cod. C cum quatuor edd. male: sapientia *qua* genuit.

16 Codd. A C E cum ed. 1 iungunt hunc titulum cum sequenti, in quo cod. B post *in Trinitate est* addit *una.*

---

[1] Codd. C H O *eandem*, cod. B *ipsam*.
[2] Codd. P Q R S T *praesentia*, sed male.
[3] Codd. P Q R S T *vel*.
[4] In cod. D falso: *Quod Deus ubicumqae est habitat, sed non e converso*.
[5] Codd. B G L M Q hic addunt *aliqua*. In fine seq. tit. cod. O *earum* pro *rerum*.
[6] Codd. A E P R cum ed. 1 *aut*.
[7] Codd. A B G L N Q *sciat*.
[8] Codd. A E P Q R S *quid*, cod. B *qui*. Iidem cum codd. Q T post *effectus* addunt *vel modus*.
[9] Pro secundo et tertio *vel* plurimi codd. et edd. *et*.
[10] Codd. A M P Q R S T *possumus;* mox solus cod. D cum edd. 2, 7, 9 *potest* pro *possit*.
[11] Codd. E Q cum edd. 2, 7, 9 *consideratur*.
[12] Codd. C S omittunt *vel*.
[13] Cod. B transponit *esse* et *velle* et deinde omittit *omnia*.

COMMENTARIUS IN PROLOGUM MAGISTRI.

DIVISIO TEXTUS.

Totali libro praemittit Magister prologum, in quo tangit causas suscepti operis. Dividitur autem in duas partes. In prima parte ponit rationes, quae moverunt[1] ipsum ad aggrediendum praesens negotium sive opus; in secunda rationes, quae debent movere discipulos ad benigne audiendum, ibi[2] circa finem: *In quo maiorum etc.*, ubi incipit alloqui auditores.

Prima pars dividitur iterum in duas, quia duplex ratio potest movere aliquem ad opus faciendum, scilicet *amor boni* et *odium mali. Primo* ergo ponit rationes sumtas ex parte *amoris boni,* scilicet catholicae veritatis. *Secundo* ex parte *odii mali,* scilicet haereticae pravitatis, ibi: *Quamvis non ambigamus* etc. Prima pars habet quatuor particulas. In prima tangit[3] causam excitantem; et haec est desiderium mercedis et spes auxilii sub exemplo viduae et parabola Samaritani. In secunda ponit causam retrahentem, quae duplex est, scilicet laboris immensitas et propria infirmitas, ibi: *Delectat nos* etc. In tertia ponit causam ipsum[4] propellentem, et haec est zelus ipsum accendens, ibi: *Quam vincit zelus* etc. In quarta ponit causam compellentem et praevalentem, ibi: *Non valentes* etc., et haec est petitio fratrum studiosorum, quibus non potest quis iure resistere, sed quodammodo necessario oportet collum subiicere.

DUBIA CIRCA PRIMAM PARTEM PROLOGI MAGISTRI.

DUB. I.

Sed quaeritur de hoc quod dicit:[5] *Opus agere praesumsimus;* sed praesumtio est peccatum: ergo peccavit.

RESPONDEO: Est praesumtio *confidentiae* de divino adiutorio, et praesumtio *superbiae,* quae est de proprio ingenio. Prima non est peccatum, sed est virtutis[6]; secunda vero est peccatum; sed de prima loquitur Magister.

Vel aliter: Est praesumtio secundum *veritatem,* et est praesumtio secundum *propriam aestimatio-*

---

[1] Codd. BDGHIKN omittunt *vel.* Cod. A omittit ultima sex verba.
[2] Cod. D *accipiatur.*
[3] Codd ABCEQ omittunt *interdum.* Pro *intelliguntur* in cod. L *accipiuntur.*
[4] Codd. ER adiiciunt *ea.* [5] Codd. BFLMN *Quod.*
[6] Pro *etsi* codd. BDGHILNQ et ed. 1 *sed,* codd. PS *si.* In principio huius tituli codd. PQRST cum ed. 1 *praecipit* pro *praecepit.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cod. I. et ed 1 *movent.*
[2] Supplevimus *ibi*, sicuti et paulo infra post *dividitur* particulam *iterum* ex mss. et ed. 1.
[3] Cod. W et X *ponit.* Mox aliqui codd. ut FGK ee ff cum ed. 1 *hoc est* loco *haec est,* quae lectio adhuc bis in sequentibus occurrit, sed non ita bene.
[4] Vat. indebite et contra mss. ac ed. 1 omittit *ipsum.*
[5] Praeter fidem mss. et ed. 1 in hoc dubio et in sequentibus Vat. omittit haec verba preambula. Dein Vat. textum Magistri integre exhibet, post *opus* addendo *ultra vires nostras*, quae tamen verba desunt in mss. et ed. 1. Haec omissio et mutatio praeambulorum in omnibus fere dubiis litteralibus totius Commentarii occurrit in Vat., sicut iam in Prolegominis observatum est.
[6] Minus bene et reluctantibus mss. cum ed. 1, hic Vat. addit *indicium.*

nem. Prima est reprehensibilis, quia superbiae, secunda laudabilis, quia humilitatis, nec est culpabilis in aliquo; vir enim humilis in omnibus [1] operibus suis se reputat indignum et quasi praesumtuosum.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Prolatis duobus denariis supererroganti;* quae sit ista supererogatio. *Si tu dicas,* quod sit magistrorum et Sanctorum superadditio ad sacram Scripturam; *contra,* Damascenus [2]: « Quae tradita sunt nobis per Legem et Prophetas veneremur, nihil ultra haec inquirentes ».

Item, Apocalypsis ultimo [3]: *Si quis apposuerit super haec, apponet ei Dominus plagas.*

Respondeo: Dicendum, quod est additio *distrahens,* et est additio *complens.* Addens primo modo non supererogat, sed magis diminuit et subvertit; et tales sunt haeretici, quibus datur maledictio. Addens secundo modo supererogat, quia salvo sensu Scripturae [4] ipsam dilucidat. Per *duos* igitur *denarios* duo intelligo Testamenta, per *Samaritanum,* Christum, per *semivivum,* hominem gratuitis exspoliatum et vulneratum in naturalibus, per [5] *supererogationem* intelligo doctorem exponentem.

Vel aliter dicendum, quod est additio, in qua Alia solutio. additum est *contrarium,* et est [6], in qua additum est *diversum,* et est, in qua additum est *consonum.* Prima additio est erroris, secunda praesumtionis; quia praesumtio est dicere in sacra Scriptura aliquid omnino diversum ab his, quae in ea expressa sunt; tertia fidelis instructionis; quia quod implicitum est explicat.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quam vincit zelus domus Dei,* quis sit iste zelus. Et quare magis hoc zelo accenditur contra *animales* et *carnales* quam contra superbos et alios peccatores? Et cum zelus sit amor privatus, non videtur quod deberet zelo accendi.

Praeterea [7], cum maius peccatum sit superbia, videtur quod magis deberet accendi contra superbos.

Respondeo: Ad primum dicendum, quod zelus est amor nolens habere consortium in amato. Zelus malus vitat omne consortium, sed zelus bonus vitat tantum malum [8]; unde veri zelatores domus Dei non possunt videre in Ecclesia vitia, quin insurgant contra ipsa. Unde Ioannis secundo dicit Glossa [9]: « Zelus bonus est, quo animus, abiecto humano timore, accenditur et eo comeditur, quo quaelibet prava, quae viderit, corrigere satagit, et si nequiverit, tolerat et gemit ».

Ad secundum dicendum, quod Magister specialiter in Ecclesia zelabat fidem; et ideo magis succendebatur [10] contra fidei corruptores. Dupliciter autem corrumpit quis fidem: aut motus perversitate voluntatis et affectionis; et hic dicitur *carnalis.* Nam caro dicitur hic carnalis affectio, secundum illud ad Galatas quinto [11]: « *Manifesta sunt opera carnis* etc. » Alio modo corrumpit quis, motus perversitate *iudicii;* et hic dicitur *animalis,* quasi phantasticus, quia phantasiae pervertunt iudicium rationis.

Dub. IV.

Quas bigas agitat in nobis Christi caritas.

Contra: Ecclesiastis nono [12]: *Nemo scit, utrum odio, an amore dignus sit.*

Respondeo: Dicendum, quod caritas uno modo dicit virtutem gratuitam, alio modo dicit large amo-

---

[1] Vat. cum recentiore cod. cc *nec est culpabilis, qui in omnibus*, quae lectio mutila exindeque vim dictis distrahens resarcitur ex antiquioribus mss. et ed. 1.

[2] Libr. I. de Fide orthod. c. 1: Omnia, quae nobis tam per Legem et Prophetas, quam per Apostolos et Evangelistas tradita sunt, amplectimur, agnoscimus et veneramur; nec ultra ea quidquam inquirimus. — In quo textu Vat. post *ultra* omittit *haec*, quod in fere omnibus mss. et ed. 1 habetur.

[3] Vers. 18, ubi Vat. cum Vulgata contra mss. et ed. 1. *ad haec* pro *super haec;* deinde Vulgata legit *apponet Deus super illum plagas.*

[4] Faventibus antiquoribus mss. et ed. 1 nec non constructione grammaticali, substituimus *Scripturae* loco *Scripturam,* quod Vat. cum recentiore cod. cc habet.

[5] Minus clare Vat. cum cod. cc legit *et* loco *per*, obnitentibus vetustioribus mss. cum ed. 1.

[6] Cod. N hic et paulo post repetit verbum *additio.*

[7] Vat. praeter fidem mss. et sex primarum edd. *Item.*

[8] Supple: consortium. — Lectio in textum recepta et praecedentibus conformior suppeditatur a mss. antiquioribus ac ed. 1 pro lectione Vat. et cod. cc *malos.* — Mox perturbatam, immo mendosam lectionem Vat. et paucorum codd. ut AFK cc *quae insurgunt contra ipsam* emendavimus ope aliorum mss. et ed. 1.

[9] Glossa apud Lyranum loc. cit. v. 19. ita habet: Bonus zelus est fervor animi, quo mens, abiecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur. Ab eo comeditur qui quaelibet prava, quae viderit, corrigere satagit; si nequit, tolerat et gemit. — Quoad primam propositionem cod. O magis quam ceteri codd. cum allegatis convenit, quia post *timore* habet *pro defensione veritatis;* quoad secundam propositionem Vat. a mss. et ed. 1 discedens legit *tendit ut* pro *comeditur quo* ac propter variatam constructionem in fine propositionis *satagat, toleret, gemat.*

[10] Vat. *Magister accendebatur.* Omnes. mss. habent *succendebatur;* plures vero ut M aa bb ee *magis* pro *Magister*, quam lectionem tanquam unice veram, utpote obiectioni superius positae conformem, praeferimus. Error aliorum mss. facillimus ex eo iudicatur, quod duo ista vocabula eodem fere modo abbreviantur.

[11] Vers, 18, ubi Vulgata post *sunt* addit *autem.* — Mox post *quis* supple *fidem*, quod et ed. 1 habet.

[12] Vers. 1, in quo textu restituimus ex multis mss. ut A F G I K T etc. et ed. 1, ac Vulgata *utrum* loco *an.*

rem multum appretiantem amatum: unde caritas [1], *amor carus.* Primo modo sumta caritate, verum est, quod certitudinaliter nescit aliquis [2]; potest tamen aliquo experimento dulcedinis divinae misericordiae hoc coniicere probabiliter; secundo modo potest scire. Et si primo modo dicit Magister, non dicit asserendo, sed coniiciendo; si secundo modo, tunc assertive potest intelligi; et sic patet illud.

DIVISIO TEXTUS SECUNDAE PARTIS PROLOGI.

Quamvis non ambigamus etc. Supra posuit Magister rationes moventes ex approbatione [3] boni; hic ponit rationes moventes ex odio et detestatione mali; et hoc est malum haereticae perversitatis. Habet autem haec pars quatuor particulas. In *prima* parte tangit eorum perversitatem, quae consistit in calumniando bonum et verum ex erroris caecitate et invidiae pari malignitate [4]. In *secunda* tangit huius perversitatis radicem, quae est suggestio diabolica et propria superbia, ibi: *Quam Deus huius saeculi.* In tertia tangit huius erroris diffusionem [5], quae est per falsam superstitionem et mendacem et contentiosam locutionem, ibi: *Habent rationem sapientiae in superstitione.* In quarta infert rationem, quae ipsum movit ad praesentis operis compilationem, ibi: *Horum igitur Deo odibilem.* Et ratio haec est subversio erroris.

DUBIA CIRCA LITTERAM SECUNDAE PARTIS PROLOGI.

Dub. V.

Quaeritur de hoc quod dicit: *Veritati non intellectae.* Videtur enim [6], quod dicat male, quia veritas est lux intelligibilis, sicut lux corporalis sensibilis; sed oculus habens visum non potest ignorare lucem sensibilem: ergo pari ratione nec intellectus ignorabit lucem intelligibilem. *Si tu dicas*, quod non est simile; quaeritur, quare non est simile, et quare magis deficit natura intellectui quam sensui?

Respondeo: Dicendum, quod simile est, si quis attendat. Triplex enim est causa, quare aliquis non videt visibile: aut enim non videt, quia non *vult* respicere, aut si vult, impeditur propter *defectum organi*, aut propter *absentiam lucis.* Hoc manifestum est. Similiter in spiritualibus intellectus [7] frequenter aliqua non intelligit, quia non *vult* considerare; aliquando vero non intelligit propter *impedimentum* ex parte corporis, ut patet in phreneticis et stultis; aliquando propter *absentiam lucis.* Licet enim lux increata se non subtrahat quantum ad *essentiam* vel quantum ad qualemcumque influentiam, subtraxit [8] tamen se homini, cum peccavit, quantum ad influentiam *perfectam;* unde dicitur inflixisse ei ignorantiam. Unde sicut oculus in tenebris errat, sic hodie miser humanus intellectus. Cum autem plene restituetur [9] in lucem, sicut oculus videre poterit omne visibile, sic intellectus omne intelligibile.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Veritati offendenti.* Contra: « Omnes homines natura scire desiderant » [10], sicut etiam esse beati; sed beatitudo neminem offendit, quia omnes eam desiderant: ergo nec veritas offendit aliquem.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de veritate quantum ad primum effectum, qui est *illuminare;* et quantum ad istum nemo ipsam odit: omnes enim naturaliter desiderant illuminari. Est iterum loqui quantum ad effectum consequentem, qui est *arguere;* et hunc habet in malis. Manifestando enim mala redarguit mala facientem [11]; et inde est, quod mali odiunt veritatem, quia sicut dicitur Ioannis tertio [12]: *Qui male agit, odit lucem.*

Dub. VII.

Qui contentioni studentes contra veritatem sine foedere bellant. Contra: Tertii Esdrae quarto [13]: *Magna est veritas et fortior omnibus. Omnis terra veritatem invocat, et omnes tremunt eam.*

---

[1] Vat. hic addit *dicitur quasi*, sed castigatur ex mss. et ed. 1.

[2] Reluctantibus mss. et ed. 1, verbis ita transpositis *verum est certitudinaliter, quod nescit aliquis*, Vat. sensum Doctoris distorquet. Cod. cc omittit *quod.* Mox post *tamen* ed. 1 satis bene addit praepositionem *ex*, et cod. M habet *aliquis* pro *aliquo*. S. Doctor sententiam, quam hic proponit, fusius exponit infra d. 18. p. 1. a. 1. q. 3. et Comment. in Ioan. c. 14. n. 999. (Supplem. Bonelli, tom. 1.).

[3] Ed. 1 *appetitione.*

[4] Codd. diversimode hic legunt; cod. V omittit *caecitate*, cod. S cum ed. 1 omittit *pari;* cod. O habet *prava* loco *pari;* alii aliter, sed corrupte; nihil immutandum duximus.

[5] Prave et contra codd. ac ed. 1 legit Vat. *defensionem.*

[6] Adiecimus ex mss. et ed. 1 *enim.*

[7] Cod. T adiungit hic *enim*, mutata in praecedentibus interpunctione; omisso siquidem puncto post *est* habet *hoc manifestum est similiter in spiritualibus;* eandem interpunctionem et plures alii codd. exhibent; sed non ita bene.

[8] Plures codd. ut F G H K Y Z et edd. 2, 3, 4, 5, 6 minus bene *subtrahit*, quorum tamen aliqui sibi non constantes mox habent *peccavit.* — De influentia lucis increatae vide infra d. 3. p. 1. q. 1. Scholion.

[9] Cod. N. hic addit *intellectus.* Circa finem propositionis Vat. *intelliget* pro *intellectus*, contradicentibus permultis mss. et ed. 1.

[10] Aristot., I. Metaph. text. 1.

[11] Corruptam lectionem Vat. *manifestatio enim mali redarguit facientem* emendavimus ex mss. et ed. 1.

[12] Vers. 20.

[13] Vers. 35. et 36, ubi Vulgata: Et veritas magna et fortior *prae* omnibus etc.

Respondeo: Dicendum, quod [1] est loqui de veritate *simpliciter*, vel de veritate *in hoc* sive in speciali. *Primo modo* veritas est inexpugnabilis, et ideo praevalet; et sic intelligitur illud Esdrae. Est iterum loqui de veritate *secundo modo;* et [2] sic contingit eam per rationes phantasticas obumbrari et per contentionem impugnari. Unde Ambrosius super primum ad Romanos [3]: « Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris ».

Dub. VIII.

Ex testimoniis veritatis in aeternum fundatis. Contra: primae ad Corinthios decimo tertio [4]: *Scientia destruetur:* ergo et testimonia.

Respondeo: Quod testimonia veritatis sunt in aeternum fundata, sicut dicitur in Psalmo [5]: *Initio cognovi de testimoniis tuis* etc. Quod obiicitur, quod scientia destruetur; dicendum, quod verum est quantum ad modum docendi et considerandi, sed non quantum ad cognitum et rationem cognoscendi, Psalmus [6]: *In aeternum Domine permanet verbum tuum* etc.

DIVISIO TEXTUS ULTIMAE PARTIS.

In quo maiorum exempla. Haec est pars ultima, in qua ponit Magister rationes moventes discipulos ad audiendum. Et dividitur haec pars in quatuor partes secundum quatuor, quae movent discipulos ad audiendum, duo quorum [7] sunt ex parte operis, videlicet auctoritas et utilitas; duo vero ex parte docentis, scilicet humilitas et facilitas. In primo praeparat docilitatem, scilicet in *auctoritate.* In secundo, scilicet [8] in *utilitate,* suscitat attentionem. In duobus autem sequentibus, scilicet *humilitate et facilitate*, captat benevolentiam.

In prima igitur parte ostendit, opus suum esse authenticum, in secunda compendiosum, ibi: *Non igitur debet hic labor;* in tertia ostendit, modum docendi esse humilem, in hoc quod vult corrigi, ibi: *In hoc autem tractatu* etc. In quarta ostendit, esse facilem ad inveniendum et memorandum, ibi: *Ut autem quod quaeritur facilius occurrat.*

Dubium ultimae partis.

Dub. IX.

Quaeritur de hoc quod dicit: *Liberum correctorem;* quid vult dicere per hoc nomen *liberum?*

Respondeo: Dicendum, quod liber corrector dicitur, sicut homo liber, qui « sui tantum causa est », ut dicit Philosophus [9]; sic corrector liber dicitur qui tantum gratia correctionis, non invidiae vel subsannationis corrigit. Hunc desiderat Magister exemplo Augustini secundo de Trinitate [10], ubi dicit: « Magis amabo inspici a rectis, quam timebo morderi a perversis. Gratanter enim suscipit osculum columbinum pulcherrima et modestissima caritas; dentem vero caninum vel evitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas: magisque optabo a quolibet reprehendi, quam sive ab errante sive ab adulante laudari ».

---

[1] In Vat. deest *quod,* sed contra mss. et ed. 1. Mox ex mss. et ed. 1 substituimus *in hoc* loco *quantum ad hoc,* quia *in hoc* et materiae subiectae et verbis immediate subnexis magis correspondet et in operibus S. Doctoris saepius occurrit.

[2] Fere omnibus mss. et ed. 1 faventibus addidimus *et.*

[3] Vers. 29. — Expositio, quae a S. Doctore et etiam a S. Thoma (hic in expos. textus) attribuitur S. Ambrosio, invenitur in Glossa ordinaria apud Lyranum. — Vat. contra codd. antiquiores specialem citationem omittendo ponit *super illud verbum Apostoli: Contentione, dicit.*

[4] Vers. 8. — Mox codd. X et Z post *respondeo* addunt *dicendum.*

[5] Psalm. 118, 152.

[6] Psalm. 118, 89. — Cod. Y *Unde Psalmista* loco *Psalmus.* Paulo ante permulti codd. *et* pro *sed*, at minus bene.

[7] Postulantibus mss. et ed. 1, mutavimus *quae* in *quorum.*

[8] Vat. *In prima* et *in secunda in;* quaml ectionem subnexis minus cohaerentem emendamus ope fere omnium mss. et ed. 1.

[9] Libr. I. Metaph. c. 3, ubi in antiqua ed. Venetiis 1489 sic legitur: Sed ut dicimus homo liber, qui suimet et non alterius causa est. — In ed. Paris. c. 2: Sed quemadmodum dicimus liber homo de eo, qui sui ipsius et non alterius gratia est.

[10] In Prooemio. — In hoc textu Vat., contradicentibus antiquioribus mss. et ed. 1 necnon ed. operum S. Augustini, habet *castissima* pro *modestissima* et paulo infra post *caninum* omittit *vel.* Mss. in eo tantum ab ed. operum S. Augustini discedunt, quod legant *osculum* loco *oculum*, et paulo infra post *dentem* habeant *vero* pro *autem.* Sequimur mss. — Paulo supra nullius cod. auctoritate nec non contra edd. 1, 2, 3, 6 omisso *Magister* Vat. loco *Augustini* ponit *Augustinus.*

LIBER PRIMUS SENTENTIARUM.

DE DEI UNITATE ET TRINITATE.

DISTINCTIO I.

Cap. I.

Omnis doctrina est de rebus vel de signis.

Veteris ac novae Legis continentiam diligenti indagine etiam atque etiam considerantibus nobis praevia Dei gratia innotuit, sacrae paginae tractatum circa res vel signa praecipue versari. Ut enim egregius doctor Augustinus ait in libro de Doctrina christiana [1]: « Omnis doctrina vel rerum est, vel signorum. Sed res etiam per signa discuntur. Proprie autem hic res appellantur, quae non ad significandum aliquid adhibentur; signa vero, quorum usus est in significando ». Eorum autem aliqua sunt, quorum omnis usus est in significando, non in iustificando, id est [2], quibus non utimur nisi aliquid significandi gratia, ut aliqua Sacramenta legalia; alia, quae non solum significant, sed conferunt quod intus adiuvet, sicut evangelica Sacramenta. « Ex quo aperte intelligitur, quae hic appellentur signa, res illae videlicet, quae ad significandum aliquid adhibentur. Omne igitur signum etiam res aliqua est. Quod enim nulla res est, ut in eodem Augustinus ait, omnino nihil est; non autem e converso [3] omnis res signum est », quia non adhibetur ad significandum aliquid. Cumque his intenderit theologorum speculatio studiosa atque modesta, divinam Scripturam formam praescriptam in doctrina tenere advertet. De his ergo nobis aditum ad res divinas aliquatenus intelligendas, Deo duce, aperire volentibus disserendum est; et primum de rebus, postea de signis disseremus.

Cap. II.

De rebus quibus fruendum est, vel utendum, et de his quae fruuntur et utuntur.

« Id ergo in rebus considerandum est, ut in eodem [4] Augustinus ait, quod res aliae sunt, quibus fruendum est, aliae, quibus utendum est, aliae, quae fruuntur et utuntur. Illae, quibus fruendum est, nos beatos faciunt; istis, quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adiuvamur et quasi adminiculamur, ut ad illas res, quae nos beatos faciunt, pervenire eisque inhaerere possimus. Res vero, quae fruuntur et utuntur, nos sumus, quasi inter utrasque constituti », et Angeli et Sancti [5]. « *Frui* autem est amore alicui rei inhaerere propter se ipsam; *uti* vero id quod in usum venerit referre ad obtinendum illud, quo fruendum est; alias abuti est, non uti. Nam usus illicitus abusus vel abusio nominari debet [6] ». « Res igitur, quibus fruendum est, sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus. Eadem tamen Trinitas quaedam summa res est communisque omnibus fruentibus ea, si tamen res dici debet et non rerum omnium causa, si tamen et causa. Non enim facile potest inveniri nomen, quod tantae excellentiae conveniat, nisi quod melius dicitur Trinitas haec unus Deus ». Res autem, quibus utendum est, mundus est et in eo creata. Unde Augustinus in eodem [7]: « Utendum est hoc mundo, non fruendum, ut *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciantur* [8], id est, ut de temporalibus aeterna capiantur. Item in eodem: « In omnibus rebus illae tantum sunt, quibus fruendum est, quae aeternae et incommutabiles sunt; ceteris autem utendum est, ut ad illarum perfruitionem [9] perveniatur ». Unde Augustinus in libro decimo de Trinitate [10]: « Fruimur cognitis, in quibus ipsis propter se voluntas delectata conquiescit; utimur vero eis quae ad aliud referimus, quo fruendum est ».

Cap. III.

Quid sit frui et uti.

Notandum vero, quod idem Augustinus in libro decimo de Trinitate [11], aliter quam supra accipiens uti et frui, sic dicit: « Uti est assumere aliquid in

---

[1] Cap. 2. n. 2; hic et proximo loco, sed multis a Magistro omissis et nonnullis additis ac mutatis.

[2] Vat. et ed. 4 non bene omittunt *id est.*

[3] Vat. et edd. 4, 6 *e diverso* pro *e converso.*

[4] Libr. I. c. 3. n. 1.

[5] Omnes codd. cum edd. 1, 6, 8 *Angeli sancti.* Pro utraque lectione militant rationes; unde nihil immutavimus. Lectio *Angeli sancti* comprehendit sub *nos sumus* omnes homines bonos, sive sint in via, sive in patria; et addit *sancti* ad *Angeli,* ut excludantur daemones, cum damnati nullo modo Deo fruantur. Altera vero lectio ex una parte ponit *nos,* qui soli stricto sensu constituti sumus inter res, quibus fruendum, scil. Deo, et quibus utendum ut mediis ad Deum, ex altera parte beatos *Angelos* et *Sanctos*, qui proprie fruuntur Deo nec indigent uti mediis ad ultimum finem, sed tamen aliquo modo creaturis uti possunt ad alios fines.

[6] Aug. loc. cit. c. 4. et proximus locus, qui incipit: *Res igitur*, ibid. c. 5.

[7] Libr. I. c. 4. et proximus locus ibid. c. 5.

[8] Rom. 1, 20.

[9] Vat. et edd. 1, 2, 4 *fruitionem*, contradicentibus textu Augustini et codd. cum aliis edd.

[10] Cap. 10. n. 13. — Vat. cum cod. A et omnibus edd., excepta 8, in principio propositionis: *Idem* loco *Unde Augustinus.*

[11] Cap. 11. n. 17. — In fine textus cod. B, ed. 1 et originale habent *appetivit* pro *appetit.*

facultatem voluntatis; frui autem est uti cum gaudio non adhuc spei, sed iam rei; ideoque omnis, qui fruitur, utitur; assumit enim aliquid in facultatem voluntatis cum fine delectationis. Non autem omnis, qui utitur, et fruitur; si id quod in facultatem voluntatis assumit, non propter ipsum, sed propter aliud appetit ».

Et attende, quod [1] videtur Augustinus dicere, illos frui tantum, qui in re gaudent, non iam in spe; et ita in hac vita non videmur frui, sed tantum uti, ubi gaudemus in spe, cum supra dictum sit, frui esse amore inhaerere alicui rei propter se, qualiter etiam hic multi adhaerent Deo.

Dubium, utrum viatores frui possint.

Haec ergo, quae sibi contradicere videntur, sic determinamus dicentes, nos et hic et in futuro frui, sed ibi proprie et perfecte et plene, ubi per speciem videbimus quo fruemur; hic autem, dum in spe ambulamus, fruimur quidem, sed non adeo plene. Unde Augustinus in libro decimo de Trinitate [2]: « Fruimur cognitis, in quibus ipsis voluntas propter se delectata conquiescit ». Idem in libro de Doctrina christiana [3] ait: « Angeli illo fruentes iam beati sunt, quo et nos frui desideramus; et quantum in hac vita iam fruimur vel per speculum vel in aenigmate, tanto nostram peregrinationem et tolerabilius sustinemus et ardentius finire cupimus ».

Solutio 1.

Potest etiam dici, quod qui fruitur etiam in hac vita non tantum habet gaudium spei, sed etiam rei, quia iam delectatur in eo quod diligit, et ita iam rem aliquatenus tenet. Constat ergo, quia [4] debemus Deo frui, non uti. « Illo enim, ut ait Augustinus [5], frueris, quo efficieris beatus et in quo spem ponis, ut ad id pervenias ». De hoc idem ait in libro de Doctrina christiana: « Dicimus ea re nos frui, quam diligimus propter se, et ea re nobis fruendum esse tantum, qua efficimur beati; ceteris vero utendum ». Frequenter tamen dicitur *frui* cum delectatione uti. Cum enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum gerit. Si tamen per eam transieris et ad illud, ubi permanendum est, eam retuleris, uteris ea et abusive, non proprie diceris frui. Si vero inhaeseris atque permanseris, finem in ea ponens laetitiae tuae, tunc vere et proprie frui dicendus es; quod non est faciendum nisi in illa Trinitate, id est, summo et incommutabili bono [6] ».

Alia solutio.

Cum autem homines, qui fruuntur et utuntur aliis rebus, res aliquae sint, quaeritur, « utrum frui se debeant, an uti, an utrumque ». Ad quod sic respondet Augustinus in libro de Doctrina christiana [7]: « Si propter se homo diligendus est, fruimur eo; si propter aliud, utimur eo: videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur beata vita, cuius etiam spes hoc tempore nos consolatur. In homine autem spes ponenda non est, quia *maledictus est* qui hoc facit. Ergo si liquide advertas, nec seipso quisquam frui debet, quia non se debet diligere propter se, sed propter illud quo fruendum est ». Huic autem contrarium videtur quod Apostolus ad Philemonem [8] loquens ait: *Ita, frater, ego te fruar in Domino.* Quod ita determinat Augustinus [9]: « Si dixisset tantum *te fruar*, et non addidisset *in Domino*, videretur finem dilectionis ac spem constituisse in eo; sed quia illud addidit, *in Domino* se finem posuisse eodemque frui significavit ». « Cum enim, » ut idem Augustinus ait, « homine in Deo frueris, Deo potius quam homine frueris ».

Utrum hominibus sit fruendum, an utendum.

Sed cum Deus diligat nos, ut frequenter Scriptura dicit, quae eius dilectionem erga nos multum commendat, quaerit Augustinus [10], quomodo diligit, an ut utens, an ut fruens, et procedit ita: « Si fruitur nobis, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit; ait enim Propheta [11]: *Bonorum meorum non eges.* Omne enim bonum nostrum vel ipse est, vel ab ipso est: non ergo fruitur nobis, sed utitur. Si enim nec fruitur nobis nec utitur, non invenio, quomodo diligat nos ». « Neque tamen sic utitur nobis, ut nos aliis rebus. Nos enim res, quibus utimur, ad id referimus, ut Dei bonitate perfruamur; Deus vero ad suam bonitatem usum nostrum refert: ille enim miseretur nostri propter suam bonitatem, nos autem nobis invicem propter illius bonitatem; ille nostri miseretur, ut se perfruamur, nos vero invicem nostri miseremur, ut illo fruamur. Cum enim nos alicuius miseremur et alicui consulimus, ad eius quidem facimus utilitatem eamque intuemur, sed et nostra fit consequens, cum misericordiam, quam aliis impendimus, non relinquit Deus sine mercede. Haec autem merces summa est, ut ipso perfruamur [12] ». Item: « Quia bonus est, sumus, et inquantum sumus, boni sumus. Porro quia etiam iustus est, non impune mali sumus, et in quantum mali sumus, in tantum etiam

Utrum Deus nobis fruatur, an utatur.

---

[1] Vat. cum codd. B C et edd. praeter 6 et 8 *quia*.

[2] Cap. 10. n. 13. — Integrum textum posuimus ex cod. D et ed. 1. Vat. cum ceteris edd. et codd. *fruimur cognitis, in quibus voluntas est.* Suspicamur autem, pro *est* legendum esse *etc.* Nomen *Augustinus*, quod deerat post *Unde*, suffectum est ex codd. C D et edd. 1, 8.

[3] Libr. I. c. 30. n. 31. — Scripturae locus, quem hic respicit Augustinus, est I. Cor. 13, 12.

[4] Solummodo edd., exceptis 1, 8, legunt *igitur quod.* Tum Vat. contra codd. et edd. 1, 8 post *frui* addit *et.*

[5] Libr. I. de Doctr. christ. c. 33. n. 37; proximus locus ibid. c. 31. n. 34.

[6] Loc. cit. c. 33. n. 37. — In fine huius auctoritatis codd. omnes et edd. 1, 8 adiiciunt *in* ante *summo;* sed infra circa finem in eodem S. Aug. loco solummodo cod. B cum iisdem duabus edd. Cum autem *in* desit in originali, nihil immutavimus.

[7] Libr. I. c. 22, sed plura secundum sensum excerpta sunt. — Insuper mss. omnes et edd. 1, 8 male et contra textum Augustini omittunt *nos* ante *consolatur.* Verba, quae sequuntur: *In homine* etc., alludunt ad Ierem. 17, 5.

[8] Vers. 20. — Immediate ante Vat. cum. edd. 4, 7 contra codd. et ceteras edd. *videri non debet* pro *videtur.*

[9] De Doctr. christ. c. 33. n. 37, ubi in originali: Inde ad Philemonem Paulus: *Ita frater*, inquit, *ego te fruar in Domino.* Quod si non addidisset *in Domino*, et *te fruar* tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suae. — In fine huius loci codd. A C D bene *eodemque se frui.* — Proximus locus habetur ibidem.

[10] De Doctr. christ. c. 31. n. 34. — Mox Vat. *diligat* pro *diligit* contra textum Augustini, codd. et fere omnes edd. Postea verbis *si fruitur* hic et paulo infra post *nec fruitur* additum est *nobis* ex cod. D et edd. 1, 8.

[11] Psalm. 15, 2. — Mss. A B C E cum edd. 1, 8 *indiges* pro *eges*, sed repugnante Augustino cum Vulgata.

[12] Ibid. c. 32. n. 35; in quo textu post *misericordiam quam* codd. A B E et edd. 1, 8 pro *aliis* legunt *alii;* cod. D *alicui;* et mox pro *perfruamur* Vat. cum paucis edd. *fruamur.*

minus sumus. Ille igitur usus, quo nobis utitur Deus, non ad eius, sed ad nostram utilitatem refertur, ad eius vero tantummodo bonitatem[1] ».

Utrum virtutibus sit fruendum.

Hic considerandum est, utrum virtutibus sit utendum, an fruendum. Quibusdam videtur, quod eis sit utendum et non fruendum, et hoc confirmant auctoritate Augustini[2], qui, ut praetaxatum est, dicit, non esse fruendum nisi Trinitate, id est, summo et incommutabili bono. Item dicunt, ideo non esse fruendum eis, quia propter se amandae non sunt, sed propter aeternam beatitudinem. Illud autem, quo fruendum est, propter se amandum est. Sed quod virtutes propter se amandae non sint, immo propter solam beatitudinem, probant auctoritate Augustini, qui in libro decimo tertio de Trinitate[3] contra quosdam ait: « Forte virtutes, quas propter solam beatitudinem amamus, sic persuadere nobis audent, ut ipsam beatitudinem non amemus; quod si faciunt, etiam ipsas utique amare desistimus, quando illam, propter quam solam istas amavimus, non amamus ». Ecce his verbis videtur Augustinus ostendere, quod virtutes non propter se, sed propter solam beatitudinem amandae sint. Quod si ita est, ergo eis fruendum non est. Aliis vero contra videtur, scilicet quod eis fruendum sit, quia[4] propter se petendae et amandae sunt. Et hoc confirmant auctoritate Ambrosii[5], qui ait super illum locum Epistolae ad Galatas: *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia* etc.: « Haec non nominat opera, sed fructus, quia propter se petenda sunt ». Si vero propter se petenda sunt, ergo propter se amanda. Nos autem harum quae videtur[6] auctoritatum repugnantiam de medio eximere cupientes, dicimus, quod virtutes propter se petendae et amandae sunt, et tamen propter solam beatitudinem. Propter se quidem amandae sunt, quia delectant sui possessores sincera et sancta delectatione et in eis pariunt gaudium spirituale. Verumtamen non est hic consistendum, sed ultra gradiendum. Non hic haereat dilectionis[7] gressus, neque hic sit dilectionis terminus, sed referatur hoc ad illud summum bonum, cui soli omnino inhaerendum est, quia illud propter se tantum amandum est, et ultra illud nihil quaerendum est; illud est enim supremus finis. Ideo Augustinus dicit, quod eas diligimus propter solam beatitudinem, non quin[8] eas propter se diligamus, sed quia id ipsum, quod eas diligimus, referimus ad illud summum bonum, cui soli inhaerendum est, et[9] in eo permanendum finisque laetitiae ponendus; quare virtutibus non est fruendum. Sed dicet aliquis: Frui est amore inhaerere alicui rei propter se ipsam, ut praedictum est; si ergo virtutes propter se amandae sunt, et eis fruendum est. Ad quod dicimus: in illa descriptione, ubi dicitur *propter se ipsam*, intelligendum est tantummodo, ut scilicet ametur propter se ipsam tantum, ut non referatur ad aliud, sed ibi ponatur finis, ut supra ostendit Augustinus dicens[10]: « Si inhaeseris atque permanseris, finem ponens laetitiae tuae, tunc vere et proprie frui dicendus es. Quod non est faciendum nisi in illa Trinitate, id est, summo et incommutabili bono ». Utendum est ergo virtutibus et per eas fruendum summo bono; ita et de voluntate bona dicimus. Unde Augustinus in libro decimo de Trinitate[11] ait: « Voluntas est per quam fruimur »; ita et per virtutes fruimur; non eis, nisi forte aliqua virtus sit Deus, ut caritas, de qua post tractabitur[12]. Obiectio. Solutio.

Epilogus.

Omnium igitur, quae dicta sunt, ex quo de rebus specialiter tractavimus, haec summa est: quod aliae sunt, quibus fruendum est[13], aliae, quibus utendum est, aliae, quae fruuntur et utuntur; et inter eas, quibus utendum est, etiam quaedam sunt, per quas fruimur, ut virtutes et potentiae animi, quae sunt naturalia bona. De quibus omnibus, antequam de signis tractemus, agendum est, ac primum de rebus, quibus fruendum est, scilicet de sancta atque individua Trinitate.

---

[1] Ibid.; in quo textu Vat., ordine verborum non bene inverso, legit *Porro etiam quia*, et paulo post pro *Ille igitur* eadem legit *Ille ergo*.

[2] Loc. cit. c. 33. n. 37; vide supra in medio huius capituli. — Paulo ante cod. C *confirmatur auctoritate;* cod. D *confirmant auctoritates* et paulo infra *probant auctoritates*.

[3] Cap. 8. n. 11. — Paulo ante mss. BCE *sunt* pro *sint*.

[4] Solus cod. D *et propter*, sed male.

[5] Super Epist. ad Galatas c. 5, 22: « Non dixit: opera spiritus caritas est, sed fructus spiritus ». — Verba, quae sequuntur: « quia propter se petenda sunt », idem Lombardus habet Collect. in Epist. Pauli ad Gal. Patrolog. Lat. tom. CXCII, col. 160: « *Fructus autem:* quasi dicat, haec quae enumeravi, sunt opera carnis; sed ista sunt opera spiritus, quae sequuntur, quae tamen non nominat *opera*, sed *fructus*, quia propter se petenda sunt ». Ex his confirmatur lectio codd. et ed. 1: *haec non nominat,* dum ceterae edd. legunt *hic non nominat;* Vat. et ed. 4 *At hic* etc. Deinde pro *nominat* cod. D *nominantur*. Postea Vat. et edd. 2, 4, 7, 9 *ergo et propter;* omisimus *et*, postulantibus mss. et aliis edd. Denique edd. 1, 3, 8 adiungunt *amanda sunt*.

[6] Codd. ABE et edd. 2, 3, 5, 7, 9 *videntur*.

[7] Vat. perperam *delectationis*.

[8] Vat. *quod*, edd. 5, 8, 9 *qui*, sed recte codd. et aliae edd. *quin*, quia Magister hic mediam viam tenet inter negantes et asserentes, virtutes propter se amandas esse.

[9] Vat. sola praetermittit *et*.

[10] De Doctr. christ. I. c. 33. n. 37; in quo textu praeter Vat. ceterae edd. et codd. omittunt *tuae* post *laetitiae*; sed retinuimus cum originali, quia supra in eodem textu omnes concorditer sic legunt.

[11] Cap. 10. n. 13.

[12] Infra d. 17. Edd. 1, 3, 8 *postea* loco *post*.

[13] Codd. omnes omittunt *est*, et item postea codd. ABC cum edd. 1, 8 post *utendum*. Denique cod. D legit *animae* pro *animi* et cum ed. 1 *dona* pro *bona*.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM I.

Divisio libri Sententiarum et disputatio circa *frui* et *uti*.

Veteris ac novae Legis continentiam etc.

DIVISIO TEXTUS.

In parte ista incipit tractatus libri, qui dividitur in quatuor libros partiales. Prima pars habet duas partes. In *prima* parte venatur Magister materiam huius libri et per consequens aliorum. In *secunda* exsequitur divisionem suam, quae incipit ibi distinctione secunda [1]: *Hoc itaque vera ac pia fide* etc.

Item *prima* pars, in qua venatur materiam habet duas [2] partes. In prima parte venatur materiam per divisiones, et ideo *primo* ponit divisionem, per quam distinguuntur tres libri a quarto, scilicet per *res* et *signa*. *Secundo* [3] ponit divisionem, per quam distinguitur primus liber a tribus aliis, quae est per *frui* et *uti*, ibi: *Id ergo in rebus considerandum* [4].

Item, *prima* pars habet tres particulas. In *prima* proponit divisionem et auctoritate Augustini confirmat eam, quae est, quod tota doctrina theologica est de rebus, vel de signis, id est, subiectum commune theologiae in haec duo dividitur. In *secunda* membra divisionis explanat, ibi: *Proprie autem hic res appellantur,* ostendens, quid sit res et quid signum secundum membra praedictae divisionis. In *tertia* vero particula divisionem ad propositum applicat, ibi: *Cumque his intenderit theologorum speculatio,* dicens, quod de rebus et signis sit [5] dicturus, primo tamen de rebus.

Item, pars illa, in qua ponit divisionem per *frui* et *uti*, per quam primus liber distinguitur ab aliis tribus, habet duas partes. In *prima* ponit divisionem et explanat ipsam [6]. In *secunda* quae dicta sunt epilogat, ibi: *Omnium igitur, quae dicta sunt* etc. *Prima* igitur pars habet tres partes: in prima ponit divisionem in res, quibus fruendum, et res quibus utendum: in secunda ad maiorem evidentiam assignat quasdam definitiones, ibi: *Frui autem est amore inhaerere* etc. In tertia vero proponit et determinat quasdam dubitationes, ibi: *Cum autem homines, qui fruuntur et utuntnr* etc.

Et in prima particula primo ponit divisionem secundum auctoritatem Augustini, secundo exemplificat, ibi: *Illae, quibus fruendum* etc. [7].

Frui autem est amore inhaerere. Haec secunda [8] particula illius partis, in qua ponit divisionem in qua distinguitur primus liber ab aliis tribus, quae est de quibusdam notificationibus, quatuor habet particulas. Primo enim ponit notificationes *frui* et *uti;* secundo applicat eas ad propositum, scilicet ad res, quibus fruendum est [9] et utendum, ibi: *Res igitur quibus fruendum;* tertio comparat ad alias assignationes, ibi: *Notandum vero, quod idem Augustinus;* quarto, quia videntur [10] sibi contradicere, movet et determinat quandam dubitationem, ibi: *Et attende quod videtur Augustinus dicere* etc.

Cum autem homines, qui fruuntur et utuntur. Haec tertia pars, in qua movet et tractat dubitationes quasdam, habet tres partes secundum tres dubitationes, quarum [11] *prima* est, utrum homo homine debeat frui, *secunda,* utrum Deus homine fruatur, vel utatur, et hanc movet ibi: *Sed cum Deus diligat* etc.; *tertia* quaestio [12] est, utrum virtutibus sit fruendum, vel utendum, ibi: *Hic considerandum est, utrum virtutibus* etc. Et in qualibet istarum trium partium primo movet quaestionem, secundo motam determinat, tertio determinationem per auctoritatem confirmat. Et particulae in suis locis sunt manifestae.

---

[1] Vat., post *suam* addendo *et hoc*, transponit verba *dist. 2* ante relativum *quae*, sed contra mss. et ed. 1.

[2] Vat. paulo infra, contradicentibus mss. et ed. 1, tertium membrum subdivisionis adiungendo ponit hic *tres* loco *duas;* sed falso, uti ex dicendis patebit. Error editorum Vat. forte inde provenit, quod ipsi putarent, per verba immediate sequentia *In prima parte* significari primam partem subdivisionis, cum tamen revera per illa nihil aliud significetur nisi prima pars principalis i. e. tota prima distinctio.

[3] Auctoritate codd. et ed. 1 substituimus *secundo* pro *in secunda*, postulante hoc insuper contextu, cum *secundo* referatur ad *primo* paulo superius positum.

[4] Nullo adstipulante mss. nec favente ed. 1, Vat. adiungit hic *In tertia determinat dubitationes quasdam ex praemissis ortas*, ibi: *Cum autem homines, qui fruuntur;* sed falso, cum haec pars sit tertia particula subdivisionis partis primae, sicuti infra expresse habetur.

[5] Contra antiquiores codd. et ed. 1 minus bene Vat. *fuerit.* Mox codd. CS cc *Iterum* pro *Item.*

[6] Fide mss. et ed. 1 supplevimus *et explanat ipsam* et mox ex fere omnibus codd. cum ed. 1 post *Prima* addidimus *igitur*, pro quo codd. P et Q habent *iterum.*

[7] Ita mss. cum ed. 1; in Vat. autem subdivisio, quae incipit a verbis *Et in prima particula* usque ad *Frui autem*, deest.

[8] Vat. hic interserens verbum *est,* ob variatam constructionem in fine propositionis ante *quatuor* praefixam habet particulam *et;* insuper in media propositione post *divisionem* pro *in qua* ponit *per quam*, sed contradicentibus mss. et ed. 1.

[9] Fide mss. et ed. 1 addimus *est.*

[10] Ita plurimi codd. ut ACFGIKRTVXWZ etc. et ed. 1 necnon textus Magistri Sentent. contra Vat., quae habet *videretur,* et aliquos codd. ut HLOS, qui legunt *videtur.*

[11] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *quarum*, sicuti et paulo infra post *fruatur* substituimus *vel* pro *et.*

[12] Praeter fidem mss. et ed. 1 omittit Vat. *quaestio.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad evidentiam definitionum et aliorum, quae Magister ponit de his verbis *frui* et *uti*, sex quaeruntur in parte ista, quorum tria pertinent ad *uti*, tria ad *frui*.

De *uti* tria quaeruntur.

Primo quaeritur, quid sit *uti* per essentiam.

Secundo, utrum omni creato contingat uti.

Tertio, utrum solo bono creato sit utendum.

De *frui* similiter quaeruntur tria.

Primo, quid sit *frui* per essentiam.

Secundo, utrum bono increato fruendum sit.

Tertio, utrum fruendum sit ipso solo bono increato.

ARTICULUS I.

Quid sit UTI *et de* UTIBILI.

QUÆSTIO I.

Utrum uti sit actus voluntatis, an rationis, vel omnis potentiae.

Circa primum [1] de *uti*, quid sit per essentiam, utrum sit actus voluntatis, an rationis, sic proceditur. Quod sit actus voluntatis ostenditur sic.

Fundamenta. 1. Ab actu utendi denominatur unusquisque bonus [2]; sed nullus dicitur bonus nisi ab actu voluntatis: ergo actus utendi pertinet ad voluntatem.

2. Item, Augustinus decimo de Trinitate [3]: « *Uti* est assumere aliquid in facultatem voluntatis » : ergo *uti* est actus voluntatis.

3. Item, hoc videtur per divisionem ipsius *uti* contra alia, quia decimo de Trinitate [4] dividit Augustinus haec tria, *ingenium*, *doctrinam* et *usum*, et dicit, quod ingenium respicit, quid homo possit, doctrina, quid homo sciat, usus, quid [5] velit: ergo usus est actus voluntatis.

4. Item, « Opposita nata sunt fieri circa idem [6] »; sed uti et abuti sunt opposita, ergo cum abuti sit solius voluntatis, quia eius solius est peccare: ergo et *uti* similiter erit actus solius voluntatis.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Usus sive assuefactio est via in habitum acquirendum [7]; sed omnis potentia nata est acquirere habitum: ergo uti videtur esse omnis potentiae.

2. Item, omnis potentia mediante operatione sua ordinatur in finem [8]; sed eo dicitur aliquid *utibile* sive *uti*, quo in finem est ordinabile; sed ordinari in finem mediante propria operatione est omnis potentiae: ergo et *uti* similiter.

3 Item, sicut Augustinus dicit et habetur in littera [9], *uti* est id quod in usum venerit referre etc. Sed eius est referre, cuius est conferre; sed conferre est solius rationis, ergo et referre: ergo et uti a definitione.

4. Item, ars utitur suis instrumentis [10]; sed ars est in potentia rationali sive cognitiva, cum sit scientia: ergo cum habitus et actus sint eiusdem potentiae, si ars est in potentia rationali, et usus similiter erit in eadem.

CONCLUSIO.

Uti quinque modis potest intelligi: si sumitur communissime et communiter, est actus omnis potentiae; si sumitur proprie, magis proprie et propriissime, est actus voluntatis.

RESPONDEO [11]: Dicendum, quod *uti* quinque modis accipitur, et secundum hoc diversificatur secundum rem et secundum definitionem. Uti sumitur 5 modis.

Accipitur enim usus sive uti *communissime*, secundum quod dividitur contra otium vel otiositatem, pro naturali operatione debita cuilibet rei, sive

---

[1] Consentientibus mss. et ed. 1, restituimus verba *Circa primum* et mox mutavimus *aut* in *an*, quod et grammatice melius est.

[2] Forsitan respicitur illud Aristot. II. Ethic. c. 3. in fine: Qui enim bene his (voluptatibus et doloribus) utetur, bonus; qui male, erit malus.

[3] Cap. 11. n. 17; vide supra in lit. Magistri, c. 3. in initio.

[4] Ibidem, paulo ante; et XI. de Civ. Dei, c. 25.

[5] Cod. X hic iterum addit *homo*.

[6] Aristot., de Praedicam. c. de Oppositis circa finem: Palam vero est, quod circa idem aut specie aut genere nata sunt fieri contraria.

[7] Idem B. Albert., S. I. tr. 2. q. 8. m. 1. his verbis exprimit: Secundo dicitur uti rei exercitium ad inducendum habitum, secundum quod dicit Victorinus in Rhetoricis suis (seu Comment. in Rhetor. Ciceronis, I. c. 1-4. 25. et II. c. 59.), quod natura habilem facit, ars potentem, usus facilem. — Vide et Aristot., II. Ethic. c. 1.

[8] Vide Aristot., IX. Metaph. text. 16. (Ed. Paris. VIII. c. 8.). — Mox codd. C F G H K L O R S U cc et ed. 1 *utile* pro *utibile;* cod. Z *utile sive utibile quo* etc.

[9] Hic, c. 2. — Faventibus mss. et edd. 1, 2, 3, 6, pro *infra* substituimus *in littera*. In conclusione huius argumenti Vat. *ergo referre et per consequens uti;* praeferimus tamen lectionem fere omnium mss. et ed. 1 tanquam distinctiorem.

[10] Aristot., I. de Anima, text. 53. (c. 3.). — Circa finem argumenti mendum Vat. ponentis *sic* pro *si* castigatur ex mss. et ed. 1. — Mox Vat. post *usus* addit *sive uti;* quod deest in antiquioribus mss. et ed. 1.

[11] Plures codd. ut A I T etc. *Solutio* pro *Respondeo*.

ad quam unaquaeque res ordinatur, et secundum hoc dicit Philosophus[1]: « Cuius usus bonus etc. ».

Secundo modo dicitur *communiter;* et sic usus dividitur contra dissuetudinem. Et hoc modo definitur a Victorino[2]: « Usus est actus frequenter elicitus a potentia », et hoc modo potest dici, quod est actus omnis potentiae nec addit super actum nisi frequentiam.

Tertio modo accipitur uti *proprie;* et sic dividitur contra habitus memoriae et intelligentiae, scilicet[3] contra ingenium et doctrinam. Et sic definitur ab Augustino decimo de Trinitate: « Uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis », et sic dicit actum voluntatis proprie.

Quarto modo accipitur *magis proprie;* et sic dividitur contra actum quietativum, scilicet contra *frui.* Et sic definitur ab Augustino[4]: « Uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis propter aliud », et sic est actus voluntatis ut ad aliud relatae.

Quinto accipitur *propriissime;* et sic dividitur contra actum inordinatum, scilicet contra *abuti.* Et sic definitur ab Augustino de Doctrina christiana[5]: « Uti est id quod in usum venerit referre ad id, quo fruendum est », et sic uti dicit actum voluntatis relatum et ordinatum in finem.

Ratio ergo diversarum notificationum est multiplex acceptio eius quod est *uti;* et ratio multiplicis acceptionis est oppositio eius ad diversa.

Si ergo quaeratur, cuius potentiae est[6] actus; Conclusio 1. dicendum, quod, *communissime* et *communiter* loquendo, est actus omnis potentiae; et sic non loquitur Augustinus; *proprie* vero, *magis proprie* et *propriissime* actus est ipsius voluntatis. Conclusio 2.

Solutio oppositorum.

1. Et sic patet primo obiectum in contrarium, scilicet quod[7] sit omnis potentiae.

2. Quod obiicitur secundo, quod omnis potentia refertur in finem per actum suum; dicendum, quod illa potentia dicitur uti suo actu, quae est domina sui actus; et talis potentiae est *referre* suum actum, non tantum *referri.* Et quoniam sola voluntas est domina sui actus et sola est se ipsam movens, ideo ipsa sola est, cuius est active uti. Aliis autem potentiis contingit uti materialiter et passive, quia habent *referri,* et non *referre.* Et hinc est, quod ab Augustino dicitur[8]: « Uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis »; facultas enim dicitur eius dominium, quo faciliter potest in actum suum tanquam illius princeps.

3. Ad illud quod obiicitur, quod rationis est referre; dicendum, quod dupliciter est referre, scilicet per *collationem* et *illationem*, sicut praemissae referuntur ad conclusionem; et hoc est rationis, et hoc non est *uti.* Et est referre per[9] *inclinationem* et ordinationem ad aliud; et hoc est proprie voluntatis, quia potest aliquid assumere quiescendo ibi, vel aliud intendendo; et hoc est referre[10], per quod definitur *uti* etc.

4. Ad illud quod obiicitur de arte, dicendum, quod ars dicit quod est *operationis*, et quod est *speculationis.* Secundum quod dicit[11] quod est *speculationis*, non habet *uti*, et sic est rationis; secundum vero quod dicit quod est *operationis*, sic extenditur ad voluntatem et eam regulat in utendo.

---

[1] Sententia: Cuius usus bonus est, ipsum quoque bonum est, verbotenus legitur apud Boethium, de Differentiis topicis, libr. II. circa medium, in quo libro auctor proponit locorum topicorum divisiones, quae ex una parte, duce Aristotele, a Themistio, et ex altera parte a Cicerone exhibentur, earumque differentias indicat.

[2] Fabius Marius (Laurentius) Victorinus, Rhetor († inter 370-382), qui praeter opuscula theologica contra Arianos varios confecit libros philosophicos et rhetoricos; sic transtulit Porphyrii librum de Praedicabilibus in linguam latinam (cfr. Boeth., Dialogus I. in Porphyrium) scripsitque commentarium in Rhetorica et Topica Ciceronis (cfr. Boeth. Comment. in Topica Ciceronis; et ed. Operum Ciceronis per Orelli, ubi Victorini Comment. in Rhetor. invenitur). Licet definitio *usus,* de qua hic agitur, explicite non inveniatur in praenotatis Victorini operibus, colligi tamen posse videtur ex supra (argum. 1. ad opp.) allatis eius verbis una cum hac *exercitationis* definitione, quam in Comment. super I. Rhetor. Ciceronis, c. 2. proponit: Exercitatio est suscepti operis continuatio. Cfr. et ibid. c. 25., ubi de definitione *habitus* agitur, in qua ponitur *usus* sive *exercitatio.*

[3] Perturbatam lectionem Vat. *et* pro *scilicet* emendavimus ope mss. et sex primarum edd. Vide etiam supra fundam. 3, sicuti et de sequenti definitione ab Augustino data cfr. fundam. 2.

[4] Vide hic lit. Magistri c. 3. in princ. — In fine propositionis Vat. male et contra mss. et ed. 1 *relative* pro *relatae.*

[5] Vide supra in lit. Magistri c. 2, in quo textu codd. A F G H I K S X Y etc. sibi non constantes habent *venit* pro *venerit.*

[6] Codd. S Y Z satis bene *sit.* Mox Vat., reluctantibus mss. et edd. 1, 2, 3, post *quod* addit *duobus primis modis est actus omnis potentiae, tribus vero ultimis est actus ipsius voluntatis;* sed superflue, quia verbis immediate sequentibus idem dicitur. Dein multi codd. ut C F K L M O R S U V W X Y Z etc. cum edd. 2 et 3 post *communissime,* omissis verbis *et communiter,* transponunt ea post *Augustinus* simulque omittunt *et propriissime,* sic legendo: *Communiter vero et proprie actus est ipsius voluntatis;* quae lectio praecedentibus manifeste contradicit. Codd. D P Q T post *propriissime* addunt *loquendo, id est tribus ultimis modis.*

[7] Supple cum cod. bb *uti;* Vat. autem praeter fidem mss. et ed. 1 hic addit *uti communissime sumtum,* qua additione non quidem falsus, sed alius sensus obtinetur; in lectione siquidem mss. a S. Doctore hic non datur explicita responsio ad primo obiectum, sed breviter repetitur ipsa obiectio; e contra est in lectione Vat.

[8] Postulante maiore parte codd. F G H I R S T etc. et ed. 1, posuimus modum passivum pro activo *Augustinus dicit.*

[9] Cod. D *secundum.*

[10] Vat. cum recentiore cod. cc addit *quo vel,* quod tamen abest ab antiquioribus mss. et ed. 1.

[11] Ed. 1 hic et paulo infra *illud* loco *quod dicit.*

SCHOLION.

In hac quaestione antiqui scholastici satis consentiunt. Scot., I. Sent. d. 1. q. 3. et 5. in fine. — S. Thom., hic q. 1; S. I. II. q. 16. a. 1. — B. Albert. M., hic a. 13. 16. et 17. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1, qui doctrinam S. Bonavent. breviter repetit. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic a. 1. principalis q. 3. — Henr. Gand., S. a. 8. q. 1. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. 1.

QUÆSTIO II.

Utrum omni creato utendum sit.

Secundo, viso quid sit uti per essentiam, quaeritur de utibili, utrum scilicet omni creato sit utendum. Et quod sic, videtur hoc modo.

Fundamenta. 1. Proverbiorum decimo sexto [1]: *Universa propter semetipsum operatus est Deus:* ergo omnia sunt ordinabilia in Deum; sed omne ordinabile in Deum contingit ordinare; sed ordinando ad Deum ordinabile recte utimur: ergo si omnia contingit ordinare, omnibus est utendum.

2. Item, ens et bonum convertuntur, sicut vult Dionysius [2]; sed omnia sunt entia: ergo omnia sunt bona. Sed omne bonum diligendum: ergo omne creatum est diligendum; sed non est diligendum propter se: ergo propter aliud; sed hoc est uti: ergo uti contingit omni creato.

3. Item, omni virtute contingit recte uti [3]: ergo opus omnis virtutis est rectus usus; sed usus *alicuius* virtutis est respectu mali *poenae*, ut patientiae, *alicuius* respectu mali *culpae*, ut poenitentiae: ergo malis omnibus, scilicet culpae et poenae, contingit recte uti: ergo multo fortius bonis: ergo etc.

4. Item, « Opposita nata sunt fieri circa idem [4] »; sed omnibus contingit abuti: ergo omnibus contingit recte uti: ergo utendum est omni creato.

Ad oppositum. Contra: 1. Caritas est, per quam recte utimur, quia omnia ordinantur in finem per caritatem quaecumque recte ordinantur; sed sicut dicit Augustinus de Doctrina christiana [5]: « Tantum quatuor diligenda sunt ex caritate et tria tantum creata, ut nos, proximus et corpus proprium »: ergo tantum tria referuntur sive ordinantur in finem per caritatem, cum non sit uti recte nisi per caritatem: ergo tantum tribus est utendum, non ergo omni creato.

2. Item, omnia, quibus utimur, subiacent nostrae voluntati; sed quaedam sunt, quae non subiacent nostrae voluntati, ut necessaria et perpetua: ergo illis non est utendum.

3. Item, omne illud, quo recte utimur, bono fine facimus; sed quaedam sunt, quae nullo bono fine possunt fieri, ut mentiri et talia, « quae mox nominata coniuncta sunt malo [6] »: ergo talibus non est utendum.

4. Item, virtute non contingit male uti, sicut patet ex eius definitione [7]: ergo ab oppositis malo culpae sive vitiis non contingit recte uti: ergo non omnibus aliis a Deo est utendum.

CONCLUSIO.

Non omni re creata possumus uti ut instrumento neque ut habitu neque ut actu, omni tamen re uti possumus ut obiecto, sed quadrupliciter, vel operando, vel acceptando, vel tolerando, vel respuendo.

Respondeo: Dicendum, quod *uti aliquo* dicitur quatuor modis: aut sicut *instrumento*, quo operamur, sicut aliquis utitur [8] instrumento vel organo; et sic non omnibus contingit uti, utpote potentiis, quae sunt pure naturales, accipiendo *uti* proprie, sicut accipit Augustinus [9]; aut sicut *habitu*, quo regulamur, utpote virtute; et sic non omnibus contingit recte uti, ut habitu vitii, quo potius contingit obliquari; aut sicut *actu*, quo movemur; et sic non omni actu contingit bene [10] uti, sicut illis — Quatuor modi utendi cum 4 conclusionibus.

[1] Vers. 4, ubi Vulgata pro *Deus* legit *Dominus*. — Mox et pluries in seqq. argg. posuimus *contingit* loco *convenit*. Notamus hic et pro semper, quod codd. praesertim antiquiores saepissime ista duo vocabula eodem modo exhibeant abbreviata, ita ut sive *contingit* sive *convenit* legi possit.

[2] Cap. 5. de Div. Nom., ubi secundum textum Graecum legitur: Non aliud dicit esse bonum et aliud ens. — Mox cod. cc *sed si omnia*.

[3] Elicitur ex definitione virtutis, quam August., II. de Lib. Arb. c. 18. et 19. ponit: Bona qualitas mentis, qua recte vivitur et nemo male utitur. — Mox multi codd. ut C G H K O P Q R S U etc. et edd. 2, 3, 4, 5, 6 post *poenae* omittunt *ut patientiae*, quod tamen codd. praedicti postea male loco *ut poenitentiae* ponunt, editiones autem praeallegatae verbis *ut poenitentiae* praemittunt.

[4] Aristot., de Praedicam. c. de Oppositis circa finem. Vide supra q. 1. fundam. 4.

[5] Lib. I. c. 23. n. 22: Cum ergo quatuor sint diligenda: unum, quod supra nos est; alterum, quod nos sumus; tertium, quod iuxta nos est; quartum, quod infra nos est: de secundo et quarto nulla praecepta danda erant. — Et ibidem c. 26. n. 27: Quod si te totum intelligas, id est animum et corpus tuum et proximum tuum, id est animum et corpus eius. — Cod. W post *caritate* addit *scilicet Deus*. — Paulo ante fide codd. et ed. 1 addidimus *sicut*.

[6] Aristot., II. Ethic. c. 6: Quaedam enim confestim nominata convoluta sunt cum malitia. (Translatio antiqua in ed. Operum S. Thomae a P. Fiaccadori 1866. tom. 21.)

[7] August., II. de Lib. Arb. c. 18. et 19. n. 50. Vide paulo supra fundam. 3.

[8] Substituimus ex fere omnibus mss. et ed. 1 *aliquis utitur* pro *utimur*. Cod. V *sicut aliquo utimur*. Mox ex plurimis codd. cum ed. 1 bis substituimus *utpote* loco *ut puta*.

[9] Quatenus *uti* est assumere aliquid in facultatem voluntatis. Vid. supra q. 1. Cfr. etiam Aristot., I. Ethic. c. ult., ubi agit de potentiis, quae non subiacent imperio rationis et voluntatis.

[10] Vat. cum cod. cc male omittit *bene*, quod antiquiores mss. ac ed. 1 suppeditant, mutavimusque *convenit* in *contingit*.

quae mox nominata coniuncta sunt malo; aut sicut *obiecto*, ad quod inclinamur; et sic omnibus contingit *uti* et *abuti*. Omnia enim possunt sumi in facultatem voluntatis ad approbandum vel respuendum; et hoc patet per Augustinum libro octoginta trium Quaestionum [1]: « Utimur assumendis vel respuendis ad valetudinem, tolerandis ad patientiam, ordinandis ad iustitiam ».

Item, Augustinus decimo de Trinitate [2]: « Voluntas totam intelligentiam capit, dum utor omni eo quod intelligo »; sed mala intelliguntur: ergo contingit uti malis.

Aliter tamen utimur bonis, aliter malis. Ratio enim ordinationis in bonis non tantum est ex parte ordinantis, sed etiam ex parte ordinati, quia per se bona sunt utibilia et ordinabilia, et de sui natura; sed in malis ratio ordinationis non est ex parte ordinatorum, sed potius ex parte ordinantis; et ideo mala non dicuntur utibilia.

Diversimode utimur bonis et malis.

Unde nota, quod, cum uti sit assumere aliquid in facultatem voluntatis, hoc potest esse quadrupliciter: vel in facultatem voluntatis *operantis* [3], sicut est de his quae proprie pertinent ad usum humanum; vel in facultatem voluntatis *acceptantis*, sicut est dilectio proximi et huiusmodi; vel in facultatem voluntatis *tolerantis*, sicut sunt mala poenae; vel in facultatem voluntatis *respuentis*, et sic assumuntur mala culpae et ordinantur. Primis duobus modis intelligitur illud: « Cuius usus bonus etc. ».

Alia distinctio circa modum utendi.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de caritate, quod tantum tria creata [4] sunt diligenda; dicendum, quod *diligi aliquid ex caritate* hoc est ordinari in summum bonum, quod per se caritas diligit. Hoc autem contingit dupliciter: aut enim contingit ordinare quod natum est devenire in finem; et sic tantum tria creata diligenda sunt ex caritate; aut illud per quod devenire est in summum bonum; et quia hoc potest esse suo modo per omnem creaturam, omnis creatura potest diligi ex caritate, et omni creatura contingit uti.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non omnia subiacent voluntati; dicendum, quod aliquid [5] dicitur subesse dominio voluntatis dupliciter: aut quantum ad *esse ipsius rei;* et sic non omnia subiacent; aut quantum ad *actum voluntatis*, qui est in respuendo ipsam rem vel approbando, et hoc [6] propter se vel propter aliud; et tali modo omnia subiacent voluntati nostrae, scilicet quantum ad actum appetitionis vel respuitionis, licet non primo modo.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod quaedam nullo bono fine possunt fieri, *similiter*, quod semper vitiis abutimur; dicendum, quod obiicitur secundum viam, qua contingit uti aliquo ut *actu* medio; et sic non contingit [7] uti peccato; vel sicut *habitu* regulante, similiter; contingit tamen eo uti sicut *obiecto* recte per motum contritionis et detestationis.

SCHOLION.

I. Hanc et sequentem quaestionem antiqui doctores sub una quaestione et minus accurate tractare solent. — Ostensum iam supra est, quod *uti* in sensu *activo* sit solius voluntatis; in secunda hac quaestione inquiritur, ad quae *obiecta* se extendat usus voluntatis, sive quibus rebus uti *passive* conveniat. In responsione S. Doctor *primo* ponit quadruplicem distinctionem circa *obiecta* voluntatis *ordinanda* et resolvit quaestionem in *genere*. Quoad primum membrum huius distinctionis, patet quod voluntas non possit omnia assumere in facultatem suam, ut iis utatur sicut instrumento. Nam aliquae potentiae ipsius animae non subiacent imperio voluntatis; unde vocantur *pure naturales*, ut potentiae vegetativae. *Secundo*, incidendo in *specialem* quaestionem, scil. quo sensu quis malis uti possit, iterum quadrupliciter distinguit modum voluntatis *ordinantis*, scil. *operantis*, *acceptantis*, *tolerantis* et *respuentis*. Hic usus mali ex parte ordinantis est « usus per accidens », ut bene dicit Richard. (hic q. 2. ad ult.), « eo quod ordinatum aliunde accipit ordinabilitatem, scil. a voluntate ». — Circa hanc quaestionem de usu mali S. Thom. (hic loc. cit.) aliis verbis quam S. Bonaventura loquitur, sed in sententia nulla est differentia, immo in S. II. II. q. 78. a. 4. Angelicus etiam in modo loquendi cum illo convenit.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 1. — Scot., hic q. 3. et 5. et Quod., q. 17. — S. Thom., hic q. 2. a. 3; S. I. II. q. 16. a. 3. — B. Albert. M., hic a. 10. et 11. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. ita presse sequitur S. Doctorem, ut Dionys. Carth. de ipso dicat: « Petrus, qui scripsit post Bonaventuram, ex ipso Bonaventura suam responsionem videtur sumsisse ». — Richard., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 3. — Henr. Gand., S. a. 72. q. 3. n. 11. — Durand., hic q. 4. — Dionys., hic q. 2. — Biel, hic q. 1.

---

[1] Quaest. 30: Sic enim utitur suo corpore: quibusdam assumendis vel respuendis ad valitudinem, quibusdam tolerandis ad patientiam, quibusdam ordinandis ad iustitiam, quibusdam considerandis ad aliquod veritatis documentum. — In quo textu plurimi codd. ut A B C D F G H I K S T W Z etc. omittunt *assumendis vel*, pro quo ed. 1 ponit *conferendis aut*.

[2] Cap. 11. n. 18: Voluntas etiam mea totam intelligentiam, *totam memoriam meam* capit, dum toto utor, quod intelligo *et memini*.

[3] Renitentibus mss. et edd. 1, 2, 3, Vat. pro *operantis* ponit *imperantis*, sed mendose, quia hoc membrum non excludit tria alia membra divisionis. Eamdem distinctionem Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. breviter sic proponit: Potest aliquid assumi in facultatem voluntatis quadrupliciter: vel voluntatis operantis, ut bona nostra, vel approbantis, ut aliena bona, vel tolerantis, ut mala poenae propria et culpae alienae, vel respuentis, ut mala culpae propriae.

[4] Codd. cum ed. 1 omittunt *creata*, quod, ut certo subintelligendum, claritatis gratia retinuimus, praesertim cum et paulo post in mss. inveniatur. Mox Vat., post *caritate* omisso *hoc*, propositionem ipsam exhibet modo activo: *diligere, aliquid ex caritate est ordinare*, renitentibus tamen mss. et ed. 1. — Obiectionem, quam hic S. Doctor solvit, infra d. 17. p. 1. q. 2. sub alio respectu pertractat.

[5] Nullo suffragante ms. nec ed. 1, Vat. *aliquis*.

[6] Cod. Z hic non male addit *vel*.

[7] Postulantibus fere omnibus mss. et ed. 1, substituimus *sic* pro *hoc modo*, et bis *contingit* loco *convenit*. Mox mendum Vat. *recto per modum* castigavimus ex mss. et ed. 1.

QUÆSTIO III.

Utrum solo bono creato utendum sit.

Tertio, ostenso, utrum omni creato sit utendum et [1] omni alio a Deo, est quaestio, utrum solo bono creato sit utendum. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. « Omne bonum aut est finis, aut ad finem [2] »; sed solo bono, quod est ad finem, est utendum, quia ratio utilis est ducere in finem: ergo cum solum bonum creatum sit ad finem, solo bono creato est utendum.

2. Item, omne bonum aut est creatum, aut increatum. Sed si contingit uti bono increato, contingit illud referre ad aliud: aut ergo ad creatum, aut [3] increatum; sed non ad increatum, quia non est nisi unum increatum: ergo ad creatum. Sed sic refertur terminus ad viam et causa ad effectum; sed hoc est abusio, non usus: ergo solo bono creato sive creatura est utendum.

3. Item, Augustinus in libro octoginta trium Quaestionum [4] dividit honestum contra utile: ergo nullum utile honestum vel e converso; sed Deus est honestum per essentiam: ergo Deo non est utendum.

4. Item, videtur quod non solum non sit utendum Deo sive bono increato, sed uti eo semper sit peccatum mortale, quia Augustinus in libro octoginta trium Quaestionum [5] dicit: « Summa perversitas est frui utendis et uti fruendis »; sed qui utitur bono increato, utitur bono fruendo: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Contingit Deo recte servire intuitu mercedis, quia multi sunt boni mercenarii, ut dicit Ambrosius [6]; sed non contingit Deo servire nisi amando: ergo contingit Deum recte amare intuitu mercedis; sed sic amans utitur Deo, quia refert ad aliud: ergo etc.

2. Item, sic summa bonitas habet se ad amorem, sicut [7] summa veritas ad cognitionem; sed contingit veritatem creatam cognoscere clarius sine praeiudicio summae veritatis et sine errore: ergo similiter contingit aliam bonitatem quam summam ardentius diligere sine praeiudicio summae bonitatis et deordinatione: ergo contingit amore ordinato aliud plus diligi quam Deum: ergo contingit Deum diligi propter aliud ordinate et ita uti eo.

3. Item, videtur quod nullum peccatum sit, cum quis utitur Deo propter suam salutem, quia « cuius finis bonus, ipsum bonum [8] »; sed huius usus bonus est, scilicet nostra salus: ergo usus Dei bonus: ergo non erit peccatum.

4. Item, usus Dei aut est bonus; et sic utendum Deo; aut est malus; et sic Deus malus, quia « cuius usus malus, ipsum malum [9] »; quod si Deus bonus, et eius usus bonus: ergo Deo est utendum.

CONCLUSIO.

Solo bono creato est utendum, et bono increato uti est abuti.

Respondeo: Dicendum, quod solo bono creato est utendum, quia, si bono increato utimur, semper est abusus, et abusus talis est mortale peccatum propter perversitatem in finem [10] cum delectatione, et propter voluntatis inordinationem, quae minus diligit ipsum *quo* utitur, quam *propter quod* utitur. Conclusio.

---

[1] Codd. R et W *vel* pro *et.*

[2] Cfr. Aristot., I. Ethic. c. 1-7; I. Magnor. Moral. c. 3. et III. Topic. c. 1, ubi haec divisio diversimode insinuatur.

[3] Cod. A cum ed. 1 satis bene adiungit *ad.* Mox Vat., obnitentibus antiquioribus mss. et ed. 1, post *unum* omittit *increatum.*

[4] Quaest. 30: Honestum dicitur quod propter se ipsum expetendum est, utile autem quod ad aliud aliquid referendum est. — Mox ex multis codd. ut A F G H I K T U V aa bb ee ff cum ed. 1 posuimus *vel* pro *et.* Paulo infra Vat. ante *honestum* praemittit *quid,* quod tamen melius cum mss. et edd. 1, 2, 3 omittitur, quia Deus est ipsum honestum per essentiam.

[5] Quaest. 30: Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle atque utendis frui.

[6] In Evangel. S. Lucae c. 15, ubi iuxta ed. Venet. 1748: At vero filius, qui habet Spiritus S. pignus in corde, saecularis mercedis lucella non quaerit, quibus serviat. Haeredes sunt etiam mercenarii, qui ducuntur ad vineam. Bonus mercenarius Petrus etc. — Codex autem, sub n. 507 Bibliothecae Laurentianae Florentiis, membr. in fol. saec. XI. fol. 116. recto, col. 2. ultimam partem sic exhibet: non quaerit, qui ius servat haeredis. Sunt etiam qui conducuntur ad vineam. Bonus etc. Cum quo concordat cod. III. Plut. XIV. in fol. saec. XV. libr. VII. c. 35. Lectio istius ed. in verbis et interpunctione errat.

[7] Vat. contra mss. et ed. 1, invertendo comparationem, nempe *sicut summa bonitas, sic summa veritas,* argumentationem, uti ex subnexis patet, perturbat. Mox cod. X post *clarius* satis bene addit *veritate increata.* Dein, faventibus antiquioribus mss. et ed. 1, expunximus *aliquam,* quod Vat. cum recentiori cod. cc praemittit voci *aliam.* In ultima propositione huius argumenti multi codd. C F G K L R S U V W aa bb cum ed. 1 ante *diligi* falso repetunt *plus.*

[8] Boeth., II. de Differentiis topicis. Locus a fine: Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Vide supra q. 1. in corp. Propositio ista derivata esse videtur ex illa Aristot., III. Topic. c. 1: *Cuius finis melior, et ipsum melius.* Ad normam codd. et ed. 1 omisimus *est* et *quoque,* quod Vat. cum Boethio habet.

[9] Boeth., II. de Differentiis topic. — Codd. F O X addunt post *malus* particulam *et.* Immediate post ex fere omnibus mss. et ed. 1 substituimus *quod* loco *quia,* cod. R autem habet *ergo si Deus.*

[10] Auctoritate mss. et ed. 1 reiecimus lectionem Vat. *aversionem a fine* tanquam minus rectam, quia talis abusus non dicit solum simplicem aversionem a fine, sed etiam directam perversionem ipsius finis, quatenus nempe ipse finis convertitur in medium. Cod. O post *perversitatem* addit *intentionis.* Cod. R totam propositionem sic exhibet: *et abusus talis semper est mortale peccatum, non* (forsan omissum: *solum) propter per-*

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod contingit recte servire Deo intuitu mercedis; dicendum, quod illa merces aut est ipse Deus, sicut dixit Abrahae Genesis decimo quinto [1]: *Ego merces tua;* et sic intuens mercedem non utitur, quia non refert ad aliud; aut merces illa est *aliud*, et tunc potest eam quis intueri aut ut *causam moventem;* et sic est malus mercenarius [2]; aut ut *rationem inducentem*; et sic bonus, et hoc modo non utitur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod clarior cognitio creaturae non praeiudicat Creatori, ergo etc.; dicendum, quod non est simile, quia claritas cognitionis non est in nostra potestate, sed ardor affectionis est in nostra potestate; ideo requiritur a nobis, quod istum ordinemus, non illam [3]. Aliquis tamen actus cognitionis est in nostra potestate, utpote actus fidei, quo si aliquis assentiat veritati primae propter aliud, bene praeiudicat veritati, sicut amare propter aliud, bonitati.

3. Ad illud quod obiicitur, quod finis usus Dei est bonus; dicendum, quod finis dicitur bonus dupliciter: aut quantum ad *substantiam*, aut quantum ad *intentionem finiendi;* et propositio illa intelligitur quantum ad *intentionem finiendi*, et haec [4] consistit in recta ordinatione.

4. Ad ultimum dicendum, quod illa propositio [5] intelligitur de habentibus ordinationem ad finem, sed non de ipso fine. — Vel intelligitur de actu naturali ipsarum rerum et proprio, qui frequentius ab ipsa re elicitur, non de ordinatione in [6] finem; et sic non valet propositio ad propositum. Alia solutio.

SCHOLION.

I. In conclusione S. Doctor propositionem, quod bono increato uti sit *abusus* et peccatum, duplici ratione probat, quae sumitur tum ex parte *finis ultimi*, tum ex parte *voluntatis*. Ex parte *finis ultimi* est abusus, quia aversio a fine non fit sine contemtu eius et offensa Dei, uti probatur II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1, et a. 3. q. 2; ex parte *voluntatis* propter inordinationem, quia voluntas, quando Deo utitur, in aliquo creato ponit finem; sed finis est melior his quae sunt ad finem (infra d. 29. a. 1. q. 1. in corp.) et « quantum est de se, dicit excessum bonitatis respectu eius, quod est ad finem » (ibid. ad 4.). Ex quo patet inordinatio in proposito. Voluntas enim in utendo minus diligit medium quam finem. Ad rem facit illud generalissimum principium Aristotelis, toties a S. Doctore repetitum: Propter quod unumquodque (tale) est, illud magis est. Cfr. etiam hic dub. 6, ubi dicit, quod omnis res sit aut finis, aut medium ad finem, aut perveniens ad finem. — Quoad solut. ad 1, nempe quomodo Deo servire possimus intuitu mercedis, cfr. II. Sent. d. 38. a. 1. q. 3. ad 2. et III. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. — Quoad axioma: Cuius finis bonus, ipsum quoque bonum (ad 3.), cfr. II. Sent. d. 38. a. 1. q. 1.

II. Quoad ipsam quaestionem: Alex. Hal., S. p. III, q. 60. m. 3. a. 1. et 2, et p. II. q. 142. m. 2. — Ceteros auctores videsis in Scholio ad praecedentem quaestionem.

ARTICULUS II.

Quid sit frui.

Habito de *uti* et *utibili*, consequenter quaeritur de *frui* et *fruibili*, et *primo*, quid sit frui per essentiam, utrum scilicet sit actus voluntatis, an aliarum virium.

QUAESTIO UNICA.

Utrum frui sit actus voluntatis, an aliarum virium.

Fundamenta. 1. Quod sit actus voluntatis, videtur per primam definitionem, quae est: Frui est amore inhaerere etc.[7]; sed amor est voluntatis: ergo et *frui* similiter. *Si dicas*, quod amor sumitur ibi communiter, secundum quod est in qualibet vi respectu sui actus; *contra:* in omnibus aliis definitionibus idem dicitur. Unde dicitur in sequenti [8]: « Fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit ». Quietatio

---

versitatem in finem cum delectatione, sed propter voluntatis etc. Mox maiorem partem codd. ut A C G I K L U V X etc. et ed. 1 secuti, bis pro *utimur* substituimus *utitur*, quod grammatice melius est; alii codd. primo loco habent *utitur*, secundo loco *utimur*. Propositio ista relativa a S. Doctore adducta, quae immediate refertur ad substantivum *voluntatis*, continet implicite rationem inordinationis in voluntate hic notatae; sensus enim est: voluntas ordinata minus diligit *ipsum quo utitur*, i. e. medium, quam *propter quod utitur* i. e. finem; atqui in hoc casu habetur contrarium; ergo voluntas est inordinata.

[1] Vers. 1. — Paulo ante exhibemus lectionem codd. R V W X Y Z aa bb; alii codd. autem, omisso *Deus*, ponunt *Dominus* post *Abrahae*, a quibus non multum dissidet Vat. legendo: *est ipse, sicut Dominus dixit ad Abraam.* Mox fide antiquiorum mss. et ed. 1 post *utitur* expunximus *Deo*.

[2] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 hic addit *et sic utitur*.

[3] Vat. post *istum* addit *amorem* et post *illam* adiungit *cognitionem*, quae tamen auctoritate mss. et ed. 1 tanquam superflua expunximus.

[4] Cod. cc cum ed. 1 *hoc*. Mox antiquiores codd. et ed. 1 omittunt propositionem, quae habetur in Vat. et cod. cc post *ordinatione*, scil.: *et illo modo non contingit uti Deo, quia non convenit ordinari.* — Fusius de hac re tractat S. Doctor II. Sent. d. 28. a. 1. q. 1.

[5] Scilicet, cuius usus bonus, et ipsum bonum. — Vat. cum cod. cc paulo ante post *ultimum* praeter fidem antiquiorum mss. et ed. 1 addit *scilicet usus Dei aut est bonus aut malus* etc.

[6] Ex mss. et ed. 1 substituimus *in* loco *ad*. — De hoc secundo responsionis membro vide supra q. 1. circa principium conclusionis.

[7] Vide lit. Magistri, c. 2.

[8] Cfr. lit. Magistri, c. 2.

autem voluntatis est. Et in alia [1] similiter: « Frui est uti cum gaudio ». Gaudium autem ad voluntatem proprie pertinet.

2. Item, ostenditur *ratione,* quia fruitione delectamur [2], secundum quod delectabile est differentia boni, cum sit bonum honestum, conferens et delectabile; bonum autem obiectum est voluntatis: ergo *frui* est solius voluntatis.

3. Item, eo fruimur, quo quietamur; sed quietatio respicit rationem finis, « et finis rationem boni [3] », et « bonum est obiectum voluntatis » : ergo fruitio, quae ordinat ad illud, similiter.

Ad opposi-tum. Sed contra: 1. Omnis virtus appetit uniri suo obiecto, quo habito delectatur, si cognoscit, et quiescit: ergo motus cum quietatione et delectatione est omnium virium: ergo cum talis sit fruitio, frnitio erit in omnibus, non tantum in voluntate.

2. Item, absentia rei amatae potius contristat amantem, quam delectat [4]; quod enim delectat ipsum, hoc est, quia videt ipsam et habet. Si ergo motus fruitionis est cum delectatione vel est ipsa delectatio: ergo hoc [5] est, quia videt illud in quo est ipsa delectatio; sed visio respicit cognitivam: ergo etc.

3. Item, Augustinus in libro de Doctrina christiana [6]: « Haec est summa merces, ut ipso perfruamur ». Sed super illud Psalmi: *Ostendam illi salutare* etc., dicit Glossa [7], quod « visio est tota merces » : ergo si fruitio est merces, fruitio est visio per essentiam; sed visio est in cognitiva sive in ratione: ergo etc.

4. Item, fide et spe tendimus in Deum: aut ergo fruendo, aut utendo; sed non utendo, cum Deo non sit utendum: ergo fruendo: ergo fide et spe fruimur; sed fides est habitus rationis cognitivae; sed cuius est habitus, eius est actus: ergo actus fruitionis est actus [8] rationis; similiter videtur de irascibili: ergo etc.

CONCLUSIO.

Frui sumtum essentialiter est actus voluntatis, sumtum dispositive est actus etiam aliarum potentiarum.

Respondeo: Secundum aliquos [9] *frui* pertinet ad omnes vires; et hoc dicunt, quia omnes vires remunerabuntur; qui dicunt etiam, quod [10] in gloria erit magis proprie rationis, quia immediatius se habet ad delectationem. Opinio quorumdam.

Sed aliter videtur dicendum secundum Augustinum, scilicet quod sit actus ipsius voluntatis. Cum enim tres dentur definitiones de *frui,* omnes dantur penes actum voluntatis, quem tripliciter est considerare. *Primo* modo *communiter,* prout dicit motum cum delectatione; et sic definit Augustinus [11]: « Frui est uti cum gaudio ». *Secundo* modo, prout dicit motum cum quietatione; et hoc modo definitur ab Augustino de Doctrina christiana: «Frui est amore inhaerere alicui rei propter se ipsam »; et hoc modo accipitur *proprie. Tertio* modo accipitur, prout complectitur utrumque, scilicet quietationem et delectationem; et hoc modo definitur ab Augustino decimo de Trinitate: « Frui est quiescere in cognitis, voluntate propter se delectata », et sic accipitur *propriissime.* Non approbatur. Tres modi fruendi.

Quia ergo *frui* secundum omnem acceptionem dicit delectationem vel quietem vel utrumque, et omne tale habet rationem boni, et hoc est obiectum voluntatis: ideo loquendo *essentialiter,* frui est actus voluntatis. Conclusio 1. Sed quia voluntas nec delectatur nec quietatur nisi in eo, quod cognoscit vel per fidem vel per speciem [12], et in eo, quod habet per spem vel in re, ideo actus aliarum virium ad hunc disponunt, Conclusio 2. non tamen sunt ipsum *frui,* essentialiter loquendo.

Ex hoc patet solutio [13] ad illud quod communiter solet quaeri, quare *frui* non definitur per actum cognitionis, sicut delectationis. Tamen [14] haec quae- Solutio alterius quaestionis.

---

[1] In Vat. hic additur *definitione probatur idipsum*, quod tamen abest a mss. et ed. 1. — De hac definitione vide lit. Magistri, c. 3.

[2] Concinnius mss. cum sex primis edd., omittendo hic a Vat. additum *sed delectabile.*

[3] Aristot., I. Magnor. Moral. c. 2: Absolutus namque finis bonum est nec non finis bonum. — Et de sequenti propositione ait I. Rhetor. c. 10. (in ed. Stoer, c. 25.): Est autem voluntas quidem appetitio boni cum ratione coniuncta; nemo enim vult, nisi quando aliquid bonum esse putaverit. Vide etiam I. Ethic. c. 1. — Mox cod. I *ordinatur* pro *ordinat.*

[4] Sequimur maiorem partem codd. ut A C F G I K L O R S U V W X Y Z etc. et edd. 1, 2, 3, 6 substituendo *delectat* loco *delectet*, ac mox (exceptis edd. 2, 3 et 6) *quia* loco *quod.*

[5] Perturbatam lectionem Vat., quae hic addit *delectare*, castigavimus ex mss. et ed. 1.

[6] Libr. I. c. 32. n. 35.

[7] August., in Expos. Psalmi 90, 16.

[8] Plures codd. ut A G H I K M V W Y Z etc. cum ed. 1 omittunt *actus.*

[9] Huius opinionis fertur fuisse Antisiodorensis, sive melius Autisiodorensis, teste Dionysio Carthusiano, hic. q. 3.

[10] Cod. X satis bene hic addit *frui.* Mox Vat. cum cod. cc non ita bene *immediate* pro *immediatius.*

[11] De tribus sequentibus definitionibus fruitionis ex Augustino sumtis vide hic lit. Magistri, c. 2. 3. — Mox Vat. cum cod. cc post *Secundo* omittit *modo.*

[12] Mendosam lectionem Vat. ponentis *spem* loco *speciem* correximus ope codd. F H I ee gg hh ii et ed. 1; error multorum codd., qui cum Vat. habent *spem*, provenit ex modo consimili ista duo verba abbreviandi. Sumta est haec locutio ex verbis Apostoli II. Cor. 5, 7: Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Cfr. etiam III. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. ad 5. — Mox Cod. R post *tamen* addit *ipsi.*

[13] Contra mss. et sex primas edd. habet Vat. *resolutio*, et paulo post contra maiorem partem mss. ut A C F G H K L R S T U V etc. et ed. 1 *consuevit* pro *solet.* Dein multi codd. cum ed. 1 *dilectionis* loco *delectationis*, sed non bene, sicuti ex corp. quaestionis patet.

[14] Vat. cum cod. cc, mutata interpunctione et posito *cum* pro *Tamen*, legit *delectationis*, *cum haec quaestio fundata sit super falsum;* sed minus apte, quia responsio cum ipsa quaestione incongrue coniungitur contra morem Seraphici; insuper est contra omnes antiquiores mss. et ed. 1.

stio fundata est super falsum. Augustinus enim ponit in notificatione una, quod est cognitionis, cum dicit: «Frui est quiescere in cognitis»; cadit tamen ibi sicut dispositio.

Patet tertia quaestio. Ex hoc etiam patet, quare non definitur per fidem et[1] spem, sicut per caritatem, quia caritas informat concupiscibilem, cuius est *frui*. Tamen ista quaestio similiter fundata est super falsum, quia amor, quo definitur *frui*, est communis ad amorem castum et libidinosum[2], quo avarus fruitur auro, non proprius ipsius caritatis.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod omnis virtus habet delectari et quietari[3], cum unitur suo obiecto; dicendum, quod ipsa voluntas, ut vult Augustinus[4], amat sibi et aliis. Et sicut etiam dicit Anselmus[5]: «Voluntas inclinat alias vires et aliis meretur», ideo eius quietatio et delectatio redundat in alias vires. Unde sicut voluntas non sibi cognoscit, sed ratio cognoscit sibi et voluntati, ita voluntas sibi et rationi delectatur et ipsam quiescere facit.

2. Ad illud quod obiicitur, quod amans non fruitur, nisi videat vel habeat; dicendum, quod *videre* et *habere* requiruntur ad *frui*, similiter et *amare*. Nam si quis videt aliquid et habet, nunquam delectatur, nisi amet; aliter tamen requiritur visio quam amor. Nam visio disponit, similiter et tentio, sed amor delicias suggerit. Unde est quasi acumen penetrans[6], et ideo ei maxime convenit unire et per consequens delectare et quietare: ideo essentialiter, non dispositive, est fruitio. Propter quod est intelligendum, quod actus voluntatis potest dupliciter considerari, scilicet per modum *appetitus* et[7] *complacentiae*. Primo modo antecedere potest ipsam visionem; secundo vero consequitur, et in hoc est perfecta ratio ipsius fruitionis, scilicet in complacentia rei visae et habitae.

3. Ad illud: Visio est tota merces; dicendum, quod illud non dicitur proprie, sed per concomitantiam[8], quia visio et complacentia, in qua est perfecta ratio fruitionis, inseparabiliter se habent.

4. Ad illud quod obiicitur, quod fide et spe fruimur; dicendum, quod illud non est verum per se, quia quaelibet harum accipit rationem tendentiae[9] a caritate; unde fruitio non est ex istis nisi per caritatem. Sola enim caritas considerat finem in ratione finis et obiecti. Unde non dicitur aliquis sperare Deum, sicut amare.

SCHOLION.

I. In solutione principali huius quaestionis, scil. quod *fruitio sit actus voluntatis*, omnes antiqui doctores cum Seraphico conveniunt; attamen iam istis temporibus circa quasdam subtiles de hac re quaestiones erant controversiae.

Primo quoad *ipsum conceptum fruitionis* S. Bonaventura docet, fruitionem praesupponere quidem cognitionem sive visionem tanquam dispositionem, tamen, essentialiter loquendo, ipsam esse actum voluntatis, qui importet tum dilectionem tum delectationem, sive esse formaliter actionem voluntatis, nempe amorosam eius inhaesionem, ad quam *sequitur* inseparabiliter passio delectationis; cfr. hic ad 2. et dub. 12; III. Sent. d. 29. a. 1. q. 2, et ibid. d. 35. a. 1. q. 1. in corp.; II. Sent. d. 38. a. 1. q. 2. ad 4. Hexaëm. Serm. 12. in fine. Idem docet Scotus cum suis, Richard. a Med., B. Albert. M., Petr. a Tar., Henr. Gand. — Alii vero doctores volunt, fruitionem esse formaliter ipsam *delectationem*, non quidem qualemcumque, sed *ultimatam*, seu quae coniuncta est cum quietatione; ipsam vero non esse *amorem* nisi connotative et causaliter; ita discipuli S. Thomae, teste *Caietano* (ad S. I. II. q. 1. a. 1.), Dionys. Carth. aliique.

Secundo, quoad *actum*, in quo fruitio formaliter consistit, docet S. Bonav., hic ad 1. et 2; II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1: omnem delectationem spiritualem ortum habere ex amore voluntatis, praesupposita perceptione convenientis. Consentiunt Alex. Hal., Henr. Gand., Richard. a Med. qui inter alia dicit: « Actum cognitivae non sequitur delectatio nisi mediante actu appetitivae. » Hoc negatur ab auctoribus secundae sententiae.

Tertio, hinc orta est celebris controversia, praecipue inter asseclas S. Thomae et Scoti agitata, utrum scil. *beatitudo* in patria formaliter consistat in actu *intellectus* sive in visione, qui tum amorem tum delectationem inseparabiliter habet annexa, immo « virtualiter continet et causaliter exerit » (Caietanus), an potius, ut vult Scotus cum aliis multis, in actu *voluntatis*, qui visionem supponit et delectatione completur. Hanc quaestionem tangit S. Bonav., hic ad 3.; plura vide IV. Sent. d. 49. p. 1. q. 5. Haec controversia cohaeret cum doctrinis psychologicis praecipue de relatione inter intellectum et voluntatem.

II. De quaestione hic proposita: Alex. Hal., S. p. IV. q. 26. m. 4. — Scot., hic q. 3. in Oxon. et Report. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. II. q. 11. a. 1. et 2. — B. Albert. M., hic a. 12. et 17. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Ægid. R., hic I. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 49. q. 6. n. 26.; de delectatione etiam agit S. a. 50. q. 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 3. — Biel, hic q. 2.

---

[1] Cod. W *vel*.

[2] Auctoritate mss. et ed. 1 removimus particulam *vel*, quae hic a Vat. male additur, quia verbum *libidinosum* large acceptum etiam concupiscentiam oculorum complectitur. Codd. P et Q post *caritatis* addunt *est;* cod. X autem legit: *ideo non est proprius ipsius caritatis.*

[3] Licet multi mss. ut A C G K L O S T U V W X Y Z omittant *et quietari,* retinendum tamen duximus, tum quia in aliquibus antiquioribus mss. ut F H I etc. invenitur, tum quia superius in ipsa obiectione exhibetur.

[4] Colligitur ex XV. de Trin. c. 22, ubi ostendit, quod memoria, intellectus et amor seu voluntas non sint sua nec sibi, sed supposito agant, quidquid agunt. Et in praecedentibus capitulis trinitatem in anima repertam cum Trinitate divina comparando, c. 17 de Spiritu S. ait: ipse autem et sibi et illis non nisi diligit. — Plurimi codd. *ut vult* pro *ut dicit.*

[5] Libr. de Concordia praescientiae Dei cum libero arb. c. 11. et 12, ubi dicit, quod voluntas movet omnia instrumenta, quae in nobis sunt, ut manus etc; et quod ex ipsa « descendit omne meritum hominis ». — De doctrina hic posita vide II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 1.

[6] Hic loquendi modus sumtus est ex Hugonis de S. Victore Expos. in Dionysii libr. de Caelest. Hierarch. c. 7.

[7] Cod. X hic repetit *per modum.*

[8] Restituimus ex mss. et ed. 1 magis usitatum verbum *concomitantiam* loco *concomitationem.*

[9] Cod. X *tendentis.* In fine responsionis cod. R addit *et propter hoc non valet.*

ARTICULUS III.

De fruibili.

Ostenso, quid sit *frui* per essentiam, quaestio est de fruibili, et
primo, utrum Deo contingat frui;
secundo, utrum fruendum sit ipso solo.

QUAESTIO I.

Utrum Deo sit fruendum.

Circa primum, quod sit Deo fruendum, ostenditur sic.

Fundamenta. 1. «Eo fruendum est, quod beatos nos facit[1]», quia in beatitudine est recta fruitio; sed Deo beati efficimur, quia ipse est nostra beatitudo: ergo Deo est fruendum.

2. Item, bonum est amabile; ergo magis bonum magis amabile et summe bonum summe amabile[2]; sed eo fruimur, quod summe amamus: ergo etc.

3. Item, pulcrum delectat et[3] magis pulcrum magis delectat, ergo summe pulcrum summe delectat; sed eo fruimur, in quo summe delectamur: ergo etc.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ubi est fruitio, ibi est delectatio; «sed delectatio est coniunctio convenientis cum convenienti[4]»; Dei autem ad creaturam nulla est convenientia, immo summa distantia: ergo nec delectatio, ergo nec fruitio.

2. Item, excellens sensibile corrumpit sensum vel saltem contristat, quia delectatio est in mediis[5]: ergo pari ratione excellens intelligibile corrumpit vel contristat intellectum. Sed Deus est excellentissima lux: ergo contristat, non delectat, ergo etc. *Si dicas*, quod sensibilis potentia est corruptibilis, non intellectus; hoc non solvit, quia intellectus, dum est in carne, fatigatur et impeditur in actu, corpore corrupto.

3. Item, ubi fruitio, ibi quietatio; sed in infinito non est quietatio, «quia semper est aliquid extra accipere[6]»: ergo cum Deus sit infinitus, in Deo non est quietatio, ergo nec fruitio.

CONCLUSIO.

Deo proprie est fruendum.

Respondeo: Dicendum, quod Deo fruendum est, eo quod ipse solus perfecte *finit*[7] et *delectat* ipsam animam propter se et super omnia. Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod delectatio est coniunctio convenientis etc.; dicendum, quod est convenientia per *unius naturae participationem* vel per *comparationem communem*[8]. Prima convenientia facit communitatem *univocationis*, secunda communitatem *analogiae* sive proportionis. Et haec est secundum triplicem differentiam: aut secundum *similem* comparationem *duorum ad duo*, ut sicut homo[9] ad animal, ita albedo se habet ad colorem; aut secundum *dissimilem* comparationem *duorum ad unum*, ut animalis et cibi ad sanitatem; vel Solutio oppositorum. Triplex communitas analogiae.

---

[1] August., I. De Doctr. christ. c. 33. n. 37: Illo enim frueris, quo efficieris beatus. — In quo textu cod. R post *Illo* addit *solo*.

[2] Simile argumentum reperitur in Aristot., I. Ethic. c. 7, ubi agit de felicitate, quae est bonum optimum, ideoque et maxime exoptandum ac amandum. Cfr. III. Topic. c. 1. seq.

[3] Supplevimus ex antiquioribus mss. et ed. 1 particulam *et*.

[4] Haec *delectationis* definitio est S. Doctori ceterisque Scholasticis familiaris et convenit cum ea, quam exhibet Avicenna in fine VIII. Metaph. c. 7. circa finem: Delectatio non est nisi apprehensio convenientis, secundum quod conveniens est. — Quae ab Avicenna data definitio fundari videtur in illa, quam Aristot., I. Rhetor. c. 11. tradit: Est autem delectatio motus quidam animae et constitutio simul tota, sensibilis, in existentem naturam (haec definitio explicatur ab Henr. Gand., S. a. 50. q. 2.). Ed. Paris. 1878 sic Aristot. interpretatur: Positum sit igitur nobis, voluptatem esse motionem quandam animi et constitutionem subitam sensuque percipiendam in statu conveniente naturae. Cfr. etiam VII. Ethic. c. 11. seq. et praecipue X. Ethic. c. 1-5. ac II. Magnor. Moral. c. 7, ubi plura ad delectationem (voluptatem) pertinentia explicantur. — Mox, contradicentibus antiquioribus mss. et ed. 1, habet Vat. cum recentiore cod. cc *facturam* pro *creaturam*. Paulo post cod. R *infinita* loco *summa*.

[5] Aristot., II. de Anima, text. 123. (ed. Paris. Firmin-Didot, III. c. 2.), ubi iuxta ed. Venet. 1489 legitur: Manifestum autem ex his, et propter quid excellentiae sensibilium corrumpunt sensitiva... Et manifesta est ex hoc causa, propter quam sensibilia intensa corrumpunt instrumenta sensuum. Et text. 143. (ed. Paris. loc. cit.): Proportio autem est symphonia... unde et delectabilia quidem sunt, dum dicuntur sincera et mixta entia ad rationem... excellentia autem contristant aut corrumpunt. Tandem libr. III. text. 29: Et est delectari aut tristari agere sensitiva medietate ad bonum et malum in quantum talia. — Vat. rationem additam contra mss. et ed. 1 ita exhibet: *quia vera delectatio non est nisi in mediis.* Cod. X circa finem huius argumenti loco *in carne* ponit *in corpore.*

[6] Aristot., III. Phys. text. 63. (c. 6.): Infinitum igitur id est, cuius secundum quantitatem accipientibus semper aliquid accipere extra est; cuius autem nihil est extra, id est perfectum et totum. — Mox praeter fidem antiquiorum mss. et ed. 1 non ita bene Vat. cum recentiore cod. cc *ergo non fruitio.*

[7] Id est, quietat.

[8] Corruptam lectionem Vat. et recentioris cod. cc, in qua ponitur *et* pro *vel* et omittitur *communem*, restauravimus ex antiquioribus mss. et ed. 1. Paulo ante cod. X *dicendum, quod convenientia dicitur vel per*. — De convenientia vide Aristot., de Praedicam. c. 1. et VII. Phys. text. 21-34. (c. 4.).

[9] Plurimi codd. cum ed. 1 omittunt *se habet*, quod Vat. cum aliquibus tantum codd. hic addit.

secundum comparationem *duorum ad invicem*, ut puta cum unum est imitatio vel similitudo alterius. Similitudo enim non convenit cum consimili[1] in tertio, sed se ipsa. Sic est in proposito, quia anima est expressa similitudo Dei. Haec convenientia in uno extremo ponit inclinationem et indigentiam, in alio quietationem et sufficientiam, quia unum factum est propter alterum, unde[2] ordinatur ad alterum. Et quoniam ad inclinationis quietationem et indigentiae suppletionem, ubi est sensus[3], est delectatio sive sequitur, ideo anima cum tali modo quietatur a Deo, fruitur eo.

2. Ad illud quod obiicitur, quod excellentia sensibilis corrumpit sensum: ergo etc., dicendum, quod non est simile de *intelligere* et *sentire*. Et ad hoc est triplex ratio: una est ex parte *virtutis* apprehensivae, alia ex parte *apprehensi* sive *obiecti*, tertia est ex parte *modi* apprehendendi.

Intelligere et sentire differunt tripliciter.

Ex parte *virtutis* apprehensivae, quia sensus potest corrumpi, intellectus autem non. Cuius ratio est, quia sensus dependet ab organo, in quo est quaedam medietas et harmonia, quae non tantum corrumpitur per contrarium, sed[4] per excellens; sed intellectus non dependet ab organo, quia est vis immaterialis, ideo non tristatur in excellenti[5].

Ex parte *obiecti* non est simile, quia obiectum intelligibile[6] excellens iuvat et confortat, quia influentia talis cognoscibilis procedit ab intimis et intrat ipsam potentiam, et ideo ipsam confortat et corroborat. Sicut si magnus mons daret virtutem portandi se, facilius ferretur quam parvus; sic est in intelligibili, quod Deus est. Sensibile autem obiectum tantum extra excitat, et ideo hoc corrumpit, illud autem non.

Ex parte *modi* apprehendendi similiter est dissimilitudo, quia sensus in apprehensione sui obiecti tendit ad exterius, unde percipiendo[7] illud dispergitur exterius nec fortificatur interius, ideo debilitatur. Sed obiectum intellectus cum sit intimum ipsi intellectui, in eius perceptione virtus non dispergitur, sed colligitur, et quanto virtus est magis unita, tanto fortior.

3. Ad illud quod obiicitur de infinito; dicendum, quod infinitum dicitur dupliciter, scilicet per *privationem perfectionis;* et sic materia dicitur infinita, et talis infiniti non est finire, sed potius finiri indiget, secundum quod[8] est possibile. Alio modo infinitum dicitur per *privationem limitationis;* et quod sic infinitum est, proprie habet finire, quoniam ultra ipsum, cum non sit maius cogitare, non contingit aliquid appetere. Unde talis infinitas convenit ultimo fini, quae[9] maxime habet finiendi rationem.

SCHOLION.

I. Hanc et sequentem quaestionem alii antiqui commentatores Lombardi sub una quaestione tractant. — Circa *analogiam* eiusque differentias, de qua sermo est in solut. ad 1, fusius S. Doctor loquitur infra d. 14. q. 2; d. 29. a. 1. q. 2; d. 7. q. 4. in corp.; d. 25. a. 2. q. 2. in corp. — De comparatione duorum ad duo etc. infra d. 46. q. 5. in corp. — De analogia proportionis et proportionalitatis cfr. infra d. 48. q. 1; d. 35. a. 1. q. 1; III. Sent. d. 1. a. 1. q. 1. ad 4; et d. 29. a. 1. q. 1. ad 2; IV. Sent. d. 1. dub. 3.

II. De ipsa hac quaestione: Scot., hic q. 3. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. I. II. q. 11. a. 3. — B. Albert., hic q. 12. et seqq. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Henr. Gand., S. a. 72. q. 3. n. 11. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 4. — Biel, hic q. 4.

QUÆSTIO II.

Utrum solo Deo sive bono increato fruendum sit.

Ultimo quaeritur, utrum solo Deo sive bono increato sit fruendum; et quod sic, videtur.

Fundamenta.

1. Illo solo est fruendum, quod est propter se diligendum; sed illud solum[10] est propter se diligendum, quod est propter se bonum; illud autem propter se est bonum, quod bonitatem, quam ha-

---

[1] Plures mss. ut A F G H K S T Y etc. cum ed. 1 *simili*. Mox mendum Vat., quae post *se ipsa* addit *anima*, castigamus ex mss. et ed. 1; cod. X *sed est se ipsa similis*. In lectione in textum recepta *similitudo* sumitur concrete et sensus est: simile ratione similitudinis convenit immediate cum consimili. — Paulo post cod. T *homo* pro *anima;* plures vero codd. ut C L R S U omittunt *anima*, sed non bene.

[2] Cod. X hic repetit *unum*.

[3] Cod. W X Z adiungunt *ibi*, et mox cod. A post *sequitur* repetit *delectatio*.

[4] Cod. X addit *etiam*. Paulo post codd. aa bb *spiritualis* loco *immaterialis*. Mox codd. inter se non conveniunt; nam codd. A C G I L S T U W post *tristatur* omittunt *in;* codd. R et ff ponunt *ab;* cod. bb vero *ex;* plures autem ut F H K etc. cum ed. 1 *in*.

[5] De hac differentia inter sensum et intellectum vide Aristot., II. de Anima, text. 123. et 143. paulo supra relatos, et libr. III. text. 4. (ed. Paris. c. 4.): Necesse est itaque, quoniam (intellectus) omnia intelligit, immixtum esse; et text. 7: Quod autem non similis sit impassibilitas sensitivi et intellectivi, manifestum est ex sensoriis et sensu. Sensus enim non potest sentire ex vehementi sensibili... sed intellectus cum aliquid intellexerit valde intelligibile, non minus intelligit inferiora, sed et magis; sensitivum enim non sine corpore est, hic (intellectus) autem separabilis est.

[6] Auctoritate antiquiorum mss. substituimus *intelligibile* loco *intelligentiae*.

[7] Ita codd. C H K O S T U Y aa bb et ed. 1, sed codd. A F I L M R V W X Z *participando;* Vat. autem cum cod. cc *per*. Mox codd. X et Y *confortatur* loco *fortificatur*.

[8] Cod. cc *scilicet quantum* pro *secundum quod*.

[9] Codd. F et I *qui*, satis bene, et conveniunt quoad sensum cum cod. T, qui habet *quia*.

[10] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 adiecimus *solum*, quod male abest a Vat. et recentiore cod. cc. — De hac propositione minore argum. cfr. Aristot., VIII. Ethic. c. 5: Quod enim absolute bonum ac iucundum est, amabile est atque eligibile; unicuique vero quod unicuique est tale. Cfr. etiam I. Ethic. c. 1. 2. et 8, ubi de ultimo fine; et I. Magnor. Moral. c. 2, ubi de bono in communi agitur.

bet, nec habet *ab alio*, nec bonitas illa est *ad aliud;* hoc autem est solus Deus: ergo etc.

2. Item, illo solo est fruendum, quod quietat animae appetitum; sed animae appetitus non quietatur sufficienter nisi in eo quod est illa perfectius et maius bonum; hoc autem est solus Deus: ergo etc.

3. Item, appetitus non sufficienter quietatur nisi per aliquid, quod animam implet, quia ex ea parte anima deficit in quiete, qua deficit in plenitudine; sed[1] est capax Dei secundum appetitum: ergo si omne creatum est in infinitum minus illo, nullum supplet animae appetitum. Et hoc est quod dicit Augustinus[2]: « Animam totius Trinitatis capacem nihil minus quam Trinitas potest implere ».

4. Item, bonum, quod potest cogitari, potest appeti: ergo si aliquo maius bonum potest cogitari, maius illo potest appeti; sed omni finito maius potest cogitari: ergo maius potest appeti: ergo nullum finitum terminat animae appetitum sufficienter: ergo solo bono infinito, quod Deus est, est fruendum, quo habito, non potest amplius cogitari nec desiderari.

Ad oppositum.

Contra: 1. Videtur, quod bono creato contingat frui, quia, quamvis appetitus materiae sit infinitus, tamen per formam creatam incorruptibilem[3] sufficienter finitur: ergo similiter videtur, quod sit aliquod bonum creatum, quod sufficienter finiet animae appetitum; sed omni tali est fruendum: ergo aliquo bono creato est fruendum.

2. Item, appetitus humanus est finitae capacitatis, ergo non capit nisi finitum, vel si capiat infinitum, capit finite; ergo si finiatur per illud quod capit, finitur per bonum finitum: ergo videtur, quod aliquo bono finito sit fruendum.

3. Item, specialiter videtur, quod *homine* sit fruendum, quia omni eo est fruendum, quo Deus fruitur; sed Deus homine fruitur, quia hominem amat; sed amore illo, quo amat se, amat hominem, quia non est in eo[4] duplex amor; sed primus est fruitionis: ergo et secundus.

4. Item, videtur specialiter de *virtute;* quia omni eo est fruendum, quod est propter se appetendum; haec est manifesta per se; sed omne bonum honestum est propter se appetendum, « quia honestum est quod sua vi nos trahit et dignitate sua nos allicit », sicut dicit Tullius[5], et Augustinus dividit honestum contra utile; sed virtus cadit in genere honesti: ergo virtute est fruendum.

5. Item, videtur specialiter de *beatitudine.* Omni eo est fruendum, quo habito animus quiescit et delectatur et nihil ultra potest quaerere; sed beatitudo creata est huiusmodi: ergo etc.

Conclusio.

Solo Deo proprie est fruendum; improprie frui licet bonis spiritualibus, quae delectant et fini sunt coniuncta.

Respondeo: Dicendum, quod solo Deo est fruendum, *proprie* accepto *frui,* prout dicit motum cum delectatione et quietatione. Sed *communiter* accepto *frui,* prout dicit motum cum delectatione tantum[6], omnibus, quae spiritualiter delectant et coniuncta sunt fini, cuiusmodi sunt fructus, dona et beatitudines, potest frui homo non indebite; sed primo modo solo Deo. *Conclusio 1. — Conclusio 2.*

Et ratio huius est, quia nihil potest animam sufficienter *finire* nisi bonum, ad quod est[7]. Hoc autem est bonum summum, quod superius est anima, et bonum infinitum, quod excedit animae vires. *Cognitio* enim animae naturalis[8] est cognitio non arctata; unde nata est quodam modo omnia cognoscere, unde non impletur cognitio eius aliquo cognoscibili, nisi quod habet in se omnia cognoscibilia et quo cognito omnia cognoscuntur. Similiter *affectio* eius nata est diligere omne bonum; ergo nullo bono sufficienter finitur affectus, nisi quod[9] est bonum omnis boni et quod est omnia in omnibus. De quo *Ratio principalis 1.*

[1] Supple cum cod. I *anima.* Paulo infra fide codd. cum ed. 1 post *nullum* expunximus *creatum;* cod. W ponit *implet* pro *supplet.*

[2] Potius auctor libri de Spiritu et anima, c. 27, ubi sic habetur: Animam tamen hominis, id est mentem, nulla creatura iuxta substantiam implere potest, nisi sola Trinitas. Et paulo inferius: Solius enim Trinitatis est intrare et implere naturam sive substantiam, quam creavit.

[3] Vat. et cod. K *creatam corporalem et incorruptibilem;* omnes fere codd. omittunt *corporalem et;* melioris notae codd. ut FGHTW aa bb ee ff et ed. 1 retinent solummodo *incorruptibilem;* alii ut A habent *incorporalem;* solummodo V *corporalem,* X *corruptibilem;* edd. 2, 3, 4, 5, 6 *incorporalem et incorruptibilem.* Praeter auctoritatem codd. pro nostra lectione facit eiusdem convenientia tum cum solutione huius obiectionis, tum cum doctrina nostri Doctoris. Intelligi enim potest assertio hic posita tum de *caelo empyreo,* sicut cod. aa intelligit, addendo: *ut patet in corporibus caelestibus,* tum de ipsa *anima,* quae iuxta Seraphicum, licet sit spiritualis et incorporea, non omnino expers est compositionis ex forma et materia; et II. Sent. d. 19. a. 1. q. 1. in corp. explicite de ipsa affirmatur, quod appetitum materiae perfecte satiet et quietet. Quoad caelum empyreum Scholastici iuxta Aristotelem communiter asserebant, ipsum esse et incorruptibile et immobile. Cfr. II. Sent. d. 12. a. 2. q. 1. et d. 14. p. I. a. 3. q. 1. et III. Sent. d. 13. a. 1. q. 3. ad 6. — Mox cod. T *finiat* loco *finiet.*

[4] Cod. K *Deo* pro *eo.*

[5] Libr. II. Rhetor. c. 53. (ed. Taurin. 1823): Nam (honestum) est quiddam, quod sua vi nos allicit ad se, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate. — De divisione boni, quae ex August. affertur, vide ipsius lib. 83 Qq. q. 30. — Immediate post mendum Vat. *dividitur* loco *dividit* castigamus ex mss. et primis edd.

[6] Cod. K hic addit *sic.* Mox multi codd. ut AFGHKW XYZ ee etc. cum ed. 1 pro *fini* habent *frui.*

[7] Vat. addit *creata,* quod tamen deest in mss. et ed. 1.

[8] *Naturalis* refertur ad *cognitio,* ita ut sensus sit: Si inspicias naturam cognitionis, quae animae competit, ipsa non est arctata. — Vat., contradicentibus mss. et ed. 1, *rationalis* loco *naturalis,* sed non ita bene. — De propositione, quae deinde sequitur, vide Aristot., III. de Anima, text. 4. in q. praeced. cit.

[9] Cod. K adiungit *per illud,* quae additio videtur adiuncta, quia supplendum est *eo* sive *illo.*

bono Exodi trigesimo tertio [1]: *Ostendam tibi omne bonum.* Hoc autem est summum bonum: ergo etc.

Item [2], nihil sufficientur *finit* animam nisi bonum *infinitum,* quia ad hoc, ut finiatur, necesse est, ipsam finiri secundum aestimationem; alioquin non esset beata, nisi se existimaret beatam. Aestimatio autem supergreditur omne finitum, quia omni finito potest maius cogitari aliquid: ergo cum affectio possit [3] se extendere ubi et aestimatio, necessario affectio animae supergreditur omne finitum; et si hoc, nullo bono finito sufficienter finitur. Fruendum est ergo solo Deo, quia summum bonum et infinitum.

Requiritur bonum infinitum.

Et non solum Deo fruendum propter perfectam finitionem, sed etiam propter perfectam *delectationem.* Ad delectationem enim concurrit [4] *delectabile* et *coniunctio* eius cum eo quod *delectatur.* Omne autem, quod delectat animam, delectat in ratione boni et pulcri; et quoniam solus Deus est ipsa [5] bonitas et pulcritudo, ideo in Deo solo est perfecta delectatio.

Ratio principalis 2.

In Deo delectabile.

Item, quia ibi est *coniunctio;* solus autem Deus est qui perfectissime coniungitur. Nam coniungitur secundum [6] veritatem et intimitatem. Solus enim Deus propter summam simplicitatem et spiritualitatem illabitur animae, ita quod secundum veritatem est in anima et intimior animae quam ipsa sibi.

Deus illabitur animae.

Omnes enim [7] hae quatuor rationes ad unam reducuntur, scilicet ad hanc: quia nata est anima ad percipiendum bonum infinitum, quod Deus est, ideo in eo solo debet quiescere et eo frui.

Epilogus.

1. Ad illud vero quod obiicitur de appetitu materiae; dicendum, quod appetitus materiae ordinatur ad formam tanquam ad perfectionem substantialem, ex qua [8] et materia fit unum; et ideo necesse est, formam esse eiusdem generis cum materia, nec est omnino supra materiam: ideo finita est omnis talis forma. Talis autem, si sit incorruptibilis, propter necessariam sui [9] unionem arctat appetitum materiae et arctatum finit; unde non finitur in sua amplitudine. Appetitus autem animae non sic arctatur propter unionem cum appetibili, immo dilatatur; et ideo oportet, quod perficiatur aliquo omnino summo.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod [10] non capit nisi finite; dicendum, quod infinitum bonum finite capit, quoniam ipsa est finita. Sed quoniam bonum illud est infinitum, ideo ab ipso totaliter absorbetur, ut iam eius capacitas undique terminetur. Unde non tantum gaudebit, sed sicut dicit Anselmus [11], *in gaudium Domini introibit.* Quod si tantum caperet et non vinceretur nec absorberetur, adhuc posset insurgere appetitus ad amplius aliquid capiendum. Patet igitur, quod ad hoc quod anima compleatur, quamvis capacitatem habeat finitam [12], tamen necesse est adesse bonum infinitum.

3. Ad illud vero quod obiicitur de homine; dicendum, quod Deus diligit hominem, et amor Dei est amor fruitionis; tamen homine non fruitur, quia diligendo se diligit hominem, id est, fruendo se utitur homine. Quod patet sic: quia dilectio Dei ad creaturam non est affectio, sed effectus [13] communicatio. Communicatio autem secundum rationem *habitualem* attenditur secundum bonitatem; quia bonum est quod natum est se communicare. Secundum rationem vero *actualem* attenditur sive respicit voluntatem; quia enim vult, ideo facit. Ratio ergo communicandi venit ex voluntate et bonitate, sicut ratio cognoscendi ab exemplari et intelligentia. Quia igitur ex conversione voluntatis supra suam bonitatem nos diligit [14], ideo se fruendo nos diligit.

4. Ad illud quod obiicitur de virtute, quod virtus est bonum honestum; dicendum, quod bonum honestum dicitur dupliciter: aut quod est *pure bonum,* aut in quo relucet eius *similitudo.* Primo modo honesto est fruendum, *proprie* accepto frui, quia hoc solum terminat et quietat. Secundo modo non, nisi *communiter* accipiatur, prout dicit dele-

---

[1] Vers. 19.

[2] Vat. contra fere omnes mss.: *Similiter* pro *Item* et paulo post ter *existimatio* loco *aestimatio.*

[3] Vat. contra codd. A T aa bb etc. *posset,* sed minus apte, quia agitur hic de naturali consecutione, quae subiecto semper inest. Hinc et immediate post Vat., obnitente maiore parte mss. ut A G K L O T V W X Y Z etc. et ed. 1, minus bene *extendere eo, ubi est existimatio.* Cod. cc. *ut* loco *ubi.* Paulo infra auctoritate plurimorum codd. ut A C F G H K L O S T U V W Z etc. cum ed. 1 post *et si* substituimus *hoc* pro *haec.* Cod. K planius *et si hoc, ergo.*

[4] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *concurrit* loco *concernitur* et paulo post castigavimus mendum Vat., quae cum recentiore cod. cc habet *delectat* pro *delectatur.* — Cfr. supra a. 3. q. 1. arg. 1. ad opp.

[5] Supplevimus ex mss. et ed. 1 *ipsa,* quod Vat. indebite omittit.

[6] Cod. W *per.*

[7] Cod. R *autem.*

[8] Supple hic, sicuti et paulo infra, post *omnino* cum cod. T *forma.*

[9] Multi codd. antiquiores et meliores ut A C F G L O R S T U X Y Z etc. ponunt *sibi* pro *sui.* Mox cod. T post *unde* falso omittit *non.* — Sententiam hic positam S. Doctor breviter complectitur III. Sent. d. 13. a. 1. q. 3. ad 6. his verbis: Sicut dicimus de forma caeli, quod complet appetitum materiae, quia materia eius non appetit esse sub ulteriori forma, adeo forma ipsam statuit in actualitate completa. Cfr. Scot., II Phys. q. 4. n. 4. et 15.

[10] Subaudi cum cod. X *anima humana.* Mox cod. A post *bonum finite* addit *anima.*

[11] Proslog. c. 26: « Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium ». Alludit ad Matth. 25, 21. — Immediate post Vat. praeter fidem mss. et edd. 1, 2, 3 *totum* pro *tantum.*

[12] Plures antiquiorum codd. ut A C G O S T U X bb ee ff cum ed. 1, sensu eodem remanente, *quamvis capacitate habeat finitatem, necesse est.*

[13] Vat., quae habet *affectus,* emendatur ex mss. et edd. 1, 2, 3, 6.

[14] Ed. 1 hic addit *Deus,* quod certe subaudiendum est.

etationem. Huiusmodi enim[1] propter assimilationem ad Deum habent pulcritudinem, qua nos delectant et alliciunt; tamen in ipsis non est quiescendum, quia tunc amittunt pulcritudinem, quia « virtutes, cum ad se referuntur, superbae sunt et inflatae[2] ».

5. Ad illud quod obiicitur de beatitudine; dicendum, quod beatitudo creata non finit appetitum per se, sed per coniunctionem cum increata: unde anima ipsam[3] diligit propter Deum, non propter se.

SCHOLION.

I. Omnes antiqui doctores, excepto Durando, conveniunt in ea sententia, quod solo Deo *obiective* et *materialiter* sit fruendum, beatitudine vero creata sive beatitudine *subiective* sumta (ut moderni loquuntur), *formaliter* tantum. Seraphicus Doctor in solut. ad 5. iam reprobaverat Durandi (hic. q. 2.) singularem et falsam opinionem, quod actus mentis, quo Deus immediate attingitur, sit fruitionis obiectum immediatum, Deus vero eiusdem obiectum remotum.

II. Quomodo quis improprie frui possit *virtutibus*, magis explicatur II. Sent. d. 38. a. 1. q. 2. ad 3, ubi etiam exponitur, quomodo dona, fructus et beatitudines *coniuncta sint fini*, qui secundum Scripturam est caritas. — Valde notanda sunt profunda et copiosa argumenta, quibus Seraphicus probat, quod in Deo solo sit perfecta delectatio et quietatio, de quo etiam egregie loquitur II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. Cfr. etiam S. Thom. S. c. Gent. I. c. 43; III. c. 48. 50. — Quoad illapsum Dei in animam cfr. II. Sent. d. 8 p. II. a. 1. q. 2.

Quoad quaestionem principalem vide auctores in Scholio praecedenti.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista circa litteram quaeruntur plura, et primo de hoc quod dicit: *Eorum vero quaedam sunt, quorum usus omnis est in significando, non in iustificando.* Sed contra: Omnia Sacramenta sunt medicinae, quia secundum Hugonem de sancto Victore[4] Sacramenta omni tempore fuerunt medicinae; sed omnis medicina habet effectum in curando: ergo et Sacramenta similiter; sed ista curatio est iustificatio: ergo omni tempore Sacramenta habuerunt iustificare.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est considerare Sacramenta veteris Legis, scilicet *in se* sive ratione operis operati; et sic erant tantum ad significandum; vel *ratione fidei annexae* sive caritatis sive ratione operis operantis; et sic erant ad iustificandum Sacramenta legalia, praeter Circumcisionem[5].

Dub. II.

Omne igitur signum res est aliqua. Opponitur de ista divisione. Videtur enim Magister male dividere, quia superius non dividitur contra suum inferius; sed res est superius ad signum: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod verum est, quod superius in sua generalitate acceptum non dividitur contra suum inferius; sed contractum[6] bene potest dividi. Hic autem *res*[7] contrahitur ad standum pro re non significante.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Magister: *Non autem e converso omnis res signum.* Videtur enim male dicere, quia signum est quod ducit in aliud cognoscendum; sed omnis res ducit in aliud, quia omnis res est causa, vel effectus. Causa autem ducit in cognitionem effectus[8], et e converso. *Si dicas,* quod non omne, quod ducit, est signum, sed quod ducit in prius; tunc omnis creatura est signum, cum ducat in Deum.

Respondeo: Dicendum, quod duplex est signum, scilicet *naturale* et *institutum.* De primo non intenditur hic, sed de secundo; unde non valet obiectio ad propositum, quoniam hic[9] intenditur de signo ex institutione, sicut sunt signa vocalia et sacramentalia.

Dub. IV.

Item videtur Magister male dicere in hoc quod dicit: *Primum de rebus, postea de signis.* Videtur enim dicere[10] debuisse potius e converso, quia signum ducit in cognitionem rei: ergo prius esset agendum vel dicendum de signis quam de rebus.

---

1 Subintellige cum cod. R *virtutes.* Mox plures antiquiores codd. ut A C F G K L O R S U Y Z ee post *pulcritudinem* loco *qua* habent *quia.*

2 August., XIX. de Civ. Dei, c. 25: Virtutes, cum ad se ipsas referuntur nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatae ac superbae sunt.

3 Lapsum librariorum Vat. ponentium *ipsa* pro *ipsam* correximus ope mss. et ed. 1.

4 Libr. I. de Sacram. p. 8. c. 12. (ed. Paris. 1526): Si quis igitur quaerat tempus institutionis Sacramentorum, sciat, quia quamdiu morbus est, tempus medicinae est.

5 Cod. Z addit: *supple, quae non tantum erat ad significandum ratione operis operati, sed ad iustificandum.*

6 Hoc est, si genus per differentiam ad speciem contrahitur.

7 Codd. L O satis bene: *Sic est hic, et res contrahitur.*

8 Plures codd. ut A C L O R T W X etc. indebite omittunt: *causa autem ducit in cognitionem effectus.*

9 Contradicentibus codd. et edd. 1, 2, 3, perperam Vat. loco *hic* habet *hoc* et post *sacramentalia* superflue addit *tale ergo signum non est omnis res; licet omnis res sit signum primo modo.*

10 Multi codd. ut A C F G K L O U W X etc. cum edd. 1, 2, 3, 6 *dixisse.*

Respondeo: Dicendum, quod prior est cognitio signi quam rei, respectu cuius est signum; sed non oportet, quod omnis rei. Unde ipse primo agit de rebus, quarum sacramenta non sunt signa.

Dub. V.

Item videtur, quod ista divisio rerum: *Aliae sunt quibus fruendum* etc., sit male assignata respectu *divisi*, quia divisum simplicius est dividentibus et dividentibus aliquid est [1] commune; sed Deo nihil est simplicius nec est aliquid commune Deo et creaturae: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod est divisio unius communis secundum *nomen tantum;* et sic est divisio aequivoci; est alia divisio communis secundum *nomen* et *rem;* et haec est divisio univoci; est etiam tertia *medio modo;* et ista est analogi, ubi non est communitas secundum unitatem naturae [2], sed secundum similitudinem proportionis; et haec communitas est rationis.

Dub. VI.

Item videtur mala divisio quantum ad *membra:* videtur enim, quod tertium membrum sit superfluum. Omni enim re aut est utendum, aut fruendum: ergo tertium superfluit.

Item, sicut est res, quae fruitur et utitur, ita est res, qua fruendum est et utendum, ut Christus: ergo qua ratione ponitur [3] tertium membrum, deberet poni quartum.

Respondeo: Omnis res, quae est natura aliqua, aut est *finis;* et sic est res, qua fruendum; aut *deducens ad finem;* et sic est res, qua utendum; aut *ad finem perveniens;* et sic est res, quae fruitur et utitur, ut homo: et sic accipiuntur membra. Et est ista divisio satis conveniens huic scientiae, quia cum theologia sit de Creatore et de creaturis, utile est, ut theologus doceat, quomodo homo per alias res tendat in Deum.

Dub. VII.

Item opponitur de hoc quod dicit: *Res, quibus fruendum;* quia si [4] tres sunt res per se et non per accidens, et a diversitate rerum est diversitas sive multiplicitas fruitionis: ergo sicut sunt tres res, sic erunt tres fruitiones.

Item, tres articuli sunt, quia [5] de tribus personis: ergo a simili et tres fruitiones.

Respondeo: Quod *res* accipitur hic communiter ad essentiam et personam propter sui generalitatem; et quia sumtum [6] est hoc vocabulum *res* ab actu animae, ideo *tres* dicuntur *res,* quia tres personae, sed tamen *una res,* quia una bonitas est in eis. Quia ergo una bonitas, ideo et una fruitio, quamvis tres res. — Et quoniam *articulus* dicit quid a parte animae distinguentis, scilicet intellectus, et fruitio respicit ipsam [7] divinam essentiam et bonitatem et unionem affectus communiter, ideo fruitio est una.

Dub. VIII.

Item obiicitur de hoc quod dicit: *Omnis, qui fruitur, utitur;* quia videtur falsum, quoniam stulti [8] homines similiter et bestiae fruuntur, quia propter se delectantur in delectabili, sed non utuntur. *Si dicas,* quod dicitur translative; quare non similiter transfertur verbum *utendi?*

Respondeo: *Uti* importat libertatem in sua generali acceptione, in speciali importat libertatem cum relatione ad aliud; *frui* importat libertatem cum delectatione; et licet nec libertas nec collatio [9] conveniat brutis, convenit eis tamen delectatio. Ideo *uti* nullo modo convenit brutis; *frui* autem convenit eis aliquo modo, licet improprie [10].

Dub. IX.

Item videtur male dicere, quod *in homine spes ponenda non est,* quia [11] de beata Virgine cantatur *Vita, dulcedo et spes* ab Ecclesia, quae non errat.

---

[1] Praeferimus lectionem mss. et edd. 1, 2, 3 lectioni Vat. *divisum debet esse* loco *aliquid est,* utpote subnexis conformiorem.

[2] Ex fere omnibus mss. et ed. 1, 2, 3 emendavimus interpolationem Vat.: *est tertia medio modo, et ista est analogi, sicut ista est, ubi non est communitas creaturae et Creatori secundum naturae participationem, sed.* Deinde in fine responsionis codd. D I X Y ee addunt *et per hoc patet responsio, quia obiectio procedit de divisione univoci; haec autem divisio est analogi.* Placet haec additio, utpote continens applicationem principii. Cfr. supra a. 3. q. 1. ad 1.

[3] Refragantibus mss. et ed. 1, habet Vat. *ponit.* Cod. dd omittit *ut Christus* et deinde legit *ergo tertium superfluit, vel qua ratione.*

[4] Supplevimus ex mss. et ed. 1 *si.* Paulo post cod. R *ad diversitatem* loco *a diversitate.*

[5] Contra codd. omittit Vat. *quia.*

[6] Vat. contra mss. et edd. 1, 2, 3 *assumtum* et paulo infra post *tamen* addit *aeque bene.*

[7] Fide fere omnium codd. et edd. 1, 2, 3 suffecimus *ipsam* et paulo infra pro *effectus* posuimus *affectus.*

[8] Codd. inter se non conveniunt; nam alii, ut ACGKLOR SUVWX etc. cum ed. 1 loco *stulti* ponunt *multi,* qui et dein fere omnes omittunt *similiter et bestiae,* dum e contra alii ut FH (T a secunda manu correctus), omissis verbis *stulti homines similiter et,* retinent *bestiae,* (codd. H T *bruta*); edd. 4. 5, 6 loco *multi* habent *mali.* Verba Augustini, in quibus obiectio fundatur, sunt: Et frui quidem cibo et qualibet corporali voluptate non adeo absurde existimantur et bestiae; uti autem aliqua re non potest nisi animal, quod rationis est particeps. Scire namque, quo quidque referendum sit, non datum est rationis expertibus, sed neque ipsis rationalibus stultis (83. Qq. q. 30.).

[9] Substituimus ex plurimis mss. ut ACFGHIKOSTUV WXZ etc. et ed. 1 *collatio* pro *relatio;* cod. R legit *delectio.* Paulo supra cod. O post *relatione* addit *vel collatione.*

[10] Cfr. August. loc. cit.; insuper B. Albert., hic a. 17. ad 2. — Thom., hic q. 1. a. 1. et S. 1. II. q. 11. a. 2. — Scot., hic q. 5. — Richard., hic a. 2. q. 2. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3.

[11] Ope codd. et ed. 1 expunximus particulam *et,* quam Vat. ponit post *quia.*

Item, Ionae primo [1]: *Accessit ad eum gubernator;* Glossa: « Naturale est homini magis de aliis quam de se in periculis confidere ».

Respondeo: Dicendum, quod sperare de aliquo est dupliciter, aut sicut de *adiutore*, aut sicut de *salvatore*. Prima spes potest esse in homine, secunda non. — Vel est sperare finale praemium; et hoc debet esse tantum in Deo; vel temporale beneficium; et hoc potest esse in homine. Primum si ponitur [2] in homine, meretur maledictionem, secundum vero non.

Alia solutio.

Dub. X.

Item quaeritur, quare dicit de homine: *Itaque frater, ego fruar te in Domino,* magis quam de asino vel de alia creatura, cum in omnibus creaturis reluceat vestigium divinae bonitatis.

Respondeo: Quod dicatur [3] aliquis aliquo frui in Deo, non facit repraesentatio, sed magis inhabitatio. Unde conversa est propria, videlicet haec: *Ego fruar Domino in te,* dum per opera sciam, Deum habitare in te; et est figurativa locutio.

Dub. XI.

Item quaeritur de hac solutione Augustini, qua solvit auctoritatem praedictam per illam determinationem *in Domino*. Sed Ecclesiastici octavo [4] simpliciter dicitur: *Fruere magnatis.* Item, Deuteronomii vigesimo octavo [5]: *Filios generabis et filias, et non frueris eis;* ex hoc implicat, quod, si non peccarent, fruerentur.

Respondeo: Dicendum, quod praedicta solutio non est generalis, sed solum ad propositam auctoritatem. Et ideo recurrendum est ad solutionem praedictam extra litteram in quaestionibus [6], quod, cum *frui* accipiatur communiter et proprie, in praedictis locutionibus accipitur communiter tantum.

Dub. XII.

Item non videtur valere quod dicit Magister: *Si enim nec fruitur, nec utitur* etc., quia Deus diligit se, non tamen utitur, quia non diligit se propter aliud; nec fruitur, quia ubi fruitio, ibi est inhaerentia et indigentia, ut dicit Augustinus [7]; Deus autem utroque caret etc.

Respondeo: Dicendum, quod *fruitio* de sui generali ratione dicit amoris unionem, scilicet fruibilis cum fruente. Quoniam igitur contingit aliquid uniri sibi et alii, contingit non tantum frui alio, sed etiam se ipso; sed ubi est unio ad alterum, ibi est dependentia, inhaerentia et indigentia; ubi vero ad se ipsum, si ipsum est summum bonum, ibi [8] non est inhaerentia nec dependentia vel indigentia, sed omnimoda sufficientia. Si vero ipsum bonum deficiens est, indiget; et inde est, quod solus Deus se ipso perfecte fruitur, nihil autem aliud ab ipso potest perfecte se ipso frui. Solus enim Deus est summum bonum et diligit se fruendo se, diligit etiam alia fruendo se: et ita nec fruitio Dei nec usus est cum indigentia, sicut nostra fruitio et usus.

Dub. XIII.

Item obiicitur de hoc quod dicit: *Quia bonus est, sumus:* ergo quia ab aeterno bonus est, ab aeterno sumus.

Respondeo: Dicendum breviter, quod hoc est, quia *bonus* dicit causam [9]. Sed est causa *naturalis* et necessaria, et causa *voluntaria*. Bonitas autem divina est causa nostri *esse* et *boni esse* per modum voluntatis, non naturae; haec autem causa non ponit effectum statim, cum est.

Dub. XIV.

Item, adhuc obiicitur, quare similiter non sequitur: quia iustus est, iusti sumus [10]? *Si dicas*, quod iustitia non est eius dispositio in quantum causa; *contra:* sapientia est dispositio Dei in quantum causa: ergo pari ratione, quia sapiens est, sapientes sumus. *Si tu dicas*, quod non est dispositio immediata, sicut bonitas; obiicitur de voluntate, quae est immediatissima, et tamen non sequitur: quia volens est, volentes sumus.

Respondeo: Dicendum, quod ratio huius consequentiae triplex est. Una est, quia bonitas est conditio causae in quantum causa; secunda est, quia

---

[1] Vers. 6. Textus Glossae interlinearis apud Lyranum est: Naturale est, unumquemque in suo periculo plus de alio quam de se sperare.

[2] Vat. contra multos codd. ut AFGKTWX etc. et sex primas edd. *ponatur*.

[3] Vat. contra mss. et ed. 1 *dicitur*. Paulo infra Vat. contra codd. CISTVWXZ etc. et ed. 1 post *conversa* supervacanee addit *per consequens*.

[4] Vers. 10. Ita codd. et ed. 1 ac Hugo de S. Charo in hunc locum; Vulgata vero *servire magnatis;* Vat. autem citando Ecclesiasten 7, 15. legit *fruere bonis*.

[5] Vers. 41. — Mox post *fruerentur* in Vat. additur *eis*.

[6] Hic, a. 2. q. 1. in corp. — Deinde Vat. praeter fidem omnium codd. et sex primar. edd. post *quod* omittit *cum* et post *praedictis* contra antiquiores mss. loco *locutionibus* ponit *auctoritatibus*.

[7] Libr. I. de Doctr. christ. c. 31. n. 34: Sed si fruitur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit. — Ex antiquioribus codd. cum ed. 1 post *ibi* adiecimus *est*.

[8] Auctoritate codd. et ed. 1 supplevimus *ibi*. Paulo infra cod. dd post *dependentia* habet *nec* pro *vel*.

[9] Vat. *quod hoc quia bonus est dicit causam*, sed secuti sumus auctoritatem mss. et ed. 1. Mox lectio Vat. minus recta *sed est aliqua causa naturalis etiam necessaria et est aliqua causa voluntaria* castigatur ex codd. et ed. 1. Paulo infra Vat. post *naturae*, contradicentibus mss. et ed. 1, addit *et necessitatis*.

[10] Ope mss. et ed. 1 expunximus verba, quae Vat. hic addit *sicut quia bonus est, boni sumus*.

est proxima ad actum[1]; tertia, quia dispositio generalis, in qua consistit vestigii ratio: dicit enim respectum ad finem. Unde sicut Deus unus imprimit unitatem, ita bonus bonitatem.

Dub. XV.

Item obiicitur de hoc quod dicitur: *Ut scilicet ametur propter se ipsam tantum*, quia sicut *per se* ad *per accidens*, ita *propter se* ad *propter aliud*. Sed nihil, quod convenit alicui per accidens, convenit per se: ergo nihil, quod convenit alicui propter aliud, convenit propter se. Si ergo virtutes sunt appetendae propter aliud, non ergo propter se.

Respondeo: Sicut dicit Philosophus[2], « Idem est finis et *propter quod* ». Finis autem dupliciter est: uno modo finis *ultimus*, qui propriissime est finis, in quo est status; alio modo *finis sub fine*, qui[3] dicitur proprie terminus. Sic et *propter quod* diversificatur; unde uno modo excludit finem, alio modo non, ut dicit Magister.

Quod ergo obiicitur de *per se;* dico, quod, sicut *per se* uno modo opponitur ei quod est *per aliud* — et sic idem est *per se* et *secundum quod ipsum*, sive primum universale[4] — alio modo opponitur ei quod est *per accidens:* sic et *propter se* dupliciter accipitur. Uno modo opponitur ei quod est *propter aliud*, alio modo ei quod est *per accidens*, quia[5] ad illud accidentaliter ordinatur. Secundum hoc distinguit Magister *propter se*, et consequenter honestum sive fruibile, et ipsam denique fruitionem[6].

Dub. XVI.

Item obiicitur de hoc quod dicit: *Et quaedam sunt res, per quas fruimur, ut virtutes.* Videtur quod solis potentiis possit frui anima[7]. Sine omni enim virtute potest frui bono creato; ergo cum magis sit fruibile bonum increatum, et anima magis ad hoc nata est, poterit eo frui solis potentiis.

Respondeo: Dicendum, quod summum bonum est quod supra nos est; ad hoc ergo, quod illi uniamur, necessario intervenit duplex medium: medium unum, per quod anima nata est uniri alii a se diverso; et hoc est potentia; aliud speciale[8] supra hoc, quod ipsam sublevet; et hoc est virtus. Quod obiicitur non est simile, quia potentia per se potest deficere et inclinari, sed non per se elevari[9].

---

[1] Absque ulla auctoritate codd. et ed. 1 hic Vat. addit: *quia cum bonum sit sui communicativum, de sui ratione importat communicabilitatem, importat etiam voluntatem, quae duo ponunt effectum in actu.* Paulo ante, obnitentibus mss. et ed. 1, ponit Vat. *dispositio* pro *conditio* et paulo infra post *dicit* omittit *enim.* — Hoc et praecedens dubium fuse ab Alex. Hal. explicantur S. I. q. 17. m. 9. — De ratione *vestigii* cfr. infra d. 3. p. 1. q. 2. in fine et ibidem dub. 6.

[2] Libr. II. Phys. text. 29. (c. 3.), ubi iuxta ed. Venet. 1489: Dicitur etiam (causa) secundum finem intentum, et hoc est illud propter quod.

[3] Vat. cum pluribus codd. FGK etc. *et* pro *qui.*

[4] Propositio haec, ex Aristot., I. Poster. text. 11. (c. 4.) sumta, iuxta antiquam versionem (ed. Venet. apud Octavianum Scotum, 1538) sic exhibetur: « Per se autem et secundum quod ipsum, idem, ut per se lineae inest punctus et rectum: etenim secundum quod linea ». Et paulo ante: « Universale autem dico, quod utique et de omni sit et per se et secundum quod ipsum... Universale autem est tunc, quando in quolibet et primo monstretur ». — S. Thomas in Commentario ad hunc locum observat, quod hic « universale non hoc modo accipitur, prout omne quod praedicatur de pluribus dicitur universale, secundum quod Porphyrius determinat de quinque universalibus; sed dicitur hic universale secundum quandam adaptationem vel adaequationem praedicati ad subiectum, cum scilicet neque praedicatum invenitur extra subiectum neque subiectum sine praedicato... Primo dicit, quod universale, scilicet praedicatum, est etiam quod de omni est, id est, universaliter praedicatur de subiecto; et etiam per se, scilicet inest ei, convenit subiecto, secundum quod ipsum subiectum est. Multa enim de aliquibus praedicantur universaliter, quae non conveniunt ei per se et secundum quod ipsum est. Sicut omnis lapis coloratus est, non tamen secundum quod lapis, sed secundum quod ipsum est superficiem habens » (ed. Parmae 1865). — Vocatur illud *primum* universale, quando universale praedicatum non solum in quolibet est, de quo praedicatur, sed et *primo* demonstratur inesse ei, de quo praedicatur; sic, ut in exemplo ab Aristotele persistemus, habere tres angulos aequales duobus rectis non convenit *primo* isosceli, sed triangulo (quia isosceli convenit in quantum triangulus est), adeoque et *primum universale* trianguli, non isoscelis est. Plura videsis apud S. Thomam loc. cit. et Scot. in I. Poster. q. 15-39. — Ad normam ed. operum Aristot. et codd. nec non ed. 1 substituimus in propositione praedicta post *per se* particulam *et* pro *quod.*

[5] Praeter fidem mss. et sex primarum edd. hic Vat. addit *aliud.*

[6] In solutione huius dubii concordat Richard., hic a. 2. q. 3. ad 1.

[7] Auctoritate mss. et ed. 1 delevimus verba hic a Vat. adiecta *sine omni virtute*, utpote quae iam satis indicantur particula exclusiva *solis.*

[8] Additur hic a Vat. *vel spirituale*, quod deest in fere omnibus codd. et ed. 1; pauci codd., ut HRW ex loco *speciale* ponunt minus recte *spirituale.* Paulo ante cod. R pro *intervenit* habet *concurrit*, et cod. X loco *unum* satis bene legit *generale.*

[9] Quo sensu virtutibus sit fruendum, vide supra a. 3. q. 2. et II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. — B. Albert., hic a. 21. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2.

DISTINCTIO II.

CAP. I.

De Trinitate et Unitate.

Hoc itaque [1] vera ac pia fide tenendum est, « quod Trinitas sit unus et solus verus Deus, ut ait Augustinus in primo libro de Trinitate [2], scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus; et haec Trinitas unius eiusdemque substantiae vel essentiae dicitur, creditur et [3] intelligitur, quae est summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur. Mentis enim humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur ». Idem in libro primo Retractationum [4]: « Non approbo quod in oratione dixi: *Deus, qui non nisi mundos verum scire voluisti.* Responderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera. De hac igitur re [5] summa et excellentissima cum modestia et timore agendum est, et attentissimis auribus atque devotis audiendum, ubi quaeritur unitas Trinitatis, Patris scilicet et Filii et Spiritus sancti, quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur [6] ». Proinde omnis, qui audit et legit ea quae de ineffabili et inaccessibili luce Deitatis [7] dicuntur, studeat imitari atque servare, quod venerabilis Doctor Augustinus in primo libro de Trinitate [8] de se ipso ait: « Non pigebit me, inquit, sicubi haesito, quaerere, nec pudebit, sicubi erro, discere. Quisquis ergo audit haec vel legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter haesitat, quaerat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul caritatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est [9]: *Quaerite faciem eius semper* ».

CAP. II.

Quae fuerit intentio scribentium de Trinitate.

« Omnes autem catholici tractatores, ut in eodem [10] Augustinus ait, qui de Trinitate, quae Deus est, scripserunt, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unius sint [11] substantiae et inseparabili aequalitate unus sint Deus, ut sit unitas in essentia et pluralitas in personis; ideoque non sunt tres dii, sed unus Deus, licet Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est; Filiusque a Patre sit genitus, et [12] ideo Pater non sit qui Filius est; et Spiritus sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus utrique coaequalis et ad Trinitatis pertinens unitatem ». « Teneamus igitur, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum, ut ait Augustinus in libro de Fide ad Petrum [13]; neque tamen ipsum Patrem esse qui Filius est; nec Filium ipsum esse qui Pater est; nec Spiritum sanctum ipsum esse qui Pater est aut Filius. Una est enim Patris et Filii et Spiritus sancti essentia, quam Graeci usian [14] vocant, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamvis sit personaliter alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus ».

CAP. III.

Quis ordo sit servandus, cum de Trinitate agitur.

Ceterum, ut in libro primo de Trinitate [15] Augustinus docet: « Primum secundum auctoritates sanctarum Scripturarum, utrum fides ita se habeat, demonstrandum est. Deinde adversus garrulos ratiocinatores, elatiores [16] quam capaciores, rationibus catholicis et similitudinibus congruis ad defensionem et assertionem fidei utendum est, ut eorum inquisitionibus satisfacientes, mansuetos plenius instruamus, et illi, si nequiverint invenire quod quaerunt, de suis mentibus potius quam de ipsa veritate vel de nostra dissertione [17] conquerantur ».

---

[1] Ed. 4 *quoque*, sed perperam, cum non sit hic adiicientis sermo, sed ex praecedentibus continuantis. Mox, inverso ordine verborum, edd. 1, 8 *sit unus solus et verus Deus;* Vat. et ed. 9 *unus sit et solus verus Deus.*

[2] Cap. 2. n. 4: « Quod Trinitas sit unus et solus verus Deus, et quam recte Pater et Filius et Spiritus sanctus unius eiusdemque substantiae vel essentiae dicatur, credatur, intelligatur... et esse illud summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur... quia humanae mentis acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur ».

[3] Vat. omittit *et.*

[4] Cap. 4. n. 2: « Non approbo quod in oratione dixi: Deus, qui nisi mundos verum scire noluisti ». Haec orantis verba leguntur Soliloq. libr. 1. c. 1. n. 2. — Paulo ante Vat. et codd. B E *item* pro *idem.* Infra vero cod. D *immundos* pro *non mundos.*

[5] Sequimur codd. A B D E. Cod. C *de hac re igitur.* Edd. 1, 8 *de hac ergo re.* Vat. cum ceteris: *de hac re ergo.* Paulo infra cod. E *devotissimis* pro *devotis.*

[6] August., l. de Trin. c. 3. n. 5, sed circa principium *scilicet* additum est a Magistro.

[7] Vat. et edd. 2, 3, 4, 7, 9 *divinitatis.*

[8] Cap. 2. n. 4, in quo textu loco *audit haec* Vat. cum codd. A B E et pluribus edd. legit *audit hoc*, sed contradicente originali.

[9] Psalm. 104, 4.

[10] Nempe de Trin. l. c. 4. n. 7, sed nonnullis adiunctis vel immutatis. Ed. Vat. cum ceteris praeter 1 legit: *ut in eodem I. libro de Trinitate cap. 4.* Ex his ea expunximus, quae omnes codd. cum ed. 1 omittunt.

[11] Vat. sola et mendose legit *sit* pro *sint.*

[12] Vat. sola omittit *et;* infra ipsa legit: *Teneamus ergo* pro *igitur.*

[13] Cap. 1. n. 5. Hoc opus nunc communiter tribuitur Fulgentio Ruspensi († 533).

[14] Graece: οὐσίαν. Praeter Vat. et ed. 6 omnes codd. et edd. miro errore legunt *homousion* (consubstantialem).

[15] Cap. 2. n. 4. In textu Vat. cum. edd. 4, 6, 9 *primo* pro *primum.*

[16] Vat. contra fidem codd., edd. 1, 6, 8 et textum Aug. addit *magis.*

[17] Codd. A C D cum Vat. et edd. 4, 5, 6, 8 *assertione*, quod tamen minus concordat cum originali.

Cap. IV.

De testimoniis veteris Testamenti, quibus Trinitatis mysterium declaratur.

Proponamus ergo in medium veteris ac novi Testamenti auctoritates, quibus divinae Unitatis atque Trinitatis veritas demonstretur. Ac primum ipsa Legis exordia occurrant, ubi Moyses ait[1]: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* Item[2]: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti; non erunt tibi alii dii praeter me.* Ecce hic significavit unitatem divinae naturae. « Deus enim et Dominus, ut ait Ambrosius in primo libro de Trinitate[3], nomen est naturae, nomen est potestatis ». Item alibi Deus loquens ad Moysen ait[4]: *Ego sum qui sum, et si quaesierint nomen meum, vade et dic eis: Qui est, misit me ad vos.* Dicens enim *Ego sum,* non *Nos sumus* et *Qui est,* non *Qui sumus,* apertissime declaravit, unum solum Deum esse. In Cantico etiam Exodi[5] legitur: *Dominus, omnipotens nomen eius;* non ait *Domini,* unitatem volens significare. Personarum quoque pluralitatem et naturae unitatem simul ostendit Dominus in Genesi dicens[6]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Dicens enim *faciamus* et[7] *nostram,* pluralitatem personarum ostendit: dicens vero *imaginem,* unitatem essentiae. Ut enim dicit Augustinus in libro de Fide ad Petrum[8]: « Si in illa natura Patris et Filii et Spiritus sancti una esset tantum persona, non diceretur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Cum enim dicit *ad immaginem,* ostendit, unam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret; cum vero dicit *nostram,* ostendit, eundem Deum non unam, sed plures esse personas ».

In Trinitate nec diversitas nec singularitas, sed distinctio et similitudo.

Hilarius quoque in libro tertio de Trinitate dicit, his verbis significari, quod in Trinitate nec diversitas est, nec singularitas vel solitudo, sed similitudo et pluralitas sive distinctio. Ait enim sic[9]: « Qui dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* invicem esse sui similes in eo quod dicit: *imaginem et similitudinem nostram,* ostendit ». « Imago enim sola non est, et similitudo non sibi est[10]: neque diversitatem duobus admisceri alterius ad alterum similitudo permittit ». Item idem in quarto libro[11]: « Absolutius voluit intelligi, significationem hanc non ad se tantum esse referendam, dicendo: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* professio enim consortii sustulit intelligentiam singularis[12], quia consortium aliquod non potest esse sibi ipsi solitario, neque rursum solitudo solitarii recipit *faciamus,* neque quisquam alieno a se loquitur *nostram.* Uterque sermo, scilicet *faciamus* et *nostram,* ut solitarium eundemque non patitur, ita neque diversum a se alienumque significat. Solitario convenit *faciam* et *meam;* non solitario vero convenit dicere *faciamus* et *nostram.* Uterque sermo, ut non solitarium tantum, ita neque differentem esse vel diversum esse significat. Nobis quoque nec solitarius, nec diversus est confitendus. Ita ergo Deus ad communem sibi cum Deo imaginem eandemque similitudinem hominem reperitur operari; ut nec significatio efficientis admittat intelligentiam solitudinis, nec operatio constituta ad eandem imaginem vel similitudinem patiatur diversitatem divinitatis[13] ».

In his verbis Hilarius pluralitatem personarum voluit intelligi nomine consortii, atque significavit, nomine consortii vel pluralitatis non poni aliquid, sed removeri. Pluralitas enim vel consortium personarum cum dicitur, solitudo et[14] singularitas negatur; cum dicimus, plures esse personas, significamus, quod non est una sola. Ideo Hilarius volens ista subtiliter et sane intelligi, ait: « Professio consortii sustulit intelligentiam singularis[15] », non dicit *posuit aliquid.* Ita etiam cum dicimus *tres personas,* singularitatem et solitudinem tollimus, et quod Pater non est solus, nec Filius est solus, nec Spiritus sanctus est solus, significamus, et[16] quod nec Pater tantum est et Filius, nec Pater tantum et Spiritus sanctus, nec Filius tantum et Spiritus sanctus. De hoc autem in sequenti[17] plenius agetur, ubi etiam secundum quid similes dicantur tres personae, et utrum aliquo modo sit ibi diversitas vel differentia, ostendetur.

Aliae auctoritates.

Nunc vero ad propositum redeamus et ad ostendendam[18] personarum pluralitatem atque essentiae divinae unitatem alias Sanctorum auctoritates inducamus. Moyses dicit[19]: *In principio creavit Deus caelum et*

---

[1] Deut. 6, 4; Vulgata et apud Aug. *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est,* sed apud Ambros., I. de Fide ad Gratian. *Deus tuus Deus unus est,* ut in textu Magistri.

[2] Exod. 20, 23; ubi Vulgata *post Ægypti* legit: *de domo servitutis non habebis deos alienos coram me,* et codd. B D E et edd. 1, 3 *dii alieni* loco *alii dii.*

[3] Sive de Fide ad Gratian. c. 1. n. 7, ubi: *Deus enim et Dominus nomen magnificentiae, nomen est potestatis.* Vat. cum edd. 4, 5, 6, 9: *Deus enim, ut ait Ambrosius in primo libro de Trinitate, nomen est naturae, Dominus vero nomen est potestatis.*

[4] Exod. 3, 14: *Ego sum qui sum. Ait: sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.*

[5] Exod. 15, 3: *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.*

[6] Gen. 1, 26.

[7] Vat. et ed. 4 mendose *ad.*

[8] Cap. 1. n. 5: « Si enim in illa... una esset persona, non diceretur *ad imaginem nostram,* sed *ad imaginem meam,* nec dixisset *faciamus,* sed *faciam.* Si vero in illis tribus personis tres essent intelligendae vel credendae substantiae, non diceretur ad *imaginem nostram,* sed *ad imagines nostras;* una enim imago trium naturarum inaequalium esse non potest. Sed, dum ad unam imaginem unius Dei homo factus dicitur una sanctae Trinitatis essentialiter divinitas intimatur ».

[9] Libr. III. de Trin. n. 3; sed plura ibi adiunguntur.

[10] Vat. cum edd. 2, 4, 5, 6, 7 transponit verba sic: *sibi non est.*

[11] De Trin. n. 17.

[12] Contra codd. et edd. 1, 8 Vat. cum ceteris edd. *singularitatis,* et paulo post ipsa cum nonnullis edd. *nec potest,* et in fine propositionis cod. D *loqueretur;* ceteri codd. cum edd. 1, 8 *loquetur.* Immediate post Vat. cum nonnullis edd. *ergo,* edd. 1, 3, 8 *enim* pro *igitur.*

[13] Haec ex Hilario loc. cit. n. 18. passim sunt excerpta.

[14] Vat. et nonnullae edd. *vel.* Mox cod. D *Ideoque* pro *Ideo.*

[15] Vat. iterum cum multis edd. *singularitatis.*

[16] Edd. 2, 7 omittunt *et;* cod. C mutata interpunctione sic: *solus. Significamus etiam quod.*

[17] Dist. XIX, XXIV, XXXI, et XXXIV, huius libri. Paulo infra cod. B *quod* pro *quid.*

[18] Vat. cum edd. 1, 3 *ostendendum.*

[19] Gen. 1, 1.

terram, per *Deum* significans Patrem, per *principium* Filium. Et pro eo quod apud nos dicitur *Deus*, Hebraica veritas habet *heloym*, quod est plurale huius singularis, quod est *hel*. Quod ergo non est dictum *hel*, quod est Deus, sed *heloym*, quod potest interpretari *dii* sive *iudices*, ad pluralitatem personarum refertur. Ad quam etiam illud attinere videtur, quod diabolus per serpentem dixit[1]: *Eritis sicut dii*, pro quo in Hebraeo habetur *heloym*, ac si diceret: eritis sicut divinae personae. Ille etiam maximus Prophetarum et regum, David, qui suam ceteris praefert intelligentiam dicens[2]: *Super senes intellexi*, unitatem divinae naturae ostendens ait[3]: *Dominus nomen est illi;* non dicit *Domini*. Alibi etiam eiusdem unitatem et aeternitatem simul ostendens ait ex persona Dei[4]: *Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* « Aliud horum, ut dicit Ambrosius in libro primo de Trinitate[5], significat aeternitatem, aliud unitatem substantiae indifferentis, ut neque posteriorem Patre, neque alterius divinitatis Filium vel Spiritum sanctum esse credamus. Nam si Patre posterior est Filius vel Spiritus sanctus, *recens* est; et si unius non est divinitatis, *alienus* est; sed nec posterior est, quia recens non est, nec alienus, quia ex Patre natus » est Filius, ex Patre processit[6] Spiritus sanctus. Alibi quoque distinctionem personarum insinuans ait[7]: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Alibi etiam ait[8]: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae.* Trina enim confessio Dei trinitatem exprimit personarum; unitatem vero essentiae aperit, cum singulariter subiungit *eum*. Isaias quoque dicit[9], se audisse Seraphim clamantia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus.* Per hoc quod dicit ter *Sanctus*, Trinitatem significat: per hoc quod subdit *Dominus Deus*, unitatem essentiae. David quoque aeternam Filii generationem aperte insinuat ex persona Filii dicens[10]: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* De hac ineffabili generatione Isaias ait[11]: *Generationem eius quis enarrabit?* In libro quoque Sapientiae aeternitas Filii cum Patre monstratur, ubi Sapientia ita loquitur[12]: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio: ab aeterno ordinata sum, antequam terra fieret; necdum erant abyssi, et ego iam concepta eram: necdum fontes necdum montes aut colles, et ego parturiebar: adhuc terram non fecerat et cardines orbis terrae: quando praeparabat caelos, aderam: quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo.* Ecce apertum[13] de aeterna genitura testimonium, quo ipsa Sapientia perhibet, se ante mundum conceptam esse et parturiri, id est genitam esse, et apud Patrem aeternaliter existere. Ipsa etiam alibi ait[14]: *Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam.* Michaeas quoque Propheta aeternam Verbi generationem et temporalem ex Maria simul insinuavit dicens[15]: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda: ex te egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.*

De Spiritu sancto etiam expressa documenta in veteri Testamento habemus. In Genesi[16] enim legitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et David dicit: *Quo ibo a Spiritu tuo?* Et in libro Sapientiae[17] dicitur: *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum, benignus est enim spiritus sapientiae.* Isaias[18] quoque ait: *Spiritus Domini super me* etc. De Spiritu S. in specie.

---

[1] Gen. 3, 3. — Paulo post contra codd. et edd. 1, 3, 8 Vat. cum ceteris edd. *hebraico* pro *hebraeo*.

[2] Psalm. 118, 100. — Paulo ante solummodo edd. 1, 3, 8 verbo *ceteris* praemittunt *praecedentibus*.

[3] Psalm. 67, 5. — Vulgata et codd. DE in hoc textu omittunt *est*, quod tamen legitur apud Hieronymum, Augustinum, Bedam in hunc locum.

[4] Psalm. 80, 9. 10.

[5] Sive de Fide ad Gratian. c. 11. n. 68.

[6] Vat. et edd. 2, 4, 5, 7, 9 *procedit*, quod minus correspondet praecedenti *passus est*.

[7] Psalm. 32, 6.

[8] Psalm. 66, 7. 8. — Verba immediate sequentia: Trina enim confessio etc. a Magistro in Explanat. Psalm. (loc. cit.) attribuuntur S. Ambrosio, in quo tamen ea reperire non potuimus; sed leguntur sine nomine auctoris apud Abaelardum, *Theologia christiana*. Ex ipso non pauca accepit Magister. Argumento simul et exemplo sint, quae hic ex laudato opere (Patrolog. Latin. tom. CLXXVIII. col. 1227-28) describimus: Ad hanc quoque pluralitatem divinarum personarum illud attinere videtur, quod... per serpentem dictum est: *Eritis sicut dii* (Gen. 3, 5.), quod, ut superius dictum est, in Hebraeo sonat *Eloim*... Ait itaque maximus ille Prophetarum et regum, David, qui suam ceteris intelligentiam praeferens dicit: *Super omnes docentes me intellexi, super senes intellexi;* ait, inquam, distinctionem Trinitatis patenter insinuans: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum* (Psalm. 31, 6.). Qui et alibi Unitatem pariter cum Trinitate insinuat dicens: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae* (Psalm. 36, 7.)... Trina quippe confessio Dei Trinitatem exprimit personarum... Unitatem vero divinae substantiae Psalmista in eodem aperit, cum post trinam divini nominis prolationem unum tantummodo Deum in tribus personis intelligens, non subiunxit *eos* pluraliter, sed *eum* singulariter. Huic et illud consonat Isaiae, qui dicit, se vidisse Seraphim et audisse clamantia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth* (Isai. 6, 3.).

[9] Isai. 6, 3.

[10] Psalm. 2, 3. — Edd. 1, 3, 8 verbo *dicens* praemittunt *ita*.

[11] Cap. 53, 8.

[12] Prov. 8, 22-30. — Vat. et edd. 4, 5, 7, 9, contradicente etiam Vulgata, legunt *Dominus possedit me ab initio* pro *in initio*.

[13] Vat. et edd. 4, 7 *aptum*. Mox post *genitam* auctoritate cod. D et edd. 1, 5, 8 supplevimus *esse*. Deinde codd. AE et edd. 1, 3 male: *Ipsa enim*.

[14] Eccli. 24, 5. — Paulo post cod. D pro *Verbi* legit *Christi generationem*.

[15] Mich. 5, 2, ubi Vulgata verbo *egreditur* praemittit *mihi*. Cod. D pro *Ephrata* habet *terra Iuda;* item cum codd. AE post *parvulus* addit *vicus*. Quam lectionem Hieronymus hunc ipsum Michaeae locum exponens commemorat et explodit; ed. cit. tom. VI. col. 488.

[16] Cap. 1, 2; sequens locus est Psalm. 138, 7.

[17] Cap. 1, 5. 6. — Paulo ante Vat. omittit *Et* ante *in libro* contra codd. et edd. 1, 3, 5, 8.

[18] Cap. 61, 1.

Cap. V.

De testimoniis novi Testamenti ad idem pertinentibus.

Nunc vero post testimonia veteris Testamenti de fide sanctae Trinitatis et Unitatis ad novi Testamenti auctoritates accedamus, ut *in medio duorum animalium* (id est Testamentorum) *cognoscatur* [1] veritas, et *forcipe de altari sumatur calculus*, quo tangantur ora fidelium. Dominus itaque Christus unitatem divinae essentiae ac personarum trinitatem aperte insinuat dicens Apostolis [2]: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* « *In nomine* utique ait, ut Ambrosius ait in libro primo de Trinitate, non in *nominibus*, » ut unitas essentiae ostendatur; per nomina tria, quae supposuit, tres esse personas declaravit. « Ipse etiam ait: *Ego et Pater unum sumus. Unum* dixit, ut ait Ambrosius in eodem libro, ne fiat discretio potestatis et naturae; et addidit *sumus*, ut Patrem Filiumque cognoscas, scilicet ut perfectus Pater Filium perfectum genuisse credatur, et quod Pater et Filius unum sint, non confusione personae, sed unitate naturae ». Ioannes quoque in Epistola canonica ait [3]: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in caelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* Ipse etiam in initio Evangelii sui ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* ubi aperte ostendit, Filium semper et aeternaliter fuisse apud Patrem, ut alium apud alium. Apostolus quoque aperte trinitatem distinguit dicens [4]: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra.* Et alibi [5]: *Si spiritus eius, qui suscitavit Iesum, habitat in nobis* etc. Item alibi trinitatem atque unitatem evidentissime commendat dicens: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria.* « *Ex ipso* dicit, ut Augustinus in libro de Trinitate [6] ait, propter Patrem; *per ipsum* dicit propter Filium; *in ipso* propter Spiritum sanctum ». Per hoc vero, quod non ait *ex ipsis, per ipsos* et *in ipsis*, nec ait *ipsis gloria*, sed *ipsi*, insinuavit, hanc Trinitatem unum Dominum [7] Deum esse. Sed quia singulae pene syllabae novi Testamenti hanc ineffabilis Unitatis atque Trinitatis veritatem concorditer insinuant, inductioni testimoniorum super hac re supersedeamus et rationibus congruisque similitudinibus ita esse, prout infirmitas nostra valet, ostendamus.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM II.

De Unitate et Trinitate secundum quod creditur.

Hoc itaque vera ac pia fide tenendum est etc.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est secunda pars, in qua, primi libri materia indagata, incipit Magister prosequi; dividitur autem haec pars [1] in duas partes, quoniam dupliciter est considerare res, quibus fruendum, scilicet *in se*, et in comparatione ad *creaturas*: *in se* ratione trinitatis et unitatis; in comparatione ad *creaturas* ratione scientiae, potentiae et voluntatis. Primo ergo agit [2] de sancta Trinitate et Unitate; secundo de scientia et potentia et voluntate, infra distinctione trigesima quinta: *Cumque supra disseruerimus.*

De ipsa autem sacratissima Trinitate tripliciter

---

[1] Habac. 3, 2; secundum versionem Septuaginta: *In medio duorum animatium cognosceris;* Vulgata: *In medio annorum notum facies.* Tamen codd. omnes, excepto B, et edd., excepta 8, legunt *duum* pro *duorum.* Omnes codd. et ed. 1 omittunt *id est Testamentorum*, quae verba videntur esse glossa. Ista applicatio huius textus est Augustini in XVIII. de Civ. Dei, c. 32. Verba *forcipe de altari* etc. alludunt ad Isai. 6, 6: *Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manus eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* — In initio huius propositionis codd. ABC omittunt *vero* post *Nunc.*

[2] Matth. 28, 19; Vulgata: *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris* etc. Sed apud Ambros. de Trin. sive de Fide ad Gratian. I. c. 1. n. 8.: « *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. In nomine* utique, non *in nominibus.* Ipse etiam dicit: *Ego et Pater unum sumus,* Ioan. 10, 30; *unum* dixit, ne fiat discretio potestatis et naturae; *sumus* addit, ut Patrem Filiumque cognoscas, quod perfectus Pater perfectum Filium genuisse credatur, et Pater et Filius unum sint, non confusione personae, sed unitate naturae ». — Vat. cum cod. C et nonnullis edd. omittit *libro* post *in eodem;* insuper Vat. aliaeque edd. omittunt *et* post *discretio potestatis.* Denique codd. ABC et edd. 1, 8 male omittunt *personae* post *confusione.*

[3] Cap. 5, 7, ubi Vulgata cum cod. D et edd. 1, 8 *testimonium dant* pro *testimonium perhibent;* sed *perhibent* legitur etiam apud Hyginum Papam, Epistola de Fide et reliquis causis, relata ab Isidoro Mercatore, Patrolog. Latin. tom. CXXX. col. 109. et apud Cyrillum Alexand. libr. Thesaur. assert. XXXIV. Patrolog. Graec. tom. LXXV. col. 615.

[4] Galat. 4, 6, ubi Vulgata *corda vestra* pro *corda nostra,* quod hic et alibi habet Magister. *Nostra* pro *vestra* utuntur etiam Ambros. in hunc locum et August. in Psalm. 118. serm. 14. n. 2, de Verbis Evangel. Matth. serm. 71. n. 29. nec non vetus lectio Hieronymi nunc ad calcem amandata.

[5] Rom. 8, 11. et mox 11, 36.

[6] Libr. I. c. 6. n. 12: *Ex ipso*, ex Patre; *per ipsum*, per Filium; *in ipso*, in Spiritu sancto. Codd. BCD et edd. 1, 8 *Ex ipso ait*, et subinde *dicit* pro *ait.* Omittunt *dicit,* quod postea sequitur, edd. 1, 8. Tum in codd. DE non *Per hoc,* sed *Propter hoc.*

[7] Vat. contra codd. et edd. 1, 8 omittit *Dominum.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Nulla freta auctoritate mss. et ed. 1 Vat. textum exhibet sic perturbatum: *Secunda pars Primi Libri, in qua materia.... dividitur praesertim in.*

[2] Codd. VW *agitur.*

contingit tractare. quoniam primo contingit ipsam *credere*, secundo creditam *intelligere*, tertio intellectam *dicere* sive enuntiare. Credere autem est per auctoritatem, intelligere per rationem, dicere per catholicam et rationabilem[1] locutionem. Ideo *primo* de ipsa Trinitate et Unitate agit, secundum quod *creditur; secundo* de ipsa, secundum quod credita per rationem *intelligitur*, ibi, distinctione tertia: *Apostolus namque ait; tertio,* secundum quod credita et intellecta rationabiliter et catholice *exprimitur*, infra, distinctione vigesima secunda: *Post praedicta disserendum nobis videtur de nominum diversitate.* Et patet ordo. Prius enim et verius est eam credere quam intelligere; multi enim credunt, qui non intelligunt; et prius similiter est intelligere quam sermone exprimere.

Prima pars, scilicet secundum quod creditur, continet praesentem distinctionem; et quoniam materia est difficillima, *primo* ponit modum procedendi; *secundo* vero exsequitur, ibi: *Proponamus ergo in medium.*

Item, prima pars secundum tria capitula[2] habet tres partes. In prima tangit *modum agendi*, quoniam debet esse cum modestia, timore et diligentia, praemittens materiam, circa quam agere intendit. In secunda subiungit *intentionem scribentium* de Trinitate, ibi, secundo capitulo: *Omnes autem catholici tractatores.* Tertio tangit *ordinem*, ibi: *Ceterum, ut in libro primo.*

Modus scribendi de Trinitate debet esse fundatus supra intellectum fidei et cum modestia et timore propter periculum. *Intentio* scribentium de Trinitate est ostendere[3], quod Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres personae et unus Deus. *Ordo* scribendi est, primo per auctoritates ostendere veritatem, deinde per rationes et congruas similitudines.

Proponamus ergo in medium. Haec est *secunda* pars, in qua Magister auctoritatibus sacrae Scripturae intendit ostendere Trinitatem et Unitatem; et quoniam[4] sacra Scriptura habet duas partes, scilicet novum et vetus Testamentum, ideo primo ostendit hoc per auctoritates veteris Testamenti, deinde per auctoritates novi, ibi: *Nunc vero post*[5] *testimonia* etc. Et quoniam vetus Testamentum duas habet partes, scilicet Legem et Prophetas, in quibus fides explicatur, ideo ostendit primo per testimonia Legis, secundo per testimonia Prophetarum, ibi: *Ille etiam maximus Prophetarum.* Prima iterum pars, in qua probat per testimonia Legis, duas habet partes: *primo* enim probat essentiae unitatem; *secundo* unitatem simul et trinitatem, ibi: *Personarum quoque pluralitatem.* Similiter illa[6] de testimoniis Prophetarum habet duas: in prima probat essentiae unitatem et personarum pluralitatem in communi; in secunda vero in speciali ostendit Filii generationem et Spiritus sancti processionem, ibi: *David quoque aeternam Filii generationem.* Similiter illa pars, in qua probat per auctoritates novi Testamenti, habet duas partes: primo enim probat per auctoritates sive per testimonia Iesu Christi; secundo per auctoritates Apostolorum, ibi: *Ioannes quoque in Epistola canonica.* Auctoritates et earum explanationes et numerus et diversitates satis patent in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad declarationem eorum quae de sacra Trinitate et Unitate dicit Magister, quatuor possunt quaeri circa partem istam.

Primo quaeritur, utrum in Deo sit ponere essentiae sive naturae unitatem.

Secundo, utrum in Deo sit ponere personarum pluralitatem.

Tertio, utrum in divinis personis sit ponere infinitatem.

Quarto et ultimo, utrum in divinis personis sit ponere trinitatem.

ARTICULUS UNICUS.

De unitate divinae essentiae et pluralitate personarum.

QUÆSTIO I.

Utrum sit unus tantum Deus.

Circa primum, quod in Deo sit ponere essentiae sive naturae unitatem, videtur ratione *ostensiva*, (Fundamenta.) triplici habita suppositione, quam oportet poni, tum propter eius *simplicitatem*, tum propter *communem animi conceptionem*, quae est, quod Deus est quo maius excogitari non potest; tum ratione *status*, qui non est nisi in summo et primo.

(Argumenta directa.) Suppositio prima est, quod Deus est *simplicis-*

---

[1] Codd. I cc *rationalem.*

[2] Praeter fidem omnium codd. et ed. 1 omittit Vat. *secundum tria capitula;* mox post *prima* addit *praemisso prooemio de mysterio Trinitatis et Unitatis*, et infra post *Trinitate ibi* omittit *secundo capitulo.*

[3] Adiecimus ex cod. I *ostendere*, quod sane subintelligendum est.

[4] Vat., nullo suffragante cod. nec ed. 1, omittendo verba Magistri: *Proponamus ergo in medium*, constructionem sequentis propositionis invertit ponendo *Similiter* pro *Haec est* ac *habet duas partes secundum quod* loco *et quoniam.*

[5] Codd. aa bb cc *per.*

[6] Supple cum Vat. *pars*, quod Codd. et ed. 1 omittunt. Paulo infra Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 post *communi* minus correcte ponit *Secundo vero specialiter.*

simus. Ex hac arguitur, quod cum nullo alio diverso possit communicare aliquid [1], quia, si communicat, et differt: ergo non secundum idem; ergo est ibi compositio. Si nihil potest communicare, ergo nec deitatem nec entitatem; ergo si sunt duo dii, cum unus sit ens, alter non est ens, si unus est Deus, alter non est Deus: ergo si duo sunt dii, non sunt duo dii [2].

2. Item, secunda suppositio est, quod Deus est *omnipotentissimus* [3]. Ex hac arguitur: igitur poterit facere, quod omnis alia potentia a sua nihil possit: ergo si sunt duo dii diversi in natura, hoc potest facere unus de altero, quod alter nihil possit, et e converso. Sed cui potest potentia auferri, non est Deus: ergo si sunt duo dii, nullus est Deus.

3. Item, tertia suppositio est, quod Deus est simpliciter *summum* [4]. Ex hac arguitur: ergo omnia sunt infra ipsum: ergo omnia alia ab ipso et ad ipsum. Si ergo sunt duo dii, unus est infra alterum, et e converso; unus est ab alio secundum naturam diversam, et e converso; unus ad alterum, et e converso; sed quod est infra aliud in natura et ab alio et ad aliud, non est Deus: ergo etc.

4. Item, hoc potest probari per *deductionem ad*
Argumenta indirecta. *impossibile*. Si sunt duo dii, aut unus est ubi alius, aut non [5]. Si unus ubi alter: ergo unus in altero, cum sint eodem modo essendi: ergo unus est alteri materialis: ergo alter non est Deus. Si unus non est ubi alter: ergo uterque limitatus, ergo neuter infinitus.

5. Item, si plures sunt dii boni [6], aut unus intelligit alterum, aut non. Si non; ergo uterque est ignorans. Si intelligit; aut ergo per *praesentiam*, aut per *speciem*, aut per *se ipsum* ut per illius exemplar [7]. Si per *praesentiam*: ergo unus in altero, ergo Deus illabitur Deo et perficit Deum; si per *speciem*: ergo compositus; si per *exemplar*: ergo unus est exemplar alterius, ergo et principium.

6. Item, si sunt duo dii diversi, quorum uterque est summum bonum; aut unus diligit alterum, ut diligendus est, aut non. Si sic, cum uterque sit summum bonum, uterque est diligendus amore fruitionis: ergo uterque fruitur altero; sed qui fruitur alio bono a se, illo indiget: ergo unus indiget alio: ergo uterque est indigens, ergo neuter Deus.

Sed contra: 1. Plus potest Deus facere, quam intellectus noster possit cogitare. Sed intellectus humanus, utpote gentium [8], intelligit plures deos omnipotentes: ergo Deus potest hoc facere. Sed quidquid potest esse in divina natura, est ibi, quia aeterna [9]: ergo etc. Ad oppositum.

2. Item, plura bona sunt meliora paucioribus; sed plures dii sunt plura bona: ergo melius aliquid erunt duo quam unus. Sed secundum Anselmum [10] omne, quod melius est, circa Deum est ponendum: ergo est ponere plures deos.

3. Item, quorum diversa est operatio, diversa est virtus et diversa est natura [11]; sed operatio trium personarum est diversa, quia apparitio in columba fuit solius Spiritus sancti, et solus Filius assumsit humanam naturam: ergo sunt diversi in substantia: ergo sunt plures dii.

4. Item, magna potentia est, quae potest magnum, et maior, quae maius, et maxima, quae

---

[1] Haec phrasis: *communicare aliquid cum aliquo* hic et alibi significat: habere aliquid cum aliquo commune, sive: convenire cum aliquo in aliqua re. — Vat. contra codd. et ed. 1 hic omittit *aliquid* et mox, ponendo *sunt* loco *secundum*, vim argumenti elidit. Deinde codd. X Y Z legunt *unum* pro *idem*. — Cfr. Aristot., X. Metaph. text. 12. (ed. Paris. IX. c. 3.).

[2] Argumentum hoc a S. Doctore paucis exhibitum sic explicari potest. Primo: si Deus est simplex, non potest habere aliquid commune cum alio Deo, qui supponitur esse. Probatur: si unus Deus aliquid haberet commune cum alio sive si communicaret in aliquo, v. g. in deitate, cum alio, deberet etiam differre, ut sit alius Deus; cum idem secundum idem nequeat cum alio simul communicare seu convenire et differre: ergo alio convenirent, alio differrent seu distinguerentur: ergo uterque esset compositus. Secundo: si autem nihil habent commune: ergo nec deitatem nec entitatem; ex quo sequitur absurdum in littera notatum.

[3] Plures codd. ut A C G L O R S U etc. cum edd. 1, 2, 3, 6 *omnipotentissimum*. Paulo infra post *duo* ex cod. T adiecimus certe supplendum *Dii*.

[4] Ad normam multorum mss. ut A C G L O R S T U W aa bb cc ff et edd. 1, 2, 3, 6 loco *summus* posuimus *summum*.

[5] Fide plurimorum codd. cum ed. 1 expunximus *est*, quod Vat. hic addit.

[6] Codd. O Y Z omittunt *boni*, quae lectio magis placeret, si maiore numero codd. fulciretur.

[7] Adiecimus ex cod. I *ut per illius exemplar*, quae verba ultimum disiunctionis membrum exprimunt clarius necnon formam totius argumenti reddunt perfectiorem, quia infra omnes mss. et edd. 1, 3, 6 habent *per exemplar* loco *per se ipsum*, quod Vat. ponit. Codd. T cc etiam prima vice pro *per se ipsum* ponunt *per exemplar*, sed a secunda manu scriptum.

[8] Codd. F aa bb *gentilium*.

[9] Aristot., III. Phys. text. 32: Posse enim ab ipso esse nihil differt in perpetuis. — Idem textus recurrit infra in 4. arg. ad opp.

[10] Monolog. c. 15: Sicut nefas est putare, quod substantia summae naturae sit aliquid, quo melius sit aliquo modo non-ipsum: sic necesse est, ut sit quidquid omnino melius est, quam non-ipsum. Illa enim sola est, qua penitus nihil est melius; et quae melior est omnibus, quae non sunt quod est ipsa. Cfr. etiam Proslog. c. 5. Convenit Aristot., XII. Metaph. text. 39. (ed. Paris. XI. c. 7.): Dicimus itaque, Deum sempiternum optimumque vivens esse, quare vita et aevum continuum et aeternum Deo inest, hoc enim est Deus. Cfr. et Boeth., III. de Consol. Prosa 10.

[11] Averroes, XII. Metaph. text. 26: Activa diversificantur in potentia et actu per diversitatem formarum et materiarum. Boeth., III. de Consol. Prosa 11. conversam huius propositionis exhibet: Eadem namque substantia est eorum, quorum naturaliter non est diversus effectus. Utraque propositio fundatur in illo axiomate: operari sequitur esse, seu: idem est principium essendi et operandi. — In conclusione huius argumenti cod. O habet *natura* pro *substantia*. — B. Albert., S. 1. tract. 6. q. 29. m. 1. a. 1. idem argumentum profert, dein adiungit: Et haec fuit fortior obiectio Arianorum et Nestorianorum et Eutychianorum et Paulisamosatenorum.

maximum; sed Deus super omnia est summe potens: ergo potest producere summum[1]; sed hoc est Deus: ergo cum « in aeternis sit idem esse et posse », ergo etc.

CONCLUSIO.

Plures esse deos est impossibile, immo si recte intelligatur, quid sit Deus, non est intelligibile.

Respondeo: Dicendum, quod impossibile est esse Conclusio. plures deos, et si recte accipiatur significatum huius nominis *Deus*, non solum est impossibile, sed etiam non intelligibile. *Deus* enim dicit simpliciter summum et *in re* et in opinione *cogitantis*. Quia in *re*, ideo omnia ab ipso et in ipso et ad ipsum, et in ipso omnino est status[2]; ideo impossibile est intelligere, salvo hoc intellectu, quod aliquid sibi parificetur aliud ab ipso. *Item*, nihil maius Deo *cogitari* potest nec etiam aequale, quia summum in opinione. Ideo impossibile et non intelligibile est ponere plures deos.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur de gentibus; dicendum, quod non fuit intellectus, sed fictio[3]; praeterea non intelligebant Deum secundum nobilitatem divinam: ideo non valet.

Et ad illud: plus potest Deus facere etc.; dicendum, quod duplex est intellectus, scilicet rationalis et phantasticus. De primo verum est, sed de secundo non; quia multa possumus cogitare secundum phantasiam, quae Deus non potest facere, quia non convenit illi, « in quo inconveniens est impossibile[4] ».

2. Ad illud quod obiicitur, quod plura bona sunt meliora paucioribus; dicendum, quod illud habet veritatem in bono creato et finito, quod ratione suae finitatis recipit bonitatis augmentum per additionem alterius boni; non autem habet veritatem in bono infinito, quia, quantumcumque addas bonum infinitum infinito, semper ego intelligo de bonitate tantum in uno, quantum tu[5] in pluribus.

3. Ad aliud quod obiicitur de diversitate operationum; dicendum, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus in omni operatione conveniunt, sed in relatione differunt. Unde in incarnatione est operatio productionis illius naturae et est unio; in primo conveniunt tres personae, in secundo non. — Similiter in columba est columbae formatio et eius significatio[6]; in primo conveniunt, in secundo non. Exemplum Augustini[7] de Trinitate est, quod ad formationem huius nominis *memoria* concurrit memoria, intelligentia et voluntas; tamen hoc nomen *memoria* significat alteram potentiarum; simili modo est in proposito.

4. Ad illud quod obiicitur, quod magna potentia, etc.; dicendum, quod producere aliquem[8] est tripliciter: vel *de se ipso*, vel *de aliquo creato*, vel *de nihilo*. De se ipso potest Deus producere summum simpliciter, sed ille non erit alius in natura propter naturae simplicitatem. De alio vel de nihilo non potest producere summum simpliciter, sed in genere, non propter defectum potentiae agentis, sed propter defectum creaturae, quam necesse est esse limitatam; et ita non potest producere alium Deum.

SCHOLION.

I. Argumentum primum in fundam. diffusius proponitur ab Alex. Hal., S. p. I. q. 14. m. 2. et a Richard. a Med., I. Sent. d. 2. q. 3. — Contra secundum argumentum, sumtum ex omnipotentia, Scot. (I. Sent. d. 2. q. 3.) movet difficultatem, quia ipse contra communem sententiam supponit, Dei omnipotentiam non nisi ex fide certo sciri posse.

II. Contra doctrinam in solut. ad 2. traditam opponit Durand. (I. Sent. d. 44. q. 3.), quod Deus et mundus simul sint maius bonum quam Deus solus. Sed haec assertio merito ab omnibus theologis classicis ut falsa reprobatur; cfr. infra d. 43. q. 2. fundam. 5; Itiner. mentis c. 5. — In solut. ad 3. quoad propositionem: « In primo conveniunt tres personae, in secundo (scil. unione) non », notandum est, quod *unio* in duplici sensu accipi potest, vel ut *actio unitiva*, vel ut *relatio* unionis. Illa est communis tribus Trinitatis personis, haec vero spectat ad solam Filii personam; et de hac loquitur hic S. Doctor.

III. Unitas Dei definita est a Concilio Lateranensi IV. c. 1. *Firmiter*, nec non a Vaticano, Const. *de Fide*, tit. *de Deo creatore*.

Plura circa hanc quaestionem S. Bonav. docet infra d. 4. q. 3; d. 23. a. 2. q. 3; II. Sent. d. 1. p. 1. a. 2. q. 1;

---

[1] Vat. cum recentiore cod. cc contra omnes antiquiores codd. et ed. 1 indebite adiungit *bonum*.

[2] Respicitur illud ad Rom. 11, 36: Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Sensus est: a Deo omnia procedunt, in Deo omnia conservantur, ad Deum omnia referuntur. Cfr. infra d. 36. dub. 4. — *In ipso omnino est status* i. e. Deus est *principium*, ultra quod in resolvendo seu causas quaerendo nullo modo possumus transire. — Paulo infra ed. 1 *ei* loco *sibi*.

[3] Cod. U non male: *fictio potius; non enim intelligebant*. Cod. T *veritatem* pro *nobilitatem*.

[4] Anselm., I. Cur Deus homo, c. 20: Sed hoc est praestitutum, quia quamlibet (quodlibet) parvum inconveniens in Deo impossibile est. — Vat. contra mss. et edd. 1, 2, 3 post *inconveniens* addit *minimum*. Paulo ante cod. I *phantastica* loco *secundum phantasiam*.

[5] Ex plurimis antiquioribus mss. ut ACFGHKLOPST etc. adiecimus *tu*. Paulo ante codd. SX post *bonum* omittunt *infinitum*; lectio haud spernenda.

[6] Sic plures codd. ut KRXYZ ff cum ed. 1; alii sunt dubiae lectionis; codd. I aa *figuratio*; sed Vat. cum aliquibus codd. *signatio*.

[7] Libr. IV. de Trin. c. 21. n. 30: Quemadmodum cum memoriam meam et intellectum et voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur, sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt etc. Sensus est: ad formationem vocabuli *memoria* omnes tres animi potentiae active concurrunt, tamen significatio eiusdem refertur ad unam solam potentiam.

[8] Fide plurimorum mss. ut ACFGHLORSTUZ etc. et ed. 1 substituimus *aliquem* pro *aliquid*. Agitur enim de productione *Dei*, et in subnexis habetur genus masculinum *ille*, quod refertur ad *summum simpliciter* absque dubio pro eodem genere sumendum, scil. *summum aliquem* etc. Cod. H habet *Deum producere aliquem*.

Breviloq. p. I. c. 2. 5. 6; Itiner. mentis c. 5. — Alex. Hal., S. p. I. q. 14. m. 2. — Scot., hic q. 3; de Rerum Principio q. 1. — S. Thom., I. Sent. hic q. 1. a. 1; S. I. q. 11. a. 3; et praecipue S. c. Gent. I. c. 42. — B. Albert., hic a. 2. 21; S. p. I. tr. 6. q. 29. a. 1. m. 1. — Petr. a Tar., hic. q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Henr. Gand., S. a. 25. q. 2. 3. — Dionys. Carth., hic. q. 1.

QUÆSTIO II.

Utrum in Deo ponenda sit personarum pluralitas.

Secundo quaeritur, utrum sit ponere in Deo personarum pluralitatem. Et quod sic, ostenditur

Fundamenta. supponendo de Deo quatuor: primum est, quod in ipso sit *summa beatitudo;* secundum est, *summa perfectio;* tertium est, *summa simplicitas;* quartum est, *summa primitas.*

1. Ex prima suppositione arguitur sic: si [1] est ibi summa *beatitudo;* sed ubicumque est summa beatitudo, est summa *bonitas,* summa *caritas* et summa *iucunditas.* Sed si est summa *bonitas,* cum bonitatis sit summe se communicare [2], et hoc est maxime in producendo ex se aequalem et dando esse suum: ergo etc. Si summa *caritas,* cum caritas non sit amor privatus, sed ad alterum: ergo requirit pluralitatem. Item, si summa *iucunditas,* cum «nullius boni sine socio sit iucunda possessio [3]», ergo ad summam iucunditatem requiritur societas et ita pluralitas.

2. Item, ex secunda suppositione sic: si est ibi summa *perfectio;* sed «perfectionis est producere talem, qualis ipse est in natura [4]»: ergo necessse est, ibi esse multiplicationem; sed hoc non potest esse secundum aliam essentiam: ergo oportet, quod sit secundum aliam personam sive suppositum.

3. Item, ex tertia suppositione sic: si est ibi summa *simplicitas;* sed *simplicitatis* est, quod aliqua natura sit in pluribus, ut patet in universali, sed ex defectu simplicitatis est, quod numeretur in illis [5]: ergo si in Deo est simplicitas in nullo deficiens, erit in pluribus non numerata essentia: ergo etc.

4. Item, ex quarta suppositione sic: si est ibi summa *primitas;* sed quanto aliquid prius, tanto fecundius est et aliorum principium [6]: ergo sicut essentia divina, quia prima, est principium aliarum essentiarum, sic persona Patris, cum sit prima, quia a nullo, est principium et habet [7] fecunditatem respectu personarum; sed fecunditas in Deo respectu Dei non potest esse nisi actui coniuncta: ergo necesse est, plures esse personas.

Ad oppositum. SED CONTRA: 1. Videtur, quod ex eisdem suppositionibus posset argui contrarium, et ita destruuntur rationes et conclusio [8]. Si enim ibi est summa beatitudo, cum beatum per essentiam sibi soli sufficiat ad beatitudinem: ergo non est necesse ponere aliam personam ad beatitudinem sive iucunditatem.

2. Item, contra secundam suppositionem sic obiicitur [9]: si est ibi summa perfectio: ergo aeque plene et perfecte est essentia in una persona et in pluribus. Si ergo ultra perfectionem additio est superflua, pluralitas est superflua; et si hoc, cum in divinis nihil sit superfluum, pluralitas non est [10] in divinis.

3. Item, contra tertiam rationem sic: si est ibi summa simplicitas, cum pluralitas opponatur simplicitati, et «opposita non possunt esse circa idem [11]: ergo si Deus est unus et in eo est simplicitas, non ergo pluralitas, cum per omnia sit simplex.

4. Item, contra quartam suppositionem sic: si ibi est summa primitas; ergo cum status sit in primo principio, et status est in unitate: ergo primitas non ponit pluralitatem, sed unitatem: ergo videtur, quod una tantum sit persona.

---

[1] Praeter fidem mss. et ed. 1 omittit Vat. hic et in aliis tribus arg. particulam *si.*

[2] Vat. *bonitatis summae sit se communicare,* sed minus apte et contra auctoritatem mss. et edd. 1, 2, 3; melius sane foret, si lectio Vat. et mss. inveniretur coniuncta, ita ut legeretur: bonitatis summae sit summe se communicare. Hanc lectionem confirmant verba Richardi, hic a. 2. q. 1: ad summam bonitatem pertinet se summe communicare. — Haec ratio fundatur in ista propositione ex Dionys., de Cael. Hierarch. c. 4. et de Div. Nom. c. 4. sumta: Bonum est diffusivum sui.

[3] Seneca, I. Epist. ad Lucilium, epist. 6.

[4] Aristot., II. de Anima, text. 34. (c. 4.). — In principio huius et sequentis argumenti Vat. omittit particulam *Item* et post *suppositione* addit *arguitur;* sed obstant mss. et ed. 1.

[5] Aristot., VIII. Metaph. text. 45. (VI. c. 13.): Hoc enim dicitur universale, quod pluribus inesse natum est. Et I. Poster. c. 20. (c. 24.): Quantocumque utique magis secundum partes (seu particularis) est, in infinita cadit; universale autem in simplex et in finem. — Mox Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 *nihilo* pro *nullo* et *est* pro *erit.*

[6] Cfr. libr. de Causis, prop. 1. et 17. — Cod. K *nobilius vel fecundius.*

[7] Vat. contra mss. et ed. 1, interpunctione mutata, ponit *a nullo est principio, habet;* quae lectio vim dictis detrahit.

[8] Maior pars codd. ut A F G H L O T V W X Y Z etc. cum ed. 1 refragatur Vat. ponenti *conclusiones iam positae,* et quidem iure, cum tantum una omnium rationum positarum sit conclusio. Aliqui mss. ut CS (AT a prima manu) etc. *convictio* loco *conclusio.* Cod. R omittit *et conclusio.* Paulo post auctoritate mss. et sex primarum edd. *beatum* substituimus loco *beatus;* idem infra in solutione huius obiectionis recurrit.

[9] Cod. cc *arguitur.* Paulo post Vat., obnitentibus antiquioribus mss. et ed. 1, *aeque plena et perfecta... ut in pluribus. Si autem ultra.*

[10] Ex mss. et sex primis edd. substituimus *est* pro *erit.*

[11] Aristot., II. Elench. c. 5. (c. 25.) et XI. Metaph. c. 4. (X. c. 5.). — Paulo ante cod. X sibi constans habet *suppositionem* pro *rationem.*

CONCLUSIO.

Personarum pluralitatem in divinis esse ponendam, et fides docet et argumentis congruentiae suadetur.

Respondeo: Dicendum, quod in divinis est ponere personarum pluralitatem, sicut fides dicit et rationes praedictae ostendunt, si quis sine contradictione consideret. Nam ratione *simplicitatis* essentia est communicabilis et potens esse [1] in pluribus. Ratione *primitatis* persona nata est ex se aliam producere; et voco hic primitatem innascibilitatem, ratione cuius, ut dicit antiqua opinio, est fontalis plenitudo in Patre ad omnem emanationem; et hoc infra patebit [2]. Ratione *perfectionis* ad hoc est apta et prompta; ratione *beatitudinis et caritatis* voluntaria. Quibus conditionibus positis, necesse est ponere personarum pluralitatem.

Conclusio. Ratio quadruplex.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod beatum per essentiam sibi soli sufficit, ergo non indiget etc; dicendum, quod verum est, quod non indiget; nec ponitur [3] alius propter indigentiam neque tanquam beatificans, sed in beatitudine communicans.

Solutio oppositorum.

2. Similiter ad illud quod obiicitur, quod deitas aeque plene est in uno et in pluribus [4]; dicendum, quod etsi sit aeque plene, non tamen ita plene declaratur. Et *praeterea*, eo ipso quo plene est in Patre, redundat in alias personas redundantia perfectionis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod pluralitas repugnat simplicitati; dicendum, quod est quaedam pluralitas per *additionem;* et haec repugnat; quaedam per *originem;* et haec non addit nec componit nec repugnat simplicitati, sed potius solitudini; et sic est in divinis, ut infra patebit [5].

4. Ad illud quod obiicitur, quod in primo est status; dicendum, quod sicut in essentiis una est essentia prima, a qua sunt aliae et ad quam, sic et [6] in personis est una persona, a qua sunt aliae et ad quam; et in illa est status originis, quia illa a nullo, et haec est persona Patris. Unde Augustinus [7] illi personae appropriat unitatem, dicens: «In Patre unitas» etc.

SCHOLION.

I. Infra d. 3. p. 1. q. 4. S. Doctor docet, mysterium sanctissimae Trinitatis sola fide cognosci posse. Inde patet, quo sensu argumenta rationis in hac quaestione et alibi allata intelligenda sint, scil. non ut stricte demonstrativa, sed tantum ut persuasiva sive probabilia per quandam congruentiam ex principiis fidei resultantem. Scot. hic q. 7. diffuse de valore horum argumentorum disputat et inter alia etiam argumentum hic secundo loco positum refellere nititur. — Quoad argumentum ex quarta suppositione sumtum cfr. infra d. 28. q. 1. — Quot modis sacra Scriptura doceat personarum pluralitatem in Deo, breviter docetur infra, hic dub. 8. — Eadem fere argumenta exhibent Alex. Hal. (qui diffuse hanc materiam tractat, et ex quo, teste Dionysio Carth., plurima posteriorum doctorum argumenta sumta videntur), S. Thom., Richard., qui addit quintum argumentum, aliique.

II. S. Bonav., Breviloq. p. 1. c. 2; Itiner. mentis c. 6; Hexaëm. Serm. 11. et 21. — Alex. Hal., S. p. I. q. 14. m. 1. 5. 6. — Scot., hic q. 4. 7; Report. hic q. 5. — S. Thom., hic q. 1. a. 4; S. I. q. 30. a. 1. 2; S. c. Gent. IV. c. 26; Quodl. 7. a. 6. — B. Albert. M., hic a. 20; S. p. I. tr. 6. q. 29. a. 2. m. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 53. q. 8. — Durand., hic q. 4. — Dionys., hic q. 5. — Biel, hic q. 11.

QUÆSTIO III.

Utrum numerus divinarum personarum sit infinitus.

Consequenter tertio loco quaeritur, utrum in divinis personis sit ponere infinitatem. Et quod sic, ostenditur hoc modo.

1. Quia creatura est [8] finita, et quidquid est in ipsa, est actu finitum: ergo ab oppositis, quia divina essentia est infinita, quidquid est in ipsa, est infinite: ergo cum in Deo sit numerus personarum, erit infinitus; et ita erunt personae infinitae.

Ad oppositum.

2. Item, cum duplex sit infinitas, *virtualis* et *numeralis* [9], infinitas *virtualis* est in Deo: ergo pari ratione infinitas *numeralis:* ergo in Deo sunt infinitae personae.

---

[1] Cod. K *et potest esse.* Cod. O *ut potens esse.*

[2] Dist. 27. p. I. q. 2. ad 3. — Mox post *caritatis* additur in Vat. *eadem essentia divina est,* quod abest a mss. et ed. 1. Cod R verbo *beatitudinis* praemittit *bonitatis.*

[3] Restituimus lectionem fere omnium antiquorum mss. et ed. 1 substituendo *ponitur* loco *ponendus est* et addendo *neque,* quod Vat. cum recentiore cod. cc indebite omittit.

[4] Vat. hic, sicuti supra, contra antiquiores codd. et ed. 1 *aeque plena et perfecta est in uno ut in pluribus,* licet ipsa in sequentibus semper adhibeat adverbium *plene.*

[5] Dist. 8. p. II. a. 1. q. 1. et d. 23. a. 2. q. 1. et 2. — Paulo ante cod. X *solum* loco *potius.*

[6] In Vat. et recentiore cod. cc deest *et*, quod tamen in antiquis mss. et ed. 1 habetur, et quidem bene. Paulo post cod. X *nulla* pro *nullo.*

[7] Libr. I. de Doctr. christ. c. 5. n. 5: In Patre unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu S. unitatis aequalitatisque concordia.

[8] Ita codd. et ed. 1, dum Vat. *creatura cum sit finita.* Paulo post cod. cc *infinitum* pro *infinite.* Mox codd. A W loco *infinitus* habent *infinite;* aliqui autem codd. ut M T V X cum ed. 1 minus apte *erunt infinitae* pro *erit infinitus;* sed nihil mutandum duximus.

[9] Cfr. August., de Quant. animae c. 3. et seqq. — Cod. R hic non male addit *si.*

3. Item, infinita virtus, cum emanat[1] secundum suam totam infinitatem, non tantum producit infinitum *intensive,* sed etiam *extensive;* sed virtus Patris in productione personarum emanat secundum omnimodam sui potestatem: ergo non tantum producit personas infinitas in virtute, immo etiam[2] infinitas in numero.

4. Item, hoc ipsum ostenditur sic: multiplicatio personarum aut est *virtutis,* aut *non.* Si *non:* ergo non debet in divinis poni; si est *virtutis* per se: ergo maior multiplicatio erit maioris virtutis, et summae virtutis infinita multiplicatio: ergo etc.

Fundamenta. CONTRA hoc ostenditur quadruplici conditione, quae sumitur ab hoc quod semper Deo est attribuendum quod nobilius est, quod necesse est ponere finitatem personarum. Prima est *distinctio,* secunda *ordo,* tertia *connexio,* quarta *summa completio*[3].

1. Ex prima conditione ostenditur sic: si est ibi *distinctio,* non ergo confusio; sed ubi est infinitas, ibi est confusio: ergo etc.

2. Item, ex secunda sic: ubi est *ordo,* ibi est terminatio, quia ubi deficit terminatio, deficit et[4] mediatio et per consequens ordo; sed ubi est terminatio, non est infinitas: ergo si in personis divinis est ordo, non est infinitas.

3. Item, ex tertia sic: ubi est *connexio*, necesse est, quod omnes personae procedant ab una; nam si una ab alia et ita consequenter, tunc est infinita distantia inter primam et ultimam; sed[5] hoc est inconveniens: ergo omnes ab una: aut ergo eisdem modis, aut diversis. Si eisdem: ergo nulla distinctio; si diversis, sed diversi modi emanandi sunt finiti: ergo etc.

4. Item, ex quarta sic: si est ibi *summa completio*, ergo nata est divinitas alia complere: ergo cum completio personarum sit in beatitudine, nata est beatificare[6]. Sed si essent personae infinitae, impossibile esset aliquem beatificari a Deo; cognitio enim cuiuslibet personae est de substantia beatitudinis, cum tota bonitas, quae est substantiale praemium, sit in qualibet personarum; ergo aut anima omnes cognosceret, aut non esset beata; sed impossibile esset[7] omnes cognoscere, cum virtus eius sit finita: ergo etc.

CONCLUSIO.

Numerum divinarum personarum esse finitum, et fides tenet et ratio suadet.

RESPONDEO: Dicendum, quod in divinis personis quantum ad numerum non est ponere infinitatem sed finitatem. Conclusio.

Ratio autem huius est, quia infinitas *numeralis* repugnat perfectioni et ordini, quia est per recessum ab unitate sive ab origine sua. Similiter et[8] infinitas *molis;* et ideo neutrum est in Deo. Infinitas autem *virtutis* est per accessum ad unitatem et originem; et ideo, cum ista sit perfectionis, ponenda est in Deo, alia non.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur, quod quidquid est in Deo, est infinite; dicendum, quod verum est infinite, sed non qualicumque[9] infinitate, sed illa qua Deus est infinitus; et haec est infinitas immensitatis, et tali modo est Trinitas infinita, non infinitate numerali, quae non congruit Deo[10]. Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod infinita virtus, infinite[11] emanans, producit infinita; dicendum, quod divinae virtuti non convenit productio nisi perfecti; et ideo non convenit ei productio alicuius infinitatis nisi illius, quae stat cum summa perfectione. Haec autem non est infinitas numeralis, et ideo non est in Deo.

4. Ad ultimum quod obiicitur, quod potentiae est se multiplicare; dicendum, quod non omni modo[12] est potentiae, sed perfecte multiplicare se potentiae est; et ideo non sequitur: ergo magis se multiplicare est maior perfectio, nisi intelligatur perfecte; sed infinite se multiplicare secundum numerum est imperfecte; et ideo non convenit Deo.

---

[1] Sensu et mss. cum ed. 1 ita exigentibus, mutavimus *emanet,* quod habet Vat.

[2] Faventibus antiquioribus codd. et ed. 1, supplevimus *etiam.*

[3] Id est, plenitudo perfectionis.

[4] Auctoritate vetustiorum mss. et ed. 1 hic adiecimus *et* ac paulo infra *personis* a Vat. et cod. cc minus recte omissa.

[5] Vat. contra mss. et ed. 1, hic et circa finem argumenti post *si diversis* ponit *et* loco *sed.*

[6] Sensus videtur esse: Deus omnia complet sive perfecta facit; sed personas, i. e. intellectuales naturas sive supposita, beatificando complet. ergo proprium Dei est beatificare. — Vat. *illas complere* pro *beatificare* et paulo ante *personas complere et* loco *alia complere; ergo,* quae lectio omnibus codd. et ed. 1 contraria est et progressum argumentationis aufert. Paulo post cod. A cum ed. 1 loco *aliquem* habet *aliquam,* supple personam.

[7] Plures codd. ut T Y *est* et forte melius.

[8] Desideratur hic in Vat. *et,* quod mss. et ed. 1 exhibent. Paulo post ex codd. et ed. 1 adiecimus verba *et originem* ac *alia non,* quae Vat. prave omittit. Item codd. et ed. 1 *neutrum* loco *neutra,* quod habet Vat.

[9] Codd. A T aliique cum ed. 1 pro *qualibet*, quod exstat in Vat., exhibent distinctius *qualicumque.*

[10] Fide omnium mss. et ed. 1 expunximus propositionem sequentem: *Et per hoc patet responsio ad secundum, scilicet quare infinitas numeralis non est ponenda in Deo, sicut virtualis,* quae hic a Vat. ad ordinem solutionum servandum additur. Sed semel pro semper notandum, quod saepe saepius specialis responsio ad obiectionem a S. Doctore omittitur, quando ipsa iam in praecedentibus, sicuti v. g. hic in corp. articuli, clare continetur.

[11] Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, *in infinitate* pro *infinite.*

[12] Codd. cum edd. 1, 2, 3 omittunt hic in Vat. additum *multiplicare se,* quod facile suppletur. Paulo infra Vat. cum recentiore cod. cc, contrariantibus aliis mss. et ed. 1, interpunctione mutata ac posito *convenit Deo* loco *ideo,* habet *et convenit Deo: non sequitur ergo, magis.* Dein circa finem responsionis ex mss. et ed. 1 ante *ideo* adiecimus particulam *et.*

SCHOLION.

I. Communiter triplex distinguitur infinitas, scil. *numeralis*, quae est in quantitate discreta, *molis*, quae est in quantitate continua, et *virtutis* sive immensitatis; cfr. infra d. 19. p. I. a. I. q. I. et 2. — Pro faciliore intelligentia quatuor argumentorum in fundam. haec notamus. Istae quatuor proprietates divinitatis, saltem tres primae, ita inter se connexae sunt, ut secunda *(ordo)* supponat primam *(distinctionem)* et tertia *(connexio)* utramque. Primum arg. ex *distinctione* sumtum sic procedit: si Deo attribuendum quod nobilius est, et si ibi est distinctio, ipsa distinctio debet esse sine confusione, cum confusio sit imperfectionis; sed ubi infinita multitudo, ibi est confusio: ergo etc.; cfr. infra d. 43. a. I. q. 3. Secundum arg. procedit ex hoc axiomate, quod, ubi est ordo, ibi necessario est primum et ultimum (terminus) et medium. Tertium arg. est satis perspicuum. In quarto arg., quod sumitur ex summa *completione*, i. e. plenitudine perfectionis, S. Doctor supponit cum sententia communi, quod « cognitio cuiuslibet personae est de substantia beatitudinis ». De hoc tamen Scot. (I. Sent. d. I. q. I.) dubitat et opinatur, non esse, absolute loquendo, impossibile, quod in caelo aliquis fruatur essentia Dei, non vero personis. De qua sententia videri potest Macedo, Collationes doctrinae S. Thom. et Scoti, collat. 3. differ. 3.

II. Circa ipsam quaestionem: Alex. Hal., S. p. I. q. 45. m. 6., ubi latius fund. 1. et 2. explicantur. — Scot., hic q. 5. et 7. — S. Thom., S. I. q. 30. a. 2. — B. Albert., de hac et seq. quaest. S. p. I. tr. 9. q. 41. m. 3. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Henr. Gand., S. a. 53. q. 9. — Durand., I. Sent. d. 10. q. 2. — Biel, I. Sent. d. 10. q. 1.

QUÆSTIO IV.

Utrum tres tantum sint divinae personae.

Quarto et ultimo quaeritur, utrum in divinis personis sit ponere trinitatem. Et quod non, immo magis dualitatem, ostenditur sic.

Ad oppositum. I. Pater totum quod potest, dat Filio [1]; sed qui dat totum quod potest, non potest amplius dare: ergo nec aliam personam producere, cum illud sit dare.

2. Item, Pater generat Filium tanquam Verbum per omnia aequale et per omnia dicens et exprimens ipsum; sed multiplicatio personarum est ad declarationem virtutis: ergo videtur, quod superfluat alium producere.

3. Item, ostenditur quod ibi debeat esse *quaternitas* per rationem emanationis. Quia enim Filius emanat per generationem, non per processionem, ideo, quamvis non generet, tamen spirando producit; eadem ratione videtur, quod Spiritus sanctus, quamvis non producat spirando, possit generare sive generet, cum non generetur.

4. Item, cum in divinis sit duplex modus producendi [2], scilicet unus per modum naturae, alius per modum voluntatis, et ibi debeat esse completa ratio productionis, videtur etiam, quod ibi debeat esse modus producendi tertius per modum artis. Et si sic, erit ibi ponere quartam personam secundum hunc modum producendi.

Fundamenta. Sed contra: Quod sit ibi trinitas tantum, ostenditur ex suppositionibus superius factis, quia necesse est, in illa Trinitate esse *beatitudinem, perfectionem, simplicitatem* [3], *primitatem.*

1. Ex prima suppositione ostenditur sic: si est ibi summa *beatitudo:* ergo summa concordia; ergo est summa germanitas, summa caritas. Sed si essent *plures quam tres*, non esset ibi summa germanitas; si *pauciores*, non esset ibi summa caritas: ergo sunt tres tantum. Probatio *minoris.* Si est ibi quarta persona, aut procedit ab una, aut a duabus, aut a tribus. Si ab una vel [4] duabus tantum, tunc non perfecte et aequaliter convenit cum omnibus; si autem a tribus, tunc duae personae intermediae magis conveniunt ad invicem quam cum extremis, quia producuntur et producunt; et ita non est ibi perfectus nexus. — *Item*, si essent *pauciores quam tres*, non esset ibi perfecta caritas, quia perfectus amor et est *liberalis* et est *communis:* quia *liberalis*, ideo tendit in [5] alterum; quia *communis*, ideo vult illum diligi ab altero et diligere alterum sicut se et a se: ergo est ibi dilectio et condilectio; hoc autem non potest esse minus quam in tribus.

2. Ex secunda suppositione sic: si est ibi summa *perfectio:* ergo persona producens perfecte producit et quantum ad modum producendi, et quantum ad eum qui producitur. Sed non reperitur nisi duplex modus producendi nobilis; « omne enim agens aut agit per modum naturae, aut per modum voluntatis », sicut vult Philosophus [6]; ergo his duo-

---

[1] Ioan. 16, 15: Omnia quaecumque habet Pater mea sunt.

[2] Plurimi codd. ut A C G I K L M O R S Z etc. minus recte et non sibi constantes *procedendi.* Paulo infra post *artis* ex mss. et edd. 1, 2, 3 restituimus particulam *Et.*

[3] Codd. X cc et ed. 1 hic addunt *et.*

[4] Plures mss. cum ed. 1 repetunt hic *a.*

[5] Vat., adversantibus mss. et ed. 1, *ad* loco *in* et paulo post *alium* pro *illum;* deinde, contrariantibus insuper edd. 2, 3, 4, 5, 6 post *altero* legendo *sicut a se et vult diligere*, omittit postea *et a se;* quae lectio gracilior quidem est, sed sensum nimis coarctare videtur, eo quod non contineat unum membrum divisionis respectu triplicis mutuae dilectionis. Elliptica constructio textus nostri illud membrum satis indicat. Sensus enim propositionis hic est: ideo Pater vult, quod Filius diligatur a Spiritu sancto, et diligat Spiritum sanctum, sicut vult, quod ipse, scilicet Pater, diligatur ab utroque et a se diligatur uterque.

[6] Lib. II. Phys. text. 49. (c. 5.), ubi dicit, quod eorum quae fiunt propter finem « alia quidem secundum propositum fiunt, alia vero non... sunt autem propter hoc (i. e. finem) quaecumque ab intellectu utique aguntur et quaecumque a natura ». Cfr. III. Ethic. c. de Voluntario, et I. Magnor. Moral. c. de Spontaneo et seqq.

bus modis et tantum his producit; sed persona producta quolibet istorum modorum est perfectissima: ergo si *ultra* perfectionem omne quod est superfluit, et quod est *citra* deficit, necesse est, esse tantum duas personas emanantes et non plures nec pauciores, et unam, a qua emanant: ergo tantum tres.

3. Item, ex tertia sic: si est ibi summa *simplicitas*, Pater totum dat cuilibet: ergo procedentes sive emanantes non distinguuntur penes ea quae accipiunt [1], sed penes modum accipiendi vel emanandi; sed duo tantum sunt modi emanandi: ergo non possunt esse nisi duae personae emanantes et tertia producens: ergo etc.

4. Item, ex quarta sic: si ratione *primitatis* est ibi summa fecunditas, nulla persona potest producere aliquo genere producendi, quo producitur [2], quia respectu illius non est prior: ergo cum duae personae emanent secundum duos modos emanandi, impossibile est, quod his modis producant, et non sunt alii modi: ergo non possunt producere aliam personam: ergo sunt tantum tres.

CONCLUSIO.

Tres tantum esse personas divinas, et fides catholica docet, et ratio suadet.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut fides catholica dicit, ponere est tantum tres personas, non plures nec pauciores. Et ad hoc sumitur ratio *necessitatis* et *congruitatis*.

Rationes necessitatis, quare non pauciores sunt.

Ratio utique [3] *necessitatis*, quare non possunt esse *pauciores* quam tres, est summa *beatitudo* et summa *perfectio*. Nam summa *beatitudo* exigit dilectionem et condilectionem; summa *perfectio* duplicem emanationem, scilicet naturae et liberalitatis; et ad hoc ad minus exiguntur tres personae. — *Item*, ratio *necessitatis*, quare non possunt esse *plures*, est summa *simplicitas*, quae non patitur personas distingui, nisi secundum modos emanandi; et [4] iterum *principalis fecunditas*, quae non permittit personam producere aliquo genere emanationis, nisi secundum rationem intelligendi sit prior illo. Unde prima persona, quia [5] est innascibilis et inspirabilis, generat et spirat; secunda, quia inspirabilis, sed genita, non generat, sed spirat; tertia vero persona, quia spiratur et procedit a generante, nec generat nec spirat. Et ideo impossibile est, esse plures [6] quam tres.

Item, quare non plures.

Rationes congruitatis.

Ratio *congruitatis* sumitur ex *sufficientia combinationum* et ex *perfectione numeri ternarii*.

Ex sufficientia combinationum.

Ex *sufficientia combinationum*, quia cum «*amor* sit in omnibus personis», ut dicit Richardus [7], et non sit nisi triplex amor, videlicet «gratuitus et debitus et ex utroque permixtus», tantum erunt tres personae: *una*, quae tantum dat, in qua est amor gratuitus; *alia*, quae tantum accipit, in qua est amor debitus; et *media*, quae dat et accipit, in qua est amor permixtus ex utroque. — *Item*, alio modo possunt combinari secundum rationem *originis*; et huiusmodi combinationis sufficientia in tribus consistit. Nam contingit intelligere personam, quae est principium personae et non est principiatum, et *rursum* personam, quae est principiatum et non principium personae, et *tertio* modo personam, quae est principiatum et principium. *Quartus* autem modus [8], quod nec sit principium nec principiatum, est omnino impossibilis et non intelligibilis.

Ex parte numeri.

Ratio congruitatis *ex parte numeri* est, quia numerus iste, scilicet ternarius, habet in se *primam* perfectionem et *summam*, sive consideretur *in se*, sive in *quantitate continua*, sive in *creatura* [9].

Ternarius consideratus in se.

In se habet *primam* perfectionem, quoniam primus numerus est, qui constat ex omnibus partibus suis, scilicet unitate et dualitate, quae simul iunctae [10] faciunt tria. Senarius autem dicitur primus perfectorum, quia constat ex omnibus partibus suis aliquotis, scilicet tribus, duobus et uno. — *Item*, *summa* perfectio est in eo, quia unitas, quae est principium et completio omnis numeri, reflexa supra se reduplicatione perfecta [11], qualis in solido quadrato, triplicatur secundum rationem, remanens una secundum veritatem; ut si dicatur: semel unum semel. Et istud est valde simile Trinitati increatae,

---

1 Salvo sensu multi codd. A C F G L O S U V W etc. *accipiuntur*. Paulo infra post *accipiendi* substituimus ex vetustioribus mss. et ed. 1 *vel* pro *et*; cod. O *sive*.

2 Cod. I *producere aliam illo genere, quo producitur*, et paulo infra *quod his duobus modis emanandi producant*.

3 Adiecimus ex mss. et ed. 1 *utique*.

4 Faventibus codd. et ed. 1, substituimus *et* loco *Est*. Immediate post plures codd. ut A C R S W pro *fecunditas* ponunt *fecunditatis*, sed male.

5 Restituimus ope plurimorum antiquorum mss. ut A G I K M R S T U W X Y etc. et ed. 1 *quia*, quod Vat. cum aliquibus codd. minus congrue mutavit in *quae*. Mox Vat., antiquioribus mss. obnitentibus, legit *secunda vero persona* et omittit *vero* post *tertia*.

6 Codd. cum ed. 1 omittunt hic *personas*, quod legitur in Vat. Paulo infra post *sumitur* ed. 1 adiungit *et*.

7 Libr. V. de Trin. c. 23: Quantum igitur ad substantiam dilectionis erit unus atque idem amor in omnibus personis. Et ibid. c. 16: Constat autem, quod verus amor potest esse aut solum gratuitus, aut solum debitus, aut ex utroque permixtus.

8 Cod. X *Quarto modo* et consequenter *impossibile nec intelligibile*.

9 Licet pauci solummodo codd. B D T habeant *creatura* pro *natura*, praeferimus tamen eorum lectionem, quia et congruentior est, et omnes codd. cum Vat. infra in explicatione huius membri legunt *creatura*.

10 Multi codd. ut A F G H K S T V W X Y etc. cum ed. 1 *iuncta*.

11 Adstipulantibus mss. et ed. 1, delevimus *quadrata*, quod Vat. hic addit. Paulo infra post *rationem* in cod. U adiungitur *tamen* et in pluribus aliis codd. ut A C G K R S V nec non in ed. 1 *ratio*; cod. ff post *rationem* inserit *ratione* mutando *remanens* in *remanente*.

in qua in unitate substantiae est trinitas rationum[1]; non tamen est omnino simile, quia ibi cum unitate substantiae est trinitas rationum et rerum, scilicet personarum; hic tantummodo rationum.

Item in quantitate continua. *Similiter*, si consideretur numerus iste in *quantitate continua*, habet in se *primam* perfectionem et *summam*: *primam*, quia omnis quantitas habet principium[2], medium et ultimum; *summam*, quia perfectio quantitatis continuae suprema consistit in trina dimensione, scilicet longitudine, latitudine et altitudine. Et hoc est quod dicit Philosophus in principio de Caelo et mundo[3]: « Omne enim perfectum in tribus dicimus, et hoc numero adhibuimus nosmetipsos magnificare Deum unum, creatorem omnium, eminentem proprietatibus eorum quae sunt creata ».

Item in creatura. *Similiter*, si consideretur iste numerus in *creatura*, habet in se *primam* perfectionem et *summam*: *primam*, quia trinitatem vestigii contingit reperire in qualibet creatura, quantumcumque parva, quantumcunque minima: *summam*[4], quia secundum trinitatem imaginis reformatam et deiformatam attenditur summa et nobilissima perfectio creaturae, scilicet beatitudo.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Pater dat Filio totum quod potest; dicendum, quod verum est, sed non dat[5] *omni modo*, quo potest. Et ideo in illatione est accidens: « non potest amplius dare, ergo nec aliam personam producere », quia hoc non est dare amplius, sed alio modo.

2. Similiter sequens[6] patet, quia Filius non omni modo declarat, quia, etsi secundum rationem naturae, non tamen secundum liberalitatem voluntatis, nisi in quantum ex ipso Verbo procedit Spiritus.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Spiritus sanctus debet generare; dicendum, quod non est simile, quia[7] persona Filii praecedit spirationem, ideo habet rationem primitatis; persona Spiritus sancti sequitur generationem, et ideo non generat, quia non est innascibilis.

4. Ad illud quod obiicitur de tertio modo emanandi, scilicet de arte; dicendum, quod ars non habet fecunditatem ad emanandum sive ad producendum nisi per voluntatem; et ideo modus ille non debet distingui a modo producendi[8] per modum liberalitatis sive voluntatis.

Alia solutio. Vel aliter et melius. Modus producendi per artem convenit cum modo producendi per naturam in hoc, quod utrobique producitur simile. Differt autem, quia in productione naturali producitur similis[9] in substantia et natura, alius in persona; in productione autem artis producitur simile secundum rationem formae exemplaris, dissimile vero in substantia et natura. Talis autem modus producendi est incompossibilis divinae essentiae, quae non compatitur diversitatem essentiarum.

SCHOLION.

I. Quae hic de proprietatibus numerorum dicuntur, occurrunt etiam Hexaëm. Serm. 4. nec non in illa Expositione Psalmorum (Psal. 129.), quae inter Opera S. Bonav. impressa, sed auctori suo Michaeli Meldensi, Archiepiscopo Senonensi († 1199), a P. Fidele a Fanna (Ratio novae collectionis p. 180 seqq.) vindicata est. Haec antiquam doctrinam exhibent mathematicorum Graecorum, ut Euclidis (Element. IX. 36.), quos sequuntur S. August. (Gen. ad lit. IV. c. 2.), S. Isidor. (Etymol. III. c. 3. n. 11;

---

[1] Cod. Z addit *vel relationum*. Pro horum maiore intelligentia notentur haec B. Albert. verba: Dicunt quidam modernorum, quod relatio est medium entis et non entis, eo quod ipsa est *ratio* rei et non res etc. (I. Sent. d. 26. a. 10.) — Paulo post Cod. R *in unitate* loco *cum unitate*.

[2] Multi codd. ut A C F G I K L O S T U Z etc. cum ed. 1 *primum* loco *principium*.

[3] Libr. I. text. 2, ubi iuxta ed. Venet. 1489 in translatione arabico-latina ita habetur: Et hoc (ternarius) est numerus cuiuslibet, et est demonstrans trinitatem rerum, et non invenimus istum numerum nisi ex natura, et sustinemus ipsum quasi legem nobis; et secundum istum numerum tenemur magnificare Deum creatorem remotum a modis creaturarum. Ed. Paris. hunc text. sic exhibet: Nam, ut Pythagorici etiam inquiunt, ipsum omne atque omnia tribus sunt definita: finis enim, medium atque principium ipsius omnis numerum habent: haec autem trinitatis. Quapropter hoc a natura numero sumto, perinde atque quadam illius lege et in deorum sacrificiis celebrandis uti solemus.

[4] Praeferimus lectionem cod. Z *summam* pro *perfectam* utpote praecedentibus correspondentem. Cod. T *penes* et cod. V *per* loco *secundum*; deinde ope omnium mss. et edd. 2, 3 substituimus *deiformatam* pro *deiformem*. Cod. R, omissa praepositione *secundum*, post *deiformatam* addit *in qua*, ita ut *trinitatem imaginis* referatur ad superius positum *contingit reperire*; plures alii codd. ut A C G K O R S huic lectioni in tantum favent, in quantum omittunt praepositionem *secundum*.

[5] Plurimi codd. non ita bene omittunt *dat*. Paulo post quando S. Doctor dicit *accidens*, intellige *fallaciam accidentis*, de qua Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 5.): Ex accidente quidem paralogismi sunt, quum quidvis postulatum fuerit aeque rei atque accidenti inesse. Quoniam enim multa eidem accidunt, non est necesse, omnibus praedicatis et subiecto, de quo illa praedicantur, haec omnia inesse; nam alioquin omnia erunt eadem. — Hoc loco a *re* ad *modum rei* falso concluditur.

[6] Auctoritate mss. et ed. 1 removimus hic a Vat. additum *obiectio per hoc*. Paulo infra post *rationem* codd. Y ee addunt *originis et perfectionem*, cum quibus concordant codd. G H N X in eo tantum divergentes, quod codd. H N omittant *et*, cuius loco cod. G habet *seu*, cod. X vero *declaret*. — De differentia utriusque modi procedendi cfr. infra d. 13. q. 3.

[7] Cod. R addit *enim*. Deinde plures antiquiorum codd. ut A B C L O T W etc. ponunt *principium* loco *rationem* moxque post *persona* codd. cum ed. 1 supprimunt *autem*, quod Vat. addit.

[8] Sequimur cod. Y loco *procedendi* ponendo *producendi*, quod et praecedentibus et sequentibus magis conforme est, licet sensus in utraque lectione sit idem.

[9] Cod. O *simile*, qui et cum codd. C Y post *natura* adiungit *et*. Paulo infra plures codd. ut A F G K T etc. cum ed. 1 *dissimilis* loco *dissimile*. Mox ex plurimis mss. ut A D F G H K N T etc. et ed. 1 substituimus *incompossibilis* pro *impossibilis*.

de Arithmet. l. c. 20.) aliique innumeri cum Petro Bunghi (de Numerorum Mysteriis, Paris. 1617. p. 456.) et Steph. Brulifero (Comment. in hanc quaest.). Ex his auctoribus excerpta sunt quae sequuntur.

1. Partes *aliquotae* sive *aliquantae* alicuius numeri ab antiquis dicebantur illae, quae aliquoties sumtae reddunt praecise suum totum. Ita 5 et 2 sunt partes aliquotae numeri 10. Pars *non aliquota* est illa, quae aliquoties sumta non potest reddere totum aliquem numerum, ut 3 respectu numeri 10. Numerus 1 est quidem pars aliquota cuiusvis numeri; tamen ab antiquis arithmeticis non recensebatur proprie inter numeros, sed vocabatur *principium numeri*, ut dicit Isidorus (loc. cit. c. 1.), unum semen numeri esse, non numerum.

2. Numerus 6 est primus numerus *perfectus* in sensu stricto, quia est aequalis omnibus suis partibus aliquotis simul aggregatis. Nam partes aliquotae huius numeri sunt 1, 2, 3 = 6. In hoc sensu pauci numeri sunt perfecti, nempe in serie numerorum usque ad 10,000, ut dicit Bunghi, tantum hi quatuor: 6, 28, 496, 8128. Et sic nec numerus ternarius est perfectus, quia habet solummodo unam partem aliquotam, scil. unitatem, quae proprie non est numerus.

3. In sensu minus stricto *perfectus* dicitur numerus, qui constat ex omnibus suis partibus tam aliquotis, quam non aliquotis, simul sumtis; et in hoc sensu numerus ternarius est primus perfectus, quia constat ex parte aliquota (1) et non aliquota (2), quae simul iuncta faciunt tria. Dicitur *primus* numerus perfectus, quia binarius, licet constet ex suis partibus simul sumtis i. e. duabus unitatibus, non dicitur numerus perfectus, quia unum proprie non dicebatur numerus.

4. Aliquis numerus potest super se *reflecti* duobus modis, vel *imperfecte*, quando semel ducitur in se ipsum (ut $2 \times 2 = 4$), et tunc efficitur numerus *quadratus*, sed non *solidus*; vel *perfecte*, quando bis ducitur in se ipsum (ut $2 \times 2 \times 2 = 8$), et haec reduplicatio perfecta reddit *quadratum solidum*.

II. His praesuppositis, patet triplex propositio S. Doctoris.

1. Numerus ternarius *in se* consideratus habet *primam* et *summam* perfectionem: *primam* quidem, quia est primus numerus constans ex omnibus suis partibus per additionem simul sumtis; *summam* vero, quia *unum* triplicatum manet unum ($1 \times 1 \times 1 = 1$).

2. Consideratus ut in *quantitate continua*, i. e. in quantum applicatur ad quantitatem, habet *primam* perfectionem, « quia omnis quantitas habet principium, medium et ultimum; *summam* vero, quia perfectio quantitatis continuae consistit in trina dimensione, scil. longitudine, latitudine et altitudine », ut habetur in textu.

3. Consideratus ut in *qualibet creatura* iterum habet *primam* et *summam* perfectionem: *primam* quidem, quia in qualibet etiam minima creatura invenitur trinitas *vestigii* (unum, verum, bonum); *summam* vero, quia in angelica et humana natura invenitur trinitas *imaginis*, praesertim quando nobilissima pars animae est reformata vel imperfecte per deiformitatem *gratiae* vel perfecte per deiformitatem *gloriae*. De hoc cfr. infra d. 3. p. I. a. 1. q. 2. et p. II. per totam et II. Sent. d. 16. per totam.

III. De tota quaestione: Alex. Hal., S. p. I. q. 45. m. 7. — Scot., hic q. 5. et 7, et Report. hic q. 8. — S. Thom., I. Sent. d. 10. q. 1. a. 5.; S. I. q. 30. a. 2. — B. Albert., I. Sent. d. 10. a. 12. — Ægid. R., I. Sent. d. 10. princ. 2. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 6.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista circa litteram primo est dubitatio de hoc quod dicit Magister, quod *purgatissimis mentibus cernitur*. Videtur enim male dicere, quia nulla mens, dum est in via, purgatissima est, sed tantum in patria.

Respondeo: Dicendum, quod mens ad hoc quod Deum contempletur perfecte, indiget purgari quoad *intellectum* et *affectum;* ideo dicit *per iustitiam fidei*, id est per *fidem*, quae facit iustum in opere et per se purgat intellectum, sed *iustitia* affectum. Utriusque autem purgationis triplex est gradus. Nam *intellectus* purgatus est, cum abstrahitur a sensibilibus speciebus, purgatior, cum mundatur a phantasticis imaginibus, purgatissimus, cum a philosophicis[1] rationibus. Gradus purgationis *affectus* sunt isti: purgatus est affectus, cum mundatur a culpa, purgatior, cum a sequela, purgatissimus, ab occasione[2]; et in hoc statu idoneus est contemplari.

Dub. II.

Item opponitur de hoc quod dicit: *Mentis humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur* etc. Videtur enim, quod etiam[3] mundata non figatur ibi, quia quantumcumque mundetur, adhuc excedit lux illa improportionabiliter aciem mentis: ergo si propter sui excellentiam non potest videri a non habente fidem, nec etiam ab habente.

Respondeo: Differt dicere: *considerari* et *figi* et *comprehendi*. *Considerari* potest a mente immunda; sed *figi* in illa non potest nisi mens pura; *comprehendere* non potest nisi immensa[4]. Ratio autem,

---

[1] Ita codd. L O contra Vat., quae habet *physicis;* in multis codd. propter abbreviationem lectio est dubia. Sed nostram praeferendam esse, patet ex doctrina S. Doctoris alibi tradita. In perfecta siquidem contemplatione iuxta doctrinam Seraphici Doctoris, quam sumsit ex Dionysio Areopagita de Mystica theol., oportet « et sensus deserere et *intellectuales operationes* et sensibilia et invisibilia » (Itinerar. mentis, c. 7. circa finem.). Has rationes philosophicas S. Doctor enumerat in libro Incendium amoris, c. 1. ante finem, ubi dicit, quod ille, quem perfectus contemplator diligit, « non est demonstrabilis, definibilis, opinabilis ». Cfr. ibid. c. 3. in fine; Breviloq. p. V. c. 6; II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. ad 6; Hexaëm. Serm. 2. circa finem et Serm. 20. circa medium; Comment. in Luc. IX, 28. — Quoad solutionem huius dubii cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 2. m. 2. a. 2. — B. Albert., hic a. 3. — Richard. et Petr. a Tar., hic in expositione litterae.

[2] Contra auctoritatem mss. et edd. 1, 3, 6 Vat., applicando praedicta ad obiectionem, addit *hoc autem possibile est fieri in via; ideo dicit Magister: Purgatissimis mentibus* etc. Paulo ante plurimi codd. cum ed. 1 post *purgatior* et omnes codd. cum edd. 1, 3, 6 post *purgatissimus* omittunt *cum*, a Vat. additum.

[3] Ex antiquis mss. et ed. 1 adiecimus *etiam*, quod Vat. cum cod. cc minus bene omittit. Paulo infra cod. I *excellit* pro *excedit;* in fine obiectionis cod. dd addit *eam*.

[4] Vat. contra mss. et ed. 1 textum variis additionibus corrumpit ita legendo: *Considerari potest lux divina a mente non munda, ut a Philosophis; sed figi non potest in illa nisi mens a vitiis pura, comprehendi non potest nisi in patria.*

quare non potest figi, est duplex: una, quia est supra intellectum, et ideo intellectus in ea non figitur, nisi habeat gluten affectus, sed statim recidit [1]; alia ratio, quia oculus sanus est illi luci proportionabilis qualitative, etsi non quantitative; sed oculus infirmus sive lippus utroque modo est improportionabilis, et ideo non figitur.

Dub. III.

Item obiicitur de hoc verbo Ambrosii: *Deus et Dominus nomen est naturae et nomen potestatis,* quia dicit Damascenus [2], quod hoc nomen *Deus* imponitur ab operatione, unde dicitur ab aithein, quod est ardere, vel a theein, quod est fovere, vel a theasthai, quod est videre.

Respondeo: Dicendum, quod de hoc nomine, et consimilibus est loqui dupliciter: aut quantum ad id cui imponitur; et sic est nomen naturae, quia ei imponitur quod [3] est summa natura; aut quantum ad id a quo imponitur; et sic est nomen operationis, quia imponitur ab operatione.

Dub. IV.

Item quaeritur de hac circumlocutione: *Ego sum qui sum*, utrum hoc nomen: *Ego sum* etc., sit nomen essentiae, vel personae. Et quod personae, videtur, quia pronomen demonstrativum certam significat personam. *Et iterum*, loqui est actus personae. *Si forte dicas*, quod *ego*, quia significat originem, stat pro persona Patris, *sum*, quia significat actum egredientem, pro persona Filii, *qui,* relativum utrumque nectens, stat pro persona Spiritus sancti; hoc nihil est, quia pro eodem stat relativum et antecedens.

Respondeo: Dicendum, quod illud nomen *qui est*, et *Ego sum qui sum* est nomen essentiae proprie: hoc [4] enim est quaedam circumlocutio, significans entitatem in omnimoda perfectione et absolutione, et hoc est nomen proprium divinae substantiae. Et quod obiicitur, quod pronomen significat certam personam; dicendum, quod persona ibi dicitur certum suppositum Verbi, et hoc est substantia et natura [5].

Dub. V.

Item quaeritur de hac auctoritate: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, utrum *imago* stet ibi pro *essentia* aut pro *persona* [6]. Si pro *essentia*, ergo idem est dicere *imaginem nostram*, quod *essentiam nostram*; si pro *persona*, non debet dici *nostra*, sed *mea*; si pro imagine *creata*, nihil ad propositum, quia per hoc non probatur unitas naturae.

Respondeo: Dicendum, quod, secundum quod Sancti hic accipiunt, *imago* et *similitudo* dicit essentiam et relationem [7]. Importat enim *imago* unitatem cum distinctione, et *similitudo* similiter propter intrinsecam relationem. Et ideo in hoc nomine *imago* et *similitudo* quantum ad aliquid suae significationis notatur unitas essentiae, quantum ad aliquid notatur pluralitas personarum. Et ideo aliter exponit Augustinus, aliter exponit Hilarius [8]. Augustinus considerat partem significati, scilicet essentiae unitatem; sed Hilarius totum. Unde dicit, quod nomine imaginis et similitudinis simul intelligitur unitas et pluralitas. Similiter Augustinus in hoc quod est, *faciamus* et *nostram,* considerat solum consignificatum; et ideo pluralitatem. Hilarius vero considerat significatum et consignificatum, et [9] ideo in utroque dicit intelligi pluralitatem et unitatem.

Dub. VI.

Item Hilarius dicit: *Neque diversitatem duobus admisceri alterius ad alterum similitudo permittit.*

Sed contra: Similitudo est rerum differentium eadem qualitas: ergo similitudo compatitur secum differentiam.

Respondeo: Dicendum, quod est similitudo secundum *accidens,* et similitudo secundum *substantiam.* Et haec est duplex, secundum totum et se-

---

[1] Plures codd. ut AISY etc. cum ed. 1 secuti posuimus *recidit* pro *recedit.* Mox post *proportionabilis* Vat., non consentientibus mss. et ed. 1, ita prosequitur: *secundum qualitatem, etsi non secundum quantitatem; sed si oculus sit infirmus sive lippus, sicut est in non habente fidem, utroque* etc.

[2] Libr. I. de Fide orthod. c. 9, ubi sic ait: Secundum nomen est Θεός (id est Deus), quae vox vel a verbo θέειν ducta est, quia currat et omnia circumobeat vel ab αἴθειν id est urere: Deus enim ignis consumens est, vel denique ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, hoc est, quia omnia conspiciat. — Faventibus mss. et ed. 1, post *Damascenus* addidimus *quod.*

[3] Cod. R *qui.* In fine responsionis ope codd. et ed. 1 substituimus *operatione* loco *opere.*

[4] Graecam constructionem *haec* pro *hoc* exhibent codd. ACGIKSTU aa cc ff cum ed. 1.

[5] De hoc Dei nomine *Qui est* cfr. infra d. 22. q. 3. et Alex. Hal., S. p. I. q. 49. m. 4. a. 1.

[6] Cod. K hic addit *aut pro imagine creata*, sed non bene, quia agitur tantum de imagine, in quantum Deum concernit; et si S. Doctor postea dicit *si pro imagine creata*, hoc dicit magis excludendo, quam tanquam membrum disiunctionis exhibendo, ut patet ex ipsius verbis. Paulo infra post *persona* cod. K satis bene adiungit *aut una aut pluribus; non pluribus, quia deberet dicere imagines; si pro una.*

[7] Quamvis mss. cum edd. 1, 2, 3 non faveant, reliquimus tamen *et relationem*, cum contextus et doctrina S. Doctoris infra d. 31. p. II. a. 1. q. 1. et 2. tradita id apertissime exigant. Paulo ante Vat. contra codd. et ed. 1 *doctores sancti.* Cod R legit *secundum quod hic accipiuntur, imago et similitudo dicunt essentiam.*

[8] Verba August. et Hilar. vide supra in textu Magistri, c. 4. — Paulo post ope mss. et ed. 1 mutavimus *secundum* in *scilicet.*

[9] Supplevimus ex mss. particulam *et.*

cundum partem. Similitudo secundum *accidens*, vel secundum *partem* substantiae admittit diversitatem [1]; sed non similitudo secundum *totum*. Et quoniam in divina essentia est summa simplicitas, ideo non potest esse similitudo secundum accidens neque secundum partem: et ideo similitudo non compatitur diversitatem naturae [2].

Dub. VII.

Item obiicitur de hoc quod dicit Magister: *Significavit, nomine consortii non poni aliquid, sed removeri*, quia ex hoc videtur, quod omnis numeralis dictio secundum ipsum nihil ponit, sed tantum privat; sed hoc videtur falsum. Cum enim in divinis sit vera pluralitas personarum, non tantum privative, sed etiam positive videntur [3] dici.

Respondeo: Haec fuit positio Magistri, quae communiter non tenetur, quia non habet veritatem, sicut infra melius patebit [4]. Tamen Magister excusatur, quia dixit, quod non ponunt aliquid nomina numeralia, quia important numerum, qui non est proprie in divinis. Numerus enim causatur ex unitatum aggregatione et distinctione; et distinctio unitatum fit tripliciter: continui divisione, formarum disparatione [5], gradu sive ordine. Quoniam igitur in divinis non est aggregatio nec talis [6] distinctio, ideo nec numerus proprie.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In principio creavit Deus*, quare magis hoc nomen *Deus* stet sive supponat pro persona Patris quam pro persona Filii, et quomodo Trinitas intelligatur ex hoc.

Rerpondeo: Ad hoc dicendum, quod [7] octo modis innuitur nobis personarum pluralitas in Scriptura. Primo modo *significatione;* Matthaei ultimo [8]: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Secundo modo [9] *consignificatione;* Genesis in principio, ubi nos habemus *Deus*, Hebraei habent Heloym, quod est nominativus pluralis huius singularis Hel. Tertio modo *suppositione*, ut cum dicitur: Deus genuit Deum; Proverbiorum octavo [10]: *Ante omnes colles generavit me Dominus.* Quarto modo *appropriatione*, ut ibi [11]: *In principio creavit Deus* etc. *Deus* enim ibi Patri appropriatur et *Principium* Filio. Quinto modo *iteratione*, ut Isaiae sexto [12]: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Sexto modo *ordine verborum;* Psalmus [13]: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Septimo modo *connotatione* in actu missionis, ut cum dicitur ad Galatas quarto [14]: *Misit Deus* etc. Octavo modo *apparitione*, sicut apparuerunt Abrahae tres viri; Genesis decimo octavo [15].

Dub. IX.

Item obiicitur de hoc quod dicit: *Ille etiam maximus Prophetarum*, quia super illud Matthaei decimo septimo [16]: *Apparuerunt illis Moyses et Elias*, dicit Glossa: « Elias fuit maximus Prophetarum »: non ergo David.

Respondeo: Spiritus prophetiae, in maiori abundantia datus, prophetam Domini facit excellentiorem. Potest ergo dupliciter dari in maiori abundantia: aut quia ad *plura*, aut quia ad *altiora*. Eliae datus est ad plura, quia ad futurorum praevisionem et miraculorum operationem; sed David ad altiora, quia, sicut patet ex eius prophetia, plura vidit et [17] clarius, quia prophetia intellectuali.

Dub. X.

Item obiicitur de hoc quod dicit: *Dominus possedit me;* quia *possessio* est rei inferioris, *ordo*

---

[1] Cod. K addit *substantiae.*

[2] Plura de hac re vide d. 31. p. I. a. 1. q. 1. et 2.

[3] Codd. F X et edd. 4, 5 *videtur.*

[4] De ista sententia Magistri cfr. infra d. 24. a. 2. q. 1.

[5] Multi codd. ut A C F G K L O R S T X Z etc. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 minus congruenter *dispersione*, alii *dispositione;* Vat. *disperatione;* codd. H P Q ee ff et ed. 1 exhibent lectionem in textum receptam.

[6] Vat. contra mss. *taliter.*

[7] Ex mss. et ed. 1 adiecimus *quod.*

[8] Vers. 10.

[9] Ex mss. adiecimus *modo;* deinde ope mss. post *principio* delevimus *creavit*, ita ut *in principio* non sit ipse s. Scripturae textus, sed locum textus indicet. Mox in Vat. deest *habent* et post *huius* additur *nominativi*, sed contra codd. et ed. 1. Cod. X *numerus* loco *nominativus.*

[10] Vers. 25, ubi Vulgata legit: *Ante colles ego parturiebar*, dum ed. s. Scripturae Brixiensis an. 1496 addit *omnes*, cum qua Vat. convenit et adiungit: *id est, generavit me Dominus.* Pro lectione codd. militant et translatio ex Septuaginta: *ante omnes colles generat me*, et August., I. de Trin. c. 12. n. 24: *ante omnes colles genuit me;* Cyprian., II. Testimon. c. 1; Hilar., XII. de Trin. n. 37. et Iustinus, Dialog. cum Tryph. n. 61.

[11] Gen. 1, 1. — Vat. contra mss. omittit *ut.* Paulo post codd. cum ed. 1 nimis abbreviate: *Deus Patri et Principium Filio.*

[12] Vers. 3.   [13] 66; 6.   [14] Vers. 4.

[15] Vers. 2. — Vat. obnitentibus mss. et ed. 1 *apparuerant.* — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. I. q. 67. m. 4, qui septem horum modorum enumerat. Idem fere repetit Richard. a Med., hic a. 2. q. 4.

[16] Vers. 3.

[17] In Vat. desideratur *et*, quod mss. cum ed. 1 exhibent. — De prophetia intellectuali seu visione cfr. II. Sent. d. 10. a. 3. q. 2. in corp; Hexaëm. Serm. 9; Centiloq. p. III. sect. 46. — S. August., XII. de Genes. ad lit. c. 6. et seqq. ac libr. contra Adimantum, Manichaei discipulum, c. 28. — De quaestione: quis fuerit *simpliciter maximus* Prophetarum, vide S. Thom., S. II. II. q. 174. a. 4, ubi dicit: quod licet quantum ad aliquid aliquis alius Prophetarum fuerit maior Moyse, simpliciter tamen Moyses fuit omnibus aliis maior. Lyranus in praefatione super Psalterium rationes S. Thomae nititur infringere; Dionys. Carth. in prooemio Expos. in Psalmos contrarias opiniones reconciliare conatur.

rei posterioris, *conceptio* similiter sonat in sexus fragilitatem et *partus* similiter; quae [1] non conveniunt divinis.

Respondeo: Sapientia describitur per comparationem ad *effectus* et per comparationem ad *principium*. Et quoniam per comparationem ad *effectus* habet in se thesaurum infinitum in numerositate, et habet ordinem in discretione, ideo describitur per verbum *possidendi* et *ordinandi* [2]. Per comparationem ad suum principium emanat emanatione intrinseca in eo, quod est de substantia emanantis; ideo describitur per verbum conceptionis et parturitionis.

DISTINCTIO III.

Pars I.

Cap. I.

De cognitione Creatoris per creaturas, in quibus Trinitatis vestigium apparet.

Apostolus namque ait [1], quod *invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius et divinitas.* Per *creaturam mundi* intelligitur homo « propter excellentiam, qua excellit inter alias creaturas, vel propter convenientiam, quam habet cum omni creatura ». Homo ergo invisibilia Dei intellectu mentis conspicere potuit vel etiam conspexit *per ea quae facta sunt*, id est, per creaturas visibiles vel [2] invisibiles. A duobus enim iuvabatur, scilicet a natura, quae rationalis erat, et ab operibus a Deo factis, ut manifestaretur homini veritas. Ideo Apostolus dixit [3]: *quia Deus revelavit illis*, scilicet dum fecit opera, in quibus artificis aliquatenus relucet indicium.

Nam sicut ait Ambrosius [4]: « Ut Deus, qui natura
Ratio 1. invisibilis est, etiam a visibilibus posset sciri, opus fecit, quod opificem visibilitate sui manifestavit, ut per certum incertum posset sciri, et ille Deus omnium esse crederetur, qui hoc fecit, quod ab homine impossibile est fieri ». Potuerunt ergo cognoscere sive cognoverunt, ultra omnem creaturam esse illum qui ea fecit, quae nulla creaturarum facere vel destruere valet [5]. Accedat, quaecumque vis, creatura et faciat tale caelum et talem terram, et dicam, quia Deus est. Sed quia nulla creatura talia facere valet, constat, super omnem creaturam esse illum qui ea fecit; ac per hoc, illum esse Deum, humana mens cognoscere potuit.

Alio etiam modo Dei veritatem ductu rationis co-
Ratio 2. gnoscere potuerunt vel etiam cognoverunt. Ut enim Augustinus ait in Libro de Civitate Dei [6]: « Viderunt summi philosophi nullum corpus esse Deum, et ideo cuncta corpora trascenderunt, quaerentes Deum; viderunt etiam, quidquid mutabile est non esse summum Deum omniumque principium, et ideo omnem animam mutabilesque spiritus transcenderunt; deinde viderunt, omne, quod mutabile est, non posse esse nisi ab illo, qui incommutabiliter et simpliciter est. Intellexerunt ergo, eum et omnia ista fecisse et a nullo fieri potuisse ».

« Consideraverunt etiam, quidquid est in substan- Ratio 3.
tiis vel corpus esse vel spiritum, meliusque aliquid spiritum esse quam corpus, sed longe meliorem qui spiritum fecit et corpus ».

« Intellexerunt etiam, corporis speciem esse sensi- Ratio 4.
bilem et spiritus speciem intelligibilem, et intelligibilem speciem sensibili praetulerunt. Sensibilia dicimus, quae visu tactuque corporis sentiri queunt, intelligibilia, quae conspectu mentis intelligi [7]. Cum ergo in eorum conspectu et corpus et animus magis minusque speciosa essent; si autem omni specie carere possent, omnino nulla essent: viderunt esse aliquid, quo illa speciosa facta sunt, ubi est prima et incommutabilis species, ideoque incomparabilis; et illud esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, et ex quo cuncta facta essent ». Ecce tot modis potuit cognosci veritas Dei. Cum ergo Deus una sit et simplex essentia, quae ex nulla diversitate partium vel accidentium consistit, pluraliter tamen dicit Apostolus: *invisibilia Dei*, quia pluribus modis cognoscitur veritas Dei per ea quae facta sunt. Ex perpetuitate namque creaturarum intelligitur Conditor aeternus; ex magnitudine creaturarum omnipotens; ex ordine et dispositione sapiens; ex gubernatione bonus. Haec autem omnia ad unitatem Deitatis pertinent monstrandam.

---

[1] Vat. contra antiquiores codd. cum ed. 1 addit *omnia*.

[2] Praeter fidem mss. et ed. 1, constructione mutata, Vat. hic ita prosequitur: *Describitur etiam per comparationem ad suum principium, a quo emanat.* Paulo infra cod. R omittit praepositionem *in* et plures codd. ut K M X Y ee post *emanantis* addunt *emanatione perfecta.*

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Rom. 1, 20; Vulgata: *Invisibilia enim ipsius a creatura...* Glossa ordinaria, qua Magister, paucis variatis, mox utitur, verbum *a creatura* sic interpretatur: *Ab homine per excellentiam, quia excellit inter alias creaturas, vel propter convenientiam, quam habet cum omnibus creaturis.* Tum Vulgata *eius virtus* pro *virtus eius*, quod nostri mss. et edd. summo consensu exhibent.

[2] Codd. C D E *et.*

[3] Respicit ad Rom. 1, 19: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit.* — Vat. cum aliis edd. *Ideoque* contra omnes codd. et edd. 1, 8.

[4] In Epist. ad Rom. c. 1, 19, paucis a Magistro mutatis et omissis. In fine huius textus ante *impossibile est* Vat. sola repetit supervacanee: *ait Ambrosius.*

[5] Mss. B D E *potest.* Tum in Vat. sola: *quaecumque vis creaturae;* in textu accipe *vis* a velle et *quaecumque* ut neutrum in plurali. Subinde eadem Vat. cum plerisque excusis ante *terram* praetermittit *talem* contra codd. et edd. 1, 6, 8.

[6] Libr. VIII. c. 6, nonnullis transpositis et omissis. Etiam infra tertia et quarta ratio inde sumtae sunt. Paulo ante solus cod. D *potuerunt et* pro *potuerunt vel etiam.*

[7] Edd. contra codd. nostros et ed. Augustini, ponendo punctum ante *intelligibilia,* praemittunt hic *possunt.*

De vestigio Trinitatis in creaturis.

Nunc restat ostendere, utrum per ea quae facta sunt aliquod Trinitatis vestigium vel indicium exiguum [1] haberi potuerit. De hoc Augustinus in libro sexto de Trinitate [2] ait: « Oportet, ut Creatorem per ea quae facta sunt intellectu conspicientes, Trinitatem intelligamus. Huius enim Trinitatis vestigium in creaturis apparet. Haec enim omnia [3], quae arte divina facta sunt, et unitatem quandam in se ostendunt et speciem et ordinem. Nam quodque horum creatorum et *unum* aliquid est, sicut sunt naturae corporum et animarum, et aliqua *specie* formatur, sicut sunt figurae vel qualitates corporum ac doctrinae vel artes animarum, et *ordinem* aliquem petit aut tenet, sicut sunt pondera vel collocationes corporum et amores vel delectationes animarum; et ita in creaturis praelucet vestigium Trinitatis. In illa enim Trinitate summa origo est omnium rerum et perfectissima pulcritudo et beatissima delectatio ». « Summa autem origo, ut Augustinus ostendit in libro de Vera Religione [4], intelligitur Deus Pater, a quo sunt omnia, a quo Filius et Spiritus sanctus. Perfectissima pulcritudo intelligitur Filius, scilicet veritas Patris, nulla ex parte ei dissimilis, quam [5] cum ipso et in ipso Patre veneramur, quae forma est omnium, quae ab uno facta sunt et ad unum referuntur, quae tamen omnia nec fierent a Patre per Filium neque suis finibus salva essent, nisi Deus summe bonus esset, qui et nulli naturae, quae [6] ab illo bona esset, invidit, et ut in bono ipso maneret, alia quantum vellet, alia quantum posset, dedit; quae bonitas intelligitur Spiritus sanctus, qui est donum Patris et Filii. Quare ipsum donum Dei cum Patre et Filio aeque incommutabile colere et tenere nos convenit. Per considerationem itaque creaturarum unius substantiae Trinitatem intelligimus, scilicet unum Deum Patrem, a quo sumus, et Filium, per quem sumus, et Spiritum sanctum, in quo sumus, scilicet principium, ad quod recurrimus, et formam quam sequimur, et gratiam qua reconciliamur: unum scilicet, quo auctore conditi sumus, et similitudinem eius, per quam ad unitatem reformamur, et pacem, qua Unitati adhaeremus: scilicet Deum, qui dixit [7]: *fiat;* et Verbum, per quod factum est omne, quod substantialiter et naturaliter est; et Donum benignitatis eius, qua placuit quod ab eo per Verbum factum est et reconciliatum est auctori, ut non interiret ». Ecce ostensum est, qualiter in creaturis aliquatenus imago Trinitatis indicatur; non enim per creaturarum contemplationem sufficiens notitia Trinitatis potest haberi vel potuit sine doctrinae vel interioris inspirationis revelatione. Unde illi antiqui philosophi quasi per umbram et de longinquo viderunt veritatem, deficientes in contuitu Trinitatis, ut magi Pharaonis in tertio signo [8]. Adiuvamur tamen in fide invisibilium per ea, quae facta sunt.

Conclusio.

Pars II.

Cap. II.

De imagine et similitudine Trinitatis in anima humana.

Nunc vero « ad eam iam perveniamus disputationem, ubi in mente humana, quae novit Deum vel potest nosse, Trinitatis imaginem reperiamus ». Ut enim ait Augustinus in decimo quarto libro de Trinitate [9]: « Licet humana mens non sit eius naturae, cuius Deus est, imago tamen illius, quo nihil melius est, ibi quaerenda et invenienda est, quo natura nostra nihil habet melius, id est in mente. In ipsa enim [10] mente, etiam antequam sit particeps Dei, eius imago reperitur; etsi enim, amissa Dei participatione, deformis sit, imago tamen Dei permanet. Eo enim ipso imago Dei est mens, quo capax eius est eiusque particeps esse potest. Iam ergo in ea Trinitatem, quae Deus est, inquiramus. Ecce ergo [11] mens meminit sui, intelligit se, diligit se; hoc si cernimus, cernimus trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. Hic enim quaedam apparet trinitas memoriae, intelligentiae et amoris ». Haec ergo tria potissimum tractemus, memoriam, intelligentiam, voluntatem ». « Haec igitur tria, ut Augustinus ait

In mente imago Dei.

Memoriae, intelligentiae, voluntatis trinitas.

---

[1] Cod. A omittit *exiguum;* Codd. B C D E et ed. 1, omisso *vestigium* et transpositis verbis, satis bene legunt *Trinitatis indicium vel exiguum,* accepto *vel* pro *saltem* vel pro *etiam.*

[2] Cap. 10. n. 12, sed transposito ordine propositionum. — In initio huius textus Vat. et ed. 4 male legunt *intellecta* pro *intellectu;* ed. Augustini *intellectum.*

[3] Omnes codd. et edd. praeter Vat. omittunt *omnia,* quod tamen et ed. Augustini et ipse S. Bonav. infra dub. 3 habent. — Paulo post codd. C E cum textu Augustini *quidquid horum* pro *quodque horum.* Deinde Vat. et edd. 4, 5, 6, 7 cum textu Augustini ante *animarum* adiiciunt *ingenia,* quod deest in codd. omnibus et aliis edd.

[4] Ex cap. 55. n. 113. passim collecta. — In prima propositione huius textus post *omnia* solus cod. C addit particulam *et.*

[5] Vat. et aliae edd. contra ed. 6 et omnes codd. *quem* pro *quam* et mox contra eosdem codd. et edd. 1, 4, 5, 6, 7, 8 *qui forma* pro *quae forma.* Lectio nostra confirmatur textu Augustini, qui habet: Quare ipsam quoque veritatem nulla ex parte dissimilem, in ipso et cum ipso veneramur, quae forma est omnium, quae ab uno facta sunt. — Paulo post cod. C *ab ipso* et edd. 5, 6 *ab initio* loco *ab uno.* Deinde cod. D *quae omnino non fierent* pro *quae tamen omnia nec fierent.*

[6] Codd. A B C E satis bene *quod,* sed refragantibus edd. et textu Augustini. Immediate post codd. A B et edd. 9, 10 *bono* pro *bona.*

[7] Gen. 1, 3. — Vat. cum edd. 4, 6, 7, 8 et codd. D E post *fiat* male addit *lux,* refragantibus ceteris edd. et codd. nec non textu Augustini.

[8] Exod. 8, 18.

[9] Cap. 8. n. 11, unde etiam accepta sunt, quae praecedunt, ab illis verbis: *Nunc vero,* sed de more non paucis omissis vel additis.

[10] Vat. et aliae edd., exceptis 1, 8, minus bene: *In ipsa etiam mente antequam.*

[11] Vat. contra codd. et ed. 1, 6 legit *enim;* et paulo post edd. 2, 3, 7 ante *si cernimus* habent *haec* pro *hoc.*

in libro decimo de Trinitate [1], non sunt tres vitae, sed una vita, nec tres mentes, sed una mens, una essentia. Memoria vero dicitur ad aliquid, et intelligentia et voluntas sive dilectio similiter ad aliquid dicitur; vita vero dicitur ad se ipsam et mens et essentia. Haec igitur tria eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia; et quidquid aliud ad se ipsa singula dicuntur, etiam simul, non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo vero tria sunt, quo ad se invicem referuntur ».

Aequalitas eorum. « Aequalia etiam sunt non solum singula singulis, sed etiam singula omnibus; alioquin non se invicem caperent; se autem invicem capiunt. Capiuntur [2] enim et a singulis singula et a singulis omnia. Memini enim, me habere memoriam et intelligentiam et voluntatem; et intelligo, me intelligere et velle atque meminisse; et volo, me velle et meminisse et intelligere ».

Applicatur ad memoriam. « Totamque meam memoriam et intelligentiam et voluntatem simul memini. Quod enim memoriae meae non memini, illud non est in memoria mea; nihil autem tam in memoria est, quam ipsa memoria: totam ergo [3] memini. Item, quidquid intelligo, intelligere me scio, et scio, me velle quidquid volo; quidquid autem scio memini. Totam ergo intelligentiam totamque voluntatem meam memini ».

Item ad intellectum. « Similiter, cum haec tria intelligo, tota simul intelligo. Neque enim quidquam intelligibilium est, quod non intelligam, nisi quod ignoro. Quod autem ignoro, nec memini nec volo. Quidquid igitur [4] intelligibilium non intelligo, consequenter etiam nec memini nec volo. Quidquid ergo intelligibilium memini et volo, consequenter intelligo ».

Item ad voluntatem. « Voluntas etiam mea totam intelligentiam totamque memoriam meam capit, dum utor toto eo quod intelligo et memini. Cum itaque invicem a singulis et omnia et tota capiantur, aequalia sunt tota singula totis singulis et tota singula simul omnibus totis; et haec tria unum, una vita, una mens, una essentia ». « Ecce illius summae Unitatis atque Trinitatis, ubi una est essentia et tres personae, imago est humana mens, licet impar [5] ». Mens autem hic pro animo ipso accipitur, ubi est illa imago Trinitatis; « proprie vero mens dicitur, ut ait Augustinus [6], non ipsa anima, sed quod in ea est excellentius », qualiter saepe accipitur. Illud etiam sciendum est, quod memoria non solum est absentium et praeteritorum, sed etiam praesentium, ut ait Augustinus in decimo quarto libro de Trinitate [7], alioquin non se caperet.

Hic attendendum est diligenter, ex quo sensu accipiendum sit quod supra dixit, illa tria, scilicet memoriam, intelligentiam et voluntatem esse unum, unam mentem, unam essentiam. Quod utique non videtur esse verum iuxta proprietatem sermonis. Mens enim, id est spiritus rationalis, essentia est spiritualis et incorporea. Illa vero tria naturales proprietates seu vires sunt ipsius mentis et a se invicem differunt, quia memoria non est intelligentia vel voluntas, nec intelligentia voluntas sive amor. Quaestio, quomodo sint unum.

Ad se ipsa referuntur. « Et haec tria etiam ad se ipsa referuntur », ut ait Augustinus in nono libro de Trinitate [8]: « Mens enim amare se ipsam vel meminisse non potest, nisi etiam noverit se: nam quomodo amat vel meminit quod nescit »? Miro itaque modo tria ista inseparabilia sunt a semetipsis; et tamen eorum singulum et simul omnia una essentia est, cum et relative dicantur ad invicem.

Solvitur illa quaestio. Sed iam videndum est, quo modo haec tria dicantur una substantia; ideo scilicet, quia in ipsa anima vel mente substantialiter existunt, non sicut accidentia in subiectis, quae possunt adesse et abesse. Unde Augustinus in libro nono de Trinitate [9] ait: « Admonemur, si utcumque videre possumus, haec in animo existere substantialiter, non tanquam in subiecto, ut color in corpore, quia etsi relative dicuntur [10] ad invicem, singula tamen substantialiter sunt in sua substantia ». Ecce ex quo sensu illa tria dicantur esse unum vel una substantia. « Quae tria, ut Augustinus ait in decimo quinto libro de Trinitate [11], in mente naturaliter divinitus instituta quisquis vivaciter perspicit, et quam magnum sit in ea, unde potest etiam sempiterna immutabilisque natura recoli, conspici, concupisci (reminiscitur enim per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem), profecto reperit illius summae Trinitatis imaginem ».

Cap. III.

De similitudine creantis et creatae trinitatis.

Dissimilitudo 1. « Verumtamen caveat, ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam ita ei comparet, ut omnino existimet similem, sed potius in qualicumque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat [12] ».

« Quod breviter ostendi potest. Homo unus per illa tria meminit, intelligit, diligit, qui nec memoria est nec intelligentia nec dilectio, sed haec habet. Unus ergo homo est, qui habet haec tria, non ipse est haec tria. In illius vero summa simplicitate naturae, quae Deus est, quamvis unus sit Deus, tres tamen personae

[1] Cap. 11. n. 17. 18. Ex eodem capite sumta sunt omnia, quae sequuntur usque ad: *Ecce illius summae Unitatis.*

[2] Vat. et ed. 9 corrupte *Capiunt.* Immediate post codd. D E *etiam* pro *enim,* sed contra textum Augustini et alios codd. et omnes edd.

[3] Codd. et textus Augustini *igitur.* Paulo post contra contextum et originale plures codd. et edd. habent *memini, scio* pro *scio, memini.*

[4] Edd. *ergo;* Augustinus *itaque.*

[5] Libr. X. de Trin. c. 12. n. 19: « Cuius impar imago est humana mens, sed tamen imago »; sed prima pars propositionis est ex libr. XV. de Trin. c. 7. n. 11. — Antea Vat. omittit *est* post *ubi una.* Paulo post cod. D *anima ipsa* pro *animo ipso.*

[6] Libr. XV. de Trin. c. 7. n. 11. secundum sensum.

[7] Cap. 11. n. 14, ubi longiore discursu hanc sententiam a S. Bonaventura receptam probat (cfr. hic. p. II. a. 1. q. 1. ad 3.).

[8] Cap. 3. n. 3, sed de suo addidit Magister quae ad memoriam referuntur, nempe *vel meminisses* et *vel meminerit.* Verba praecedentia *Et haec tria,* iam supra citata, occurrunt libr. X. de Trin. c. 11, ubi edd. 1, 6, 8 habent *ad se invicem* pro *ad se ipsa.*

[9] Cap. 4. n. 5. Sed multo fusius Augustinus. Paulo ante pro *et abesse* Vat. cum edd. 2, 3, 4, 5, 7 legit *vel abesse.*

[10] Cod. B et ed. 2 *dicantur.*

[11] Cap. 20. n. 39, ubi post *reminiscitur* deest *enim,* quod et a mss. B C D abest; ceterum, etiam omisso *enim,* verba *reminiscitur per memoriam* etc. parenthesis esse videntur.

[12] Ibid., sed cum nonnullis adiunctis.

sunt, Pater et Filius et Spiritus sanctus »[1], et hae tres[2] unus Deus. « Aliud est itaque Trinitatis res ipsa, aliud imago Trinitatis in re alia; propter quam imaginem etiam illud in quo sunt haec tria, imago dicitur, scilicet homo. Sicut imago dicitur et tabula et pictura, quae est in ea; sed tabula nomine imaginis appellatur propter picturam, quae in ea est[3] ».

« Rursus ista imago, quae est homo habens illa

Dissimilitudo 2.

tria, una persona est. Illa vero Trinitas non una persona est, sed tres personae, Pater Filii et Filius Patris et Spiritus Patris et Filii. Itaque in ista imagine Trinitatis non haec tria unus homo, sed unius hominis sunt. In illa vero summa Trinitate, cuius haec imago est, non unius Dei sunt illa tria, sed unus Deus; et tres sunt illae, non una persona[4] ». « Illa enim tria non homo sunt, sed hominis sunt vel in homine sunt. Sed nunquid possumus dicere, Trinitatem sic esse in Deo, ut aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus[5] »? Absit ut hoc credamus. Dicamus ergo, in mente nostra imaginem Trinitatis[6], sed exiguam et qualemcumque esse, quae summae trinitatis ita gerit similitudinem, ut ex maxima parte sit dissimilis. Sciendum vero est, quod « haec Trinitas mentis, ut ait Augustinus in decimo quarto libro de Trinitate[7], non propterea tantum imago Dei est, quia sui meminit mens et intelligit ac diligit se, sed quia potest etiam meminisse et intelligere et amare illum, a quo facta est ».

Potest etiam alio modo aliisque nominibus distin-

Alia assignatio imaginis in anima.

gui trinitas in anima, quae est imago illius summae et ineffabilis Trinitatis. Ut enim ait Augustinus in nono libro de Trinitate[8]: « Mens et notitia eius et amor tria quaedam sunt. Mens enim novit se et amat se; nec amare se potest, nisi etiam noverit se. Duo quaedam sunt mens et notitia eius; item duo quaedam sunt mens et amor eius ». « Cum ergo se novit mens et amat se, manet trinitas, scilicet mens, amor et notitia ». « Mens autem hic accipitur non pro anima, sed pro eo quod in anima excellentius est ». Haec autem tria, cum sint distincta a se invicem, dicuntur tamen esse unum, quia in anima[9] substantialiter existunt.

Mens correspondet Patri, notitia Filio, amor Spiritui S.

Et est ipsa mens quasi parens, et notitia eius quasi proles eius. « Mens enim cum se cognoscit, notitiam sui gignit et est sola parens suae notitiae. Tertius est amor, qui de ipsa mente et notitia procedit, dum mens cognoscens se diligit se; non enim posset se diligere, nisi cognosceret se. Amat etiam placitam prolem, id est notitiam suam; et ita amor quidam complexus est parentis et prolis[10] ».

Eorum aequalitas.

« Nec minor est proles parente, dum tantam se novit mens, quanta est; nec minor est amor parente et prole, id est mente et notitia, dum tantum se diligit mens, quantum se novit et quanta est[11] ».

Item circumincessio.

« Sunt etiam haec singula in se ipsis, quia et mens amans in amore est, et amor in amantis notitia, et notitia in mente noscente est[12] ». Ecce in his tribus qualecumque Trinitatis vestigium apparet.

Mens in his contemplatur Deum.

Mens itaque rationalis considerans haec tria et illam unam essentiam, in qua ista sunt, extendit se ad contemplationem Creatoris et videt unitatem in trinitate et trinitatem in unitate. Intelligit enim, unum esse Deum, unam essentiam, unum principium. Intelligit enim, quia si duo essent, vel uterque insufficiens esset, vel alter superflueret; quia si aliquid deesset uni, quod haberet alter, non esset ibi summa perfectio; si vero nihil uni deesset, quod haberet alter, cum in uno essent omnia, alter superflueret. Intellexit ergo, unum esse Deum, unum[13] omnium auctorem, et vidit, quia absque sapientia non sit, quasi res fatua; et ideo intellexit, eum habere sapientiam, quae ab ipso genita est; et quia sapientiam suam diligit, intellexit etiam, ibi esse amorem.

---

[1] Loc. cit. c. 22. n. 42., secundum sensum. — Pro *per illa tria* Vat. cum nonnullis edd. *per ista tria*, et infra edd. 1, 8 post *non* addunt *tamen*. Denique Vat. et plurimae edd. ante *simplicitate* legunt *summa* pro *summae*.

[2] Vat. cum multis edd. explicando addit *personae sunt*.

[3] Ibid. n. 43.

[4] Loc. cit. — Edd. omnes, dempta 1, in fine textus post *sunt illae* adiiciunt *personae* contra codd. et originale. Paulo ante modernae editiones Augustini, omisso *non*, legunt *est, unius Dei sunt*; sed haec lectio importat locutionem falsam nec correspondet contextui et tollit antithesim. Nam tria illa, scil. memoria, intellectus, voluntas, per appropriationem sumta pro tribus personis, *stricte* dici non possunt esse *unius Dei*, sed sunt *Deus* et *unus Deus*, quia inter personas et essentiam non datur realis distinctio. Recte itaque Augustinus negat paritatem inter imaginem creatam et increatam. Nam unius hominis *sunt* illa tria, cum potentiae hominis non *sint* homo, sed *habeantur* ab homine. Tres vero personae stricto sensu *sunt* unus Deus. Ita ipse Augustinus in sequenti textu. — Vide infra dub. 10, ubi Seraphicus Doctor negantem particulam non solum cum Magistro admittit, sed defectu ipsius propositionem fieri simpliciter falsam ostendit.

[5] Loc. cit. c. 7. n. 11, sed multo diffusius.

[6] Codd. B C D E et A (prima manu) et ed. 1 *imaginis trinitatem*, quae lectio nec in se commendatur nec cum verbis *sed exiguam et qualemcumque* bene cohaeret. Vat. sola immediate adiungit *ita*. — Haec conclusio Magistri quoad sensum invenitur in Augustino, loc. cit. c. 22. n. 43.

[7] Cap. 12. n. 15. — Cod A B D E et ed. 1 omittunt *est* post *Sciendum vero*. Mox in ipso textu Augustini codd., excepto D, et plurimae edd. incongrue legunt *meminerit* pro *meminit*.

[8] Cap. 4. n. 4: « Sicut autem quaedam sunt mens et amor eius, cum se amat; ita quaedam duo sunt mens et notitia eius, cum se novit. Igitur ipsa mens et amor et notitia eius tria quaedam sunt, et haec tria unum sunt, et cum perfecta sunt, aequalia sunt ». Quae sequuntur sumta sunt ex c. 5. n. 8; de ultimo textu vide supra nota 6. p. 64.

[9] Codd. et edd. 1, 3, 5, 6, 7, 9 *animo*.

[10] August., IX. de Trin. c. 12. n. 18, ubi autem multa adiecta et mutata leguntur. In quo textu cod. C verbo *procedit* praemittit *eius*. Mox Vat. cum paucis aliis edd. pro *cognoscens se diligit* habet *cognoscit se et diligit*. Paucis interiectis, codd. A D E pro *Amat etiam* legunt *Amat enim*, sed contra contextum, cum duplex distinguatur amor mentis, scil. erga se et suam prolem.

[11] Loc. cit.

[12] August., libr. cit. c. 5. n. 9.

[13] Abest in Vat. et paucis aliis edd. *unum*. Et paulo infra post *absque sapientia* Vat. contra auctoritatem codd. et edd., omissa particula *non* et inde variato sensu, *absque sapientia sit quasi res fatua*. In nostra et vera lectione supple *esset* post *fatua*. In fine capituli codd. A B D *ibi etiam* pro *etiam ibi*, quae lectio confirmat sensum nostra interpunctione insinuatum.

Cap. IV.

De Trinitatis unitate.

« Quapropter iuxta istam considerationem, ut ait Augustinus in libro nono de Trinitate [1], credamus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum, universae creaturae conditorem et rectorem; nec Patrem esse Filium, nec Spiritum sanctum vel Patrem esse vel Filium, sed Trinitatem relatarum ad invicem personarum ». Ut enim ait ipse in libro de Fide ad Petrum [2]: « Una est natura sive essentia Patris et Filii et Spiritus sancti, non una persona. Si enim sic esset una persona, sicut est una substantia Patris et Filii et Spiritus sancti, veraciter trinitas non diceretur. Rursus quidem trinitas esset vera, sed unus Deus Trinitas ipsa non esset, si quemadmodum Pater et Filius et Spiritus sanctus personarum sunt ab invicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diversitate discreti ». « Fides autem Patriarcharum, Prophetarum atque Apostolorum unum Deum praedicat esse Trinitatem [3] ». « In illa igitur sancta Trinitate unus est Deus Pater, qui solus essentialiter de se ipso Filium unum genuit; et unus Filius est, qui de uno Patre solus essentialiter natus; et unus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter a Patre Filioque procedit. Hoc autem totum non potest una persona, id est, gignere se et nasci de se et procedere de se ». Ut enim ait Augustinus in primo libro de Trinitate [4]. « Nulla res est, quae se ipsam gignat, ut sit ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM III.

Pars. I.

De cognitione Dei per similitudines longinquas.

Apostolus namque ait, quod invisibilia Dei etc.

DIVISIO TEXTUS.

Superius egit Magister de sancta *Trinitate* et *Unitate* [1], in quantum creditur. In hac secunda parte agit de ipsa, in quantum intelligitur. Et haec pars dividitur in tres partes, in quarum prima ad intelligendum Trinitatem adducit congruas similitudines et rationes. In secunda solvit emergentes dubitationes, infra distinctione quarta in principio: *Hic oritur quaestio satis necessaria. Constat* etc. In tertia, illis dubitationibus solutis, determinat Trinitatis et Unitatis proprietates et conditiones, infra distinctione octava: *Nunc de veritate sive proprietate* [2] etc.

Item prima pars habet duas. In *prima* adducit similitudines longinquas; in *secunda* similitudines propinquas sive expressas, quae attenduntur in imagine, ibi: *Nunc vero iam ad eam perveniamus disputationem.*

Item *prima* pars habet duas partes. In prima ostendit Unitatem, in secunda Trinitatem, ibi: *Nunc restat ostendere, utrum per ea quae facta sunt* etc. Prima pars habet quatuor particulas. In prima probat auctoritate Apostoli ad Romanos primo [3], quod Deus est cognoscibilis per creaturam. In secunda vero adducit varios modos cognoscendi et rationes, ibi: *Nam sicut ait Ambrosius.* In tertia dicit, illos modos in auctoritate Apostoli implicari, ibi: *Ecce tot modis.* In quarta tangit, quid per praedictas rationes possit probari, scilicet essentiae unitas, non trinitas, ibi: *Haec autem omnia ad unitatem* etc.

Nunc [4] *restat ostendere, utrum* etc. Supra ostendit Magister per rationes divinae essentiae unitatem sive entitatem. In hac secunda parte ostendit Trinitatem similitudine longinqua, quae attenditur in vestigio, et habet hoc capitulum quatuor particulas. In prima ostendit Magister rationem vestigii in creatura. In secunda ostendit, quid respondeat vestigio in Creatore, quoniam trinitas appropriatorum, scilicet originis, pulcritudinis et delectationis, ut singula reddantur singulis, ibi: *In illa enim Trinitate summa.*

---

1 Cap. 1. n. 1.

2 Cap. 1. n. 4. — Auctor huius libri, S Fulgentius, multo fusius de his tractat, in quo textu codd. CDE addendo *non* et mutando *sed* in *si* sic legunt: *Rursus quidem Trinitas non esset vera, si unus Deus Trinitas non esset: si quemadmodum... Pater et Filius et Spiritus sanctus personarum sunt ab invicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diversitate discreti.* Sed haec lectio duplicem suppositionem et argumentationem confundit. In fine textus Vat. *fuissent quoque naturae* pro *fuissent naturarum quoque.*

3 Loc. cit.; auctoritas sequens ibid. n. 6.

4 Cap. 1. n. 1.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

1 Absque ulla auctoritate mss. et ed. 1 omittit Vat. *et Unitate.*

2 Cod. O hic addit: *Item prima pars habet duas partes, in quarum prima ostendit Magister, quod Deus est trinus et unus; in secunda, quia rationes et similitudines, quas adducit non sunt sufficientes ad plene intelligendum Trinitatem et Unitatem in divinis, concludit, hoc esse in dubio, in fine istius distinctionis: Quapropter iuxta istam considerationem.*

3 Vers. 20.

4 Vat. praeter fidem mss. et ed. 1, omissis verbis *Nunc restat* usque ad *entitatem* et mutata constructione, prosequitur: *Similiter secunda pars, in qua ostendit Trinitatem per similitudinem longinquam, quae attenditur in vestigio, habet quatuor particulas.*

In tertia docet contemplari in Deo trinitatem per considerationem vestigii in creatura, ibi: *Per considerationem itaque creaturarum* etc., ubi ostendit trinitatem appropriatorum in Deo et quantum ad actum conditionis, et quantum ad actum reformationis. In quarta autem particula ostendit, quod consideratio Trinitatis per vestigium non est sufficiens, sed longinqua, ibi: *Ecce ostensum est, qualiter in creaturis.*

Nunc vero ad eam iam perveniamus disputationem. Haec [1] est secunda pars istius distinctionis, in qua Magister probat Trinitatem et Unitatem per similitudinem *propinquam* et expressam, cuiusmodi est *imago*. Et dividitur haec pars in duas: in prima ostendit trinitatem et unitatem in Creatore per trinitatem et unitatem consideratam in potentiis animae; in secunda vero in habitibus, ibi: *Potest etiam alio modo aliisque nominibus.*

Prima iterum pars habet quatuor [2] particulas. In quarum prima ostendit, ubi quaerenda sit imago in anima, quoniam in parte superiori et in [3] tribus potentiis eius, scilicet memoria, intelligentia et voluntate. In secunda vero tangit imaginis conditiones, quae sunt trinitas, unitas et aequalitas, ibi: *Haec ergo tria, ut ait Augustinus.* In tertia vero movet et solvit dubitationem, quae oritur ex praedictis: utrum scilicet anima sit suae potentiae, ibi: *Hic attendendum est diligenter.* In quarta autem docet cavere errorem, qui posset causari vel [4] oriri ex ostensione trinitatis creatae, quod omnimoda similitudo esset ad increatam; ubi ostendit, quod maxima est dissimilitudo imaginis ad Deum, ibi: *Verumtamen caveat.*

Potest etiam alio modo aliisque etc. Haec est *secunda* pars partis secundae huius distinctionis [5], in qua intendit investigare Magister imaginem in habitibus animae secundum quod possibile est, et dividitur haec pars in quatuor particulas. *Primo* enim illa tangit, in quibus imago Trinitatis attenditur, quae sunt mens, notitia et amor. *Secundo,* illis praetactis, ostendit, quod in his attenditur imago propter consubstantialitatem, ordinem et aequalitatem, ibi: *Haec autem tria cum sint* etc. *Tertio* ostendit, quomodo mens rationalis in contemplatione trinitatis creatae proficit ad videndam et cognoscendam Trinitatem increatam in Unitate, ibi: *Mens itaque rationalis considerans haec tria. Quarto* vero breviter recolligit quae supra sunt demonstrata, ibi: *Quapropter iuxta istam considerationem.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae in hac parte prima praesentis distinctionis tanguntur, quatuor quaeruntur.

Primum est, utrum Deus sit cognoscibilis a creatura.

Secundum est, utrum sit cognoscibilis per creaturam.

Tertium est, utrum modus cognoscendi per creaturam conveniat homini quantum ad omnem statum, scilicet statum innocentiae, statum naturae lapsae et statum naturae glorificatae.

Quartum est, quid sit de Deo cognoscibile per creaturam.

ARTICULUS UNICUS.

De cognoscibilitate Dei.

QUÆSTIO I.

Utrum Deus sit cognoscibilis a creatura.

Circa primum, quod non sit Deus cognoscibilis a creatura, ostenditur

1. Per *auctoritatem* Dionysii de Divinis Nominibus [6]:
Ad oppositum. « Deum neque dicere neque intelligere possibile est. ».

2. Item ostenditur *ratione* per quadruplicem suppositionem, quam necesse est esse in cognitione, scilicet *proportionem, unionem* sive receptionem, *iudicium* et [7] *informationem.* Intellectus enim non intelligit nisi quod est sibi proportionabile, et quod sibi aliquo modo unitur, et de quo iudicat, et a quo acies intelligentiae informatur.

Ex *prima* suppositione arguitur sic: necesse est, esse proportionem cognoscentis ad cognoscibile [8]; sed Dei ad intellectum non est proportio, quia Deus

---

[1] Vat., seiungendo duas praesentis distinctionis partes, sequentem expositionem litterae infra in principio secundae partis huius distinctionis affert, sed contra mss. Immediate post Vat. praeter fidem codd. et ed. 1 *huius* loco *istius*.

[2] Cod. O *habet sex particulas* et singulas enumerando, ubi de tertia agit, legit: *In tertia ad evidentiam dictorum docet, quomodo in dicta assignatione imaginis accipiatur mens et memoria, ibi: Mens autem hic pro animo*, deinde sub quarta et quinta exhibet tertiam et quartam in textu positam, ac demum addit: *In sexta particula docet, respectu cuius obiecti attenditur imago in dictis potentiis, ibi: Sciendum vero, quod haec trinitas mentis.*

[3] Vat. contra unanimem consensum mss. et ed. 1 omittit *in* et *eius*.

[4] Vat., refragantibus mss. et ed. 1, minus bene *et* pro *vel*.

[5] Vat., omissis verbis Magistri variataque constructione, sic: *Similiter secunda pars, in qua... possibile est, dividitur in quatuor;* sed contra mss. et ed. 1.

[6] Cap. 1. circa medium: Quem neque intelligere possibile est neque dicere (ed. Migne iuxta transl. Scoti Erigenae).

[7] Omittitur contra codd. et ed. 1 in Vat. *et*.

[8] Aristot., VI. Ethic. c. 1: Si quidem ex similitudine quadam et affinitate cognitio existit ipsis (scil. potentiis animae). — Paulo infra post *intellectum* subaudi *creaturae* sive *humanum*. Mox

est infinitus, et intellectus finitus: ergo etc. *Praeterea*, si est aliqua proportio, videtur quod non sit sufficiens, quia plus distat verum increatum ab intellectu humano, quam quodlibet creatum intelligibile a sensu [1]. Sed sensus, qui est perceptivus sensibilis, nunquam elevatur ad cognitionem intelligibilis creati: ergo nec intellectus unquam elevabitur ad cognitionem intelligibilis increati.

3. Item, ex *secunda* suppositione sic: necesse est, esse unionem cognoscibilis ad cognoscentem, ita quod unum sit in altero [2]; sed cognoscens non est in cognoscibili, sed e converso; sed impossibile est, infinitum capi ab ipso finito: ergo impossibile est esse in illo: ergo Deum esse in intellectu est impossibile, cum sit infinitus.

4. Item, ex *tertia* suppositione sic: ad cognitionem necesse est, esse in cognoscente iudicium de cognito; sed omne iudicans habet posse super iudicatum [3]; finitum autem non habet posse super infinitum: ergo de illo non iudicat; sed ad cognitionem requirebatur iudicium: ergo intellectus finitus non cognoscit Deum infinitum, super quem non habet posse.

5. Item, ex *quarta* sic: necesse est, intellectum cognoscentem informari a cognito [4]; sed omne quod alterum informat, aut informat per *essentiam*, aut per *similitudinem*; sed Deus non informat per essentiam, quia nulli unitur ut forma, nec per similitudinem abstractam, quia similitudo abstracta est spiritualior eo a quo abstrahitur; Deo autem nihil est spiritualius nec potest esse: ergo etc.

Contra: 1. Anima rationalis est ad imaginem Dei. **Fundamenta.** Sed sicut dicit Augustinus in libro de Trinitate, et est in littera praesentis distinctionis [5]: « Eo mens est imago Dei, quo capax Dei est et particeps esse potest ». Capere autem non est secundum substantiam vel essentiam, quia sic est in omnibus creaturis: ergo per cognitionem et amorem: ergo Deus potest cognosci a creatura.

2. Item, *ratione* ostenditur sic: omnis cognitio spiritualis fit ratione lucis, et ratione lucis increatae, ut dicit Augustinus in Soliloquiis [6]; sed lux est maxime cognoscibilis, et Deus est summa lux: ergo maxime est cognoscibilis ipsi animae: ergo etc.

3. Item, cum sit [7] cognitio aliquorum per praesentiam, aliquorum per similitudinem, illa cognoscuntur verius, quae cognoscuntur per praesentiam, ut dicit Augustinus [8]; sed Deus est unitus ipsi animae per praesentiam: ergo Deus verius cognoscitur quam alia, quae cognoscuntur per similitudinem.

4. Item, sicut se habet summa bonitas ad dilectionem, sic summa veritas ad cognitionem; sed summa bonitas est summe amabilis ab affectu: ergo [9] summa veritas est summe cognoscibilis ab intellectu.

5. Item, unumquodque efficacius potest in id ad quod naturaliter ordinatur [10]; sed intellectus noster naturaliter ordinatur ad cognitionem summae lucis: ergo illa maxime cognoscibilis est.

---

codd. et edd. inter se dissident; multi codd. ut AFGKMSTWXZ bb ee post *infinitus* omittunt minus bene *et intellectus finitus;* plures ut HY ff cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 ponunt *sed* pro *et,* cod. R *vero;* tandem cod. ee post *intellectus* addit *noster;* nihil duximus immutandum. — Aristot., I. de Caelo, text. 52. (c. 6.): Ratio autem nulla est infiniti ad finitum.

[1] Ex mss. IXZ pro *sensibili,* quod Vat. cum plurimis mss. habet, substituimus *sensu,* quod contextui magis correspondet formamque argumenti completiorem reddit ac confirmatur ex Richardo a Med., hic a. 1. q. 1. et Petro a Tar., hic q. 1, qui idem argumentum eodem modo proponunt. Paulo ante cod. K *creato* pro *humano.* — De propositione minore huius argumenti cfr. Boeth., V. de Consol. Prosa 4.

[2] Colligitur ex eo, quod cognitio sit *actio immanens,* de qua vide Aristot., IX. Metaph. text. 16. (VIII. 8.); et supponitur ab Aristot., III. de Anima, text. 6. et 37-39. (c. 4. et 8.), ubi dicit, animam esse *locum formarum,* ipsam cognoscendo *quodammodo esse omnia,* in ipsa non esse *ipsas res, sed formas earum* intellectumque esse *formam formarum.*

[3] August., de Vera Relig. c. 29. n. 53: Iudicare de corporibus non sentientis tantum vitae, sed etiam ratiocinantis est... Iam vero illud videre facillimum est, praestantiorem esse iudicantem, quam illa res est, de qua iudicatur. — Cod. X hic addit *sicut dicit Augustinus.*

[4] Textus Aristot. de hac re vide supra in arg. ex secunda suppositione. — De duplici modo informationis, scil. *per essentiam* et *per similitudinem* cfr. infra fundam. 3. — Mox post *Deus non informat* supple cum cod. R *intellectum.*

[5] Cap. 2. circa initium. In ipso textu Augustini mss. cum ed. 1 habent *et* pro *eiusque,* quod habet Vat. cum originali. — Paulo infra post *autem* cod. O addit *hic.*

[6] Sensus, non verba Augustini allegantur ex I. Soliloq. c. 8, ubi sic habetur: Credendum est, ea (intelligibilia disciplinarum spectamina) non posse intelligi, nisi ab alio quasi suo sole illustrentur (qui sol, ut ex ibi sequentibus patet, ipse *secretissimus Deus est*). — Vat. hoc argumentum mutilate exhibet, omittendo scilicet in propositione maiore *et ratione lucis,* et in minore *et Deus est summa lux, ergo maxime est cognoscibilis.*

[7] Substituimus ope mss. et edd. 1, 2, 3 *sit* pro *fiat.*

[8] Forte respiciuntur illa quae X. de Trin. c. 8-11. habentur, ubi ostenditur, animam eo ipso, quod sibi sit praesens, certiorem cognitionem habere de se quam de rebus exterioribus, quas per imagines sive similitudines percipit; vel etiam haec VIII. de Trin. c. 8. n. 12: Ecce iam potest notiorem Deum habere, quam fratrem; plane notiorem, quia praesentiorem, notiorem, quia interiorem, notiorem, quia certiorem. Quae verba S. Bonaventura infra d. 17. p. I. dub. 2. tali explicat modo, qui sensum huius argumenti illustrat. Cfr. etiam libr. de Magistro, c. 12. n. 39. 40. et de Videndo Deo, c. 16. n. 38, ubi et duplex cognoscendi modus, scilicet per praesentiam et per similitudinem proponitur. — Plures antiquiorum mss. ut CIMSTVY etc. post *cognoscuntur,* licet non falso, tamen propter argumenti formam minus bene *per essentiam* loco *per praesentiam;* melius codd. LO *per essentiam vel praesentiam.* Paulo post cod. Y *illa* pro *alia.*

[9] Ed. 1 satis bene addit particulam *et.*

[10] Cfr. Boeth., III. de Consol. Prosa 11. — Cod. C hanc propositionem ita exhibet; *unumquodque est efficacius, quando potest in id.* In fine argumenti cod. X addit *ipsi animae;* melius placeret *intellectui nostro.*

CONCLUSIO.

Deus, in se summe cognoscibilis, etiam nobis esset summe cognoscibilis, si non esset defectus ex parte intellectus nostri.

Respondeo: Dicendum, quod Deus in se tanquam summa lux est summe cognoscibilis; et tanquam lux summe intellectum nostrum complens [1], et quantum est de se, esset summe cognoscibilis etiam nobis, nisi esset aliquis defectus a parte virtutis cognoscentis; qui quidem non tollitur perfecte nisi per deiformitatem gloriae. Concedendae sunt igitur rationes [2], quod Deus sit cognoscibilis a creatura et etiam clarissime cognoscibilis, quantum est de se, nisi aliquid esset impediens vel deficiens ex parte intellectus, sicut post patebit [3].

Duplex conclusio.

1. Ad obiecta in contrarium dicendum, quod est cognitio per *comprehensionem* et per *apprehensionem*. Cognitio per apprehensionem consistit in manifestatione veritatis rei cognitae; cognitio vero comprehensionis consistit in inclusione totalitatis [4]. Ad *primam* cognitionem requiritur proportio convenientiae; et talis est in anima* respectu Dei, quia « quodam modo est anima omnia [5], per assimilationem ad omnia, quia nata est cognoscere omnia, et maxime est capax Dei per assimilationem, quia est imago et similitudo Dei. Quantum ad cognitionem *comprehensionis* requiritur proportio aequalitatis et aequiparantiae; et talis non est in anima respectu Dei, quia anima est finita, sed Deus est infinitus; et ideo hanc non habet; et de hac intelligit Dionysius, et de illa currit [6] obiectio, de alia vero non.

Solutio oppositorum. Cognitio apprehensionis. Cognitio comprehensionis.

2. Ad illud quod obiicitur de distantia intelligibilis et sensibilis; dicendum, quod [7] est distantia secundum rationem *entis*, et secundum rationem *cognoscibilis*. Primo modo est maior distantia; secundo modo non, quia utrumque est intelligibile, scilicet Deus et anima. Non sic est de intellectu et sensu; quia sensus est potentia determinata [8], sed intellectus non.

3. Ad illud, quod infinitum non capitur a finito; dicunt aliqui, quod capere infinitum est dupliciter, scilicet quantum ad *essentiam;* et sic capitur; et quantum ad *virtutem* [9]; et sic non capitur, sicut punctus a linea totus attingitur secundum substantiam, sed non totaliter secundum virtutem. Sed ista solutio non videtur solvere, quia in Deo idem est essentia quod virtus, et utraque est infinita.

Solutio quorundam.

Ideo dicendum, quod duplex est infinitum: unum, quod se habet per oppositionem ad simplex; et tale non capitur a finito, quale est infinitum molis; aliud est, quod habet infinitatem cum simplicitate, ut Deus; et tale infinitum, quia *simplex,* est ubique totum, quia *infinitum,* in nullo sic est, quin extra illud sit. Sic intelligendum est in cognitione Dei. Et ideo non sequitur, quodsi cognoscitur totus, quod comprehendatur, quia intellectus eius totalitatem non includit, sicut nec creatura [10] immensitatem.

Solutio auctoris.

4. Ad illud quod obiicitur: Iudicans habet posse etc.; dicendum, quod iudicare de aliquo est dupliciter: primo [11] modo *discernendo,* utrum sit vel non sit; et hoc modo convenit iudicium omni intellectui cognoscenti respectu omnis obiecti; alio modo *approbando* vel reprobando, utrum ita debeat esse; et sic non iudicat de veritate, sed secundum ipsam de aliis, sicut dicit Augustinus de Vera Religione [12], quod « iudex non iudicat de lege, sed secundum ipsam iudicat de aliis ». Et de hoc modo verum est quod dicit Augustinus, quod « nullus de illa veritate iudicat, nullus tamen sine illa iudicat ». Et de hoc secundo [13] modo verum est quod opponit, quod iudicans potest super iudicatum; de primo vero non est verum, quod possit super; potest tamen dirigi ut in obiectum adminiculo illius.

5. Ad illud quod ultimo obiicitur de informa-

---

[1] Hoc est, illuminando perficiens. — Immediate post Vat., reluctantibus mss. et sex primis edd., omittit *et*, sed minus bene; et paulo post substituit *deiformationem* pro *deiformitatem.*

[2] Supple cum codd. N V *quae probant.* Paulo infra Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *aliud* loco *aliquid*, sed minus apte.

[3] In duabus seqq. qq. et II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3.

[4] August., de Videndo Deo, c. 9. n. 21. ait: Aliud est enim videre, aliud est totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod praesens utcumque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt.

[5] Aristot., III. de Anima, text. 37. (c. 8.).

[6] Ex mss. et ed. 1 substituimus *currit* pro *certat.*

[7] Praeter fidem mss. et ed. 1 hic addit Vat. *duplex.*

[8] Hoc est, propter alligationem ad organum seu propter materialitatem est ad unum obiectorum genus percipiendum limitata. De hac sensus et intellectus differentia vide Aristot., III. de Anima, text. 3-6. (c. 4.).

[9] Vat. contra codd. et ed. 1 *virtuositatem.*

[10] Cod. R hic addit *eius.*

[11] Ed. 1 *uno.* Mox cod. O post *non sit* addit *et quod hoc sit.*

[12] Cap. 31. n. 58: Sicut in istis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutae atque firmatae, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. — Loco citato inveniuntur etiam verba, quae immediate post S. Doctor ex Augustino affert: Ut enim nos et omnes animae rationales secundum veritatem de inferioribus recte iudicamus, sic de nobis, quando ei cohaeremus, sola ipsa veritas iudicat... ita etiam quantum potest lex ipsa, etiam ipse (homo spiritualis et Deo coniunctus) fit, secundum quam iudicat omnia, et de qua iudicare nullus potest. — Plures codd. ut H W Y, omissa particula *de,* legunt *Et hoc modo.*

[13] Posuimus in textu *hoc secundo modo* et paulo post *de primo modo non est verum*, licet alii codd. ut D G H Y etc. pro *hoc secundo modo* habeant *de hoc primo modo,* alii ut F T bb *de primo modo,* alii ut A cum Vat. *de hoc modo* et paulo post omnes codd. legant *de secundo vero non est verum.* Ex contextu siquidem constat, lectiones codicum esse erroneas; quod confirmatur etiam ex Augustino loc. cit. circa finem, ubi iisdem fere verbis eadem proponit ac S. Bonaventura. Scriptores in errorem videntur esse inducti ex eo, quod isti duo numeri ponendi sint ordine inverso. — Codd. aa bb satis bene *posse habet* loco *potest.* Circa finem huius responsionis post *dirigi* supplevimus ex mss. et sex primis edd. *ut.*

tione; dicendum, quod Deus est praesens ipsi animae et omni intellectui per veritatem; ideo non est necesse, ab ipso abstrahi similitudinem, per quam cognoscatur; nihilominus tamen[1], dum cognoscitur ab intellectu, intellectus informatur quadam notitia, quae est velut similitudo quaedam non abstracta, sed impressa, inferior Deo, quia in natura inferiori est, superior tamen anima, quia facit ipsam meliorem. Et hoc dicit Augustinus nono de Trinitate, capitulo undecimo[2]: « Quemadmodum, cum per sensus corporum discimus corpora, fit eorum aliqua similitudo in animo nostro: ita cum Deum novimus, fit aliqua similitudo Dei; illa notitia tamen inferior est, quia in inferiore natura est ».

SCHOLION.

I. Verba S. Doctoris in 2 fund., quod ratione lucis increatae fit omnis spiritualis cognitio, et infra ad 5, quod Deus est praesens omni intellectui per veritatem, aliaque similia plurima, quae praesertim in Itinerario mentis in Deum et in Hexaëmeron leguntur, a Malebranche aliisque multis ita intellecta sunt, ut S. Bonaventuram cum ipsis docere putaverint, intellectum humanum videre res intelligibiles obscure quidem, sed immediate in Verbo sive in rationibus aeternis. Sed haec sententia, sicut non potest conciliari cum Decreto S. Congr. Inquisitionis (18. Sept. 1861), quo reprobatur propositio: « Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit, siquidem est ipsum lumen intellectuale »; ita etiam manifeste contradicit exploratae nostri Doctoris doctrinae. Ipse enim docet, nec hominem in statu innocentiae, nec ipsos Angelos naturalibus suis viribus *immediatam* aliquam Dei visionem sive cognitionem habere posse. Quoad Angelos cfr. II. S. d. 3. p. II. a. 2. q. 2, ubi inter alia dicit: « Divina lux propter sui eminentiam est inaccessibilis viribus omnis creaturae »; quoad homines in statu integritatis cfr. II. Sen . d. 23. a. 2. q. 3 , qui locus est omnino peremptorius. Reiectis enim variis opinionibus, diffuse ibi docetur, in solo statu *gloriae* videri Deum immediate et in sui substantia et sine obscuritate; « in statu vero innocentiae et naturae lapsae videtur Deus *mediante speculo*, sed differenter, quia in statu innocentiae videbatur Deus *per speculum clarum*; nulla enim erat in anima peccati nebula; in statu vero miseriae videtur per speculum obscuratum per peccatum primi hominis; et ideo nunc videtur *per speculum et in aenigmate* ». Reprobatur ibi etiam sententia eorum, qui saltem « *exilem* » quendam gradum immediate Deum videndi viris contemplativis pro hac vita a Deo concedi putarunt. Concludit his verbis valde notandis: « Unde si quae auctoritates illud dicere inveniantur, quod Deus in praesenti ab homine videtur et cernitur, non sunt intelligendae, quod videatur *in sua essentia, sed quod in aliquo effectu inferiori cognoscitur* » etc. — Idem docetur III. Sent. d. 14. a. 1. q. 3. et simul refutatur distinctio, quam quidam faciunt inter *claritatem* Dei eiusque *naturam*, quia « ipsa natura est claritas et claritas natura », et « non differt essentia luminis et actus lucendi ». Et q. 2. dicitur, quod Deus, si immediate cognoscitur, « iam non secundum partem, sed totus cognoscitur ». Cfr. etiam I. Sent. d. 17. p. 1. dub. 2. aliique loci passim. Plura vide apud Em. Card. Zigliara: Della Luce intellettuale II. c. 14-18; P. Lepidi: Examen. philos. theol. de Ontologismo c. 17; et ex nostris, P. Ludovicus a Castroplanio: Seraphicus Doctor S. Bonaventurae, Romae 1874. p. 61. et seqq.

S. Doctor omnino contrarius est etiam errori Averroistarum, qui unitatem intellectus agentis in omnibus hominibus statuebant. Affirmat enim, quod « hic error destruit totum ordinem vivendi et agendi » (Serm. de Dono intellectus, Supplem. Bonelli, t. III. col. 475.), et manifestissime docet, in anima humana, quae ad imaginem Dei creata est, essentialiter esse potentiam intellectualem, quae propriam et activam virtutem ad eliciendos varios actus intellectuales habet; unde lumen quoddam creatum apte vocari potest. Hoc docet II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 4; et p. II. a. 1. q. 1. in corp., ubi dicit, quod « ratio superior non solum habet iudicare secundum leges aeternas, sed etiam habet iudicare secundum lumen proprium et secundum lumen sibi ab inferiori acquisitum ». Cfr. d. 17. a. 1. q. 1. ad 6; Hexaëm. Serm. 12, et passim; cfr. etiam Alex. Hal., S. p. III. q. 27. m. 1. a. 2. et p. II. q. 69. m. 2. a. 3.

Licet ergo *immediatum* et *proximum* principium actuum intellectualium sit animae potentia, sive lumen creatum naturaliter menti inditum, tamen iuxta sententiam scholasticorum communem *veritas*, *certitudo* et *infallibilitas* cognitionis humanae refundi debet in primam et increatam veritatem, quae est omnium rerum et intellectuum prima causa efficiens, exemplaris et finalis. Unde recte dicitur, quod intellectus creatus omnia vera cognoscat *in rationibus aeternis*, non ut in *obiecto prius cognito*, sed ut in *cognitionis principio*, sive ut verbis Alex. Hal. (S. p. I. q. 2. m. 3. a. 1. ad 1.) utamur, non *in* rationibus, sed *per* eas. Ita S. Thom., S. I. q. 84. a. 5; q. 88. a. 3. ad 1; q. 12. a. 11. ad 3; q. 16. a. 6. ad 1; IV. Sent. d. 49. q. 2. a. 7. ad 9; S. c. Gent. III. c. 47; de Veritate q. 1. a. 4; q. 10. a. 11. ad 12; Quodl. 10. q. 4. a. 7. et alibi. — Alex. Hal., S. p. III. q. 27. m. 1. a. 2. ad 1. — Scot., I. Sent. d. 3. q. 4. praesertim n. 18-23. — Richard. a Med., II. Sent. d. 24. a. 2. q. 4; aliique multi.

Fundamentalis huius doctrinae ratio, quae communiter ab antiquis scholasticis proponitur, haec est, quod increatae Veritatis lux secundum similitudinem refulget in *veritate creata*, sive haec accipiatur in sensu obiectivo, sive subiectivo. De veritate creata in sensu obiectivo dicit S. Bonav. (Hexaëm. Serm. 12.): « In qualibet creatura est refulgentia divini exemplaris, sed cum tenebris permixta ». In sensu subiectivo veritas creata est ipsum mentis lumen creatum, quod est impressio quaedam primae veritatis, cuius similitudo refulget in intellectu nostro, qui, ut imago Dei, « fert in se a sua origine lumen vultus divini » (S. Bonav. II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1; cfr. S. Thom. Expos. in Psal. 34; S. I. q. 105. a. 3.).

Ratio secunda est, quod Deus non tantum lumen intellectus ad exemplar divinum creat et conservat, sed etiam ad actus eiusdem concurrit, dum immediate eum movet et dirigit. Etiam hac ratione actus intellectuales a Deo dependere et in eum debere aliquo modo refundi, est sententia communis antiquorum scholasticorum; cfr. S. Thom., S. I. q. 105. a. 3; I. II. q. 10. a. 4. — Scot., pluribus in locis, collectis ab Hieron. de Montefortino in Sum. Scoti, Romae, 1728, p. I. q. 105. a. 3-5. — Iste concursus divinus non immerito quaedam illuminatio Dei immediata vocari potest, uti bene docent Em. Card. Zigliara in opere: Della Luce intellettuale IV. c. 12. et P. Kleutgen in libro: Philosophie der Vorzeit t. I. 1. Abth. n. 60; cfr. etiam S. Thom. in Ioan. c. 1. lect. 3. n. 2; S. III. q. 5. a. 4. ad 2; S. I. q. 79. a. 4; Quaest. unica de anima a. 5. ad 9; Opusc. 73 supra Boeth. q. 1. a. 1. et alibi.

Hanc cooperationem divinam sive illuminationem multum urgent et S. August. et S. Bonav. Mens Doctoris Seraphici de

---

[1] Ex mss. et edd. 1, 2, 3, 6 adiecimus *tamen*.

[2] Num. 16; in quo textu plures codd. ut A G I T Y Z aa bb cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *discutimus*, codd. F K X *discernimus* loco *discimus*, ac mox plurimi codd. ut A C F G H K L O R S T U V W Y aa ee ff *similitudine* pro *similitudo Dei*.

hac re, sexcenties breviter expressa, fuse declaratur anecdota quadam quaestione disputata, a P. Fidele a Fanna reperta et quoad partem principalem in lucem edita (Ratio novae collectionis etc. Taurini, 1874, p. 222). Hanc quaestionem integram, additis aliis documentis ineditis tum ipsius Bonav., tum trium eiusdem discipulorum, nempe Matthaei ab Aquasparta, Ioan. Pechami et cuiusdam Eustachii, Deo favente, libro speciali proxime in lucem dabimus, quo tum sententia S. Doctoris penitus declarabitur, tum demonstrabitur, B. Albertum M. aliosque antiquos omnino cum ipso Seraphico consentire, nec S. Thom. in re principali contrarium docere.

II. His praesuppositis, verba: « Deus est praesens omni intellectui per veritatem », nullam faciunt difficultatem, praesertim cum ab ipso S. Doctore interpretatio Ontologistarum explicite reprobetur (II. Sent. d. 10. a. 1. q. 1. ad 1, et ibid. d. 3. p. II. a. 2. q. 2. ad 3. 4.). Egregie sinceram suam sententiam explicat infra d. 17. p. I. q. 4 in corp., ubi cum S. August. distinguit cognitionem per *speciem* a rebus materialibus *abstractam* ab illa cognitione, quae fit *per veritatem*, id est « per similitudinem infusam vel innatam »; et addit: « Utraque autem, quae sic cognoscuntur, dicuntur ab Augustino *cognosci in veritate* ». De similitudine vel habitu innato cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. — Recte S. Doctor (ad 5.) negat, Deum cognosci per similitudinem ab ipso abstractam, quia de Deo non habemus conceptum nisi analogum et aliunde formatum. Etiam S. Thom. (I. Sent. d. 3. q. 1. a. 1. ad 3.) docet: « Non dicimur cognoscere ea (Deum et Angelos) per abstractionem, sed per *impressionem* in intelligentias nostras ». Consentiunt B. Albert. (hic a. 2. ad 2.) et Petr. a Tar. (hic a. 1. ad 4.).

III. In solut. ad 5. verba: « Intellectus noster informatur quadam *notitia*, quae est velut similitudo quaedam non abstracta, sed impressa », explicari possunt de specie sive impressa sive expressa, quam intellectus format ex *veritate creata* et animae essentialiter impressa, de qua S. Doctor loquitur infra d. 17. p. II. q. 4. Non tamen excluditur, quod sub voce *notitia* intelligi possit etiam illa illuminatio divina, de qua supra locuti sumus. Hoc insinuare videntur alii loci S. Bonav., imprimis II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 2. ad 4, ubi loquendo de cognitione Angelorum, sic concludit: » Adhuc est tertius modus cognoscendi, scil. per effectus visibiles et per substantias spirituales et per *influentiam luminis connaturalis potentiae cognoscenti*, quod est similitudo quaedam Dei non abstracta, sed infusa, inferior Deo, quia in inferiori natura » etc. Cfr. etiam quae de scientia Christi dicit III. Sent. d. 14. a. 2. q. 1. ad 1. 2. In hoc sensu istum locum S. Augustini, a S. Bonav. hic laudatum, intelligit Fr. Eustachius, discipulus S. Bonav., Doctor Parisiensis saec. XIII., uti colligitur ex quadam quaestione anecdota ipsius proxime a nobis in libro supra memorato edenda.

IV. Hanc et sequentem quaestionem mire illustrat S. Bonav. in Itiner. mentis in Deum, et Hexaëm. Serm. 5. 10. — Alex. Hal., S. p. I. q. 2. m. 1. seqq. — Scot., hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. q. 12. a. 12. — B. Albert., I. Sent. d. 1. a. 15; S. p. I. tr. 3. q. 13. m. 1. et q. 14. m. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic p. I. a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 33. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, I. Sent. d. 2. q. 9. et d. 3. q. 2. 3.

QUÆSTIO II.

Utrum Deus sit cognoscibilis per creaturas.

Secundo quaeritur, utrum Deus sit cognoscibilis per creaturas. Et quod non, videtur.

Ad oppositum. 1. Quia via ad errorem non est via ad cognitionem; sed cognitio per creaturam est via erroris: ergo etc. Probatio minoris: Sapientiae decimo quarto[1]: *Creaturae Dei sunt in deceptionem et in odium et in muscipulam pedibus insipientium. Praeterea*, Augustinus de Libero Arbitrio[2] loquitur de his, qui occupantur in creaturis: « Dorsum ad Te vertentes, in corporali opere tanquam in umbra sua defiguntur ».

2. Item, tenebra vel tenebrosum non est via ad cognoscendum luminosum sive lucem[3]; sed creatura est tenebra, Deus autem est lux: ergo Deus non est cognoscibilis per creaturam.

3. Item, medium, per quod cognoscitur aliquid vel probatur de extremo, debet communicare in aliquo cum eo ad quod cognoscendum est[4]; sed Creator et creatura nihil habent commune: ergo Deus non cognoscitur per creaturas.

4. Item, omne medium, per quod ascenditur ad extremum, distat ab illo gradibus finitis[5]; sed omnis creatura quantumcumque nobilis distat a Deo gradibus infinitis, quia quantumcumque duplicatur, nunquam perveniet ad eius nobilitatem: ergo per creaturam non ascenditur in cognitionem Dei.

Contra: 1. Sapientiae decimo tertio[6]: *A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Unde Isidorus de Summo bono[7]: « Ex pulcritudine circumscriptae creaturae pulcritudinem suam, quae circumscribi non potest, facit Deus intelligi ». Fundamenta.

2. Item, *ratione* ostenditur sic: contingit non solum effectum cognosci per causam, sed etiam cau-

---

[1] Vers. 11, ubi contra mss. et ed. 1 legit Vulgata: Quoniam creaturae Dei in odium factae sunt et in tentationem animabus hominum et in muscipulam etc. Cum hac lectione convenit Vat. eo excepto, quod habet *deceptionem* loco *tentationem*.

[2] Libr. II. c. 16. n. 43: Tanquam enim dorsum ad Te ponentes in carnali opere velut in umbra sua defiguntur.

[3] Aristot., I. Poster. c. 21. (25.): In privativa autem negativa propositio universalis, affirmativa autem negativa prior et notior (per affirmativam enim negativa nota) et prior affirmativa est, sicut esse prius est non esse. Et III. de Anima, text. 25. (c. 6.) docet, privationes non cognosci nisi per contraria, scil. per cognitionem habitus. Cfr. etiam II. de Caelo, text. 18. (c. 3.).

[4] Aristot., I. Poster. c. 7: Nam ex eodem genere oportet esse extrema et media. Idem ait X. Metaph. text. 22. (IX. c. 7.). Et III. de Part. Animal. c. 1: Nam et medium particeps utriusque extremi est. — *Extremum* est nomen logicale significans subiectum vel praedicatum conclusionis, pro quorum nexu cognoscendo *medium* adhibitum vocatur *terminus medius*. — Vat. contra codd. et ed. 1 post *cum eo* minus bene omittit *ad*.

[5] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 15. seqq. (c. 19. seqq.), ubi simile ostendit respectu ipsius demonstrationis. — Paulo infra ope mss. loco *duplicetur, nunquam pervenitur* substituimus *duplicatur, nunquam perveniet;* supple creatura. Cod. I propositionem maiorem formaliter melius exhibet *Item nullum medium... gradibus infinitis*. In conclusione plures codd. ut K T etc. *ad* loco *in*.

[6] Vers. 5.

[7] Sive Sent. I. c. 4.

sam per effectum [1]: ergo si Deus est causa operans secundum suam nobilitatem, et creatura effectus, poterit Deus cognosci per creaturam.

3. Item, sensibile est via cognoscendi intelligibile [2]; sed creatura sensibilis, Deus intelligibilis: ergo per creaturam est devenire in cognitionem Creatoris.

4. Item, contingit simile cognosci per simile [3]; sed omnis creatura est similis Deo vel sicut vestigium, vel sicut imago: ergo per omnem creaturam contingit cognosci Deum.

Quaeritur ergo, quae differentia sit inter vestigium et imaginem; et cum in omni creatura sit vestigium, quaeritur, quare non similiter imago, et secundum quid attendatur [4] vestigium.

CONCLUSIO.

Deus per creaturas naturali rationis lumine cognosci potest.

Respondeo: Dicendum, quod, quia relucet causa in effectu, et sapientia artificis manifestatur in opere, Conclusio. ideo Deus, qui est artifex et causa creaturae, per ipsam cognoscitur.

Et ad hoc duplex est ratio, una est propter Duplex ratio. *convenientiam*, alia propter *indigentiam*: propter *convenientiam*, quia omnis creatura magis ducit in Deum quam in aliquod aliud; propter *indigentiam*, quia, cum Deus tanquam lux summe spiritualis non possit cognosci in sua spiritualitate ab intellectu quasi materiali, indiget anima cognoscere ipsum per creaturam [5].

1. Ad illud quod obiicitur, quod cognitio creaturae Solutio oppositorum. est via in errorem; dicendum, quod dupliciter est cognoscere creaturam: vel quantum ad Distinctio. *proprietates speciales* et [6] quae sunt imperfectionis, vel quantum ad *conditiones generales*, quae sunt completionis; si autem quantum ad speciales conditiones et *imperfectionis*: aut *attribuendo* Deo, aut Subdistinctio. *removendo*. Primo modo est via erroris, secundo modo via cognitionis; et sic cognoscitur Deus per ablationem.

Si autem cognoscatur quoad conditiones *perfe-* Iterum subdistinctio. *ctionis*, sic potest esse dupliciter, sicut pictura dupliciter cognoscitur: aut sicut *pictura*, aut sicut *imago*; unde aut sistitur in pulcritudine creaturae, aut per illam tenditur in aliud. Si primo modo, tunc est via deviationis; unde Augustinus in libro de Libero Arbitrio [7]: « Vae his qui nutus tuos pro Te amant et oberrant in vestigiis tuis et derelinquunt Te ducem ». Si *secundo* modo, prout est via in aliud, sic est ratio cognoscendi per superexcellentiam, quia omnis proprietas nobilis in creatura Deo est attribuenda in summo; et sic patet illud [8].

2. Ad illud quod obiicitur, quod tenebrosum medium non est via cognoscendi lucem; dicendum, quod est oculus bene dispositus et oculus lippus. De oculo bene disposito verum est, sed non de lippo, cui nubes obtegens vel terra suscipiens luminis claritatem est medium videndi solem; sic intellectui nostro, qui se habet sicut oculus noctuae ad manifestissima naturae [9].

3. Ad illud quod obiicitur de defectu communitatis, dicendum, quod [10] non est commune per *univocationem*, tamen est commune per *analogiam*, quae dicit habitudinem *duorum ad duo*, ut in nauta et doctore, vel *unius ad unum*, ut exemplaris ad exemplatum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod semper sunt infiniti gradus; dicendum, quod ascensus in Deum potest esse dupliciter: aut quantum ad *aspectum praesentiae*; et sic quaelibet creatura nata est ducere in Deum, nec sic sunt infiniti gradus; aut quantum ad *aequalitatem aequiparantiae*; et sic verum est, quod sunt infiniti, quia bonum creatum, quantum-

---

[1] Vide Aristot., I. Poster. c. 10. (c. 13.) et II. Poster. c. 17. (c. 14.). — In hac propositione auctoritate mss. et ed. 1 addidimus *etiam*.

[2] Cfr. Aristot., III. de Anima, text. 39. (c. 8.): Formis sensibilibus innituntur intelligibilia... atque idcirco, qui nihil sentit, nihil discere vel comprehendere potest. — Mox post *creatura* et post *Deus* supple cum Vat. *est*.

[3] Aristot., VI. Topic. c. 1. (c. 2.) loquendo de metaphora ait: Nam metaphora quodammodo notum facit id quod significatur, *propter* (per) *similitudinem*. Ibidem et hanc definitionem imaginis, de qua S. Bonav. paulo infra agit, invenies: Nam imago id est, cuius generatio per imitationem est. Cfr. etiam II. Prior. c. 27. et 28. (29. et 30.), ubi Aristot. agit de icosibus (εἰκός, i. e. simile, verisimile, consentaneum) et *signis*, quae si certissima sint, ab ipso *indicia*, (a Commentatoribus *vestigia* vel *prodigia*) nominantur; et Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 1.

[4] Vat. sibi non constans contra mss. et ed. 1 *attenditur*.

[5] Interpolatam et non aptam Vat. lectionem: *quasi materiali luce indiget anima, ut cognoscat ipsum, scilicet per creaturam* castigavimus ex mss. et ed. 1. Cod. O pro *materiali* habet *naturaliter*.

[6] Ex fere omnibus mss. et ed. 1 hic. et paulo infra post *speciales conditiones* addidimus *et*, pro quo cod. Γ primo loco habet *id est*, secundo loco *quae sunt*. Dein codd. O Z *quantum ad proprietates generales et quae sunt*. Mox mss. cum ed. 1 contra Vat. post *si* adiiciunt *autem* et post *imperfectionis* omittunt *hoc est dupliciter*.

[7] Lib. II. c. 16. n. 43.

[8] De triplici cognoscendi Deum via, scil. causalitatis, remotionis et superexcellentiae cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 6. et infra dub. 1.

[9] Supple: tenebrosum (seu creatura) est medium cognoscendi lucem sive Deum. De comparatione intellectus cum oculo noctuae cfr. Aristot., II. Metaph. text. 1. (I. brevior, c. 1.): Sicut enim nocticoracum oculi ad lucem diei se habent, sic et animae nostrae intellectus ad ea quae sunt omnium naturae manifestissima (ed. Venet. 1489).

[10] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 addit *si*. Paulo post pauci codd. ut X Y cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 non bene *ductore* pro *doctore*. Cfr. d. 25. a. 2. q. 1. in corp., ubi idem exemplum explicatur, et II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. in corp., ubi exemplum de *nauta et auriga* occurrit.

cumque duplicatum, nunquam aequiparatur increato.

Primus autem gradus quantum ad ascensum ad aspectum praesentiae est in consideratione visibilium, *secundus* in consideratione invisibilium, ut animae vel alterius substantiae spiritualis; *tertius* est ab anima in Deum, quia « imago ab ipsa veritate formatur et Deo immediate coniungitur » [1].

Tres gradus ascensionis in Deum.

Ad illud quod ultimo quaeritur *de differentia vestigii et imaginis*, quidam assignant [2], quod vestigium est in sensibilibus, imago in spiritualibus. Sed ista distinctio et positio non valet, quia vestigium est etiam in spiritualibus. Nam unitas, veritas, bonitas, in quibus consistit vestigium, sunt conditiones maxime universales et intelligibiles.

Differentia vestigii et imaginis. Opinio 1.

Alii [3] dicunt, quod vestigium dicitur, quia repraesentat secundum partem, sed imago secundum totum. Sed haec iterum differentia non valet, quia, cum Deus sit simplex, non habet repraesentans secundum partem; cum iterum sit infinitus, a nulla omnino creatura, etiam a toto mundo non potest repraesentari secundum totum.

Opinio 2.

Et ideo intelligendum, quod cum creatura ducat in cognitionem Dei per modum *umbrae* [4], per modum *vestigii* et per modum *imaginis*, differentia eorum *notior*, a qua etiam denominatur, accipitur penes *modum repraesentandi*. Nam *umbra* dicitur, in quantum repraesentat in quadam elongatione et confusione; *vestigium*, in quantum in [5] elongatione, sed distinctione; *imago* vero, in quantum in propinquitate et distinctione.

Sententia Doctoris. Differentia 1.

Ex hac differentia colligitur *secunda*, quae est penes conditiones, in quibus attenduntur haec. Nam creaturae dicuntur *umbra* quantum ad proprietates, quae respiciunt Deum in aliquo genere causae secundum rationem [6] indeterminatam; *vestigium* quantum ad proprietatem, quae respicit Deum sub ratione triplicis causae, efficientis, formalis [7] et finalis, sicut sunt unum, verum et bonum; *imago* quantum ad conditiones, quae respiciunt Deum non tantum in ratione causae, sed et obiecti, quae sunt memoria, intelligentia et voluntas.

Differentia 2.

Ex his concluduntur *aliae duae* differentiae: quantum ad ea ad quae *ducunt;* nam creatura ut umbra ducit ad cognitionem *communium*, ut *communia;* vestigium in cognitionem *communium*, ut *appropriata;* imago ad cognitionem *propriorum*, ut *propria* [8].

Differentia 3.

Alia differentia est penes ea in quibus *reperiuntur*. Quoniam enim omnis creatura comparatur ad Deum et [9] in ratione causae et in ratione triplicis causae, ideo omnis creatura est umbra vel vestigium. Sed quoniam sola rationalis creatura comparatur ad Deum ut obiectum, quia sola est capax Dei per cognitionem et amorem: ideo sola est imago.

Differentia 4.

SCHOLION.

I. Deum non immediate in se nec a priori a viatoribus cognosci, sed per ea quae ab ipso facta sunt, post Concilium Vaticanum (*de Fide* can. 1. de Revelatione) in dubium vocari nequit. Hic canon: Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, a. s., omnino convenit cum doctrina Seraphici Doctoris. — In fine conclusionis iuxta textum a nobis reformatum intellectus humanus vocatur *quasi materialis*, quod intelligendum est in comparatione ad puram spiritualitatem divinam. In hoc sensu S. Bonav. (I. Sent. d. 37. p. I. a. 2. q. 1. ad 4.) dicit: Nam nihil est omnino spirituale, nisi solus Deus, sicut dicit Augustinus de Moribus Ecclesiae (vel potius Gennadius de Dogm. Eccles. c. 2.): Solus Deus est incorporeus, quia omnia replet.

II. Quod vestigium Trinitatis in omni creatura inveniatur, est sententia communis. Omnis enim creatura, quatenus habet in se *unum* esse, distinctum a quolibet alio, respicit Deum ut causam efficientem; quatenus habet *verum* esse, respicit ipsum ut causam exemplarem; quatenus habet *bonum* esse, respicit eundem ut causam finalem. — Differentiam inter *imaginem* et *vestigium* non omnes eodem modo assignant. S. Doctor, ut ex textu apparet, quadruplicem dat differentiam, cui S. Thomas aliam adiungit (S. I. q. 45. a. 7.). Scotus autem contra verba S. Thomae aliquas difficultates affert (hic q. 3.). De hac doctrina cfr. ipse S. Doctor, hic dub. 3; II. Sent. d. 35. a. 2. q. 1; Breviloq. p. II. c. 1. 12; Hexaëm. Serm. 12. — Alex. Hal., S. p. II. q. 8. per totam et q. 7. m. 7; p. I. q. 18. m. 1. 5. — Scot., hic q. 5. 9. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. 2. 3; S. I. q. 45. a. 7. — B. Albert., hic a. 14. 18. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Durand., hic p. I. q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 4. 5. — Biel, hic q. 9.

III. Plura de hac quaestione: S. Bonav., II. Sent. d. 3 p. II. a. 2. q. 2. — Alex. Hal., S. p. I. q. 2. m. 3. a. 1. et 2. — Scot., hic q. 1. 2. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 3; S. I. q. 2.

---

[1] August., 83 QQ. q. 51. n. 2. dicit: Quare cum homo possit particeps esse secundum interiorem hominem, secundum ipsum ita est ad imaginem, ut nulla natura interposita formetur, et ideo nihil sit Deo coniunctius. Et auctor libri de Spiritu et anima, c. 11: Quae (mens) ita facta est ad imaginem Dei, ut nulla interposita natura ab ipsa veritate formetur.

[2] Addit Vat. claritatis gratia *talem differentiam*, quae tamen verba desunt in mss. et ed. 1.

[3] Vat. contra mss. et ed. 1 addit *autem*. Paulo post plures codd. ut S V X bb omittunt *differentia*, pro quo ed. 1 habet *distinctio*.

[4] Vat. addit *et*, quod deest in mss.

[5] Auctoritate mss. et ed. 1 hic et immediate post substituimus *quantum in* pro *quadam*. Mox cod. Q post *sed* addit *cum*.

[6] Ope mss. et ed. 1 expunximus hic a Vat. additum *causae*.

[7] Intellige de causa formali *extrinseca* sive de exemplari, non de causa formali *intrinseca*. Cfr. infra d. 8. p. I. a. 1. q. 1. ad 2.

[8] Iuxta sententiam communem attributa divina distinguuntur in communia *ut communia* sive communia simpliciter, quae sunt essentialia, ut esse, vivere, intelligere; communia *ut appropriata*, quae sunt illa essentialia, quae nos uni personae prae alia tribuimus, ut potentiam Patri, sapientiam Filio, bonitatem Spiritui sancto; *propria* sunt paternitas, filiatio et spiratio.

[9] Supplevimus ex plurimis codd. et ed. 1 particulam *et*, qua distinctior redditur lectio. Paulo post cod. Z loco *vel* bene ponit *et*.

a. 2. et 3. — S. c. Gent. I. c. 13. — B. Albert., hic. a. 2. et 3; S. p. I. tr. 3. q. 15. m. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 24. q. 6. — Durand., hic p. I. q. 1. — Dionys. Carth., et Biel sicut in praec. quaest.

QUÆSTIO III.

Utrum homo in omni statu cognoscat Deum per creaturas.

Tertio quaeritur, utrum cognitio Dei per creaturas sit hominis quantum ad omnem statum. Quod sit hominis quantum ad *primum statum*, sic ostenditur.

Argumenta affirm. pro statu innocentiae.

1. Homo in statu innocentiae non cognoscebat Deum facie ad faciem: ergo si cognoscebat Deum, cognoscebat per effectum, ergo per vestigium, ergo per creaturam.

2. Item, in homine in statu innocentiae cognitio sensibilis non erat in impedimentum, sed in adminiculum cognitionis intellectivae; sed intellectiva cognitio, propter quam factus est homo, est cognitio Dei: ergo omnis cognitio sensibilis in primo homine ordinabatur ad hanc; sed cognitio Dei per adminiculum sensibilium est cognitio per creaturam: ergo etc.

Item, quod sit hominis quantum ad *statum beatitudinis*, videtur:

Item pro statu gloriae.

1. Quia Beati cognoscunt creaturam, sed non sistunt in illa, sed referunt ad Deum: ergo cognoscunt Deum per creaturam.

2. Item, beatae [1] animae laudant Deum per creaturas; sed laudare Deum per creaturas est cognoscere per creaturas: ergo etc.

Sed contra: quod non sit *hominis instituti*, sic ostenditur.

Argumenta negat. pro statu primo.

1. Cognitio per vestigium est cognitio per medium; «sed mens, ut dicit Augustinus [2], immediate ab ipsa veritate formatur»: ergo talis cognitio non convenit humanae naturae quantum ad illum statum, nec etiam quantum ad alium.

2. Item, non est rectus ordo, quod propinquius perveniat in finem per medium magis distans; sed homo in statu primo erat propinquior Deo ceteris aliis [3] creaturis: ergo non conveniebat ei pervenire in cognitionem Dei per alias creaturas.

Item, quod non sit hominis talis cognitio quantum ad statum *beatitudinis*, videtur.

Item pro statu gloriae.

1. Quia cognitio per vestigium est cognitio per manuductionem: ergo non est cognitio perfecta, ergo est ex parte [4]: ergo non manet in Beatis, quia in ipsis evacuabitur quod est ex parte.

2. Item, vestigium sive creatura est sicut scala ad ascendendum vel sicut via ad perveniendum ad Deum; sed cum perventum est ad terminum, non est usus viae ulterius [5]: ergo similiter, cum homo sit sursum, non indiget scala; sed cognitio Beatorum immediate est in Deum: ergo non est per creaturas.

CONCLUSIO.

Deus in creaturis cognoscitur a comprehensoribus perfecte, a viatoribus semiplene; sed per creaturas proprie cognoscitur a viatoribus, aliter autem ante, aliter post lapsum.

Respondeo: Ad intelligentiam [6] praedictorum notandum, quod aliud est cognoscere Deum *in* creatura, aliud *per* creaturam. Cognoscere Deum *in* creatura est cognoscere ipsius praesentiam et influentiam in creatura [7]. Et hoc quidem est viatorum semiplene, sed comprehensorum perfecte; unde dicit Augustinus in fine libri de Civitate Dei [8], quod tunc expresse Deus videbitur, quando Deus erit omnia in omnibus. Cognoscere autem Deum *per* creaturam est elevari a cognitione creaturae ad cognitionem Dei quasi per scalam mediam. Et hoc est proprie viatorum, sicut dicit Bernardus ad Eugenium [9].

Distinctio notabilis. Conclusio 1. Conclusio 2.

Aliter tamen convenit homini in statu naturae institutae, et [10] naturae lapsae: quia in statu primo cognoscebat Deum per creaturam tanquam per *speculum clarum;* sed post lapsum cognovit tanquam *per speculum et aenigma,* sicut dicit Apostolus primae ad Corinthios decimo tertio [11], propter obnubilationem intellectus et peiorationem rerum.

Conclusio 3.

Ad illud ergo quod obiicitur de statu *beatitudinis;* dicendum, quod, sicut dictum est, beatorum non est cognoscere *per* creaturas, sed potius *in*

Solutio argument. affirm. de statu gloriae.

---

[1] Sola Vat: praemittit *omnes.*

[2] Vide supra q. 2. ad 4. — In quo textu cod. Y post *ipsa* addit *prima.*

[3] Fide plurimorum codd. ut A C F H I K L N O S T U etc. et ed. 1 addidimus *aliis,* et mox post *pervenire* substituimus *in* loco *ad.*

[4] Praeferimus succinctiorem lectionem mss. et ed. 1 lectioni Vat., in qua post *perfecta* additur *et si non est cognitio perfecta* et post *parte* adiungitur *et si est ex parte.* Argumentum hoc innititur verbis Apostoli I. Cor. 13, 10: Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

[5] Mendum Vat. *alterius* loco *ulterius* correximus ex mss. et ed. 1, sicut et paulo post substituimus *sit* pro *est* et *sed* pro *nam.* — In hoc argumento alluditur ad verba S. Bernard., V. de Consid. c. 1: Sane hac scala cives non indigent, sed exules.

[6] Vat. contra mss. *intellectum.*

[7] Codd. L O *creaturam.* Mox cod. W post *quidem* addit *cognoscere,* ed. 1 autem post *est* addit *viatorum et comprehensorum.*

[8] Libr. 22. c. 30. n. 4: Vacabimus in aeternum, videntes quia ipse est Deus, quo pleni erimus, quando ipse erit omnia in omnibus. — In quo textu plures mss. ut A I T etc. cum ed. 1 *quomodo* pro *quando.*

[9] Libr. V. de Consid. c. 1.

[10] Cod. X *quam* loco *et.*

[11] Vers. 12.

creaturis. Et rationes, quae videntur probare contrarium, non probant, sed potius, quod cognoscatur ab eis *in* creaturis.

Solutio arg. neg. de statu innocentiae. 1. Ad illud quod obiicitur de statu *innocentiae*, quod mens immediate formatur etc.; dicendum, quod duplex est medium, scilicet *efficiens* et *disponens*. De primo medio debet intelligi quod dixit Augustinus, sed de secundo non[1]; quoniam Deus est medium efficiens et obiectum ipsius mentis. Illud autem verbum dicit Augustinus contra philosophos, quorum opinio erat, quod mens non coniungeretur primo[2] immediate, sed mediante aliqua intelligentia.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non est rectus ordo; dicendum, quod dupliciter potest considerari homo: vel ens *in se*, vel *extra*. Primo modo non pervenit per creaturas a se in Deum, sed ens extra se per cognitionem creaturarum recolligitur in se et elevatur supra se[3].

Vel dicendum, quod aliae creaturae possunt considerari ut res, vel ut signa. *Primo* modo sunt inferiores homine, *secundo* modo sunt media in deveniendo sive in via, non in termino, quia illae non perveniunt, sed per illas pervenit homo ad Deum, illis post se relictis. Alia solutio.

SCHOLION.

I. Quoad distinctionem inter cognoscere Deum *in* creatura et *per* creaturam, quae habetur in corp., cfr. III. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. ad 5; Itinerar. mentis, c. 1. Consentiunt Petr. a Tar., hic q. 4; Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Item verba in fine corp. occurrentia: « propter obnubilationem intellectus et peiorationem rerum » approbantur et amplius explicantur a S. Thom., S. I. q. 94. a. 1. ad 3. et ab Alex. Hal., S. p. I. q. 2. m. 2. a. 4.

De duplici medio, scil. efficiente et disponente (in solut. ad 2.), clarius mentem suam explicat Seraphicus II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 2. ad 6. his verbis: « Augustinus vult, quod inter mentem et Deum non cadit medium, scil. in ratione causae efficientis vel influentis, cadit tamen medium manuductionis, quod tamen non habet rationem medii proprie, quia magis subservit potentiae cognoscenti, quam praesit ». Plura de triplici medio Deum videndi invenies II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. ad 7. Concordant S. Thom., S. q. 94. a. 1. ad 3. et Alex. Hal., S. p. I. q. 2. m. 3. a. 1. ad 3.

II. Quoad ordinem argumentorum et solutionem notandum, quod S. Doctor hic non tenet consuetum modum, quia pro triplici statu etiam triplex responsio datur, ita ut nonnulla argumenta respectu unius status sint vera, respectu aliorum falsa. Argumenta prima affirmativa recte probant illam conclusionem, quod homo in statu innocentiae cognovit Deum per creaturas; duo argg. sequentia ab ipso S. Doctore in solut. prima quoad beatos reprobantur; item argg. 1. et 2. sub *Contra* in solutione ultima refelluntur. Duo vero ultima vera sunt quoad beatos.

III. De tota quaestione: Alex. Hal., S. p. I. q. 2. m. 2. a. 4. et m. 3. a. 1. et p. II. q. 92. m. 2. a. 1. et 2. — S. Thom., S. I. q. 12. a. 11. et q. 94. a. 1. — B. Albert., hic. a. 13. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. (de beatis); II. Sent. d. 23 a. 2. q. 1. (de statu innocentiae); ibid. d. 24. a. 3. q. 5. (de praesenti statu). — Ægid. R., hic 2. princ. q. ult.

QUAESTIO IV.

Utrum trinitas personarum cum unitate essentiae naturaliter per creaturas cognosci possit.

Quarto et ultimo quaeritur, quid sit de Deo cognoscibile per creaturas. Et dicit Apostolus[4], quod *sempiterna virtus et divinitas*. Et quaeritur, utrum per creaturas possit cognosci personarum pluralitas. Et videtur quod sic.

Ad oppositum. 1. Quia philosophi non habuerunt cognitionem de Deo nisi per creaturas, et cognoverunt Trinitatem: ergo etc. *Minor* patet per Augustinum de Civitate Dei[5]: « Philosophi tripartitam dicunt esse philosophiam », in qua est cognitio Trinitatis.

2. Item, magi defecerunt in *tertio signo*, Exodi octavo[6]; et exponitur, quod defecerunt in cognitione tertiae personae; aut ergo quantum ad *propria* aut quantum ad *appropriata*. Non quantum ad ap-

---

[1] Ita cod. F; Vat. autem, transpositis verbis *disponens et efficiens*, consequenter habet *De primo medio non debet intelligi quod dicit Augustinus, sed de secundo, quoniam.* Praeferimus lectionem cod. F, quia ceteri codd. et edd. 2, 3, 6 cum ipso F legunt *De primo medio debet... de secundo non*, licet cum Vat. in transpositione verborum *disponens et efficiens* conveniant; sed in lectione codd. sensus est falsus, uti tum ex subnexis tum ex aliis locis S. Doctoris in Scholio citatis colligitur.

[2] Supple: principio. — Vat., refragantibus mss. et ed. 1, *aeternae veritati* pro *primo*.

[3] Sensus est: homo consideratus ut *ens in se*, i. e. substantia, immediate refertur ad Deum eiusque cognitionem, quia, ut in praecedentis obiectionis solutione et supra q. 2. ad 4. dictum est, inter substantiam animae et Deum nullum cadit medium. Homo consideratus ut *ens extra se*, i. e. res exteriores percipiens, *recolligitur in se*, i. e. res exteriores percipiendo trahit ipsas intra se et ad reflexionem excitatur, et per mentales *suas* operationes tum respectu sui tum respectu rerum exteriorum cognitarum *elevatur supra se* i. e. ad Dei cognitionem.

[4] Rom. 1, 20.

[5] Libr. XI. c. 25: Hinc philosophi sapientiae disciplinam tripartitam esse voluerunt. — Ex cod. U adiungimus glossema dicta Augustini exponens: *cui haec sunt adscribenda, nisi creatori omnium creaturarum, datori intelligentiae, amorum inspiratori* (ex August. loc. cit.)? *Unde vult dicere, quod naturalis philosophia est de his quae pertinent ad conditionem naturae; rationalis de his quae pertinent ad rationem et intelligentiam; moralis de his quae pertinent ad amorem. Ideo naturalis adscribitur auctori Patri, rationalis sapientiae Filio, moralis amori seu bonitati Spiritus sancti.*

[6] Vers. 18. Expositionem huius loci vide apud Lyranum et Magistrum, hic in fine c. 2.

propriata, quia bonitas maxime nobis relucet in creatura: ergo quantum ad propria: ergo saltem duas personas cognoverunt.

3. Item, hoc idem[1] videtur per *rationem:* quia vestigium, cum dicat distinctionem, est ratio cognoscendi Deum distinctive sive in distinctione; sed non est in Deo nisi distinctio personarum: ergo per vestigium potuerunt cognoscere distinctionem personarum.

4. Item, per imaginem est cognitio Trinitatis quantum ad ordinem, distinctionem et aequalitatem; sed cognitio per imaginem est cognitio per creaturam: ergo per creaturam potuerunt cognoscere Trinitatem.

5. Item, difficilior est cognitio proprietatum occultarum creaturae quam cognitio pluralitatis personarum, quia illa non capitur nisi a magnis et subtilibus, haec autem capitur etiam[2] a rudibus et insipientibus: ergo si potuerunt per proprietates creaturarum visibiles pervenire ad invisibiles, multo fortius ad cognoscendum, personas esse plures. Et hoc est quod dicitur Sapientiae decimo tertio[3]: *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent saeculum aestimare, quomodo huius Dominum non facilius invenerunt?*

Contra: 1. Cognitio Trinitatis est cognitio fidei; Fundamenta. sed cognitio fidei est[4] de his quae sunt supra rationem; et quae sunt supra rationem non possunt cognosci per creaturas: ergo etc.

2. Item, non est nisi duobus modis[5] de Deo cognoscere per creaturam, aut affirmando quod est in creatura vel simile, aut removendo; sed Trinitas non cognoscitur per remotionem, sed per positionem; sed in nulla creatura invenitur pluralitas suppositorum cum unitate essentiae: ergo etc.

3. Item, lex scripta est super[6] legem naturae, sive liber sacrae Scripturae super librum mundanae creaturae; sed nullus fide carens per sacram Scripturam venit in cognitionem pluralitatis personarum: ergo multo minus per librum mundanae creaturae.

CONCLUSIO.

Trinitas personarum non est cognoscibilis per creaturas, sed tantum trinitas appropriatorum, scilicet unitas, veritas, bonitas.

Respondeo: Dicendum, quod pluralitas personarum cum unitate essentiae est proprium divinae naturae solius, cuius simile nec reperitur in creatura nec potest reperiri nec rationabiliter cogitari: ideo nullo modo trinitas personarum est cognoscibilis Conclusio 1. per creaturam, rationabiliter ascendendo a creatura in[7] Deum. Sed licet non habeat omnino simile, habet tamen aliquo modo quod *creditur* simile in creatura. Unde dico, quod philosophi nunquam per rationem cognoverunt personarum trinitatem nec etiam[8] pluralitatem, nisi haberent aliquem habitum fidei, sicut habent aliqui haeretici; unde quae dixerunt, aut locuti sunt non intelligentes, aut fidei radio illustrati.

Est alia trinitas appropriatorum, scilicet unitatis, veritatis et bonitatis[9], et hanc cognoverunt, quia Conclusio 2. habet simile.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod per tri- Solutio oppositorum. partitam philosophiam cognoverunt philosophi Trinitatem; dicendum, quod verum est, quod per illud et per alia venerunt in[10] cognitionem appropriatorum, credentes vero in cognitionem utriusque trinitatis.

2. Ad illud quod obiicitur de *tertio signo,* dicitur et bene, quia sapientes ideo dicuntur defecisse in tertio signo, quia defecerunt in cognitione effectus potissimi[11] bonitatis, scilicet redemptionis.

3. Ad aliud dicendum, quod vestigium dicit distinctionem proprietatum essentialium, et huic respondet trinitas appropriatorum, non propriorum sive personarum.

4. Ad illud quod obiicitur de imagine, dicendum, quod est cognoscere animam secundum id quod *est;* et cognitio ista est rationis; vel secundum[12] quod *imago;* et cognitio ista est solius fidei.

---

[1] Vat., reluctantibus mss. et sex primis edd., omittit *idem,* pro quo cod. Z habet *ipsum.*

[2] Faventibus mss. et ed. 1, addidimus *etiam*, quod Vat. minus bene omittit. Mox cod. R post *si* adiungit *philosophi,* ac plurimi codd. ut A F G H I K S T Y etc. post *creaturarum* addunt *rerum,* in qua lectione *creaturarum* falso positum est loco *creatarum.*

[3] Vers. 9, ubi Vat. post *scire* ponit *quod poterant saeculum mensurare, quomodo.*

[4] Ed. 1 hic repetit *cognitio.* — De hoc argumento cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 1. §. 2.

[5] Cod. K satis bene adiungit *aliquid,* cod. X *Deum* ponit loco *de Deo.* Mox plurimi codd. ut A C F G H I L O S T U X etc. *vel simile vel removendo,* pro quo Vat. *aut simile aut removendo;* sequimur codd. quoad primam partem ponendo *vel simile,* et Vat. quoad secundam retinendo *aut removendo*, quia in hac lectione membra divisionis et subdivisionis clarius exhibentur. Cod. Y omittit *vel* et ed. 1 loco *vel* ponit *ut* ante *simile.* — De hoc argumento vide Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 2.

[6] Plures codd. ut B S bb et ed. 1 hic et paulo post *supra.*

[7] Ed. 1 *ad.* Cod. R paulo post loco *quod* habet *et* ac cod. T *cernitur* pro *creditur.*

[8] Desideratur in Vat. *etiam*, quod tamen in mss. et ed. 1 habetur. Paulo post Vat. *unde qui dixerunt hanc Trinitatem aut;* omnes codd. cum ed. 1 in eo conveniunt, quod omittant *hanc Trinitatem*, dissentiunt tamen inter se, quod alii cum Vat. habeant *qui dixerunt,* cod. I *qui hoc dixerunt,* alii ut O T etc. *quae dixerunt,* quos sequimur; ed. 1 tandem legit *qui aliquid inde dixerunt.*

[9] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 minus apte *veritas, unitas et bonitas* et paulo post *habent.*

[10] Vat. contra mss. et ed. 1 *ad.*

[11] Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, minus bene *potissimae.* Mox cod. O ante *redemptionis* praemittit *incarnationis et.*

[12] Vat. contra plurimos codd. minus bene addit *id.*

5. Ad illud quod ultimo [1] obiicitur, quod difficilius est cognoscere mundum; dicendum, quod istud intelligitur, supposito divino adminiculo; simpliciter autem loquendo falsum est. Citius enim disponeretur homo ad fidem, quam acquireret [2] cognitionem philosophiae. Intellectus tamen noster plus potest in cognitionem rerum mundanarum quam Trinitatis; quia illa est supra rationem, et contrarium eius videt in sensu; et ideo indiget nova elevatione, utpote cognitione per infusionem.

SCHOLION.

I. Quoad propositionem in corp., quae attribuit haereticis aliquem habitum fidei, sciendum, quod duplex distinguitur habitus fidei, scil. infusus et acquisitus, et hic est ordinis naturalis. Acquisitum habitum vel ipsi haeretici formales habere possunt.

Recte dicitur in solut. ad 4, quod cognitio imaginis sit solius fidei. Imago enim, in quantum imago, dicit respectum ad id cuius est imago. Nullus autem respectus potest cognosci nisi cognito utroque extremo. Licet igitur cognoscatur fundamentum relationis *in anima*, i. e. imago *materialiter* intellecta, tamen non cognoscitur *formaliter* ut *imago*, quamdiu alter terminus relationis non cognoscitur, nempe tres personae divinae.

II. S. Bonav., Breviloq. p. I. c. 2. — Alex. Hal., S. p. I. q. 2. m. 1. a. 3. — Scot., Quodlib. q. 14. — S. Thom., hic. q. 1. a. 4; S. I. q. 32. a. 1. — B. Albert., hic a. 18; S. p. I. tr. 3. q. 13. m. 3. — Petr. a Tar., hic. q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 4. — Henr. Gand., S. a. 22. q. 4. n. 25. — Dionys. Carth., hic q. 4.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram de rationibus illis, quas ponit Magister quantum ad rationem probandi et vim [3] inferendi, quia videntur omnes vel non valere vel dubium supponere.

Prima namque ratio talis est [4]. Qui potest quod
Ratio 1. nulla creatura potest, est supra omnem creaturam; sed qui fecit mundum istum, fecit quod nulla potest creatura: ergo non est creatura, sed super omnem creaturam. Et incipit haec ratio ibi: *Nam sicut ait Ambrosius, ut Deus* etc. In ista ratione videtur supponi duplex [5] dubium, videlicet quod mundus iste sit factus, et quod creatura ipsum non possit facere, quorum utrumque est valde dubium.

Secunda ratio est haec [6]. Qui fecit corporalia et
Ratio 2. spiritus mutabiles, est super omnia corporalia et mutabilia: ergo est spirituale et immutabile. Hic similiter videtur supponi dubium, quod Deus fecerit spiritus. Et iterum, non sequitur ex hoc, quodsi fecit mutabilia, quod [7] sit immutabilis, immo potius videtur sequi oppositum, scilicet quod sit mutabilis.

Tertia ratio haec est. Qui fecit bona et meliora,
Ratio 3. est optimus; sed Deus fecit corporalia, quae sunt bona, et spiritualia, quae sunt meliora: ergo Deus est optimus. Haec similiter ratio videtur nullam habere apparentiam, quia tunc similiter quilibet artifex, qui facit bona et meliora, esset [8] optimus, quod falsum est.

Quarta ratio haec est. Qui fecit pulcra et pul- Ratio 4.
criora, est ipsa pulcritudo sive species, et hoc est speciosissimum; sed videmus, corporalia esse speciosa, et spiritualia esse speciosiora [9]: ergo qui fecit haec, est speciosissimus. Similiter videtur, quod nec ratio praedicta valeat propter praedictam instantiam.

Item quaeritur de differentia istarum rationum, Quaestio de differentia earum.
et quomodo distinguuntur. *Si dicas*, sicut dicunt aliqui, quod sunt quatuor penes quatuor genera causarum, hoc nihil est, quia genus causae materialis non cadit in Deo. *Si dicas*, quod penes modos cognoscendi; *contra:* non sunt nisi tres, scilicet in ratione causae, ablationis et excellentiae [10].

Respondeo: Dicendum, quod omnes istae rationes ad hoc [11], ut probent et inferant, supponunt aliquod certum. Prima enim ratio supponit, quod pro- Suppositio in ratione 1.
ductio rei de nihilo non potest esse nisi a potentia infinita. Hoc supposito, cum certum sit, nullam creaturam habere potentiam infinitam [12], sequitur, quod

---

[1] Ope mss. substituimus *ultimo* pro *ulterius* et immediate post adiunximus *quod.*

[2] Cod. Y *quam ad acquirendam;* lectio haud spernenda.

[3] Aliqui codd. ut X Y pro *vim* minus bene *verum,* codd. G I *inde.* Mox ex mss. et ed. 1 post *omnes* supplevimus *vel.*

[4] Vat., contradicentibus mss. et ed. 1, omittit *namque* et *talis est.* Paulo infra post *nulla* bis fide textus Magistri expunximus *alia,* utpote distorquens sensum, licet primo loco etiam in mss. et ed. 1 inveniatur. Deinde verba *Et incipit* usque ad *Deus* desunt in Vat., sed exstant in mss. et ed. 1.

[5] Ex plurimis mss. et ed. 1 substituimus *duplex* loco *dupliciter,* quod Vat. minus bene habet. Cod. I *supponere,* supple: Magister.

[6] Vat. hic et deinceps post *ratio* omittit *est haec;* item, refragantibus mss. et ed. 1, mox post *mutabilia* legit *Deus est huiusmodi: ergo Deus est spirituale immutabile.*

[7] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *quod, quia fecit mutabilia, ideo sit.*

[8] Vat. *est,* sed obstant mss. et ed. 1. Paulo ante cod. I *fecit* pro *facit.*

[9] Ita codd. cum edd. 1, 2, 3, sed Vat.: *Sed Deus fecit pulcra sive speciosa quia corporalia, et speciosiora quia spiritualia;* et paulo infra contra mss. et ed. 1 *videtur ratio ista non valere.*

[10] Dionys., de Div. Nom. c. 7. §. 3: Via et ordine pro viribus ascendimus in ablatione et in superlatione omnium et in omnium causa. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 2. a. 1. — S. Thom., I. Sent. d. 3. p. I. divisio textus. — Vat. hic addit: *Ad obiectiones contra quatuor rationes iam dictas respondetur*, quod deest in mss. et ed. 1.

[11] Restituimus ex mss. et ed. 1 verba *ad hoc.* Immediate post codd. E Y *quod* loco *ut,* ac paulo infra plures codd. ut I R aa bb ff *tertium* pro *certum.*

[12] Aristot., VIII. Phys. text. 79. (c. ult.) iuxta ed. Venet. 1489: Non ergo finiti est potentia infinita. Forte cod. X hanc propositionem intendit, licet falso alleget *libr. IV. Phys.* — Mox

actus productionis rerum de nihilo sit eius, qui [1] est super omnem creaturam. Et ita ex hoc actu tanquam ex proprio cognoscitur Deus omnipotens, immensus. — In aliis tribus rationibus supponitur status, sicut in tota philosophia supponitur status in causis; et ideo omne mutabile reducitur ad immutabile, quia in mutabili non est status in genere efficientis nisi in movente non moto: omne enim quod movetur, ab alio movetur [2]. Similiter bonum et melius reducuntur ad optimum, quia non est status in genere finis nisi in optimo. Similiter pulcrum et pulcrius ad pulcherrimum, quia non est status in genere speciei et formae, nisi in eo quod est ipsa species per essentiam.

Suppositio in aliis rationibus.

Ad illud quod quaeritur de distinctione rationum, ex dictis iam patet responsio. Non enim possunt distingui penes genus causarum tantum, nec penes modos cognoscendi tantum, sed penes utrumque [3]. Prima enim ratio sumitur secundum rationem causae; aliae sumuntur penes rationem causae et excellentiae, quia considerant ordinem et distinguuntur secundum ordinem in triplici genere causae [4], efficientis sive moventis, finientis et exemplaris.

Quomodo distinguuntur.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod postea dicit Magister, quod *ex perpetuitate intelligitur Conditor aeternus.* Nihil enim valet: effectus est perpetuus [5], ergo efficiens est aeternus.

Item quaeritur similiter [6] de hoc quod dicit: *Ex magnitudine omnipotens.* Nihil enim valet: fecit magna, ergo est omnipotens vel potest facere omnia.

Respondeo: Ad hoc dicunt aliqui, quod tantum est quaedam persuasio per signum, non necessaria argumentatio. Dicunt enim, quod omnipotentia et aeternitas, cum sint infinitae, non possunt sufficienter probari per creaturas, quae sunt finitae [7]. — Aliter tamen potest dici, quod quamvis non sequatur in quolibet efficiente, tamen necessario sequitur in efficiente sive perpetuante primo. Impossibile enim est, quod creatura habeat esse et magnum esse [8] et hoc totum ab aliquo, qui non possit in totum; et qua ratione in hoc totum, et in quodlibet. Similiter, si est primum perpetuans, est omnino in actu et nihil in potentia; et si hoc, cum possit facere durare aliud in infinitum, ipsum est actu infinitum duratione: ergo aeternum.

Solutio 1. Solutio 2.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Omnia quae arte divina condita* [9] *sunt, unitatem quandam in se ostendunt et speciem et ordinem.* Videtur enim primo dicere falsum, quia si hoc, cum haec tria condita sint, tunc habent *unitatem, speciem* et *ordinem,* et sic de aliis: ergo si est stare, tunc aliqua condita sunt, quae haec non habent [10].

Item videtur male enumerare, quia Augustinus [11] ponit ista tria: *modum, speciem* et *ordinem,* et haec alia: *unitatem, veritatem* et *bonitatem.* Quaeritur ergo de diversis modis enumerandi, unde veniant.

Respondeo: Ad hoc dicunt aliqui, quod hoc intelligitur de creaturis perfectis, vel si de omnibus [12], tunc illa tria non dicunt conditiones in re creata, sed in exemplari increato. — Potest tamen dici, quod in primis intentionibus et generalibus [13] est reflexio et ideo status, nec est ultra procedendum.

Solvitur dupliciter.

Ad illud quod quaeritur de enumeratione illorum trium, quod non videtur conveniens; dicendum quod res creata habet tripliciter considerari: aut in

Tres modi considerandi creaturam.

---

post *nihilo* cod. K legit *non potest esse nisi a potentia infinita, et quod sit actus eius quod est super naturam et super omnem creaturam;* deinde omittit cetera usque ad *In aliis.*

[1] Vat. contra mss. et ed. 1 *quae.* Paulo infra ed. 1 *primo* pro *proprio.*

[2] Aristot., VII. Phys. text. 1. et 3. — Mox cod. R post *quia* addit *in bono* et paulo infra cod. Y post *pulcrius* adiungit *reducuntur.*

[3] Fide mss. et ed. 1 substituimus *utrumque* loco *utraque* et immediate post loco *autem* posuimus *enim.*

[4] Vat. hic addit *ut,* sed obstant mss. cum edd. 1, 2, 3, 4, 5. — Plura de his argumentis vide infra d. 8. p. I. a. 1. q. 2. et Hexaëm. Serm. 5. et 10.

[5] Hoc est, qui licet habeat initium, non tamen habet finem. — Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 omittendo verba *Nihil enim valet,* obiectionem ita proponit: *Effectus non est perpetuus: ergo neque efficiens est aeternus;* sed minus ad rem, ut liquet ex responsione S. Doctoris ad obiectionem.

[6] Restituimus ex mss. et ed. 1 verbum *similiter.*

[7] Hanc sententiam defendit Scot., I. Sent. d. 2. q. 3. n. 6. et d. 42. q. unic. et Quodlib. q. 7.

[8] Depravatam lectionem Vat. *habeat ita magnum esse et ita dispositum, et hoc* emendavimus ex mss. et ed. 1.

[9] Plures codd. omittunt *divina,* omnes autem habent *condita* contra Vat., quae ponit *facta.*

[10] Perturbata lectio Vat. *falsum, quod quae condita sunt sive facta, habeant ista tria, scilicet unitatem, speciem et ordinem: quia aliqua condita sunt quae haec non habent, sicut diabolus et reprobi* castigatur ope codd. et ed. 1, qui quoad substantiam lectionis in textum receptae consentiunt, licet quoad accidentalia divergantur; sic cod. A *quia similiter* loco *quia si hoc,* cod. O post *condita sunt* satis bene addit *haec;* codd. I K *ergo* pro *tunc,* cod. M *tunc haberent* loco *tunc habent.*

[11] Libr. de Natura boni, c. 3: Haec ergo tria: modus, species, ordo tanquam generalia bona sunt in rebus a Deo factis sive in spiritu, sive in corpore. Similia habet V. de Civ. Dei, c. 11. De *unitate, veritate et bonitate* vide libr. de Vera Relig. c. 11, 36. et 55. — Ope mss. et ed. 1 substituimus *ponit* pro *enumerat* ac paulo infra post *veritatem* supplevimus *et.*

[12] Codd. V W hic addunt *et.*

[13] Hoc est, in transcendentalibus rationibus *unitatis, veritatis et bonitatis* unaquaeque potest de se et aliis praedicari, v. g. veritas est vera, una et bona; in aliis autem rationibus seu formis haec reflexio *proprie* non admittitur; sic improprie dicitur albedo est alba. Cfr. infra d. 17. p. I. q. 2. ad ult. — Difficultas a Seraphico hic proposita tangitur et infra d. 33. q. 4. ad. 1. et 2. Cfr. et Alex. Hal., S. p. I. q. 18. m. 1. ad 1. et p. II. q. 7. m. 2. ad 6. — B. Albert., hic a. 15. — Richard. a Med., hic circa lit. et d. 33. a. 3. q. 2.

se, aut in comparatione ad alias creaturas, aut in comparatione ad causam primam. Et secundum hos omnes modos contingit reperire trinitatem dupliciter.

Sex assignationes trinitatis in creatis.

Si enim consideretur quantum in se vel quantum ad se, hoc est, aut quantum ad *substantiam principiorum;* et sic est illa trinitas: materia, forma, compositio, quae ponitur in libro de Regula fidei [1]; aut quantum ad *habitudines;* et sic est illa, Sapientiae undecimo [2]: *Omnia in numero, pondere et mensura disposuisti.* In *numero* enim intelligitur principiorum distinctio, in *pondere* propria ipsorum inclinatio, in *mensura* eorum [3] ad invicem proportio.

Item, si consideretur una creatura *in comparatione ad alias creaturas*, hoc potest esse [4] aut in quantum agit actione *naturali;* et sic sumitur illa trinitas Dionysii [5], *substantia, virtus* et *operatio;* aut in quantum agit actione *spirituali;* et sic illa Augustini, de octoginta tribus Quaestionibus [6], « *quo constat, quo congruit, quo discernitur* », et ultimum refertur ad animam.

Si autem considerentur [7] in *comparatione ad Deum*, hoc potest esse duplicitur: aut in quantum referuntur tantum; et sic est illa, *modus, species* et *ordo;* aut in quantum referuntur et assimilantur; et sic est illa, *unitas, veritas* et [8] *bonitas.*

Quoniam ergo vestigium attenditur in comparatione ad Deum proprie, ideo in his ultimis conditionibus proprie accipitur vestigium. Et quia magna est inter istas comparationes convenientia, ideo Magister miscet haec ad invicem propter multam convenientiam et correspondentiam [9]; quia *unitas* respondet *modo*, qui respicit Deum ut causam efficientem; *veritas speciei*, quae respicit ipsum ut exemplar; *bonitas ordini*, qui [10] respicit Deum ut finem.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod appropriat veritatem Filio dicens: *Perfectissima pulcritudo intelligitur Filius, scilicet veritas Patris.* Sed contra Augustinus in Soliloquio [11]: « Veritas est id quod est »; sed ens nulli personae appropriatur: ergo nec veritas.

Item videtur male appropriare *ordinem* Spiritui sancto, quia in praecedenti capitulo dicit, quod ex ordine intelligitur sapiens [12]; sed *sapientia* appropriatur Filio: ergo et *ordo.*

Respondeo: Dicendum, quod veritas potest dupliciter considerari, sicut et [13] color. Nam uno modo color consideratur secundum *id in quo est;* et sic definitur in libro de Sensu et sensato [14]: « Color est extremitas perspicui in corpore terminato ». Alio modo in comparatione *ad visum*, quem movet; et sic definitur in libro de Anima [15]: « Color est motivum visus secundum actum lucidi ».

Definitiones veritatis.

Similiter *veritas* potest considerari in comparatione ad id *in quo est;* et sic verum est [16] id quod est; alio modo per comparationem *ad intellectum*, quem movet; et sic veritas, ut dicit Philosophus in secundo Metaphysicae [17], « est finis intelligentiae speculativae ». Secundum primum modum dicit Anselmus [18]: « Veritas Patris est essentia Patris ». Quantum ad secundum modum dicit Hilarius [19], quod « veritas est declarativum esse ». Et quoniam Filius [20] procedit ut Verbum, cui appropriatur ratio decla-

---

[1] Alanus ab Insulis, de Arte seu Articulis catholicae fidei, a. 24: Materia et forma earumque compago tria prorsus diversa sunt. — Vat. contra mss. et ed. 1 minus convenienter *ponuntur.* Cod. V *compositum* loco *compositio.*

[2] Vers. 21. — Paulo ante post *habitudines* Vat., contradicentibus mss. et ed. 1, omittit *et.*

[3] Cod. W *propria eorum.*

[4] Cod. X adiungit *dupliciter.*

[5] De Caelest. Hierarch. c. 11: In tria dividuntur secundum se supermundana ratione omnes divini intellectus: in essentiam et virtutem et operationem.

[6] Quaest. 18: Aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. — In quo textu multi mss. cum sex primis edd. loco *quo* habent *quod*, sed inepte. Cod. X glossando: *quod constat ex suis principiis, quod congruit in ordine cum creaturis aliis, quod discernitur ab aliis creaturis per rationem imaginis.*

[7] Supple: creaturae.

[8] Ex codd. supplevimus *et.*

[9] Vat. praeter fidem mss. *respondentiam.*

[10] Mendum Vat. *quae* correximus ex mss. — Quamvis in propositione principali, quod scil. in omni creatura sit vestigium Trinitatis, omnes scholastici conveniant, tamen in enumeratione et explicatione partium huius vestigii est aliqua inter ipsos differentia, ut videre licet apud Dionys. Carth., hic q. 4. Cfr. et B. Albert., S. I. tract. 3. q. 15. m. 2. et hic a. 13. seqq.; ac S. Thom., hic q. 2 a. 3; et S. I. q. 45. a. 7. ac q. 93. a. 6..

[11] Libr. II. c. 5: Verum mihi videtur esse id quod est.

[12] Cod. V X cum edd. 2, 3 *sapientia*, sed contra textum Magistri.

[13] Restituimus ex mss. cum ed. 1 indebite omissam particulam *et.*

[14] Cap. 3: Quare color utique erit perspicui extremitas in determinato corpore (ed. Venet. 1489).

[15] Libr. II. de Anima, text. 67. (c. 7.): Omnis enim color movens est eius quod secundum actum diaphani (ed. Venet. 1489).

[16] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 hic minus apte addit: *quod dicit Augustinus: Veritas est id.*

[17] Text. 3, secundum ed. Venet. 1489: Finis enim scientiae speculativae est veritas.

[18] Verba citata videntur esse desumta ex Monolog. c. 46, ubi ostendit, quod Filius sit veritas et ipsa essentia paternae substantiae.

[19] Colligitur ex V. de Trin. n. 3. seq., ubi exponit, quod « veritas ex natura et ex virtute est », sive ut paulo infra habetur, quod « naturae virtus praestat veritatem ».

[20] Fide plurimorum codd. et ed. 1 expunximus *est qui*, quod Vat. hic addit.

randi, ideo ei appropriatur ratio exemplaris et per consequens ratio veritatis, quantum ad secundum modum veritatis; ipse autem accipit primo modo[1].

Ad illud quod obiicitur de *ordine*, dicendum, quod est ordo rerum in universo; et hic appropriatur sapientiae; et est ordo rerum in finem; et hic appropriatur bonitati; et sic patet, quod non est contrarietas.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM III.

Pars. II.

De cognitione Dei per similitudines propinquas sive per imaginem.

Nunc vero ad eam iam perveniamus disputationem.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA P. 63 ET DIVISIONEM EIUSDEM P. 66.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

ARTICULUS I.

De prima assignatione imaginis.

Consequenter ad intelligentiam istius partis secundae praesentis distinctionis, cuius divisio posita est supra [2], quantum ad primam assignationem imaginis, quae est per memoriam, intelligentiam et voluntatem, tria quaeruntur.

Primum est, utrum in his tribus attendatur ratio imaginis.

Secundum est de comparatione istarum ad obiectum.

Tertium est de comparatione earum ad animam vel subiectum.

QUÆSTIO I.

Utrum ratio imaginis attendatur in memoria, intelligentia et voluntate.

Quod autem in omnibus simul sit, videtur.

Fundamenta. 1. Ad rationem enim imaginis requiritur expressa conformatio in distinctione; sed distinctio in divinis attenditur quantum ad tres personas: ergo maxime [3] in imagine creata attenditur quantum ad tres potentias.

2. Item, ratio imaginis consistit in perfecta capacitate, quia secundum Augustinum [4] « eo est mens imago, quo potest esse capax et particeps Dei »; sed Deus non capitur ab anima plene nisi ametur, neque amatur nisi intelligatur, nec intelligitur nisi praesens ad animam habeatur; sed primum est per voluntatem, secundum per intelligentiam, tertium per memoriam: ergo etc.

3. Item, notitia sive intelligentia appropriatur Filio, voluntas Spiritui sancto: ergo aut truncata et diminuta erit assignatio imaginis, aut necesse est ponere potentiam respondentem Patri.

Sed contra: 1. Ad esse imaginis requiritur repraesentatio in distinctione originis et ordinis; sed in istis potentiis non est talis distinctio, quia simul sunt cum anima concreatae, nec una est ab alia nec una [5] post aliam: ergo in istis non est reperire rationem imaginis. Ad oppositum.

2. Item, imago est repraesentatio secundum exteriorem dispositionem, ut patet [6]; sed istae tres potentiae sunt intimae ipsi animae: ergo in ipsis non est ratio imaginis.

3. Item, quod specialiter *memoria* non sit de ratione imaginis, videtur, quia imago cum sit animae essentialis et secundum potentiam rationalem sit in ipsa, memoria vero, ut dicit Philosophus [7], est sensibilium, quia est in brutis; unde differt a reminiscentia, quia reminiscentia non est in brutis: ergo videtur quod memoria non pertineat ad imaginem. *Praeterea*, sive [8] memoria sit sensibilium sive in-

---

[1] De veritate plura vide infra d. 8. p. I. a. 1. q. 1.

[2] Vat. omittit: *cuius divisio posita est supra*, quod tamen exstat in mss. et ed. 1; et paulo infra post *tribus* ponit *scilicet memoria, intelligentia et voluntate.*

[3] Vat., obnitentibus mss., *necessario.* — De variis imaginis definitionibus, in quibus hoc argumentum et plura sequentia fundantur, cfr. d. 31. p. II. q. 1. et 2., ac ibid. dub. 2. et 3.

[4] Libr. XIV. de Trin. c. 8. n. 11. Vide supra d. III. in lit. Magistri, c. 2. circa initium. — Paulo infra post *praesens* ope mss. posuimus *ad* loco *apud.*

[5] Plures codd. ut ABIPQTX etc. hic repetunt *est.*

[6] Codd. IXY *ut in imagine hominis picti patet.* Immediate post cod. I *igitur si* loco *sed.*

[7] Libr. de Memoria et Reminisc. c. 1. et 2. (in aliis. edd. c. 2. et 4.). — Paulo infra post *brutis* Vat. absque ulla auctoritate mss. et ed. 1 omittit *unde differt* usque ad *in brutis*, ac mox habet *pertinet* loco *pertineal.* Paulo ante codd. NZ *connaturalis* pro *essentialis.*

[8] Vat. contra mss. et ed. 1 *cum* loco *sive* et in fine argumenti *temporalibus* pro *temporibus.*

telligibilium, concernit differentiam temporis, quia est acceptio praesens de praeteritis; sed imago abstrahit a conditionibus sensibilibus et temporibus: ergo etc.

4. Item, imago attenditur in his quae sunt nata recipere imaginem reformationis sive similitudinis; sed imago illa consistit in tribus virtutibus theologicis, quarum nulla est in memoria: ergo etc.

5. Item, quod *voluntas* non sit de integritate imaginis, videtur, quia dicitur in libro de Spiritu et anima [1]: « Imago est in potentia cognoscendi, similitudo est in potentia diligendi »; sed voluntas non pertinet ad potentiam cognitivam: ergo etc.

6. Item, omnis potentia, quae est de imagine, debet aliis aequari, quia ad rationem imaginis requiritur aequalitas; sed voluntas non aequatur aliis, quia multa intelligimus, quae non volumus: ergo etc. *Si dicas*, quod non attenditur aequalitas respectu obiectorum, sed respectu actuum, ut sit sensus: quaecumque [2] intelligo, volo me intelligere, adhuc non est verum, quia multorum meminimus, quae nollemus meminisse.

CONCLUSIO.

Ratio imaginis attenditur in his tribus potentiis, memoria, intellectu et voluntate, cum comparatione ad unitatem essentiae et pluralitatem actuum.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Augustinus et Magister recitat [3], imago attenditur in his tribus potentiis, tamen in comparatione ad unitatem essentiae et pluralitatem actuum, in quibus est distinctio et ordo et origo unius ab altero per modum quendam disponendi. Nam retentio speciei disponit ad intelligendum et intelligentia ad amandum, si quod intelligitur est bonum [4].

Conclusio.

1. Et per hoc patet solutio ad illud quod obiicitur: in istis potentiis non est distinctio per originem: ergo etc.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud [5] quod obiicitur, quod imago attenditur secundum exteriorem dispositionem; dicendum, quod est imago rei *corporalis* et sensibilis; et haec, quia offert se cognitioni per exteriora, habet imaginem repraesentantem secundum exteriorem dispositionem. Est iterum imago rei *spiritualis,* quae est intima cuilibet rei, et quae cognoscitur secundum quod virtus recolligitur ad intima; et haec [6] habet imaginem repraesentantem quantum ad intimas dispositiones.

3. Ad illud [7] quod obiicitur, quod memoria est sensibilium; dicendum, quod memoria accipitur tripliciter: uno modo prout est receptiva et retentiva sensibilium et praeteritorum; alio modo prout est retentiva praeteritorum, sive sensibilium sive intelligibilium; et tertio modo prout est retentiva specierum, abstrahendo ab omni differentia temporis, utpote specierum innatarum. Et hoc tertio modo est pars imaginis; sed obiectio currit de aliis primis duobus modis. Primo modo memoria sequitur sensum, secundo modo sequitur ipsam intelligentiam et voluntatem, tertio modo antecedit et respondet Patri.

Triplex memoria.

4. Ad illud quod obiicitur, quod memoria non reformatur; dicendum, quod immo memoria reformatur et quantum ad statum viae et quantum ad statum patriae: in *primo* per *spem;* et hoc patet per expositionem Augustini super illud verbum Matthaei vigesimo secundo [8]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde,* « id est, intellectu sine errore, *ex tota anima*, id est, voluntate sine contradictione, *ex tota mente*, id est, memoria sine oblivione ». In *secundo* statu reformatur quantum ad *tentionem;* unde Bernardus [9] dicit, quod « Deus est futurus intelligentiae plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriae continuatio aeternitatis ». Nec est [10] inconveniens, quod memoria, quamvis sit prima, reformetur per dotem ultimam; quia ordo reformationis et deformationis incipit a *posteriori,* ordo autem informationis [11] incipit a *superiori:* ideo a voluntate incipit reformatio et tendit usque in memoriam.

Reformatio memoriae.

5. Ad illud quod obiicitur, quod imago est in potentia cognoscendi; dicendum, quod similitudo dicit quid gratuitum, et ideo dicitur esse per ap-

---

[1] Cap. 39: Anima rationalis et intellectus facta est ad imaginem et similitudinem Dei, ut factorem suum pro imagine cognoscat, et pro similitudine diligat. Ex imagine namque Dei habet rationem et ex similitudine caritatem.

[2] Vat. contra plurimos codd. ut ACFGHIKT etc. et ed. 1 *quidquid*.

[3] Hic c. 2. — Paulo post Vat. *cum* loco *tamen in,* sed minus signanter et contra mss. et ed. 1.

[4] Corruptam lectionem Vat. *amandum secundum quod intelligitur esse bonum* emendavimus ope mss. et ed. 1.

[5] Plures codd. ut A T etc. et ed. 1 *aliud* loco *illud.*

[6] Restituimus ex mss. et ed. 1 *haec.* Paulo ante post *virtus* in cod. A additur *intelligibiliter.*

[7] Ope antiquorum mss. et ed. 1 expunximus a Vat. additum *ergo.* Paulo infra post *sensibilium* cod. O omittit *et* moxque cod. M loco *retentiva* ponit *receptiva.*

[8] Vers. 37. Expositionem huius loci, non solum a S. Bonaventura, sed etiam a S. Thoma (III. Sent. d. 27. expos. textus) Augustino adscriptam, non potuimus invenire in ipsius operibus. S. Thomas in Catena aurea (Matth. 22, 37.) eam attribuit Glossae interlineari, in qua sic legitur: Ex toto corde, id est intellectu, ut nullam in confessione divinitatis relinquas errori locum; in tota anima, id est voluntate, ut nihil ei contrarium velis, in tota mente, nihil reminiscens quo minus de eo sentias. — Tam in libr. de Spiritu et anima, c. 35, quam in libr. de Diligendo Deo, c. 2, qui inter opera S. Augustini recensebantur, simpliciter dicitur: Id est ex toto intellectu tuo et ex tota voluntate tua et ex tota memoria tua.

[9] In Cant. Cant. Serm. 11. n. 5. — Vat. contra mss. et ed. 1 *quia* loco *quod.*

[10] Ope mss. et ed. 1 delevimus *etiam.* Paulo post cod. T *prior* loco *prima.*

[11] Vat. *formationis*, sed obest auctoritas mss. et ed. 1, qui etiam paulo post omittunt *reformatio*, quod tamen claritatis gratia non expunximus. Vide plura infra in Scholio ad hanc quaestionem.

propriationem in voluntate sive in dilectione. Imago vero non dicit gratuitum, et [1] ideo dicitur esse in potentia cognoscendi.

Alia solutio. Vel aliter de imagine: quia in Filio est propria [2] imago, et Filio appropriatur intelligentia, quae est in potentia cognitiva; ideo dicitur imago esse in potentia cognoscendi.

6. Ad illud [3]: Voluntas non aequatur intelligentiae; dicendum, quod voluntas, prout communiter accipitur ad velle et nolle, quorum utrumque est actus voluntatis, bene aequatur, secundum quod dicitur *uti* esse commune ad utrumque, sicut dicit Augustinus et habetur in littera [4], quod voluntas capit alia, dum utor etc. Quidquid enim recordamur vel intelligimus, in facultatem voluntatis accipimus ad eligendum vel ad respuendum; et istud est, secundum quod dicit actum *communem* voluntatis [5]; sed secundum actum *specialem*, qui est velle tantum, non aequatur; et de isto opponitur, quia [6] *sic* velle non comprehendit totam voluntatem, sicut meminisse totam memoriam et intelligere totam intelligentiam.

SCHOLION.

I. In responsione duplex est propositio. *Prima* est ipsa conclusio principalis, quae dicit, quod imago summae Trinitatis consistit in dictis tribus animae potentiis, quatenus includunt et unitatem essentiae et pluralitatem actuum secundorum. *Secunda* propositio, quae illam explicat et probat, est haec: sicut in divinis personis est et *distinctio* et *ordo* et *origo*, ita etiam in actibus harum potentiarum haec tria inveniuntur. Nam actus earum realiter distinguuntur; porro memoriae actus sive retentio speciei *disponit* ad intelligendum et intelligentia ad amandum. Unde ex memoria quasi procedit actus intellectus, et ex memoria et intellectu amor.

Triplex illa distinctio memoriae (in solut. ad 3.) invenitur etiam apud Alex. Hal., S. p. II. q. 62. m. 5. a. 7. et Petr. a Tar., hic q. 5. a. 1.

II. In solut. ad 4. dicitur cum sententia tunc communi, quod memoria reformatur in statu viae per *spem*, in statu gloriae per *tentionem*. Rationem, cur spes attribuatur memoriae, S. Doctor exhibet II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3. in corp., scil. « quia habent conformitatem in actu, qui est *tenere* ». — Verba ibidem posita: « Ordo reformationis et deformationis incipit a posteriori » hunc sensum habent: *deformatio* imaginis per culpam et *reformatio* per gratiam incipit a voluntate, quae in ordine potentiarum est ultima sive posterior, quia *actus* voluntatis praesupponit actum intellectus, et hic actum memoriae, si memoria sumitur in tertio sensu, immediate antea explicato. In hoc sensu memoria est prior et intimior et per consequens *superior*. Nam « in anima humana idem est intimum et supremum » (II. Sent. d. 8. p. II. q. 2.). In ordine vero *formationis* sive *informationis* hae tres potentiae constituunt ipsam vitam spiritualem quasi per modum formae informantis; et sic memoria est prima potentia, et in hoc sensu informatio incipit ab ipsa. Pro explicatione cfr. II. Sent. d. 26. a. 1. q. 5. praesertim ad 4. — Ad obiect. 5. duplex datur responsio; de prima cfr. II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.

III. Quoad rationem imaginis vide infra d. 31. p. II. a. 1. q. 1. et Schol. Alia plura, quae in hac et seqq. qq. occurrunt, exponuntur et probantur ab ipso S. Doctore II. Sent. d. 16; Breviloq. p. II. c. 12; Itinerar. mentis, c. 4. — S. Thom., hic q. 3. et 4; II. Sent. d. 16; S. I. q. 93. praesertim a. 5. 6. — Alex. Hal., S. p. II. q. 62. m. 5. a. 6. et 7. — Scot., hic q. 9. et Report. hic q. 7. — Albert., hic a. 19; S. p. I. tr. 3. q. 15. m. 2. a. 2. supp. 2. — Petr. a Tar., hic q. 5. a. 1. Richard. a Med., hic p. II. a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 40. q. 7. n. 16. — Durand., hic. p. II. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 8. — Biel, hic q. 10.

QUÆSTIO II.

Utrum imago attendatur in his potentiis per comparationem ipsarum ad Deum.

Secundo quaeritur de potentiis in comparatione ad obiectum, utrum videlicet attendatur imago in eis per comparationem ipsarum ad Deum [7]. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. « Eo est anima imago, quo capax Dei est et particeps esse potest », ut dicit Augustinus decimo quarto de Trinitate [8]; sed est capax quantum ad partem superiorem: ergo etc.

2. Item, in eodem [9]: « Imago illius, quo nihil melius est, ibi quaerenda est et invenienda, quo mens nostra nihil melius habet »; sed hoc est superior pars: ergo etc.

3. Item, hoc idem videtur *ratione*, quia imago dicitur eo quod ducit in prototypum [10]: ergo cum illud sit Deus, non attenditur imago in his potentiis,

---

[1] Fide mss. restituimus particulam *et*.

[2] Vat. contra mss. et ed. 1 *prima*. Cod. R *quia enim in Filio proprie est imago*. Mox codd. P Q *cognitiva* loco *cognoscendi*.

[3] Plures codd. ut X Y hic addunt *quod*, alii ut B I aa bb *quod obiicitur quod*.

[4] Hic c. 2, circa medium, iuxta quem textum et ope antiquiorum mss. et ed. 1 mutavimus hoc loco *illam* in *alia*, scilicet intelligentiam et memoriam. — Mox multi codd. cum ed. 1 omittunt particulam *enim*.

[5] Cfr. supra d. 1. a. 1. q. 1.

[6] Ita mss. cum ed. 1, licet aliqui loco *quia* minus bene habeant *quod*, sed Vat: *De isto est oppositio, quo modo sic.*

[7] Cod. X addit *tantum vel etiam attendatur in eis per conversionem animae supra se vel etiam per conversionem ipsius super inferiora. Et videtur primo per comparationem ad Deum.* Deinde post *videtur* expunximus *quia* ope plurimorum codd. et ed. 1.

[8] Cap. 8. n. 11; vide hic in lit. Magistri, cap. 2.

[9] Libr. XIV. de Trin. c. 8. n. 11: Imago tamen naturae eius, qua natura melior nulla est, ibi quaerenda et invenienda est in nobis, quo etiam natura nostra nihil habet melius. — In his verbis Vat. contra mss. et ed. 1 ponit *inquirenda* loco *ibi quaerenda*. Plures codd. cum ed. 1 paulo post *haec* loco *hoc*.

[10] Ioan. Damasc., Orat. 1. de Imag. ait: Imago itaque est similitudo exemplar (πρωτότυπον) ita exprimens, ut aliqua ratione tamen ab eo differat. Et ibid. Orat. 3: Imago itaque est similitudo, exemplum et effigies cuiuspiam, in qua ille cuius est ostenditur.

nisi secundum quod ducunt in Deum; sed per has potentias homo ducitur in Deum, dum per eas convertitur in eum: ergo etc.

4. Item, Deus est obiectum virtutum theologicarum, in quibus consistit imago reformationis: ergo, cum idem sit obiectum utriusque imaginis, quia una est ductiva [1] alterius et perfectiva, si Deus est obiectum unius, et alterius.

Ad oppositum.

Contra: 1. Augustinus nono de Trinitate [2] assignat imaginem in mente, notitia et amore, secundum quod anima meminit sui, intelligit se, diligit se: ergo videtur, quod imago attendatur per conversionem sui supra se.

2. Item, Augustinus duodecimo de Trinitate, capitulo quarto [3]: « Cum in natura mentis humanae quaerimus trinitatem, in tota quaerimus, non separantes actionem temporalium a contemplatione aeternorum, ut tertium aliquid iam quaeramus »: ergo trinitas imaginis attenditur secundum actionem temporalium, et ita per conversionem ad inferiora.

3. Item, secundum quod anima convertitur supra inferiora vel supra se, in ipsa [4] est aequalitas et ordo et origo et omnia, quae concurrunt ad rationem imaginis.

4. Item, imago est in peccatoribus a Deo aversis, et in illis etiam qui nullo modo possunt reverti, ut sunt damnati: ergo ratio imaginis non attenditur penes conversionem ad Deum.

5. Item, necesse est, quantum ad perfectam rationem imaginis aequari cognoscentem et cognitum, sive dicentem et dictum; nam ista duo Patrem et Filium repraesentant; sed in conversione ad Deum non est talis aequatio: ergo etc.

CONCLUSIO.

Imago primo et principaliter est in potentiis animae, quatenus convertuntur in Deum; secundario vero in eis, quatenus convertuntur ad ipsam animam; quatenus vero convertuntur ad inferiora, non est in eis imago, sed tantum vestigium Trinitatis.

Tria praesupponuntur.

Respondeo: Ad intelligentiam praedictorum tria oportet in imaginis ratione praesupponere: *primo* enim imago attenditur secundum expressam conformitatem ad imaginatum; *secundo*, quod illud quod conformatur imagini, per consequens conformetur imaginato; unde qui videt imaginem Petri, per consequens videt et Petrum; *tertio*, quod anima secundum suas potentias conformis reddatur his ad quae convertitur, sive secundum cognitionem, sive secundum amorem.

Quoniam igitur, cum anima convertitur ad Deum, sibi conformatur, et imago attenditur secundum conformitatem: ideo imago Dei consistit in his potentiis, secundum quod [6] habent obiectum Deum. Conclusio 1.

Rursum, quoniam anima est imago Dei, et quod convertitur et conformatur imagini, et imaginato [7], ideo anima, secundum quod convertitur supra se, non recedit a conformitate; et ideo imago consistit in his potentiis, secundum quod habent animam pro obiecto. Conclusio 2.

Sed cum convertitur ad creaturas inferiores, illis conformatur, in quibus non est imago Dei, sed vestigium. Ideo [8] potentiae animae, secundum quod habent inferiora pro obiectis, recedunt a ratione imaginis, quia recedunt a conformitate expressa. Conclusio 3.

Trinitas quaedam in tota anima, non imago.

Licet itaque in huiusmodi potentiis, secundum quod convertuntur ad inferiora, sit reperire trinitatem et aliquam conformitatem, similiter et in potentiis sensitivis, sicut ostendit Augustinus [9]; quia tamen deficiunt ab expressa conformitate, non reperitur ratio imaginis in eis. Unde Augustinus investigat in omnibus potentiis animae trinitatem, non quia in eis sit imago, sed ut a ratione imaginis excludat. Unde quaerens totam [10] trinitatem in tota anima, quaerit eam in superiori et inferiori parte rationis et in sensu. Et hoc est quod dicit in illa auctoritate: « Cum in natura mentis humanae quaerimus *trinitatem*, in tota quaerimus »; non dicit, quaerimus *imaginem*. Unde Augustinus duodecimo de Trinitate, capitulo quarto [11]: « Quamvis in inferiori parte rationis inveniri trinitas possit, imago tamen inveniri non potest ».

Epilogus.

Concedendum est ergo, quod imago consistit in his potentiis, secundum quod ad animam convertuntur, primo tamen et principaliter, ut ostendunt primae rationes, secundum quod convertuntur ad Deum. Unde Augustinus his duobus modis assignat imaginem: prima est in mente, notitia et amore,

---

[1] Aliqui codd. ut FMY cum ed. 1 *directiva* loco *ductiva*. Cod. K (a secunda manu) *ductiva vel directiva in cognitionem alterius*. Mox Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 post *perfectiva* addit *propterea* et post *unius* adiungit *ergo*.

[2] Cap. 4. n. 4, in cuius imaginis assignatione Vat. tum contra textum Augustini tum contra mss. et ed. 1 loco *notitia* ponit *intellectu*.

[3] Num. 4, in quo textu loco *temporalium* in originali legitur *rationalem in temporalibus*.

[4] Sequimur codd. DFT adiungendo manifeste supplendum *in ipsa*.

[5] Vat. *conformatur* et paulo post *redditur*.

[6] Restituimus meliorem lectionem mss. et ed. 1 loco *quae* ponendo *secundum quod*. Paulo ante in multis codd., ut AF GHKT etc. post *imago* abest *Dei*.

[7] Ita maior pars codd. BDEHIKVW etc. cum ed. 1; alii omittunt vel *convertitur et* vel *et conformatur*. Vat. autem contra omnes codd. ponit *et secundum quod conformatur imagini;* codd. LOY elipsim explendo post *imagini* addunt *conformatur*.

[8] Aliqui codd. ut AT bb cum ed. 1 addunt *ergo*.

[9] Augustini opinionem de trinitate in potentiis animae ad inferiora conversis vide XII. de Trin., et de trinitate in potentiis sensitivis ibid. libr. XI. — Paulo ante post *similiter* a Vat. indebite omissam particulam *et* revocavimus ex mss. et ed. 1.

[10] Supplevimus ex mss. *totam*.

[11] Num. 4: In hoc autem quod derivatum est in actione temporalium, etiamsi trinitas possit, non tamen imago Dei possit inveniri.

secundum quod mens novit et amat se; secunda est in memoria, intelligentia et voluntate. Et in fine libri ostendit, completissimam rationem imaginis esse in comparatione ad Deum [1].

Solutio oppositorum.

1. 2. 3. Ex his patet responsio ad primum et secundum et tertium: quia primum argumentum concedendum est, secundum vero concludit, quod in inferiori parte sit trinitas, et tertium, quod conformitas; sed haec soluta sunt, quia non est expressa.

4. Ad illud quod obiicitur de aversione peccatorum, solvendum [2], quod non dicimus imaginem in his potentiis secundum conversionem *actualem*, sed *aptitudinalem*, quae nunquam relinquit potentias: sicut gressibilis etiam dicitur homo, qui habet pedes truncatos, quamvis non gradiatur.

5. Ad illud quod obiicitur, quod necesse est, in imagine cognoscens et cognitum adaequari; dicendum, quod non oportet, cognitum adaequari cognoscenti adaequatione *rei ad rem*, sed sub *ratione cognoscibilis*. Unde tantum est cognitum in intelligentia, quantum repraesentatur a memoria. Quod autem simpliciter adaequetur non oportet; adaequatur tamen, secundum quod anima convertitur supra se. Unde ratio imaginis quoad quid est plus in conversione ad Deum, quoad quid est plus in conversione animae supra se. In conversione ad Deum est plus, quia plus habet de ratione venustatis et conformitatis; in conversione ad se plus habet de ratione consubstantialitatis et aequalitatis.

Duplex adaequatio.

SCHOLION.

I. Distinctio rationis in partem superiorem et inferiorem in corp. accipitur non ex parte ipsius *potentiae*, sed ex parte *obiecti*, quatenus anima attingit vel obiecta exteriora et inferiora, vel interiora et superiora, sive ut dicit S. Doctor: « Non est differentia nisi secundum aspectum », II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 2., cfr. etiam ibidem p. II. a. 1. q. 1; Breviloq. p. I. c. 12; Itinerar. mentis, c. 1. — Alex. Hal., S. p. I. q. 2. m. 3. a. 3. — S. Thom., S. I. q. 79. a. 9. et 10. de Verit., q. 15. a. 1. et 2.

II. Quoad ipsam quaestionem: Alex. Hal., S. p. II. q. 62. m. 5. a. 5. §. 2. — B. Albert., hic a. 22; S. p. I. tr. 3. q. 15. m. 2. a. 2. subp. — Petr. a Tar., hic q. 5. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 3. — Ceteros vide in Scholio praecedenti.

QUÆSTIO III.

Utrum memoria, intelligentia et voluntas sint idem in essentia cum anima.

Tertio loco quaeritur de comparatione istarum potentiarum ad animam sive ad [3] subiectum, utrum videlicet sint idem in essentia cum anima. Et videtur quod sic.

Ad oppositum.

1. Augustinus dicit in decimo de Trinitate [4]: « Haec tria, memoria, intelligentia et voluntas sunt una mens, una vita, una essentia, ac per hoc una substantia ».

2. Item, Bernardus super Cantica [5]: « Tria quaedam in anima intueor, memoriam, intelligentiam et voluntatem, et haec tria ipsam ». *Si tu dicas,* quod hoc dicitur per causam; hoc nihil est, quia Augustinus de Spiritu et anima [6] dicit, quod anima « est quaedam sua, ut potentiae, et quaedam non sua, ut virtutes »; quod si per causam esset dictum, utrumque posset dici.

3. Item, hoc ipsum videtur velle dicere Philosophus [7], quia idem dicit esse principium essendi et operandi: ergo cum principium essendi sit ipsa forma substantialis, principium operandi erit ipsa; sed principium operandi est potentia: ergo potentia est principium essendi; sed non est principium essendi nisi forma substantialis in homine: ergo potentia et forma substantialis sunt idem in substantia.

4. Item, *ratione* ostenditur: Sicut materia prima nata est recipere omnia per veritatem, sic anima secundum similitudinem [8]; sed potentia materiae primae respectu formarum suscipiendarum non differt per essentiam ab ipsa [9]: ergo similiter videtur, quod potentia animae. *Probatio:* si enim per essentiam differret, aut esset *substantia,* aut *accidens.* Non *accidens,* quia antecedit omnem formam et omne

---

[1] De prima assignatione vide IX. de Trin. per totum; de secunda ibid. X. c. 11. et 12; de completissima imaginis ratione ibid. XIV. c. 8. ac 12. seqq.

[2] Vat. contra mss. *respondeo.*

[3] Cod. O addit *suum.*

[4] Cap. 11. n. 18. Vide etiam hic lit. Magistri, c. 2. in initio.

[5] Serm. 11. In fine textus citati supple cum ed. operum Bernardi *animam esse.* Vat. in initio huius textus omittit *Tria* et circa finem legit *haec tria ipsa est.*

[6] Cap. 13: Deus est omnia sua, et anima quaedam sua. Habet siquidem naturalia et ipsa omnia est. Potentiae namque eius et vires idem sunt quod ipsa. Habet accidentalia, et ipsa non est. Suae vires est, suae virtutes non est. — In fine argumenti Vat. contra mss. et ed. 1 omittit *dictum.*

[7] Vide Aristot., II. Phys. text. 28. (c. 3.); VII. Metaph. text. 59. 60. (VI. c. 17.) et VIII. Metaph. text. 8. (VII. c. 3.) ac II. de Anima, text. 2, ubi docet, formam substantialem esse principium essendi, in quantum scil. sua actualitate dat esse rei remque in certa specie constituit; II. Phys. text. 11. seqq. (c. 1.), ubi asserit, formam substantialem esse *naturam* i. e. principium motus et quietis; II. de Anima, text. 24. (c. 2.), ubi animam ut formam substantialem describit: id quo vivimus et sentimus et movemur et intelligimus primo.

[8] Cfr. Aristot., III. de Anima text. 17. et 37. seqq. (c. 5. et 8.).

[9] Aristot., I. Phys. text. 81. seq. (c. ult.); VIII. Metaph. text. 3. seqq. et XII. text. 26. (VII. c. 1. et XI. c. 5.). Ita docet Averroes, in libr. de Substantia orbis. — Mox post *quod* substituimus ex mss. et ed. 1 *potentia* loco *potentiae.* Dein post *Probatio* Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 addit *minoris.*

accidens; si *substantia*, aut ergo materia, aut forma. Praeterea, si differret, illius esset materia capax [1].

5. Item, forma accidentalis non est simplicior forma substantiali; sed potentia operandi non differt a forma accidentali, utpote potentia calefaciendi non differt per essentiam a caliditate, nec potentia illuminandi ab ipsa luce: ergo similiter videtur, quod nec potentia animae ab ipsa anima.

6. Item, quod est accidens, nulli substantiae est substantiale [2]; sed potentiae istae sunt substantiales: ergo animae non sunt accidentia [3]: ergo sunt substantia; constat quod non alia quam anima. *Probatio minoris:* quia anima rationalis, sensibilis et vegetabilis in homine non dicit diversitatem substantiarum, sed potentiarum: ergo constat, quod in homine istae differentiae: *vegetabile, sensibile, rationale,* accipiuntur a potentiis; sed [4] huiusmodi differentiae sunt substantiales: ergo et potentiae: ergo etc.

Fundamenta.

Contra: 1. Augustinus decimo quinto de Trinitate [5] assignat differentiam imaginis creatae ad Trinitatem illam, scilicet increatam, quia in illa Trinitate est habens id quod habetur, hic autem habens non est id quod habetur: ergo si anima habet tres potentias, ergo essentialiter non est illae.

2. Item, Dionysius [6] dicit, quod in quolibet creato differunt haec tria: *substantia, virtus* et *operatio:* ergo et in anima differunt substantia et potentiae.

3. Item, Boethius [7]: «In quolibet creato differunt *quo est* et *quod est,* sive *quid est* et *esse:* ergo similiter, immo multo fortius, *quod potest* et *quo potest.*

4. Item, *rationibus* ostenditur sic: quae differunt genere, differunt essentia, et unum de altero non praedicatur essentialiter [8]; sed potentiae et anima sunt huiusmodi, quia anima est in genere substantiae, sed potentiae eius sunt in secunda specie qualitatis, scilicet naturalis potentiae vel impotentiae: ergo etc.

5. Item, illa quorum unum est extra alterum, differunt essentialiter et substantialiter; sed virtus egreditur substantiam [9], quia operatur in obiectum, quod est extra; sed impossibile est, quod operetur ubi non est; si ergo virtus est ubi operatur, et operatur extra substantiam cuiuslibet: ergo egreditur extra substantiam: ergo etc.

6. Item, ad hoc est alia ratio, quia si eadem per essentiam essent anima et potentiae, ergo [10] unum non multiplicaretur nisi secundum multiplicationem alterius; et sic, cum una tantum sit anima, haberet tantum unam potentiam; sed hoc est falsum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Potentiae animae sunt substantiales et sunt in eodem genere per reductionem, in quo est anima; non sunt tamen cum ipsa omnino idem per essentiam.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam notandum est, quod potentia naturalis dicitur dupliciter [11]. *Uno modo,* prout dicit modum existendi naturalis potentiae in subiecto, secundum quem dicitur subiectum facile vel difficile ad aliquid agendum; et sic naturalis potentia dicit modum qualitatis et est generaliter in secunda specie qualitatis, ut patet, cum dicitur *cursor* et *pugillator,* quorum utrumque dicit facilitatem, quae consequitur [12] modum existendi potentiae gradiendi vel resistendi sive agendi in subiecto. *Alio modo* potentia naturalis dicitur potentia naturaliter egrediens a subiecto [13]. Et hoc potest esse dupliciter. Nam aliqua potentia egreditur a substantia *cum accidente,* ut

Dupliciter distinguitur potentia naturalis.

Subdistinctio.

---

[1] Ed. 1 *illius esset incapax.*

[2] Est simpliciter conversa huius propositionis: *Quod vere est* (i. e. substantia) *nulli accidit,* quam ponit Aristot., I. Phys. text. 27. (c. 3.).

[3] Interpolatam Vat. lectionem *quod uni est accidens, nulli substantia est, sed istae potentiae sunt ipsi animae substantiales, ergo non sunt ei accidentales et per consequens non sunt accidentia,* castigavimus ex mss. et ed. 1, qui et mox post *constat* omittunt a Vat. additum *autem.*

[4] Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, *et* loco *sed.* Paulo ante cod. M *potentiis* praemittit *istis.*

[5] Textum vide supra in lit. Magistri, c. 3. in initio.

[6] De Caelest. Hierarch. c. 11. Cfr. supra p. I. huius d. dub. 3. — Fide codd. et ed. 1 paulo infra post *ergo* adiecimus *et.*

[7] In libro, Quomodo substantiae in eo quod sint, bonae sint, sive de Hebdomadibus ait: Diversum est esse et id quod est. Et paulo post: Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est. In huius propositionis explicatione Gilbertus Porretan. ait: Aliud est *quod est,* aliud *quo est.* Vide etiam libr. de Trin. c. 2. — Plures codd. ut A E S V W X post *sive* legunt *quid est esse,* cod. Y *quidquid erat esse.*

[8] Aristot., X. Metaph. text. 12. (IX. c. 3.): Genere (differunt) quidem, quorum non est communis materia nec generatio ad invicem, quorumcumque alia figura categoriae (praedicationis). — Paulo infra post *sed potentiae* restituimus lectionem mss. et ed. 1 addendo *eius* et paulo post *vel impotentiae.* Paulo ante cod. X *sed potentiae animae et anima.* — De quatuor qualitatum speciebus vide Aristot., de Praedicam. c. de Quali.

[9] Hoc est, extra substantiam; sic Tacitus pluries dicit *terminos egredi.* — Paulo post verbo *operetur* cod. X praemittit *ibi.* Mox cod. M loco *cuiuslibet* habet *cuius est,* cod. T vero *cuiusque.*

[10] Fide mss. et ed. 1 supplevimus *ergo* et paulo infra ex codd. B D H N P Q V W X aa ee pro *unum* substituimus *una.* Cod. F *sicut anima est una tantum,* cum quo concordant codd. I O, eo excepto, quod pro *una* legunt *unum* ac dein post *tantum* addunt *sic anima.* — Alex. Hal., S. p. II. q. 65. m. 1. idem argumentum refert additque principium, in quo fundatur, scil.: Quaecumque enim uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem.

[11] Vat. contra fere omnes codd. et edd. 1, 2, 3 minus correcte *tripliciter.* Mox, postulantibus mss., substituimus *Uno* et paulo infra *Alio modo* loco *Primo* et *Secundo modo.*

[12] Vat. *sequitur* et paulo post *et* loco *vel,* sed obstant mss. et ed. 1.

[13] Vat., minus stricte exhibet oppositionem cum primo divisionis membro ponendo *a substantia* loco *a subiecto,* obnitentibus mss. et ed. 1; mox pro *Nam* habet *Uno modo.*

potentia calefaciendi. Ignis enim per suam substantiam non calefacit sine caliditate; et haec potentia non est alterius generis quam sit qualitas, a qua egreditur; unde potentia [1] calefaciendi est in eodem genere cum caliditate. Alio modo dicitur naturalis potentia, quae naturaliter egreditur a [2] substantia et *immediate,* sicut potentia generandi quantum ad inductionem ultimae formae; et haec quidem non est alterius generis quam substantia, sed reducitur ad genus substantiae tanquam substantialis differentia.

Per hunc modum intelligendum est in potentiis Applicatio. animae. Nam *uno modo* contingit nominare potentias animae secundum primum modum, ut dicunt facilitatem, quae dicit modum potentiae existendi in subiecto, sicut ingeniositas et tarditas; et haec quidem sunt in secunda specie qualitatis. *Alio modo* contingit nominare potentias, prout dicunt ordinem substantiae ad actum, qui est *mediante* aliqua proprietate accidentali, ut potentia syllogizandi, quae est in anima, cum habet habitum syllogizandi; et haec est in eodem genere, in quo est scientia syllogizandi, ut [3] in prima specie qualitatis. Contingit *iterum* nominare potentias animae, ut *immediate* egrediuntur a substantia, ut per [4] haec tria: memoriam, intelligentiam et voluntatem. Et hoc patet, quia omni accidente circumscripto [5], intellecto quod anima sit substantia spiritualis, hoc ipso quod est sibi praesens et sibi coniuncta, habet potentiam ad memorandum et intelligendum et diligendum se. Unde Conclusio 1. istae potentiae sunt animae consubstantiales [6] et sunt in eodem genere per reductionem, in quo est anima. Attamen, quoniam egrediuntur ab anima — potentia enim se habet per modum egredientis — non Conclusio 2. sunt omnino idem per essentiam, nec tamen adeo differunt, ut sint alterius generis, sed sunt in eodem genere per reductionem.

Exemplum. Et potest satis manifestum exemplum dari in *re* et in *similitudine eius.* Nam res non habet tantam identitatem cum sua similitudine, ut sint unum numero, nec tantam diversitatem, ut differant genere [7]. Similitudo enim Martini non adeo distat a Martino, ut penitus differat ab eo. Et ita similitudo rei in eodem genere est per reductionem cum eo, cuius est similitudo. Quia enim egreditur, ideo differt, sed non transit in aliud genus. Et loquor de similitudine secundum rationem similitudinis, non intentionis, id est, prout a subiecto [8] exit et non recedit, ut splendor a luce. Concedendae ergo sunt rationes probantes, quod anima non est suae potentiae per essentiam.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium de Augustino et Bernardo, quod anima est suae potentiae; dicendum, quod non est ibi praedicatio accidentis de subiecto, nec eiusdem per essentiam, sed substantialis vel essentialis.

Essentiale quadruplex. Propter quod notandum, quod essentiale dicitur quatuor modis. *Primo* modo essentiale dicitur [9] quod dicit rei essentiam totam, sicut species singularis. *Secundo* modo dicitur essentiale quod est de essentia et constitutione rei, ut materia et forma. *Tertio* modo dicitur essentiale sine quo res non potest esse nec potest intelligi esse, ut sunt illa in quibus attenditur ratio vestigii, ut unitas, veritas, bonitas. *Quarto* modo dicitur essentiale sine quo res non potest cogitari habere perfectum esse, ut sunt potentiae in anima, in quibus attenditur imago; et hoc est minimo modo substantiale sive essentiale; tamen non transit in aliud genus: ideo anima dicitur suae potentiae [10].

3. Ad illud quod obiicitur, quod idem est principium essendi et operandi; dicendum, quod verum est de principio remoto, sed de proximo est impos-

---

[1] Ope mss. et ed. 1 expunximus hic male additum *quae est.* Paulo post cod. Y *Secundo modo* loco *Alio modo*, pro quo multi codd. ut A B D E I N S T etc. cum ed. 1 minus apte *Tertio loco.*

[2] Vat., refragantibus mss. et ed. 1, *de* loco *a* et immediate post minus bene omittit *et.* Paulo infra eadem auctoritate post *generis* posuimus *quam* pro *cum,* utpote grammatice melius ac praecedentibus magis conforme.

[3] Edd. 4, 5 *videlicet* loco *ut.* Mox cod. X *Ultra tertio modo contingit* pro *Contingit iterum.*

[4] Vat. contra mss. et sex primas edd. omittit *per.* — Immediate egredi potentias a substantia docet etiam S. Thom., S. I. q. 77. a. 6. Cfr. insuper Dionys. Carth., hic q. 14.

[5] Hoc est, excluso sive praescindendo ab ipso. — In fine huius propositionis in Vat. omittitur *et diligendum*, in plurimis vero codd. *et intelligendum*, sed contra contextum et alios codd. ut I T aa cum ed. 1.

[6] Auctoritate mss. et ed. 1 posuimus *consubstantiales* pro *substantiales.*

[7] In plurimis mss. et Vat. manifeste falso habetur *numero* pro *genere*, quod tamen exhibet cod. Z. Mox plerique codd. cum ed. 1 mendose *Petrus differt* loco *penitus differat.* Ioan. Damasc., Orat. 3. de Imag. dicit: Nam aliud est imago, et aliud id quod imagine repraesentatur; ac necesse est, ut *nonnihil* inter utrumque discriminis animadvertatur; siquidem nec istud alia res esset, nec illud alia. — Paulo infra, postulantibus mss., substituimus *ita* pro *ideo.*

[8] Cod. A *substantia.* In fine responsionis cod. aa addit haec: *Vel potest dici, quod anima consideratur aut secundum essentiam ut essentiam, aut secundum essentiam ut substantiam, aut secundum essentiam ut subiectum. Si primo modo, sic consistit ex suis principiis, et sic non est idipsum anima, quod suae potentiae, sed consequenter se habent ad eam, eo quod fundantur super vigorem existentiae ipsius secundum sua principia. Si secundo modo, tunc est anima et suae potentiae, quia anima subsistit in suis potentiis. Si tertio modo secundum essentiam ut in ratione subiecti, sic subiicitur ipsa anima suis virtutibus, et sic non est idem cum potentiis.* Glossema ad mentem Alex. Hal., S. p. II. q. 21. m. 1. ad. 2. et q. 65. m. 1.

[9] Ex mss. et edd. 1, 2, 3, 6 supplevimus *dicitur.* Mox mss. sunt dubiae lectionis; legi enim potest *totam* et *tantum*; quamvis ed. 1 ponat *tantum*, retinemus tamen *totam* propter contextum. Et confirmatur a B. Alberto, S. I. tract. 3. q. 13. m. 5. dicente: Dicit enim Boethius, quod species est totum esse individuorum. (Boeth., III. Comment. in Porphyr. agens de specie ait: Homo vero Socratis aut Ciceronis tota substantia est.) — Dein post *species* claritatis gratia Vat. addit *dicit totam essentiam*, licet desit in mss.

[10] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 repetit hic *quia non transit in aliud genus.*

sibile. Nam si idem omnino esset principium proximum, tunc idem esset in re esse et operari. *Similiter,* si idem esset principium proximum, cum res semper habeat esse, semper haberet operari. Quoniam igitur [1] *forma* dicit proximum et immediatum principium essendi, *potentia* vero proximum et immediatum principium operandi, patet quod impossibile est esse omnino idem.

4. Ad aliud quod obiicitur de potentia materiae, dicendum, quod materia non est sua potentia per essentiam, quoniam non est ipsa ordinatio ad formam; est tamen ipsa potentia materiae essentialis ipsi materiae, sicut potentia activa ipsi substantiae. Et minus quidem elongatur potentia materiae a materia quam potentia activa a substantia; quoniam potentia materiae est potentia passiva, quae dicit ordinem ad aliud cum privatione, sed potentia activa dicit ordinem cum positione: et ideo minus addit potentia materiae supra materiam, quam potentia activa supra [2] substantiam. Et hinc est, quod non ita distinguuntur diversae potentiae in eadem materia, sicut in eadem substantia.

Potentia passiva materiae.

5. Ad illud quod obiicitur de forma accidentali, dicendum, quod forma accidentalis non est sua potentia. Nam potentia eius est, in quantum influit in alterum; attamen potentia illa non tantum addit quantum potentia formae substantialis, quoniam potentia formae accidentalis dicit ordinationem ad actum, sed non sufficientem per se, sed per virtutem substantiae. Sicut enim accidens non *est* per se, ita non habet virtutem *operandi* per se, sed per virtutem substantiae; et ita hoc patet.

6. Ad illud quod obiicitur ultimo, dicendum est [3], quod potentiae animae non sunt accidentales. Tamen argumentum non valet, quia fortassis *rationale, sensibile, vegetabile* non accipiuntur a potentiis, sed a diversis naturis repertis in anima.

Illud autem argumentum, quod factum est ad oppositum, quod differunt, quia sunt in diversis generibus, solvendum est per interemptionem [4], quia non sunt in diversis generibus, sed in eodem per reductionem.

Ad fundamentum 4.

SCHOLION.

I. Circa principalem quaestionem illis temporibus tres sententiae defendebantur, quas S. Bonav. (II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1.) accurate explicat. *Prima* sententia ibi posita non admittit inter essentiam animae et potentias nisi distinctionem *rationis.* Ita Gulielmus Paris., Richard. a Med. (hic a. 2. q. 1.), Henr. Gand. (Quodl. IV. q. 7.), insuper omnes Nominales. — *Secunda* docet distinctionem *realem,* et quidem talem, ut potentiae *nec in genere* cum substantia conveniant, cum ad genus accidentium trahantur. Ita S. Thom. (hic q. 4. a. 2; S. I. q. 54. a. 3. et q. 77. a. 1. et 3; de Spirit. Creaturis a. 11; de Anima q. 12.); B. Albert. (hic a. 34.); Petr. a Tar. (hic q. 5. a. 2.). — *Tertia* sententia praecedenti valde appropinquat, quam docet Alex. Hal. (S. p. II. q. 65. m. 1. et q. 21. m. 1.). Huic etiam S. Bonav. magis favet; tamen dicit: « Quaelibet autem dictarum positionum suos habet defensores, nec est facile rationibus cogentibus earum aliquam improbare ». Haec igitur ultima sententia admittit quidem inter animae substantiam et potentias eius connaturales et consubstantiales distinctionem quandam *realem,* quae tamen non trahat potentias ad diversum genus praedicamenti, nempe accidentis (tamen *habitus acquisiti,* quibus alia extra animam cognoscuntur et amantur, certe cadunt sub genere accidentium). Immo si potentiae non essent animae consubstantiales, nunquam anima sciret et amaret aliquid ad extra, quia, ut dicit S. Augustinus, nullum accidens excedit subiectum, scil. sua virtute. Nam accidens, sicut non *est* nisi virtute substantiae, sic nec *operari* potest nisi virtute substantiae, et nisi aliquid substantiale ei substernatur. Unde nec habitus acquisiti agere possunt nisi virtute habituum vel potentiarum substantialium, cfr. hic ad 5. et art. 2. q. 2. ad 4. et S. Thomas, S. I. q. 77. a. 1. ad 4. — Videtur autem, quod S. Bonav. et Alex. conceptum *accidentis* sumant pro accidente logico, S. Thom. pro accidente metaphysico, ita ut in re conveniant. En verba Alexandri (S. p. II. q. 21. m. 1.): « Dicendum, quod anima est quodammodo sua potentia, ut fiat distinctio inter potentias substantiales sive vires ex una parte et accidentia ex alia, quantum ad hoc, quod potentiae et vires substantialiter inhaerent et unum sunt cum anima quantum ad substantiam, non dico quantum ad essentiam; potentiis enim substantialibus subsistit anima. Accidentia vero, ut prudentia, fortitudo et huiusmodi, non adhaerent substantialiter, quia haec accidentaliter adsunt. Unde potentiae et vires substantiales dicuntur idem quod anima ratione indivisionis et adhaerentiae substantialis, accidentia vero non, quia substantialiter non adhaerent ». Fere idem est quod S. Thom. (S. I. q. 77. a. 1. ad 5.) docet. Hic enim distinguit duplicem sensum vocabuli *accidentis,* et in secundo sensu, sive « secundum quod ponitur unum quinque universalium », concedit, quod « aliquid est medium inter substantiam et accidens », et quod « potentiae animae possunt dici mediae inter substantiam et accidens, quasi proprietates animae naturales ».

Quartam sententiam adiunxit Scot. (II. Sent. d. 16. q. unica § Dico igitur), qui hic applicat suam distinctionem formalem; in re autem a S. Bonav. vix discedit, ut vult Brulifer in Comment. ad hunc locum.

De quaestione hac cfr. praeter iam citatos B. Albert., S. p. 1. tr. 3. q. 15. m. 2. a. 2. subp. 1. — Ægid. R., hic 3. princ. q. 1. a. 2. — Durand., hic p. II. q. 2. et seqq. — Dionys. Carth., hic q. 13. — Biel, II. Sent. d. 24. et 25.

II. Ut facilius intelligantur verba Doctoris in fine conclusionis posita: « Loquor de similitudine secundum rationem similitudinis, non intentionis », haec notamus. Praeter similitudinem *accidentalem,* quae est v. g. in figura exteriori, et *essentialem,*

---

[1] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 *Quia ergo.*

[2] Cod. O addit *formam aut.*

[3] Ex codd. et ed. 1 addidimus *est.* Plures codd. ut A T etc. paulo ante habent *quaeritur* loco *obiicitur.*

[4] Petrus Hispan., Summula, tract. de Syll. soph. seu de Fallaciis, in fine de fall. aequivocationis ait: Recta solutio est manifestatio syllogismi falsi et propter quid est falsus. Et contingit dupliciter, scil. vel *distinguendo* vel aliquam praemissarum *interimendo;* et hoc secundo modo respondendum est ad omnes peccantes in materia (i. e. propositiones falsas). Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 18.) duplicem hanc solutionis speciem proponendo usus est verbis διαιρεῖν et ἀναιρεῖν, quae Boethius lingua latina reddidit per verba *distinguere* et *interimere* (i. e. negando auferre.). — Paulo supra aliqui codd. ut A G H K T etc. cum ed. 1 *differant* pro *differunt.*

quae est in convenientia in natura et specie, aliam similitudinem duplicem distinguit S. Doctor, scil. similitudinem *secundum rationem,* qua aliqua sunt similia in ratione quadam essentiali, ut splendor respectu lucis, et similitudinem *secundum intentionem,* quae est inter aliqua, quorum unum est factum ad imitationem alterius. Ex hoc patet, quod *splendor,* qui est similitudo lucis, licet exeat a luce, tamen non recedit ab ea, manens in eodem genere lucis.

III. In solut. ad 1. et 2. distinguit S. Doctor *triplicem praedicationem.* Praedicatio per *essentiam* tunc fit, quando praedicatum est de intrinseca ratione subiecti. Haec est iterum duplex, nempe secundum duplicem sensum vocabuli *essentialis,* a S. Doctore hic distinctum. Etenim tum essentia *metaphysica,* quam moderni vocant (scil. genus et differentia), tum partes constitutivae *physicae* (scil. forma et materia) sunt de essentia rei et de subiecto essentialiter praedicantur. Huic opponitur praedicatio *accidentalis,* quando praedicatum subiecto tantum accidentaliter convenit, ut, homo est sapiens. — Circa *tertiam* praedicationem, quae hic distinguitur, notandum est, quod aliud est « esse de essentia alicuius rei », aliud « esse idem in essentia cum aliquo ». « *Proprium* enim alicuius rei non est de essentia rei, sed ex principiis essentialibus speciei causatur, unde medium est inter essentiam et accidens » (S. Thomas., S. I. q. 77. a. 1. ad 5.). Etiam potentiae animae non sunt de essentia animae, nec praedicantur de ea in primo dicendi modo per se, sicut genus praedicatur de specie. Nihilominus participant potentiae eandem naturam cum essentia animae, sive sunt « idem in essentia cum ipsa ». De quo cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 18. m. 2. et B. Albert., hic. q. 34.

Notatu digna est doctrina Seraphici in solut. ad 4. de potentia materiae. Idem docet Alex. Hal., S. p. II. q. 65. m. 1. Cfr. Scot., libr. I. Physicor. q. 20; de Rerum princip. q. 8. a. 2; I. Sent. d. 12. q. 1. — Richard. a Med., II. Sent. d. 12. q. 10. — S. Thom., hic q. 4. a. 2. ad 4. — B. Albert., I. Sent. d. 26. a. 6. ad. 8.

ARTICULUS II.

De secunda assignatione imaginis.

Consequenter est quaestio de *secunda* assignatione imaginis per mentem, notitiam et amorem. Et [1] circa hanc quaeruntur tria.

Primum est de istis absolute, utrum videlicet imago attendatur in istis ut in potentiis, aut in habitibus, aut in potentiis simul et habitibus, aut in substantia et habitibus.

Secundum est de istis in comparatione ad invicem.

Tertium, utrum haec trinitas imaginis ducat necessario in cognitionem Trinitatis quantum ad personas.

QUÆSTIO I.

Utrum imago attendatur in mente, notitia et amore ut in potentiis, aut ut in habitibus, aut in utrisque simul, aut secundum substantiam et habitus.

Circa primum sic proceditur.

Argumenta contra falsas positiones.

1. Ostenditur *primo,* quod non in his ut in *potentiis* attendatur imago, quia praedicta assignatio [2] fuit in potentiis: ergo si haec etiam esset in potentiis, non esset nisi inculcatio verborum.

Praeterea, notitia et amor non dicunt potentiam, sed habitus, licet mens possit dicere potentiam: ergo praedicta tria non possunt poni sub ratione potentiarum.

2. Item ostenditur, quod non dicunt *habitus,* quia Augustinus [3] dicit in imaginis assignatione et approbatione: « Mens novit se, diligit se »; sed nullius habitus est se nosse nec amare: ergo etc.

Item, si mens stat pro habitu, quaero, pro quo habitu? Si pro habitu memoriae, de quo magis videtur, quia non est alium dare; sed actus huius habitus est meminisse, non alius; sed Augustinus [4] assignat menti hos actus, scilicet nosse et amare: ergo etc.

3. Item ostenditur, quod non [5] in *potentiis et habitibus.* Cum enim potentiae sint tres, et habitus tres, tunc non esset ternarius, sed senarius.

4. Item quaero, pro qua potentia stat ibi mens? aut enim stat pro omnibus, aut pro duabus, aut pro una. Si pro omnibus, tunc non est ibi trinitas; si pro duabus, tunc est ibi quaternitas, cum duo sint habitus; si pro una, non potest habere istos duos actus, [6] nosse et amare: ergo non sumitur trinitas secundum habitus et potentias simul.

Ad oppositum conclusionis.

1. Item ostenditur, quod non secundum animae *substantiam* et *habitus* [7]. Cum enim habitus cognoscendi et amandi consequantur ipsam substantiam tempore, et substantia etiam possit esse sine his, ratio autem imaginis sit ipsi animae perpetua et inseparabilis et concreata: ergo non est in habitibus et substantia simul.

2. Item, si substantia connumeratur habitibus, cum [8] habitus sint tres, et substantia una: ergo erit

---

[1] Vat. omittit *Et,* sed contra mss. et ed. 1. Paulo infra post *Tertium* ed. 1 addit *est.*

[2] Scilicet memoria, intellectus et voluntas, de qua supra in a. 1. — Mox substituimus ex mss. *haec* loco *hic.*

[3] Textum Augustini vide supra in lit. Magistri, c. 3. circa medium. — Vat. paulo ante loco *dicunt habitus* ponit *ut in habitibus,* et paulo post omittit *et approbatione,* sed contra mss. et ed. 1. — Mox ex cod. X cum ed. 1 post *est* supplevimus, rei veritate exigente, *se.*

[4] Verba Augustini inveniuntur supra in lit. Magistri, c. 3. circa medium. — Paulo supra post *meminisse* auctoritate mss. et edd. 1, 2, 3, 6 expunximus *et,* quod Vat. addit.

[5] Vat., obnitentibus mss. et sex primis edd., addit *ut.*

[6] Codd. X Y addunt *scilicet.*

[7] Ita codd. et sex primae edd. contra Vat., quae habet *Contra. Ostenditur, quod non ut in substantia et habitibus simul* et paulo post *sequantur* pro *consequantur.*

[8] Substituimus ope mss. et ed. 1 hic *cum* loco *et* ac paulo infra *intelligentiae* pro *intellectivae.*

ibi quaternitas. *Si tu dicas,* quod non differt notitia, secundum quod est habitus intelligentiae et memoriae; *contra:* habitus sunt dispositiones potentiarum; cum ergo sint tres potentiae, erunt tres habitus.

3. Item, Magister dicit in littera [1], quod mens accipitur non pro animae substantia, sed pro eo quod est in ea eminentius.

CONCLUSIO.

In hac secunda assignatione imaginis, quae est mens, notitia, amor, trinitas attenditur quantum ad substantiam animae et quantum ad duos habitus notitiae et amoris.

Respondeo: Dicendum, quod differt secundum quosdam assignatio haec a praecedenti, quia prior fuit in potentiis, haec est in habitibus. Et respondent obiectionibus per distinctionem mentis. Mens enim secundum quadruplicem modum accipiendi diversificatur. Dicitur enim *uno* modo a *mene,* quod est luna sive defectus: et sic dicitur de tota animae substantia propter transmutationes, quas habet [2]. *Secundo* modo dicitur a *metiendo;* et sic stat pro iudicativa vi, et sic accipit eam Damascenus [3], ponens ipsam in potentiis cognitivis. *Tertio* modo dicitur ab *eminendo;* et sic stat pro superiori parte rationis, et sic accipit eam Augustinus frequenter [4]. *Quarto* modo dicitur a *meminisse;* et sic stat pro memoria et quantum ad actum et quantum ad habitum [5]. Dicunt ergo, quod in assignatione huius trinitatis *mens* stat pro habitu memoriae; sed in adaptatione, cum dicit Augustinus [6]: « Mens novit se et diligit », stat pro potentia memorandi.

Opinio aliorum.

Sed istud non videtur convenienter dictum, quia adaptatio debet respondere assignationi. Et praeterea, cum actus proprius mentis, ut stat pro memoria, sit meminisse, ille [7] deberet tangi; sed Augustinus in hac assignatione nunquam facit mentionem nisi de duobus actibus, scilicet nosse et amare, qui non sunt memoriae, sed aliarum potentiarum.

Reprobatur.

Respondendum igitur, quod trinitas illa non est in *potentiis;* quia *amor* et *notitia* non dicunt potentias [8]; nec in *habitibus,* quia mens non potest stare pro habitu, cum ipsa accipiatur ut agens; nec potest esse in *potentiis et habitibus,* quia mens non potest stare pro una potentia, cum assignentur ei actus duarum potentiarum; nec potest similiter [9] stare pro *pluribus potentiis,* quia non esset trinitas. Restat ergo, quod necesse est ponere, quod trinitas ista attendatur quantum ad *substantiam* animae, ratione mentis se noscentis et amantis, et quantum ad *habitus,* ratione notitiae et amoris; et sic est trinitas, cum substantia sit una, et habitus sint duo.

Sententia auctoris.

Differt ergo haec assignatio a praecedenti: quia praecedens fuit per uniformitatem in potentiis per comparationem ad habitus et [10] actus, sed haec est in substantia et habitibus. Differt *iterum* in hoc, quia praecedens fuit per conversionem animae ad Deum, haec est per conversionem animae supra se; et pluribus modis non attenditur imago in homine, ut supra dictum fuit [11]. Differt *etiam,* quia praecedens assignatio imaginis magis est propria et conveniens quam haec. Nam proprie loquendo, imago consistit in unitate essentiae et trinitate potentiarum, secundum quas anima nata est ab illa summa Trinitate sigillari imagine similitudinis, quae consistit in gratia et [12] virtutibus theologicis. Unde Augustinus hanc assignationem primo ponit investigando, ut per hanc deveniat ad illam, in qua finit speculationem suam [13]. Unde haec assignatio non est propria, sicut alia; unde Magister eam secundo ponit tanquam non principalem.

Haec assignatio differt tripliciter a prima.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod habitus non sunt coaevi etc.; dicendum, quod *triplex* est habitus. Quendam enim habitum habet animae potentia ab *acquisitione,* quendam ab innata *dispositione,* tertium habet a *sui ipsius origine.* Hoc autem patet, quia habitus est quo potentia facilis est in actum; potentia autem his tribus modis est facilis, verbi gratia, *affectus* noster habet facilitatem ad diligendum bonum alienum per acquisitam dispositio-

Solutio oppositorum.

Triplex habitus.

---

[1] Cap. 3. circa medium, quem tamen textum plurimi mss. cum sex primis edd. hic mutarunt, pro *anima* ponendo *animae substantia tota;* codd. vero T X *animae substantia,* quos sequimur, quia eorum lectio correspondet sensui obiicientium. Cfr. Scholion.

[2] De hac mentis acceptione vide libr. de Spiritu et anima, c. 11.

[3] Libr. II. de Fide orthod. c. 22: « Vires in cognitione positae sunt mens, cogitatio, opinio, sensus ». Et singula perpendens de *mente* dicit: quod verum est *iudicat* (considerat, discernit; sive, ut refert Alex. Hal., S. p. II. q. 69. in princ.: mens a *metiendo* dicitur.).

[4] Cfr. Enarratio in Psalm. 3. n. 3; XV. de Trin. c. 7. n. 11. Vide etiam libr. de Spiritu et anima, c. 11. et 34. Consentit Isidor., XI. Etymolog. c. 1.

[5] Cfr. Isidor. loc. cit. et libr. de Spiritu et anima, c. 34. — De his quatuor etymologiis, quae ex more illius aetatis iudicari debent, vide Alex. Hal., S. p. IV. q. 12. m. 1. a. 2. circa finem (in aliis edd. q. 55.).

[6] Codd. sunt inter se divisi; plures siquidem ut G O T bb habent *Augustinus,* quos sequimur, alii vero ut A C L S Z etc. *ecce;* omnes tamen contra Vat. *dicit* loco *dicitur.* Ed. 1 *dicit Magister et Augustinus: ecce mens.*

[7] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *ibi* pro *ille.*

[8] Vat. contra mss. et ed. 1 minus bene *dicuntur potentiae.*

[9] Plures codd. ut A F G H K T Y bb *simul* pro *similiter.*

[10] Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, repetit hic *ad.* Paulo infra post *Differt* ex pluribus codd. ut H P Q X Z ee posuimus *iterum* loco *etiam.*

[11] Hic a. 1. q. 2. in corp.

[12] Vat. absque ulla auctoritate mss. et ed. 1 indebite omittit *gratia et.* Nam distinguitur gratia sanctificans a virtutibus.

[13] Vide IX. de Trin. c. 2. n. 2. et ibid. X. c. 11. n. 17; XIV. ac XV. c. 3. n. 5. seqq. — Sub vocabulo *hanc* intellige *secundam* assignationem.

nem, ut per virtutem; ad diligendum vero bonum suum [1] per innatam dispositionem; et ad diligendum se ipsum per sui naturalem originem. Cum enim sit sibi indistanter unitus, semper est habilis ad se amandum. *Similiter*, cum *intellectus* noster semper sit sibi praesens, semper est habilis sibi ad se cognoscendum. Et sic patet illud quod obiicitur de coaevitate; nam quoad tales habitus est bene coaevitas.

Quomodo intellectus semper intelligit.

2. Ad illud quod obiicitur, quod tres debent [2] esse habitus secundum tres potentias; dicendum, quod in hac trinitate non cadit nec habet locum habitus memoriae, quia attenditur [3] in ipsa anima secundum quod convertitur supra se: et ideo ipsa animae substantia tenet locum memoriae, et ipsa praesentia et oblatio, qua anima offert se semper suae intelligentiae, tenet locum habitus et actus memoriae. Et ita patet, quod ibi cadunt tantum habitus duarum potentiarum; et ideo est ibi trinitas.

3. Ad illud quod ultimo obiicitur de verbo Magistri; dicendum, quod intelligitur non pro animae substantia tota [4]; quod si aliter intelligatur, non habet veritatem verbum Magistri. Quod patet per Augustinum, qui occasione huius imaginis quasi per totum decimum de Trinitate ostendit, animam habere cognitionem sui innatam, quae est cognitio [5] suae substantiae. Et *praeterea*, nihil unum in anima cognoscit et diligit nisi substantia: ergo si mens staret pro una potentia, non haberet illos duos actus, scilicet nosse et amare.

Explicatur Magister.

SCHOLION.

I. De hac quaestione audiendus est ipse S. Doctor, qui in anecdoto primo Prologo ad II. Sententiarum (cuius initium iam dedimus in Prolegomenis c. 1. § 2.) dicit: « Fortassis autem alicui videbitur, me declinasse a positionibus Magistri Sententiarum maxime in duobus: in hoc scilicet, quod cum Magister parte secunda distinctionis tertiae in secunda assignatione trinitatis, quam dicit consistere in *mente*, *notitia* et *amore*, dicat, *mentem* accipi non pro anima, sed pro superiori portione, a me dictum reperitur, mentem ibi pro substantia animae stare. Rursus, cum Magister dicat d. 7., quod potentia generandi communis est tribus personis, utpote nomen significans essentiam, magis illi opinioni adhaesi, quae dicit, potentiam generandi dictam esse propter relationem. Sed si quis recte inspiciat, in neutro praedictorum inveniet me nec a positione Magistri nec a veritatis tramite declinasse. Nam quando dixi, in illa trinitatis assignatione mentem accipi pro animae substantia ratione superioris partis, hoc ideo dictum est, quia, si mens staret ibi pro superiori portione, cum illa sit animae potentia, et non sit unius potentiae *nosse* et *amare*, sicut videbitur infra (cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1.), iam non esset ibi trinitas, sed quaternitas. *Iterum*, potentiae proprie non est agere, sed substantiae per potentiam; et ideo, si proprie et vere loquitur Augustinus, cum dicit, *mens novit* etc., *mens* ibi supponit animae substantiam. Et hoc iterum innuit Augustinus, cum postea occasione huius trinitatis quasi per totum decimum de Trinitate ostendit, animam nosse se ipsam. *Postremo*, cum illi habitus notitiae et amoris sint omnino consubstantiales, non addunt novam essentiam super potentiam, sed se ipsis potentiae sunt habiles, et ita non possunt ipsis potentiis communicari sive cum superiori parte rationis. Et propterea non negat Magister, quod mens non accipiatur pro ipsa anima, sed quod non accipiatur pro *tota* anima secundum omnes potentias, sed pro ipsa substantia ratione superioris portionis. In hoc igitur Magistro non contradixi, sed potius verbum eius iuxta veritatis regulam, ut aestimo, explicavi ».

II. Verba in 2. fund., quod « nullius habitus est se nosse nec amare », sic intelliguntur: se intelligere et amare non sunt actus alicuius habitus acquisiti, sed potentiae animae concreatae et consubstantialis, licet ad hos actus etiam habitus dispositive concurrere possint. Unde etiam B. Albert. (hic a. 36.) de eodem textu Augustini dicit: « Habitus non est nosse se et amare se, sed potius *habentis* habitum secundum ipsum habitum vel per ipsum habitum est nosse se et amare se ». Item Petr. a Tar. (hic. q. 7. a. 1.) ait: « Ad cognoscendum vero se ipsam mens nullo habitu utitur ». Cfr. etiam Bonav. hic q. 2. ad 4.

III. In solut. ad 1. *triplex habitus* distinguitur, scil. ab *acquisitione*, ab *innata dispositione*, a *sui ipsius origine*. Differentia secundi et tertii in hoc consistit, quod secundus habitus non est proprie animae concreatus et coaevus, licet dispositio ad hunc habitum sit concreata et coaeva. Sic anima cognoscit et diligit ex innata dispositione proprium bonum (commodum). Tertius vero habitus, quo anima se ipsam cognoscit et diligit, est proprie ipsi concreatus, cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. — In eadem solut. tangitur quaestio, quo sensu intellectus noster *semper se intelligat*. Doctrina Seraphici de hoc omnino concordat cum S. Thom. (hic q. 4. a. 5; S. I. q. 93. a. 7. ad 4.), Scot. (II. Sent. d. 3. q. 8. n. 13.), et Richard. (hic a. 2. q. 2.). Hi negant, animam actualem sui intellectionem habere, praesertim talem qua se discernat ab aliis; concedunt tamen, quod propter praesentiam obiecti « nihil deficit actui primo... ad quem debet sequi actus secundus, qui est intellectio. Et forte propter hoc dicit frequenter Augustinus, quod anima novit semper se, propter istam propinquitatem ad actum noscendi, ubi nulla est imperfectio in actu primo. Hoc autem modo anima non semper novit lapidem » etc. (Scot. loc. cit.). Alii tamen doctores, ut Petr. a Tar. (hic q. 5. a. 3.) et Henr. Gand. (Quodl. 4. q. 7.) docent, animam semper se nosse et amare, non tantum habitualiter, sed etiam actualiter, quin tamen advertat hos intimos actus. Cfr. etiam Dionys. Carth. (hic q. 12.), qui in hac quaestione anceps haeret.

IV. De ipsa conclusione: Alex. Hal., S. p. II. q. 62. m. 5. a. 6. § 1. — Scot., hic q. 9; Report. q. 7. — S. Thom., hic q. 5; S. I. q. 93. a. 6. — B. Albert., hic a. 36; S. p. I. tr. 3. q. 15. m. 2. a. 2. p. 2. — Petr. a Tar., hic q. 6. a. 1. et q. 7. a. unic. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Biel, hic q. 10.

---

[1] Codd. L O *summum* loco *suum;* sed non bene. Mox cod. T post *sibi* addit *ipsi* et paulo infra incongrue cum aliis omittit *intellectus noster*.

[2] Ope mss. et ed. 1 substituimus *debent* pro *dicuntur*.

[3] Supple: trinitas.

[4] Cod. Z addit *sed parte superiori scilicet*, ed. 1 autem: *sed supple pro conversione animae ad Deum vel reflexione ad sui considerationem ad Deum.*

[5] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *agnitio;* et immediate post *propterea* loco *praeterea*, sed falso, quia revera novum

QUAESTIO II.

Utrum mens, notitia et amor habeant ordinem, aequalitatem et consubstantialitatem.

Secundo quaeritur de istis in comparatione ad invicem, secundum triplicem comparationem, quam ponit Augustinus, videlicet *ordinis, aequalitatis* et *consubstantialitatis*, et Magister recitat in littera [1]. *Ordo* est inter haec, quia mens est parens, notitia est proles, tertius est amor ab utroque procedens. *Aequalitas* etiam est ibi, quia mens tantum se novit, quantum est, et tantum se [2] diligit, quantum se novit. *Consubstantialitas* etiam; unde Augustinus nono de Trinitate [3]: «Admonemur, si utcumque videre possumus, substantialiter haec in anima existere, non tanquam in subiecto, ut color in corpore, aut ulla qualitas aut quantitas; quidquid enim tale est, non excedit substantiam, in qua est. Mens autem amore, quo se amat, potest amare etiam aliud»; et ita vult, quod amor sit consubstantialis menti. Fundamenta.

1. Sed obiicitur contra hoc: Primo videtur, quod in his non sit *ordo* nec [4] origo. Aut enim accipiuntur pro habitibus *innatis*, aut *acquisitis*. Si pro *innatis*, nullus est ordo, quia simul sunt cum ipsa anima; si pro *acquisitis*, sic amor praecedit notitiam; nullus enim acquirit [5] vel studet aliquid addiscere, nisi amet scire. Unde Augustinus in fine noni de Trinitate [6]: «Partum mentis antecedit appetitus, quo id quod nosse volumus quaerendo et inveniendo, nascitur proles, quae est ipsa notitia». Aut ergo non est ordo, aut non est talis ordo. Ad oppositum.

2. Item, videtur quod non sit ibi *aequalitas*. Aut enim notitia et amor accipiuntur per comparationem ad *res inferiores*, aut ad *animam*. Si ad *res inferiores*, manifestum est, quod non est ibi aequalitas; multa enim novimus, quae non amamus; si in comparatione [7] ad *animam*, aut est aequalitas quantum ad *intensionem*, aut quantum ad *extensionem*. Quantum ad *extensionem*, non; illud constat, quia unum tantum [8] est ibi: ergo quantum ad *intensionem;* sed quod hoc sit falsum, videtur, quia cum sciamus animam minorem Deo et maiorem corpore, contingit quandoque, quod eam amamus magis quam Deum, et minus quam corpus; et ita quantitas [9] amoris non sequitur quantitatem notitiae.

3. Item, quod non sit ibi *consubstantialitas*, videtur, quia amor et notitia sunt habitus et sunt [10] qualitates; ergo videtur, quod essentialiter differant ab ipsa mente.

4. Item, ratio Augustini [11] est, quod non sint in anima sicut accidentia, quia se extendunt extra; sed hoc nihil est, quia accidentia se extendunt extra, ut calor calefaciendo et color immutando visum. *Praeterea,* homo cognoscit aliqua cognoscibilia scientia acquisita, quae est accidens, et ita se extendit extra.

Conclusio.

Mens, notitia, amor habent ordinem, aequalitatem et consubstantialitatem.

Respondeo: Dicendum, quod sicut Augustinus [12] assignat, in his est *ordo, aequalitas* et *consubstantialitas.* Conclusio 1.

Ordo autem attenditur in his habitibus animae connaturalibus in comparatione ad *actus*, sicut ponitur ordo in fide [13], spe et caritate, licet simul infundantur. Conclusio 2.

1. Et sic patet quod obiicitur in contrarium, quia non est ordo in ipsis habitibus absolute consideratis, sed per relationem ad actus. Ad 1. opposit.

Similiter est ibi *aequalitas* secundum conversionem animae supra se et praedictorum habituum perfectionem. Unde dicit Augustinus in nono de Trinita- Conclusio 3.

---

habetur argumentum ex ratione, non ex auctoritate petitum. Mox auctoritate mss. et edd. 1, 2, 3, 6 post *anima* expunximus particulam *et*. Cod. O post *nihil* addit *aliud.*

[1] Cap. 3. circa finem. — Mox Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 post *ordo* addit *autem* et contra antiquiores codd. et ed. 1 ponit *quod* loco *quia* ac *ultimus* pro *tertius.*

[2] Fide codd. I aa adiecimus *se* certe supplendum.

[3] Cap. 4. n. 5: Simul etiam admonemur, si utcumque videre possumus, haec in anima existere et tanquam involuta evolvi, ut sentiantur et dinumerentur substantialiter, vel, ut ita dicam, essentialiter, non tanquam in subiecto, ut color aut figura in corpore aut ulla alia qualitas aut quantitas. Quidquid enim tale est, non excedit subiectum, in quo est. Non enim color iste aut figura huius corporis potest esse et alterius corporis. Mens autem amore, quo se amat, potest amare et aliud praeter se. — In quo textu plurimi codd. falso habent *utrumque* loco *utcumque* et minus bene *animo* pro *anima;* Vat. autem ponit *consistere* loco *existere.*

[4] Vat. contra mss. et ed. 1 incongrue *vel* pro *nec.*

[5] Ita omnes codd. et edd. Magis placeret *inquirit*, si haec lectio aliquo cod. fulciretur.

[6] Cap. 12. n. 18, in quo textu post *appetitus* originale addit *quidam* et in fine omittit verba *quae est;* Vat. autem post *quo* addit *ad* et ponit *noscere* loco *nosse.*

[7] Vat. *per comparationem*, sed contra mss. Mox codd. V X post *animam* addunt *tunc*, ed. 1 *et tunc.*

[8] Multi codd. ut A F T V X Y etc. cum ed. 1 omittunt *tantum.*

[9] Plures codd. ut A C L R S U aa bb cum ed. 1 minus apte *qualitas;* agitur siquidem de gradu intensionis.

[10] Ex mss. et ed. 1 adiecimus *sunt.*

[11] Libr. IX. de Trin. c. 4. n. 5; vide supra fundam. 1. huius q. — Paulo post Vat. praeter fidem mss. *accidentia enim* pro *quia accidentia* et in fine argumenti *extendunt* loco *extendit.*

[12] Libr. IX. de Trin. c. 12. n. 18; vide in lit. Magistri, c. 3. circa finem.

[13] Ope mss. et ed. 1 sustulimus hic additum *et.* Paulo ante plures codd. ut A C G K L S T bb cum ed. 1 *crebro in* loco *ordo in.*

te [1], quod non est in his habitibus aequalitas, nisi secundum quod perfecti sunt.

Ad 2. opposit. 2. Et sic patet solutio ad illud quod de amore obiicitur [2], quia ille amor non est perfectus amor, sed libidinosus et inordinatus. — Vel dicendum, quod aequales sunt, secundum quod sunt *connaturales;* quantum enim est quis habilis vel facilis ad cognoscendum se, tantum ad se amandum; de habitibus vero *acquisitis,* malis vel bonis, non est verum; et de his non intelligitur. (Aliter.)

Conclusio 4. *Similiter* est ibi tertium, scilicet *consubstantialitas,* quia, secundum quod dictum est supra [3], amor et notitia animae connaturales sunt, secundum quod supra se convertitur; et sic nihil omnino addunt super ipsas potentias. Per hoc enim, quod anima sibi praesens est, habet notitiam; per hoc, quod est unum sibi, habet habitum amoris: et ideo, sicut potentiae sunt consubstantiales animae, ut supra [4] visum est, ita et huiusmodi habitus. Unde etsi videantur dicere modum habitus vel qualitatis, realiter tamen nihil supra potentias addunt.

3. Et sic patet responsio ad obiectum, quod [5] non sunt qualitates isto modo. Ad 3. opposit.

4. Ad illud quod obiicitur de ratione Augustini, dicendum, quod illa ratio non concludit principaliter, quod amor vel notitia sint substantialiter in anima; et hoc est [6], quia tunc pari ratione posset dici et obiici de omni amore; sed concludit ex consequenti, quod patet sic. Cum enim amor *extenditur* extra suum subiectum alium amando, hoc est per virtutem substantiae, sicut per se non *est*, nisi [7] per substantiam. Si ergo amor et notitia extenduntur per virtutem substantialem, et hae sunt intelligentia et voluntas; et amor, quo anima amat se, est idem cum ipsa voluntate; et similiter [8] notitia, qua cognoscit, non est aliud quam intelligentia: restat ergo, quod amor et notitia respectu sui sunt ipsi menti consubstantiales. Ad 4. opposit.

SCHOLION.

I. Pro faciliore intelligentia triplicis conclusionis notandum, quod ratio *ordinis,* quem habent *mens, notitia* et *amor*, non intelligitur, qualenus ista tria absolute et in se considerantur, sed in respectu ad suos actus. Similiter *aequalitas* non attenditur quoad aequalitatem in entitate, sed quoad actus super animam reflexos, dum anima intelligit se totam et se diligit, quantum se cognoscit. Quoad solutionem argumenti contra aequalitatem cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 62. m. 5. a. 7. Denique *consubstantialitas* non intelligitur absoluta cum exclusione cuiusvis distinctionis, sed in sensu in praecedenti quaestione explicato. — Insuper notandum, quod consubstantialitas, quam notitia et amor habent cum mente, non accipitur proprie, quatenus sunt actus (quia actus secundi et accidentia non possunt esse realiter idem cum substantia animae), sed quatenus sunt habitus concreati. In hoc sensu dicit Scot. (hic q. 9.): « Ista tria ex parte animae, ut sunt sub tribus actibus suis, in istis, inquam, tribus est consubstantialitas ».

II. In solutione *ad 4.* supponitur, quod nullum accidens se possit extendere ad extra virtute propria, sed tantum virtute alicuius substantialis, uti iam diximus in Scholio ad q. 3. articuli praecedentis. Hoc substantiale est ipsa duplex potentia intellectus et voluntatis; et hoc est verum de actu quocumque, sive tendat ad extra, sive super se reflectatur. Si autem *actus* harum potentiarum ad ipsam mentem ut cognitam et amatam referuntur, non sunt in anima sicut accidens in subiecto, sed substantialiter. — Eodem modo etiam S. Thomas hanc sententiam S. Augustini explicat, S. I. q. 77. a. 1. ad 1. et ad 5.

III. Hanc quaestionem explicite tractant Alex. Hal., p. II. q. 62. m. 5. a. 7. — Scot., hic q. 9. — B. Albert., hic a. 37. et seq.; S. p. I. tr. 3. q. 15. m. 2. a. 2. q. 2. — Petr. a Tar., hic q. 6. a. 2. — Ægid. R., hic 3. princ. q. 2. a. 1. — Dionys. Carth., hic q. 11.

QUÆSTIO III.

Utrum trinitas imaginis, quae consistit in mente, notitia et amore, necessario ducat in cognitionem trium divinarum personarum.

Tertio et ultimo quaeritur, utrum haec trinitas imaginis, scilicet mentis, notitiae et amoris, ducat necessario in cognitionem Trinitatis quantum ad personas. Et videtur quod sic:

Pro parte affirmativa. 1. Quia in hac trinitate imaginis est relatio; sed in Deo non est relatio nisi quoad personas: ergo etc.

2. Item, in hac trinitate est distinctio, quia notitia non est amor; sed in Deo non est distinctio nisi personarum: ergo etc.

---

[1] Cap. 4. n. 4: Recte igitur diximus, haec tria, cum perfecta sunt, esse consequenter aequalia.

[2] Cod. Z addit *quod non valet.* Paulo ante plures codd. ut A G I T cc post *solutio* ponunt punctum, deinde cod. cc post *obiicitur* adiungit *dicendum;* nihil tamen immutandum duximus.

[3] Hic a. 2. q. 1. ad 1.

[4] Art. 1. q. 3.

[5] Supple: mens, notitia et amor. — Mox codd. inter se non conveniunt, alii ut A G H K T etc. cum Vat. legunt *qualitas,* alii vero ut B D E F H I X Z cum ed. 1 *qualitates*, quos sequimur.

[6] Mendum Vat. *ex hoc* pro *et hoc est*, et paulo post *conclusit* pro *concludit* castigatur ex mss. et edd. 1, 2, 3, 6.

[7] Vat. contra mss. et ed. 1 *sed* loco *nisi.* Paulo ante codd. P Q *ultra* pro *extra;* deinde nonnulli codd. ut D E F H K Y *aliud*, cod. T *alterum*, codd. L O *aliquid* loco *alium.* Codd. Q (T in margine) post *substantiae* addunt *quia per se non agit;* lectio non spernenda.

[8] Ita codd. Q T cum ed. 1; multi codd. ut A B E F G H K P X Y Z aa etc. *et sic*, Vat. *sic,* quae et paulo infra post *intelligentia* ponit punctum, quo posito argumentum, quod explicatur in Scholio, perturbatur. In fine Vat. contra mss. et edd. 1, 2, 3 *substantiales.*

3. Item, in hac trinitate est origo nascentis unius [1] ab uno et tertii ab utroque: ergo cum ista sint propria personarum, patet etc.

4. Item, in hac trinitate est [2] amor tertio, qui est proprium Spiritus sancti et qui est ad alterum: ergo videtur, quod necessario ducat in Trinitatem personarum.

Pro negativa. CONTRA: 1. Haec trinitas intelligitur in creatura sine distinctione personali: ergo potest intelligi et in Deo; sed hoc est falsum: ergo etc.

2. Item, notitia et amor sunt in qualibet personarum; sed per ea quae sunt in omnibus, non venitur in cognitionem distinctionis personalis: ergo etc.

3. Item, intellecto quod una tantum esset persona, adhuc nosceret et amaret se: ergo etc.

4. Item, philosophi istam trinitatem cognoverunt, et tamen non cognoverunt Trinitatem personarum: ergo haec non necessario [3] ducit in illam.

CONCLUSIO.

Ratio sola ab hac trinitate mentis, notitiae et amoris non ascendit ad cognitionem Trinitatis.

RESPONDEO: Dicendum, quod per hanc trinitatem contingit cognoscere Trinitatem in Deo, et hoc est attribuendo ea quae in hac trinitate sunt illi summae Trinitati. Sed hoc potest esse dupliciter. Aut enim ista tria possunt Deo attribui secundum substantiam, ut per *mentem* [4] intelligamus mentem in Deo, et per *notitiam* in anima notitiam in Deo, et sic de tertio; et sic non ducit in cognitionem Trinitatis nisi quantum ad *appropriata;* et sic intellexerunt philosophi. Conclusio generalis. Conclusio 2.

Possunt etiam ista [5] trahi ad Deum ratione *proprietatum,* quae sunt ordo et origo, distinctio et relatio; et sic ducunt in cognitionem Trinitatis quoad propria.

Sed ista ponere vel intelligere in Deo potest fides, sed [6] non ratio; et ita perfecta cognitio imaginis non habetur nisi a fide. Unde bene concedendum est, quod imago, perfecte cognita ut imago, ducit in cognitionem Trinitatis, non autem simpliciter. Et per hoc patet utraque pars. Conclusio 3.

1. 2. Ad illud quod obiicitur de amore, dicendum, quod amor potest dicere complacentiam, et sic est commune; vel potest dicere connexionem sive communionem vel donum, et sic habet rationem personae.

SCHOLION.

I. Hanc quaestionem alii antiquiores Scholastici praeter Ægid. (hic 3. princ. q. 2. a. 4.) ex professo non tractant. Solutio eius pendet ab iisdem principiis, quae supra p. I. q. 4. posita sunt. De proprietatibus divinarum personarum, et quatenus important ordinem et originem, relationem et distinctionem cfr. infra dd. 26. et 33. — S. Doctor primum et ultimum obiectum non solvit explicite, quia solutionis principia continentur clare in corp. quaestionis; secundum et tertium breviter solvit, loquendo expresse tantum de *amore* essentiali et personali, quod ad *notitiam* facile applicare potest.

DUBIA CIRCA LITTERAM PARTIS II.

DUB. I.

In parte ista circa litteram quaeritur de hoc quod dicit: *Imago Dei permanet.* CONTRA: Psalmus [7]: *Domine in civitate imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

RESPONDEO: Imago dicitur dupliciter: quantum ad *substantiale* esse; et *haec* [8] respicit trinitatem potentiarum et ordinem et aequalitatem, et sic semper permanet; alio modo prout supra esse addit *bene* esse, ut decorem et honorem; et haec potest perdi, *quia homo, cum in honore esset, non intellexit* [9].

DUB. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Memoria vero dicitur ad aliquid* etc; ergo memoria [10], intelligentia et voluntas sunt in praedicamento relationis.

Item quaeritur, quare *mens* dicitur magis ad se quam memoria vel intelligentia?

RESPONDEO: Dicendum, quod *dici ad aliquid* est [11] dupliciter: vel *proprie* et *per se,* sicut pater et filius, vel *ratione alicuius annexi,* quia habet respectum annexum et inclinationem; et sic memoria dicitur *ad aliquid,* quia innatum habet respectum ad memoriale, similiter intelligentia ad intel- Duplex relatio.

[1] Plurimi codd. omittunt *unius;* Vat. vero omittit *nascentis,* pro quo tamen omnes codd. possunt allegari, licet propter abbreviationem in tantum sint dubiae lectionis, in quantum legi potest vel *nascentis* vel *nativitatis* vel cum ed. 1 *nascibilitatis.* Iuxta regulam illam palaeographicam, secundum quam in similibus casibus, nisi sensus obstet, brevius vocabulum sit eligendum, posuimus *nascentis,* retinentes insuper cum codd. HIT et ed. 1 verbum *unius.* Cfr. infra d. 13. q. 3.

[2] Vat. praeter fidem mss. et edd. 1, 2, 3, 6 legit sic: *tertio reperitur amor.* Cod. X explicative post *tertio* addit *loco.* Ed. 1 *tertius* pro *tertio.* Cod. N post *trinitate* habet *est notitia, quae appropriatur Filio, et amor, qui est.*

[3] Ope mss. et ed. 1 restituimus indebite omissum *necessario.*

[4] Cod. IY hic addunt bene et cum subnexis cohaerenter *in anima.*

[5] Codd. M aa bb non inepte adiiciunt *tria.*

[6] Vat. *et,* sed obstant plurimi codd. cum ed. 1.

[7] 72, 20, ubi Vulgata post *civitate* addit *tua* et loco *ipsorum* cum Vat. habet *eorum.*

[8] Vat. hic et paulo infra *hoc,* sed minus bene et contra plures mss. et ed. 1.

[9] Psalm. 48, 21.

[10] Codd. omittunt *memoria,* sed non bene, uti ex subnexis patet.

[11] Corruptam lectionem Vat., in qua loco *dici* ponitur *dicitur* et omittitur *est,* correximus ope mss. et sex primarum edd.

ligibile et voluntas ad volibile; et haec obiecta ad invicem habent respectum [1]. Et sic patet obiectio.

Ad illud quod quaeritur de *mente*, dicendum, quod mens dicitur ab actu essentiali. Propterea est intelligendum, quod *quo est* [2] dat animae esse *generalissimum*, et sic dicitur *essentia;* vel inquantum dat esse *generale*, et sic dicitur *vita,* quia anima est in genere viventium; aut [3] inquantum dat esse *spirituale,* et sic *mens.* Mens enim non dicitur nisi quod vivit vita intellectiva. — Vel anima *in se* dicitur essentia, ut *actus* corporis vita, ut *perfectibilis* a Deo mens.

Quomodo differunt essentia, vita, mens.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *tres personae non sunt unius Dei;* quia videtur dicere falsum, quia, si sunt unius essentiae; sed essentia est [4] Deus; ergo sunt unius Dei. *Si dicas,* quod non sequitur; ego quaero, quare non conceditur, quod tres personae sunt unius Dei? Si [5] propter hoc, quod obliquus notat diversitatem; ergo cum essentia non sit diversa a persona, non potest dici: tres personae sunt unius essentiae.

Respondeo: Dicendum, quod genitivus [6] aliquando construitur in ratione *possessionis*, ut si dicatur: bos Petri vel Ioannis; aliquando ex vi *declarationis essentiae,* ut mulier egregiae formae; aliquando *intransitive*, ut creatura salis. *Intransitive* construitur generale cum speciali; et sic potest dici: substantia vel persona Dei; *ex vi declarationis essentiae,* nomen [7] importans formam per modum formae; et sic dicuntur tres personae unius essentiae. Quia ergo, quando dicitur: tres personae sunt unius Dei, *Deus* non significat [8] nec per modum *formae* nec per modum *specificantis,* ideo intelligitur per modum *possidentis* vel principiantis: et ideo simpliciter est falsa.

Triplex sensus genitivi.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *ex maxima parte est dissimilis.* Videtur enim falsum, quia imago est similitudo expressa: ergo si maxime est dissimilis, non est imago.

Respondeo: Dicendum, quod est expressio [9] *simpliciter*, vel *in genere.* Si ergo loquamur de expressione simpliciter, sic dico, quod anima rationalis non est valde similis Deo; si autem loquamur in genere creaturae, quia tantum accedit [10], quantum potest natura creata, sic dicitur valde similis et expressa similitudo Dei.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si duo essent, vel uterque insufficiens esset, vel alter superflueret;* quia secundum viam istam monstrari posset, quod non sit nisi una persona.

Respondeo: Dicendum, quod in *personis* non potest esse *superfluitas,* quia in eis est una sufficientia; unde si una esset superflua, et omnes. Sed [11] non potest ibi esse aliqua *insufficientia,* quia nihil plus habent tres quam una. Sed si essent duae *essentiae,* duae essent sufficientiae, si [12] quaelibet per se esset sufficiens; si autem altera cum altera, quaelibet esset insufficiens: et ita patet, quod non est simile de duabus essentiis, sicut de duabus personis [13].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *intellexit, Deum habere sapientiam, quae ab ipso genita est, quia intellexit, eum non esse rem fatuam;* ergo videtur secundum hoc, quod Pater sit sapiens sapientia genita.

Respondeo: Dicendum, quod ista consequentia non est intelligenda immediate, scilicet: quia non est res fatua, ergo habet sapientiam genitam. Sed hoc intelligendum est sic: Deus est substantia spiritualis: ergo est nata cognoscere: ergo si non habet sapientiam, est res fatua; sed non est res fatua: ergo habet sapientiam; sed non est sapientia sine verbo, et non est verbum, nisi procedat a mente et ita generetur: ergo a primo [14], si habet sapientiam, necesse est, sapientiam esse genitam. Et omnes istas consequentias oportet intelligere immediate [15].

---

[1] De hac duplici specie relationum vide infra d. 30. q. 3.

[2] Videtur supplendum: *actus essentialis ut* (quo est). Vel intellige ut Vat., quae post *quo est* addit *potest intelligi in quantum.* Item codd. F H addunt *dicitur tripliciter vel in quantum.* Alii autem codd. cum edd. 1, 2, 3 exhibent textum nostrum.

[3] Cod. Y *vel.* Mox ed. 1 satis bene *speciale* loco *spirituale;* codd. V W post *sic* addunt *est.* Cod. Z post *mens* addit *Unde isti tres actus sunt essentiales, a quibus dicuntur essentia, vita, mens, scilicet esse, vivere et intelligere*; et paulo infra loco *quod* ponit *quia* ac pro *intellectiva* habet *intellectuali.*

[4] Vat. *cum sint unius essentiae et essentia sit;* sed contra ed. 1 et codd., qui in eo tantum discordant, quod nonnulli omittunt particulam *si*, cod. A loco *sed* ponit *si* ac cod. I pro *sed* habet *et.* Lectio in textum recepta S. Doctori familiarior esse videtur.

[5] Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 addit *dicis quod.*

[6] Mendum Vat. *generatus* loco *genitivus* emendavimus ope mss. et edd. 1, 2, 3, 6. Paulo infra ex mss. et ed. 1 adiecimus indebite omissum *essentiae.* — De varia significatione genitivi vide infra, d. 34. dub. 5. et Priscian., XVIII. Grammat. c. 2. ed. Krehl, Lipsiae, 1820. tom. 2. pag. 112. Cfr. etiam Scot., de Grammatica speculativa c. 46-53.

[7] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *ut* loco *nomen.* — Post *formam* supple: construitur.

[8] Aliqui codd. ut D T *significatur;* aliqui ut X Y omittunt prima vice *nec.*

[9] Plurimi codd. cum sex primis edd. hic *excessus* et paulo infra *excessu* pro *expressione;* codd. Y et cc hic *accessus* et paulo infra *accessu.*

[10] Vat. contra codd. et ed. 1 *exprimit.*

[11] Cod. R. *Similiter* pro *Sed.*

[12] Ita fere omnes codd. cum ed. 1 contra Vat., quae habet *et,* quo posito vis argumentationis aufertur; cod. I falso *sed.*

[13] Plura de hoc dubio vide supra d. 2. q. 4.

[14] Cod Y addit *ad ultimum.*

[15] Ed. 1 *non immediate.* — Cfr. de hoc dubio d. 32. a. 2. q. 1.

DISTINCTIO IV.

Cap. I.

Utrum Deus Pater se Deum genuerit.

Hic oritur quaestio satis necessaria. Constat enim Quaestio. et irrefragabiliter verum est, quod Deus Pater genuit Filium. Ideo quaeritur, utrum concedendum sit, quod Deus genuit Deum. Si enim Deus genuit Deum, videtur quod aut se Deum, aut alium [1] genuerit. Si vero alium Deum genuit, non est tantum unus Deus; si autem se ipsum Deum genuit, aliqua res se ipsam genuit.

Ad quod respondentes dicimus, sane et [2] catholice Solutio. concedi, quod unus unum genuit, et quod Deus Deum genuit, quia Deus Pater Deum Filium genuit. In Symbolo quoque scriptum est: « Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero ». Quod vero additur: ergo genuit se Deum vel alium Deum, neutrum concedendum esse dicimus. Quod alium Deum non genuit [3], manifestum est, quia unus tantum Deus est. Quod autem se ipsum non genuit, ostendit Augustinus in primo libro de Trinitate [4] dicens: « Qui putant eius potentiae esse Deum, ut se ipsum ipse genuerit, eo plus errant, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis neque corporalis creatura. Nulla enim res est, quae se ipsam gignat, ut sit »; et ideo non est credendum vel dicendum, quod Deus genuit se.

Sed adhuc opponunt garruli ratiocinatores dicen-Replicant. tes: si Deus Pater genuit Deum, aut genuit Deum, qui est Deus Pater, aut Deum, qui non est Deus Pater. Si genuit Deum, qui non est Deus Pater: ergo Deus est qui non est Deus Pater: non ergo unus tantum Deus est. Si vero genuit Deum, qui est Deus Pater: ergo genuit se ipsum.

Ad quod respondemus determinantes istam [5] pro-Responsio. positionem, quam sic proponunt: si Deus Pater genuit Deum, aut Deum, qui est Deus Pater, aut Deum, qui non est Deus Pater. Hoc enim sane et prave intelligi potest; et ideo respondendum est ita: Deus Pater genuit Deum, qui est ipse Pater, hoc dicimus esse falsum; et concedimus alteram [6], scilicet genuit Deum, qui non est Pater; nec tamen genuit alterum Deum, nec ille qui genitus est, alius Deus est quam Pater, sed unus Deus cum Patre. Si vero additur: genuit Deum, qui non est Deus Pater, hic [7] distinguimus, quia dupliciter potest intelligi: genuit Deum, qui non est Deus Pater, scilicet Deum Filium, qui Filius non est Pater, qui Deus est; hic sensus verus est. Si vero intelligatur sic: genuit Deum, qui non est Deus Pater, id est, qui non est Deus, qui Pater est; hic sensus falsus est. Unus enim et idem Deus est Pater et [8] Filius et Spiritus sanctus; et e converso Pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus.

Cap. II.

Utrum Trinitas de uno Deo praedicetur, sicut unus Deus de tribus personis.

Quidam tamen veritatis adversarii concedunt, Patrem et Filium et Spiritum sanctum sive tres personas esse unum Deum, unam substantiam, sed [9] nolunt concedere, unum Deum sive unam substantiam esse tres personas, dicentes, substantiam divinam praedicari de tribus personis, non tres personas de substantia divina. Fides autem catholica tenet ac praedicat, et tres personas esse unum Deum [10], unam substantiam sive essentiam sive naturam divinam, et unum Deum sive essentiam divinam esse tres personas. Unde Augustinus in primo libro de Trinitate [11] ita ait: « Recte ipse Deus Trinitas intelligitur, beatus et solus potens ». Ecce, quam expresse dixit *ipse Deus Trinitas*, ut ostenderet, et ipsum Deum esse Trinitatem et Trinitatem ipsum Deum. Item in eodem: « In verbis, inquit, illis Apostoli, quibus de adventu Christi agens dicit [12]: *Quem ostendet beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem* etc., nec Pater proprie nominatus est nec Filius nec Spiritus sanctus, sed beatus et solus potens, id est unus et solus Deus verus, qui est ipsa Trinitas ». Ecce et hic aperte dicit, unum solum verum Deum esse ipsam Trinitatem; et si unus Deus Trinitas est, ergo unus Deus est tres personae. Item in libro quinto de Trinitate [13]: « Non tres deos, sed unum Deum dicimus esse ipsam praestantissimam Trinitatem ». Item in libro, qui dicitur Enchyridion ad Laurentium, capitulo nono: « Satis est christiano, rerum creatarum causam visibilium sive invisibilium non nisi bonitatem credere Creatoris, qui est Deus unus et verus, nullamque esse naturam, quae non aut ipse sit, aut ab ipso, eumque esse Trinitatem, Patrem scilicet et Filium et Spiritum sanctum ». Item Augustinus in sermone de Fide [14]: « Credimus, unum Deum unam esse divini nominis

---

1 Vat. hic addit *Deum*.

2 Vat. male omittit *et*.

3 Solummodo codd. BCDE *genuerit*, quod ponendum videretur, nisi paulo infra iidem codd. posuissent *genuit*.

4 Cap. 1. n. 1, ubi pro *putant* et *errant* legitur in singulari *putat* etc., et codd. BC *pro eius potentiae* male legunt *eiusdem potentiae*.

5 Omnes codd. *illam*.

6 Sola Vat. male *alterum*.

7 Edd. 2, 3, 7, 8 *hoc*.

8 Codd. BC omittunt hic et mox post *Pater* particulam *et*.

9 Codd. DE et edd. omnes, exceptis 1, 8, adiiciunt *tamen*.

10 Vat. et ed. 4 addunt *et*; mox codd. CD *unam essentiam* pro *sive essentiam*.

11 Cap. 6. n. 10, ubi et proximus locus, sed nonnullis omissis et mutatis.

12 I. Tim. 6, 15. *Quem suis temporibus ostendet beatus* etc. Apud Augustinum: *Quem temporibus propriis ostendet Pater beatus* etc. Perperam mss. DE cum edd. 3, 4, 5, 7, 9 *ostendit* loco *ostendet*.

13 Cap. 8. n. 9. Proximi loci citatio in omnibus mss. et edd., demptis Vat. et ed. 4, ita fertur: *Item in libro de Fide ad Petrum in expositione Symboli*; at perperam, cum verba subsequentia non in eo, sed in Enchyridion legantur.

14 Serm. 233. de Fide cathol. n. 1, sed paulo aliter, nempe: *Credimus in unum Deum... Hunc unum Deum et hanc unam esse divini nominis Trinitatem.*

Trinitatem ». Idem in sexto libro de Trinitate [1]: « Dicimus, Deum solum esse ipsam Trinitatem ». Ecce, his et aliis pluribus auctoritatibus evidenter ostenditur, dicendum esse et credendum, quod unus Deus est Trinitas, et una substantia tres personae; sicut e converso Trinitas dicitur esse unus Deus, et tres personae dicuntur esse una substantia.

Redit ad praemissam quaestionem. Nunc ad praemissam quaestionem revertamur, ubi quaerebatur, an Deus Pater genuerit se Deum, an alium Deum. Ad quod dicimus, neutrum fore concedendum. Dicit tamen Augustinus in Epistola ad Maximum [2], quod Deus Pater se alterum genuit, his verbis: « Pater, ut haberet Filium de se ipso, non minuit se ipsum, sed ita genuit de se alterum se, ut totus maneret in se et esset in Filio tantus, quantus et solus ». Quod ita intelligi potest, id est, de se alterum a se genuit, non utique alterum Deum, sed alteram personam; vel *genuit se alterum*, id est, genuit alterum, qui hoc est quod ipse. Nam etsi alius sit Pater quam Filius, non est tamen aliud quam Filius, sed unum.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM IV.

Quaestiones ex comparatione generationis ad terminum essentialem concretum, ut nomen Deus.

Hic oritur quaestio satis necessaria. etc.

DIVISIO TEXTUS.

In praecedenti distinctione probavit Magister Trinitatem et Unitatem per similitudines congruas et rationes. In praesenti distinctione ponitur secunda pars, in qua solvit incidentes dubitationes. Et incidit dubitatio ex hoc, quod in divinis est trinitas et unitas, et ita aliquid distinguens et distinctum, aliquid indistinctum, ut termini substantiales. Incidit ergo dubitatio ex comparatione proprietatis distinguentis ad terminum substantialem. Habet autem haec pars duas. In prima movet dubitationem ex comparatione proprietatis distinguentis ad substantiam vel essentiam; in secunda ad eius potentiam, infra distinctione sexta: *Praeterea quaeri solet.*

Item prima pars habet duas, quia substantia potest significari in *concretione*, ut per hoc nomen *Deus*, vel in *abstractione*, ut per hoc nomen *essentia*. Primo ergo movet quaestionem ex comparatione generationis ad hoc nomen *Deus*, secundo, ad hoc nomen *essentia*, infra distinctione quinta: *Post haec quaeritur, utrum concedendum sit* etc.

Haec autem distinctio habet quatuor particulas et hoc secundum quatuor, quae ibi tanguntur. In *prima*, supposito quod haec sit vera: Deus genuit Deum, quaeritur de hac: *Genuit se vel alium*, ad [1] quam solvit interimendo. In *secunda* quaerit de hac: *Genuit Deum, qui est Deus Pater, vel qui non est Deus Pater*, et ad hoc solvit distinguendo ex parte praedicati, et hoc ibi: *Sed adhuc opponunt.* In *tertia* quaerit de hac: *Deus est Trinitas*, et probat multis auctoritatibus, quod est vera, et hoc occasione praedictorum, ibi: *Quidam tamen veritatis adversarii.* In *quarta* ad suum propositum redit, scilicet ad primo quaesitum; ad primum videlicet [2] addens primae solutioni, quod quamvis non sit concedendum: *Genuit se, vel alium* divisim, tamen potest concedi coniunctim, ibi: *Nunc ad praemissam quaestionem.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae tangit Magister in praesenti distinctione, quatuor quaeruntur.

Primo, utrum haec locutio sit concedenda in divinis: Deus genuit Deum.

Secundo, utrum unitas essentiae admittat hanc locutionem: Deus genuit alium Deum, vel Deus est alius a Deo.

Tertio quaeritur de consignificatione [3] huius nominis *Deus*, utrum videlicet grammatice possimus dicere plures deos.

Quarto et ultimo quaeritur de suppositione istius nominis *Deus*, utrum supponat pro persona vel pro essentia.

---

[1] Cap. 7. n. 9. — Immediate ante Vat. et edd. 1, 2 habent *item* pro *idem;* mox post *Ecce* Vat. et ed. 4 addunt *et.* Deinde codd. A B C D et edd. 1, 8 *concedendum* pro *credendum*, sed non bene nec congrue ad dua testimonia Augustini, qui loquitur tum de interiore fide *(Credimus)*, tum de confessione fidei *(Dicimus)*.

[2] Epistola 170. ad Maximum medicum, n. 5. — Paulo infra in explicatione verborum Augustini Vat. male omittit *a* post *de se alterum.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Vat. contra mss. et ed. 1 omittit *ad.*

[2] Codd. et ed. 1 contra Vat. addunt *ad primum videlicet.*

[3] Auctoritate plurimorum mss. ut A F G K T etc. et ed. 1 substituimus *consignificatione* pro *significatione* et *Deus* loco *Dii* ac mox *istius* pro *illius.*

ARTICULUS UNICUS.

De comparatione nominis Deus ad generationem et de eius consignificatione et suppositione.

QUÆSTIO I.

Utrum haec locutio: Deus genuit Deum, sit concedenda.

Circa primum, quod haec locutio: Deus genuit Deum, sit concedenda,

1. Videtur per hoc quod dicitur in Symbolo: Fundamenta. *Deum de Deo;* sed hoc non est nisi per generationem [1]: ergo Deus generatur de Deo: ergo ista locutio est concedenda: Deus genuit Deum.

2. Item, generatio est respectu similis in natura, unde « homo generat hominem [2] »; unde si in divinis est generatio, producitur similis in natura: ergo cum Pater sit Deus, non generat nisi Deum: ergo haec est vera: Deus generat Deum.

3. Item, quidquid habet Filius, aut habet a se, aut ab alio; sed habet deitatem, et non a se, quia sic esset ingenitus: ergo habet ab alio; sed non habet nisi per generationem, et [3] non habet deitatem nisi ab habente deitatem, et habens deitatem est Deus: ergo etc.

Contra: 1. Hoc nomen *Deus* significat essentiam Ad oppositum. sive substantiam, cum sit terminus substantialis [4]; sed haec non conceditur, immo est falsa: essentia generat essentiam: ergo similiter et ista: Deus genuit Deum.

2. Item, hoc nomen *Deus* aut supponit pro omni persona, aut determinate pro aliqua. Si determinate pro aliqua: ergo restringitur eius significatio [5] ab aliquo, nec est dare, quod ab alio nisi ab hoc verbo *genuit* vel *generat.* Sed regula est, quod terminus, positus in praedicato, non restringit terminum a parte subiecti ratione significationis: ergo stat pro omni persona. Non ergo videtur locutio vera, secundum quod accipitur pro persona Filii: ergo etc.

3. Item, iste terminus *Deus,* quantum est de se, aeque bene supponit pro Filio, sicut [6] pro Patre: ergo cum Filii sit *non generare,* sicut et Patris est *generare,* si haec est vera: Deus generat, pro Patre, eadem ratione et haec: Deus non generat, pro Filio; si ergo haec non conceditur, nec prima.

4. Item, contradictorie opposita sunt vera de quolibet sub disiunctione, quia de quolibet affirmatio vel negatio [7]: ergo si Deus genuit Deum, aut Deum qui est Pater, aut Deum qui non est Pater. Si Deum qui est Pater, ergo genitus est generans; si Deum qui non est Pater; sed quod implicatur contingit simpliciter inferri, ut si dicatur: homo qui non currit, disputat: ergo homo non currit: ergo similiter, si genuit Deum qui non est Pater, Deus non est Pater; sed si non est Pater, non generat: ergo etc. [8]

---

[1] Ex mss. et ed. 1 posuimus *generationem* loco *gignitionem.*

[2] Aristot., VII. Metaph. text. 28. (VI. 8.): In quibusdam etenim etiam manifestum est, quod generans tale est, quale quod generatur... homo namque hominem generat. Cfr. II. de Anima, text. 34. (c. 4.).

[3] Multi codd. ut A F G I K T etc. cum sex primis edd. *sed* loco *et.* Cod. R hanc propositionem ita exhibet: *per generationem vel ab habente deitatem, sed habens.*

[4] De significatione et suppositione huius nominis *Deus*, in quibus haec et seqq. obiectiones fundantur, vide infra q. 4. — In fine argumenti plures codd. ut A F G I K T etc. cum ed. 1 *generat* pro *genuit.*

[5] Codd. D H O (T ff in marg.) *suppositio,* quod et infra in responsione ad hanc obiectionem fere omnes codd. et sex primae edd. habent pro *significatio;* cod. I *significatio vel suppositio.* Sed vide regulam paulo infra ex Petr. Hisp. allatam. Mox multi codd. et ed. 1 *non* loco *nec;* cod. R *sed non.* Dein post *significationis* cod. X addit *sed consignificationis*, quod concordat cum regulae istius explicatione proposita a Petro Hispano, Summula, tract. de Restrictione: Nihil positum a parte praedicati potest restringere terminum communem positum a parte subiecti quoad principalem eius significationem, ut homo est albus... Dico autem, quoad principalem eius significationem, quia praedicatum restringit subiectum quoad consignificationem, quae est genus v. g. masculinum.

[6] Aliqui codd. ut T Z cum ed. 1 addunt *et.* Paulo infra post *sicut* codd. H Y omittunt *et.* Mox cod. Y *ergo si haec est vera pro Patre, sic illa erit vera pro Filio, scilicet Deus non generat; si ergo haec non conceditur pro Filio, nec prima.* Codd. aa bb circa finem argumenti: *sed haec non conceditur, ergo nec prima;* ed. 1 *nec prima debet concedi;* cod. Z *si ergo haec non conceditur pro Filio, pariter nec illa conceditur pro Patre.* — Plures codd. ut A C F I L M R S U ff hoc tertium argumentum omittunt, sed indebite, sicut patet ex responsione infra posita; cod. O vero illud praecedenti argumento circa finem post *omni persona* interserit sub hac forma: *Item, si haec est vera: Deus generat Deum, pro persona Patris, multo fortius haec erit vera: Deus non generat Deum, pro persona Filii et Spiritus sancti; ergo a destructione consequentis, si haec nullo modo est concedenda, nec ista. Non ergo* etc. Eadem fere verba exhibet cod. Z in fine huius tertii argumenti.

[7] Cfr. Aristot., I. Periherm. c. 6. et II. c. 3, ubi agit de affirmatione, negatione et contradictione; et VI. Topic. c. 3. circa medium (c. 6.), ubi dicit: *Nam de omni aut affirmatio, aut negatio vera est;* et tandem IV. Metaph. text. 15. (III. 4.): *De omni affirmatio, aut negatio.* Ultimum textum et II. Periherm. c. 3. videntur codd. cum ed. 1 respexisse, omittendo *vera est*, quod Vat. adiungit. Paulo infra in Vat. desiderantur verba *Si Deum* usque ad *sed quod*, quae tamen in mss. et ed. 1 habentur.

[8] Cod. O hic addit novum argumentum: *Item, si Deus generat Deum, Deus est genitus a Deo: ergo Deus est distinctus a Deo; ergo sunt duo dii.*

CONCLUSIO.

Recte dicitur: Deum genuisse Deum, quod quatuor regulis probatur.

Conclusio. RESPONDEO: Dicendum, quod praedicta locutio, salva essentiae unitate, recipitur tam a magistris quam a Sanctis. Ad cuius intelligentiam quatuor regulae sunt notandae.

Quatuor regulae logicae. *Prima* est, quod nomen *abstractum* imponitur formae et a forma, ut albedo imponitur ipsi albedini[1] et a forma albedinis; nomen vero *concretum* imponitur a forma, sed non formae, sed supposito: ut album imponitur a forma albedinis, sed non formae, sed supposito, ut alicui rei albae, homini vel cygno.

Secunda regula est, quod terminus habens multitudinem suppositorum, sine distributione acceptus, stat pro illo, pro quo reddit locutionem veram, ut cum dicitur: homo currit, vera est locutio pro currente, si aliquis sit currens.

Tertia regula est, quod termino habenti formam non multiplicabilem non differt praeponere et postponere negationem. Unde non differt dicere: Petrus non currit, et, non Petrus currit.

Quarta regula est ista, quod relativum refert antecedens sub eodem modo supponendi, sub quo antecedens praecessit ipsum relativum, nisi faciat relationem simplicem[2].

Solutio oppositorum. 1. Ex prima regula patet responsio ad primum. Cum enim iste terminus *Deus* sit concretus, etsi[3] imponatur a forma essentiali, scilicet deitate, tamen imponitur personae sive supposito, sicut album imponitur ab albedine rei albae; et ideo supponit et reddit locutionem veram pro persona, non pro forma. Hoc autem nomen *essentia* vel *deitas* est abstractum, et ideo imponitur formae et a forma, sicut albedo, et ideo essentiam significat et supponit. Et ideo haec est falsa: essentia generat essentiam, quia generatio non est formae, sed suppositi[4]; sed haec est vera: Deus genuit Deum, pro persona.

2. Ex secunda regula patet responsio ad secundum. Quamvis enim significatio termini non arctetur, tamen pro illo stat, pro quo est locutio vera, ut *homo currit,* pro Petro vel Ioanne, si pro illo, est locutio vera; nec tamen ad illum restringitur. Et hoc patet, quia si addatur distributio, confundet[5] illum terminum pro omnibus; sed si esset restrictus, non confunderet nisi pro illis, ad quos se extenderet restrictio. Unde aliud est *terminum restringi ad unum,* aliud est *reddere locutionem veram pro uno.*

3. Ex tertia regula patet solutio[6] ad tertium. Licet enim haec sit vera pro Patre: Deus generat Deum, tamen haec: Deus non generat Deum, non est vera pro Filio. Cum enim iste terminus *Deus* dicat formam immultiplicabilem, non differt ei praeponere negationem et postponere; et ideo cum negatio praeposita[7] omnino a subiecto removeat praedicatum, sic et negatio postposita removet totaliter praedicatum ab hoc termino *Deus,* cum dicitur: Deus non generat, quia removet a quolibet supposito. Et ideo alium modum habet supponendi in affirmativa quam in negativa, quia in affirmativa erat locutio vera pro Patre; in negativa vero non potest esse veritas, quia negatio removet totaliter praedicatum illud.

4. Ex quarta regula patet quartum. Cum enim relativum omnino habeat suppositionem antecedentis, et iste terminus *Deus*[8] in praedicato supponat pro Deo genito, relativum refert pro illo. Et ita sensus est: Deus genuit Deum, qui Deus genitus est Pater, vel non est Pater; et haec est vera pro negativa, nec licet inferre: ergo Deus non est Pater; quia mutatur suppositio, immo est ibi figura dictionis[9].

SCHOLION.

I. In gratiam lectorum, qui in antiqua logica minus sunt exercitati, iuvat hic ponere explicationem aliquorum terminorum, quae in hac quaestione et alibi in hoc opere saepe occurrunt. Sumtae sunt hae et aliae multae alibi in notis positae explicationes magna ex parte ex Summulis Petri Hispani, quae tempore S. Bonaventurae in manibus scholarium erant. Postquam Petrus multa de rebus philosophicis et medicina scripsit, a. 1275 electus est in Summum Pontificem et assumsit nomen Ioannis XXI. Mortuus est 16. Maii 1277. Plura videri possunt in quovis libro de logica scholastica tractante.

1. Aliud est *significatio*, aliud *suppositio* alicuius termini. Significatio est repraesentatio rei per vocem et convenit omnibus vocabulis tam substantivis quam reliquis, sive in propositione, sive extra propositionem.

Suppositio, ut vult Petrus Hisp., tract. de suppositione, « est acceptio termini substantivi pro aliquo », intellige, de quo

---

[1] Plurimi codd. cum sex primis edd. omittunt *ipsi albedini et,* sed male, uti ex contextu patet.

[2] Praedictarum regularum prima insinuatur ab Aristot., VII. Metaph. text. 21. et 27. ac IX. Metaph. text. 12. (VI. c. 6. 8. et VIII. c. 7.); secunda habetur in Petri Hisp. Summula, tract. de Suppos. et Distrib.; tertia in opusculo, quod etiam Petro Hisp. attribuitur, scil. Parvorum Logicalium, tract. de Negat. et Affirm. c. 4; quarta in eiusdem Summula, tract. de Relativis.

[3] Ex plurimis mss. et ed. 1 substituimus *etsi* loco *et.* Mox cod. X post *deitate* habet *non tamen imponitur formae, sed personae.*

[4] Ex illo generali principio: Actiones sunt suppositorum.

[5] Id est, facit supponere. — Paulo ante Cod. R *subiectum* pro *illum.*

[6] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 mutavimus *responsio* in *solutio* et paulo post *non multiplicabilem* in *immultiplicabilem.*

[7] Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 addit *totaliter et.*

[8] Supplevimus ex mss. et ed. 1 *Deus.* Paulo ante cod. K modo negativo *relativum non habeat suppositionem aliam a suo antecedente.*

[9] Cod. K addit *sicut hic: Deus genitus non est Pater: ergo Deus non est Pater.*

vel de quibus huiusmodi terminus in aliqua propositione verificatur. Sic terminus *homo* potest supponere vel pro homine in *communi*, ut in propositione: homo est species; vel pro suis *inferioribus* sub hac specie comprehensis, v. g. homo currit. Suppositionum alia est *communis*, alia *discreta*; illa fit per terminum communem, ut homo est mortalis; haec per terminum discretum (concretum), ut *Socrates*, vel per communem, sed determinatum per pronomen demonstrativum, ut *iste homo*.

Aliae divisiones suppositionis apud S. Bonav. occurentes sunt: suppositio *simplex* et *personalis*. Illa est acceptio termini communis pro re universali significata per ipsum terminum communem, ut cum dicitur: homo est species; animal est genus. Tunc terminus homo supponit pro homine in communi, et non pro quolibet inferiore; unde non licet facere *descensum*, uti dicunt, sic arguendo: homo est species: ergo aliquis homo est species. *Personalis* vero suppositio est acceptio termini communis pro suis inferioribus, ut cum dicitur: homo currit; hic iste terminus *homo* supponit pro suis inferioribus. — Personalium suppositionum alia est *determinata*, alia est *confusa*. *Determinata* est acceptio termini communis indefinite sumti, vel cum signo *particulari*, ut *homo currit*, vel *aliquis homo currit*; et dicitur determinata, quia licet in utraque istarum propositionum ille terminus *homo* supponat pro omni homine tam currente quam non currente, tamen uno solo homine currente, propositio est vera; et quia aliud est *supponere* et aliud *locutionem veram vel falsam esse* pro aliquo, igitur in praedictis iste terminus homo *supponit* pro omni homine currente et non currente, licet *reddat locutionem veram* pro uno solo currente... *Confusa* suppositio est acceptio termini communis pro pluribus, mediante signo *universali*, ut cum dicitur: omnis homo est animal; quia supponit terminus homo pro quolibet suo supposito. Ita Petrus Hisp.; alii quoad *confusam* et *determinatam* suppositionem rem paulo aliter explicant.

2. *Distributio* est acceptio termini *communis* pro suis significatis, sive est multiplicatio termini *communis* virtute alicuius signi universalis, v. g. in propositione: omnis homo currit, terminus *homo* distribuitur (sive *confunditur*) pro omnibus hominibus virtute illius vocabuli *omnis*, quod *signum distributivum* appellatur.

3. *Restrictio* est coarctatio termini communis a maiore suppositione sive extensione ad minorem; sic *homo albus* non significat omnes homines, sed partem eorum.

4. *Reddere locutionem veram* significat, quod in propositione, in qua subiectum supponit pro pluribus disiunctive, sensus redditur verus per hoc, quod in uno saltem supposito verificatur; v. g. propositio: homo currit, redditur vera, currente uno qualicumque. Unde *reddere locutionem veram* differt a *restrictione* termini ad unum, ut bene dicit S. Bonav., hic ad 2.

II. His suppositis, quatuor regulae logicales in corp. positae earumque applicatio in solutione obiectorum facile intelliguntur. Sic verba (ad 2.): « quia si addatur distributio, confundet illum terminum pro omnibus », hunc sensum habent: si additur signum *omnis* termino *homo*, tunc confundet i. e. distribuet illum terminum, ita ut verificetur de omnibus hominibus; si vero terminus *homo* restringitur per *albus*, tunc non « confunderet nisi pro albis hominibus ». — Pro intelligentia applicationis quartae regulae est notandum, quod est duplex relatio pronominis relativi ad suum nomen, scil. relatio *simplex* vel *personalis*. Per relationem *simplicem* pronomen relativum (qui, quae, quod) non refertur ad idem numero antecedens sive ad idem suppositum, bene vero per relationem *personalem*. Exemplum: « Mulier damnavit, quae salvavit; » hic relativum *quae* habet relationem simplicem, non personalem, quia alia mulierum persona damnavit, nempe Eva, alia salvavit, scil. Ss. Virgo Maria. Unde S. Doctor recte concludit, quod in illata obiectione est *figura dictionis* i. e. fallacia figurae dictionis, quia terminus sumitur sub diversa suppositione. De hoc plura vide dub. 3. huius dist., Alex. Hal., p. 1. q. 50. m. 3. a. 2. § 4. Richard. a Med., hic q. 1.

III. Contra applicationem tertiae regulae ad Deum moverunt subtilem difficultatem Durand. (hic q. 2.), Aureol., Brulifer (hoc loco) aliique posteriores Scholastici. Negant enim, quod *Deus* sit proprie terminus singularis, cum aliquo modo sit etiam terminus communis, quod etiam S. Bonav. (infra q. 4.) concedit. Inde concludunt, propositionem: Deus non generat Deum, posse concedi. Probatiores vero theologi, ut S. Thomas (S. I. q. 39. a. 4. ad 3.), Richard. (hic q. 1.) aliique cum nostro Seraphico (hic ad 3.) locutionem hanc recte improbant. Cfr. Caietanus ad loc. S. Thomae cit.

IV. Quoad quaestionis solutionem omnes antiqui conveniunt. Cfr. S. Bonav., infra d. 9. q. 1. — Alex. Hal., S. p. 1. q. 50. m. 3. a. 2. § 1. 4. — Scot., hic q. 1. ad 1. — S. Thom., hic q. 1. 2; S. 1. q. 39. a. 4. — B. Albert., hic a. 6. 7; de hac et seqq. qq., S. p. 1. tr. 13. q. 51. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. et 3. — Richard. a Med., hic q. 1. — Ægid. R., de hac et seq. q. hic 2. princ. q. unica. — Henr. Gand., de hac et seqq. qq., S. a. 54. q. 3. — Durand., de hac et seqq. qq. hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 2. — Biel, de hac et seq. q. hic q. 1.

QUÆSTIO II.

Utrum admitti possit haec locutio: Deus generat alium Deum.

Secundo quaeritur, utrum unitas essentiae admittat hanc: Deus generat alium Deum. Et quod non, videtur.

1. Anselmus de Processione Spiritus sancti[1]:

Fundamenta. « Cum dicimus Deum de Deo, non intelligimus alium Deum, sed eundem de se ipso ».

2. Item, si genuit alium Deum; sed ubi est unus et alius, ibi sunt duo: ergo si genuit alium, sunt duo dii.

3. Item, alius dicit alietatem in generali: ergo cum generale specificetur per adiunctum, hoc nomen *Deus* specificat ipsum; sed si specificat, specificat ratione formae: ergo notatur alietas in forma: ergo non est admittenda talis locutio, cum non sit ibi alietas in forma.

SED CONTRA: 1. Generatio importat distinctionem[2]; sed distinctio alietatem aliquam: ergo et generatio; ergo si haec est vera: Deus genuit Deum, et haec per consequens: Deus distinguitur a Deo, vel genuit alium Deum. *Si dicas*, quod non sequatur, quia generare importat distinctionem ut *modum*, sed distingui vel esse alium ut *rem*; *contra:* ad Ad oppositum.

---

[1] Cap. 24: Nam cum dicimus Deum de Deo, Filium de Patre, non alium intelligimus Deum de Deo alio, sed eundem ipsum Deum de eodem ipso Deo. — Codd. cum Vat. falso ponunt *in Proslogio*.

[2] Nam ut ait Aristot., II. de Anima, text. 47. (c. 4.): Generat autem nihil ipsum se ipsum. — De propositione minore Aristot., XIV. Metaph. c. 3. (XIII. c. 1.): Alterum (contrarium est) eidem, et aliud ipsi (αὐτῷ). — In hac propositione minore Vat. *et* loco *sed*, obstantibus mss. et ed. 1.

consequentiam ut *modum* sequitur consecutio ut *res;* unde si haec est vera: si homo est, animal est [1], ad hominem sequitur animal. *Et praeterea,* constat quod distinctio generationis non tantum est a parte intelligentis, verum etiam a parte rei: ergo illi distinctioni ut exercitae respondet distinctio realis.

2. Item, affirmativa est falsa: Deus genitus est Deus generans; ergo negativa est vera: Deus genitus non est Deus generans. Sed sicut affirmativa significat identitatem, ita negativa diversitatem: ergo sicut Deum generantem et genitum contingit ad invicem comparari mediante negatione, ita mediante alietate: ergo haec est vera: Deus genuit alium Deum.

3. Item, Pater sive Deus genuit alium; haec est vera, constat: ergo aut alium Deum, aut alium non Deum; sed non alium non Deum: ergo etc.

4. Item, *alius* est terminus masculini generis; sed terminus masculini generis [2] stat pro persona in partitivis terminis: ergo *alius* dicit alietatem personalem; sed haec est vera: Deus genuit Deum alium in persona; ergo simpliciter est vera haec: Deus genuit alium Deum.

CONCLUSIO.

In stricto verborum sensu falsa est locutio: Deus genuit alium Deum.

1. Respondeo: Dicendum, quod haec consuevit distingui: Deus genuit alium Deum, quia *alius* potest teneri *adiective;* et sic ponit alietatem circa formam istius termini *Deus,* et sic locutio est falsa; potest etiam teneri *substantive*, ut [3] substantivetur; et tunc est appositiva constructio, sicut *animal homo,* et est sensus hoc modo: Deus genuit alium Deum, id est, genuit alium qui est Deus; et in hoc sensu est locutio vera.

Opinio obsoleta.

Sed licet ista distinctio in locutionibus theologicis propter quendam proprium modum loquendi locum habeat, tamen quantum esset de virtute [4] sermonis, non esset distinguenda; quia adiectivum adiunctum substantivo, ut homo albus, non dicitur substantivari, nec appositiva constructio dicitur ibi esse, maxime cum illa sit minus communis respectu magis communis [5]. Unde cum hoc nomen *alius* sit adiectivum habens substantivum coniunctum, in praedicta locutione ponit alietatem circa ipsum ratione suppositi et formae.

Reprobatur.

Et propterea, si velimus artificialiter [6] procedere, iudicanda est talis locutio falsa. Propter hoc ad intelligentiam dictae locutionis notanda est regula communis: non habet locum [7] distinctio, ubi non est ex diversis causis unio, verbi gratia, Pater et Filius et Spiritus sanctus uniuntur in hoc nomine *Deus*, non ex diversis causis sive ratione diversorum, sed ratione unius deitatis sive essentiae. Unio ex diversis causis est, ut in *homine* uniuntur Petrus et Ioannes ratione diversarum humanitatum, quia alia est humanitas Petri, et alia Ioannis.

Conclusio. Regula communis.

Et iuxta hanc regulam ab oppositis [8] est *alia* regula accipienda: non habet locum omnimoda unio, ubi est simul cum unione distinctio, ut Pater et Filius et Spiritus sanctus uniuntur in una deitate sive essentia, sed distinctionem habent ratione pluralitatis personarum.

Alia regula.

Secundum hoc est attendendum, quod in divinis quaedam vocabula important distinctionem solum, quaedam omnimodam unionem, quaedam medio modo. Quoniam igitur Deus generans et Deus genitus, etsi sint personaliter distincti, tamen in deitate uniuntur ex eadem causa, quia una deitate: ideo non recipiuntur [9] nomina importantia simpliciter distinctionem. Ideo haec non admittitur: Deus distinguitur a Deo, similiter: Deus genuit alium Deum. *Item,* ratione distinctionis non recipiuntur vocabula omnimodam importantia unionem in supposito et forma: unde haec non recipitur: Deus genuit se. Sed illa quae medio modo se habent, recipiuntur, quale est hoc verbum *generat,* quia dicit distinctionem in persona cum [10] unitate essentiae. Similiter haec conceditur: Pater generat alterum se. Unde Augustinus ad Maximinum [11]: « Pater genuit alterum se » ; et similiter super Ioannem: « Pater mittens Filium misit alterum se ». Et ex hoc est, quod non sequitur ad generationem verbum simpliciter importans distinctionem; et sic patet primum.

Tres species vocabulorum in divinis.

Patet solutio ad 1.

2. Ad illud quod secundo obiicitur de negatione, bene concedo, quod est alietas; sed tamen non sequitur, quod possit dici alietas in *essentia* sive forma deitatis. Unde non sequitur: genitus est alius a generante, ergo [12] alius Deus, quia mutatur suppositio huius termini *Deus.*

Solutio aliorum opposit.

---

[1] Auctoritate mss. et ed. 1 expunximus hic additum *etiam;* cod. I autem addit *similiter haec est vera.* Cod. O post *homo est* addit *ergo.* — Plura de hac consequentia vide apud Boeth., de Syllogismo hypothetico.

[2] Vat., obnitentibus antiquioribus mss. et ed. 1, minus bene *qui* loco *sed terminus masculini generis;* et circa finem argumenti *similiter* loco *simpliciter.*

[3] Ed. 1 *sic ut.* Cod. R *et si substantivetur tunc.*

[4] Aliqui codd. ut R cc *veritate*, et paulo infra plurimi codd. cum ed. 1 contra Vat. *iunctum* pro *adiunctum.*

[5] Sensus est: maxime cum appositiva constructio fiat coniunctione termini minus communis cum magis communi.

[6] Hoc est, stricte secundum regulas artium, scilicet grammaticae et logicae.

[7] Codd. cum primis sex edd. omittunt *omnimoda*, quod a Vat. termino *distinctio* praefigitur.

[8] Vat. praeter fidem codd. et ed. 1 *opposito.*

[9] Fide mss. et ed. 1 substituimus *recipiuntur* loco *recipiunt.* Paulo infra multi codd. omittunt *similiter.*

[10] Cod. X *distinctionem personarum in.*

[11] Vide in lit. Magistri, c. 2. in fine; et super Ioannem, c. 3. Tract. 14. n. 11: Pater mittens Filium se alterum misit.

[12] Codd. MX addunt *est.*

3. Ad illud quod obiicitur tertio: aut alium Deum, aut alium non Deum; dico, quod non sufficienter dividit; quia non est contradictio, nisi accipiatur negatio respectu totius. In hac enim: genuit alium Deum, duo dicuntur, scilicet quod *Deus*[1] *Deum*, et quod *alium in deitate:* et ideo ad hoc, quod sumatur contradictio, necesse est, quod feratur supra totum. Unde sicut non valet, demonstrato monacho nigro, qui est albus per naturam: iste aut est albus monachus, aut albus non monachus, quia utraque falsa; similiter intelligendum est in proposito. Nec valet: est Deus et est alius: ergo est Deus alius, immo est ibi accidens, sicut hic: est bonus et est citharoedus: ergo est bonus citharoedus[2].

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, dicendum, quod *alius*, quamvis sit masculini generis, tamen quia ponit rem circa substantivum[3], ab illo trahit suppositionem; et ideo non tenetur personaliter, nisi secundum quod substantivatur, sicut et hoc nomen unus; unde sicut si dicatur *unus Deus*, *unus* dicit unitatem substantialem, ita si dicatur alius Deus, *alius* dicit alietatem substantialem. Et ratio huius venit non tantum, quia *adiectivum,* sed quia *generale*, quod specificatur per adiunctum.

SCHOLION.

I. Distinctionem in principio responsionis positam, quod *alius* hic possit teneri vel adiective vel substantive (nempe ut appositio), S. Doctor improbat, cum sit regula grammaticorum, quod adiectivum, si immediate sibi coniunctum habet substantivum, non potest accipi ut substantivum sive ut appositio. Si autem *alius* est adiectivum, tunc valet regula logicae, quod *alius,* quando immediate ad suum subiectivum ponitur, importat «*alietatem*» circa suum substantivum tum ratione suppositi, tum ratione formae. Consequenter in casu nostro hic terminus importaret diversitatem in Deitate.

II. In conclusione et solutione obiectorum principales doctores conveniunt. Alex. Hal, S. p. I. q. 50. m. 3. a. 2. § 2. — Scot., hic q. 1. — S. Thom., hic a. 3, S. I. q. 31. a. 2. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic q. 2.

QUÆSTIO III.

Utrum congrue iuxta regulas grammaticae dici possit: plures dii.

Tertio quaeritur, utrum hoc nomen *Deus* grammatice significet pluralem numerum, sive utrum congrue possit dici: *plures dii.* Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia secundum Philosophum[4] intellectus sunt idem apud omnes, quamvis voces sint diversae; sed modi significandi consequuntur modos intelligendi: ergo cum apud Hebraeos congrue dicatur *Heloim*, quod aequipollet ei quod est *dii*, ergo et apud nos.

2. Item, sicut vult Philosophus[5], verum supponit congruum; unde «Catonis est, vel non est, nec verum nec falsum significat»; sed haec vera est: non sunt plures dii: ergo congrua: ergo et haec congrua: plures sunt dii, quia negatio non removet incongruitatem.

3. Item, sicut Deus convenit uni soli, ita principium[6] creaturarum uni soli; sed quamvis falso dicantur plura principia, tamen dicuntur congrue: ergo pari ratione possumus dicere: plures dii.

4. Item, hoc nomen *phoenix* non habet nisi unicum suppositum[7]; tamen congrue dicitur: plures phoenices. *Si tu dicas*, quod suppositum plurificatur per successionem temporis; obiicio tibi de hoc nomine *sol,* quod nullo tempore plurificatur; et tamen congrue dicitur: plures soles: ergo et plures dii.

Contra: 1. Omne nomen, quod habet plurale, est nomen appellativum; propria enim nomina non plurificantur, non enim dicitur: plures Petri vel Ioannes[8]; sed hoc nomen *Deus* non est nomen appellativum, quia non significat formam multiplicabilem: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, hoc nomen *Deus* est proprie[9] proprium divinae naturae; sed nullum tale multiplicatur: ergo etc.

---

[1] Cod. R addit *genuit.*

[2] Exemplum sumtum est ex Aristot., II. Periherm. c. 2. (c. 11.), ubi secundum translationem Boethii habetur *si citharoedus est et bonus, est et citharoedus bonus*, licet aliae translationes ponunt *coriarius* (σκυτεύς) pro *citharoedus.* — De hac fallacia accidentis vide supra d. 2. q. 4. ad 1.

[3] Vat. hic *subiectum* loco *substantivum,* et paulo infra post *substantivatur* ponit *Sicut ergo, cum dicitur unus Deus, hoc nomen unus dicit unitatem*, sed contra antiquiores codd. et ed. 1.

[4] Libr. I. Periherm. c. 1: Et quemadmodum nec litterae omnibus eaedem sunt, ita nec voces omnibus eaedem: quorum tamen haec signa primo sunt, ea omnibus sunt eaedem passiones animae.

[5] Libr. I. Periherm. c. 2, iuxta translationem Boethii: «Nomen vero semper, ut Catonis est, vel non est; nondum enim aliquid verum dicit aut falsum»; in quo textu ceterae translationes *Philonis* pro *Catonis* ponunt. Ad quem locum auctor libri Auctoritatum Aristot. etc. (a. 1500) addit: «Ex quo communiter trahitur, quod verum et falsum praesupponunt congruum». Incongruitas huius dictionis consistit in *discohaerentia accidentium,* ut infra in solutione dicitur; deest enim subiectum genitivi.

[6] Cod. S addit *omnium.* Codd. cum ed. 1 in fine argumenti *deos* loco *dii.*

[7] S. Doctor loquitur secundum antiquam opinionem fabulosam, quod haec avis in uno solo individuo existat, ex cuius cineribus resurgat alius. Idem exemplum adducit Boeth., I. de Categoriis Aristot. c. de Denominativis.

[8] Cfr. Priscian., II. Grammat. c. 5.

[9] Postulantibus mss. et edd. 1, addidimus *proprie.* Paulo infra aliqui codd. ut H ff post *multiplicatur* adiiciunt *vel plurificatur*; ed. 1 *nec plurificatur.*

CONCLUSIO.

Nomen Deus, proprie loquendo, non habet plurale.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hoc nomen *Deus* dicitur tripliciter, scilicet *nuncupative, adoptive* et *naturaliter.* Primis duobus modis pluriticatur; unde Apostolus primae ad Corinthios octavo[1]: *Si quidem sunt dii multi, et domini multi;* sed tertio modo non, quia sic hoc nomen *Deus* significat divinam naturam cum conditionibus, quarum collectiones impossibile est in alio reperire; et ideo sicut nomen proprium non habet plurale, secundum artem loquendo, sic nec hoc[2] nomen Deus.

Tripliciter dicitur Deus.

Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiciitur, quod apud Hebraeos habet plurale quod est *Heloim;* dicendum, quod modi significandi non tantum sequuntur[3] diversos modos intelligendi generales, sed etiam modos exprimendi. Et quoniam ipsi habent articulos et modos exprimendi diversos, quos nos non habemus, ideo illi possunt habere, sed nos non.

2. Ad illud quod obiicitur, quod verum supponit congruum; dicendum, quod duplex est incongruitas: *una* est ex discohaerentia accidentium[4], ut *Catonis est; alia* ex discohaerentia intellectuum, ut cum dicitur: *plures Petri.* Prima incongruitas tollit veritatem et falsitatem; secunda vero incongruitas habet falsitatem coniunctam: et ideo, quia per negationem removetur falsitas, et Sancti malunt loqui vere, quam proprietatem sermonis servare et loqui minus vere, ideo negant plures deos. Posset[5] tamen dici, quod quamvis haec vox *dii* non sit vox significativa secundum artem et impositionem, tamen est vox significativa ex accommodatione usus, ut *olli* pro *illi:* et ideo generat falsum intellectum affirmativa, et negativa verum, quamvis non grammatice.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod principium uni soli convenit, similiter et phoenix; dicendum, quod convenire uni soli est tripliciter. Aut enim est, quia imponitur nomen a forma *immultiplicabili,* ut in propriis nominibus; et sic tollit pluralitatem *re* et *consignificatione.* Aut imponitur a forma, quae *nata est* communicari, quamvis non *communicetur propter determinationem,* ut cum[6] dicitur: principium creaturarum. Aut propter *defectum materiae,* ut phoenix; et tale tollit pluralitatem *secundum rem,* non *secundum consignificationem,* quia potest consignificari talis forma, ut potest multiplicari per supposita.

SCHOLION.

I. Non est hic quaestio de illo fundamentali dogmate, quod Deus sit unus (quod probatum est supra, d. 2. q. 1.), sed de hoc: utrum nomen *Deus* ratione trium personarum possit pluraliter inflecti. De hoc argumento S. Doctor bis disputat, scil. hic quoad *modum dicendi,* infra vero, d. 23. a. 2. q. 3. iterum quoad *rem* sive veritatem intrinsecam. Quaestio hic discussa, quae spectat potius ad grammaticam, inde orta videtur, quod apud Hebraeos in voce Heloim pluralis adhibetur (cfr. 1. arg. ad oppositum). Hoc explicandum esse ex propria indole Hebraicae linguae asserit S. Bonav., cui consentit S. Thom. S. I. q. 39. a. 3. ad 2.

II. Idem docent: Alex. Hal., S. p. 1. q. 50. m. 2; sed triplicem distinctionem hic in corp. positam habet ibid. m. 1. — Scot., hic q. 1. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. ad 3; S. 1. q. 13. a. 9. — B. Albert., I. Sent. d. 2. a. 22. — Petrus a Tar., hic q. 4. a. 2. — Henr. Gand., S. a. 34. q. 2. n. 28.

QUAESTIO IV.

Utrum hoc nomen Deus pro persona supponat, vel pro natura.

Quarto et ultimo quaeritur de suppositione huius nominis- *Deus.* Et quaeritur, utrum hoc nomen *Deus* de se supponat personam, vel naturam. Et quod personam, videtur:

1. Per illud Ambrosii super: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*[7]. Ambrosius: «Trina Dei confessio Trinitatem indicat personarum», ergo cum Deus sit ibi sine adiuncto, de se supponit personam.

Argg. pro 1. sententia.

2. Item, *ratione* obiicitur sic: Hoc nomen *homo* proprie[8] supponit pro omni eo, cui inest humanitas: ergo a simili et hoc nomen *Deus* pro omni

---

[1] Vers. 5.

[2] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 minus apte *sic nec nomen Dei.*

[3] Ex plurimis mss. ut ACFGHMNRSTVXYZ etc. substituimus *sequuntur* loco *requirunt;* alii codd. ut IU ff cum ed. 1 *consequuntur.* Lectio mss. certe praeferenda lectioni Vat. Paulo infra Vat. contra plurimos codd. ut ACGHIKS TVWY etc. et ed. 1 *quoniam ergo* pro *Et quoniam.* Demum circa finem argumenti, obnitentibus mss. et ed. 1, ponit Vat. *dicere* loco *habere;* in lectione mss. supple: plurale.

[4] Priscian., XVII. Grammat. c. 1. (de Constructione): Nam si incongrua (ratio contextus) sit, soloecismum faciet, quasi elementis orationis inconcinne coeuntibus, quomodo inconcinnitas litterarum vel syllabarum vel eis accidentium in singulis dictionibus facit barbarismum. — Vat. sola *adiacentium* loco *accidentium,* quae et paulo supra contra fere omnes codd. et ed. 1 habet *praesupponit* pro *supponit.*

[5] Vat. *potest,* sed obstant mss. et ed. 1. Circa finem huius responsionis aliqui codd. ut ACLORSVY *ex intellectu* pro *intellectum.*

[6] Supplevimus ex mss. et primis sex edd. *cum.* In fine responsionis antiquiores codd. cum ed. 1 *significari* pro *consignificari,* et cod. Q (in margine) *potens* loco *potest.*

[7] Psalm. 66, 7. 8. — Verba, quae hic a S. Doctore attribuuntur S. Ambrosio, eidem etiam a Magistro supra d. II. c. 4. adscribuntur. Vide p. 48. nota 8. — In ipsis verbis Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *professio* loco *confessio.*

[8] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *proprie.* Paulo ante plures codd. cum ed. 1 *ostenditur* pro *obiicitur.* Mox post *Deus* Vat. contra codd. repetit *supponit.*

eo, cui inest Deitas; sed hoc est persona: ergo etc.

3. Item, hoc nomen *Deus* significat deitatem in concretione; sed non nisi in concretione ad suppositum, quod est persona; sed terminus concretus proprie supponit pro eo, respectu cuius importat formam, ut album magis proprie supponit pro re alba quam pro forma: ergo etc.

Sed contra: 1. Pronomen refert rem pro proprio supposito [1]; sed cum dicitur: *Benedicat nos Deus, et metuant eum,* hoc pronomen *eum* refert naturam, non personam: ergo etc.

Argg. pro 2. sententia.

2. Item, quia iste terminus *homo* proprie supponit pro individuo, ista est falsa: homo est Socrates et Plato, quia idem individuum non recipit illam praedicationem; sed haec est vera: Deus est Trinitas, vel: Deus est Pater et Filius: ergo cum illud praedicatum non conveniat uni personae, patet etc.

3. Item, terminus, qui proprie supponit personam, addito sibi termino partitivo, stat solum pro uno, ut cum dicitur: unus homo currit: ergo similiter, cum dicitur *unus Deus:* ergo haec est simpliciter falsa: unus Deus est Pater et Filius.

CONCLUSIO.

Nomen Deus, cum habeat naturam et termini communis et termini singularis, potest proprie supponere tam pro natura quam pro persona.

Respondeo: Dicendum, quod hic consuevit esse duplex opinio.

Una quidem est, quod hoc nomen *Deus* significat proprie naturam et supponit personam, aliquando unam, ut cum dicitur: Deus generat, aliquando duas, ut cum dicitur: Deus spirat, aliquando tres, ut cum dicitur: Deus est Trinitas. Et ratio huius est, ut dicunt, quia cum habeat multa supposita, habet naturam termini communis; terminus autem communis proprie supponit pro individuo, pro natura vero vel pro forma non supponit proprie [2], nisi trahatur, ut si dicatur: homo est species. Sic dicunt in proposito. Ulterius dicunt, quod quia supposita omnia sunt in illo unica [3] suppositione, ideo simul potest supponere pro multis personis, licet illud non possit iste terminus *homo,* vel alius terminus communis; et sic solvunt obiecta.

Sententia 1.

Alia opinio est, quod proprie supponit naturam, sicut significat, et non supponit personam, nisi trahatur ab alio, ut cum dicitur: Deus generat; et hi dicunt, quod cum dicitur: Deus est Trinitas, ibi stat pro natura, non pro persona; et [4] una natura est tres personae: ideo vera est locutio. Et ratio huius positionis est, quia hoc nomen *Deus* habet naturam termini discreti, cum non habeat plurale; ideo idem significat et supponit proprie; cum ergo significet naturam, illam proprie supponit.

Sententia 2.

Sed melius est dicere *utrumque* — quia habet naturam termini *communis* et termini *discreti:* termini *communis* propter pluralitatem suppositorum, termini *discreti* ratione formae immultiplicabilis — quod [5] proprie supponit tam naturam quam personam. Tamen rationes ad utramque partem concludunt verum suo modo. Hoc autem non potest in alio termino inveniri, et ideo nec consimilis modus supponendi.

Sententia auctoris.

SCHOLION.

I. De differentia inter significationem et suppositionem cfr. Scholion hic ad q. 1. Terminus *discretus,* de quo loquitur S. Bonav., idem est ac terminus *singularis* et significat aliquod incommunicabile. Unde « terminus singularis idem significat et supponit » (S. Thom. S. I. q. 39. a. 4.). Terminus vero *communis* non oportet semper supponere pro eo quod per se significat, v. g. in propositione: homo currit, non supponit *homo* pro natura communi humana, sed pro aliquo indeterminato individuo.

II. Licet antiqui doctores de hac quaestione diversis modis loquantur, in re tamen parum dissentire videntur. S. Bonav. praefert tertiam sententiam, quae mediam viam tenet, scil. quod Deus proprie supponat tum pro natura tum pro persona. S. Thom. in Comment. (hic q. 1. a. 2.) sententiam primo loco positam docere videtur, secundam vero ibi et in Summa penitus reiicit. Illam vero primam opinionem in Summa (I. q. 39. a. 4.) ita explicat, ut cum tertia et media sententia S. Bonaventurae conveniat. Hoc patet, si sententia S. Bonaventurae distinctis propositionibus proponitur. Propositio 1: Nomini *Deus* convenit haec proprietas, ut partim sit terminus communis, partim singularis. Ratio est, quia significat simul tum formam *non multiplicabilem,* tum naturam *communicabilem.* Idem docet S. Thom. (S. loc. cit. ad 2.). Propositio 2: Hinc est, quod *Deus* aliquando supponit pro natura, aliquando pro persona. Hoc idem asserunt S. Thom. et Alex. Hal.; tamen Angelicus addit, quod « *per se* supponit pro natura communi » (ad 3.), sed « ex *modo significandi* » habet, ut proprie possit supponere pro persona (in corp.).

III. Circa ipsam quaestionem cfr. S. Bonav., infra d. 29. a. 1. q. 2; III. Sent. d. 7. a. 1. q. 1. — Alex. Hal., S. p. I. q. 50. m. 3. a. 1. 2. — S. Thom., locis citt. — Scot., hic q. 2. in fine. — B. Albert., hic a. 5. 6. et d. 32. a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 3. — Henr. Gand., S. a. 54. q. 3. n. 40. — Dionys. Carth., hic q. 2. in princ. — Biel, hic q. 2.

---

[1] Priscian., XVII. Grammat. c. 2: Substantiam enim significat loco nominis positum pronomen et personam verbo sibi adiuncto congruam indicat.

[2] Vat. hic omittit *proprie* et paulo post habet *dicamus* loco *dicatur,* sed obest auctoritas mss. et ed. 1.

[3] Plerique codd. ut ACFGIKLORXZ *una.* Paulo infra Vat. contra mss. et ed. 1 *solverunt,* aliqui tamen codd. ut KPQX legunt *solvuntur.*

[4] Cod. H addit *quia.*

[5] Ita fere omnes codd. cum ed. 1, in quorum lectione *quod* refertur ad paulo supra positum *dicere utrumque.* Vat. loco *quod* ponit *ideo,* cuius lectionis sensus explicatur codice Z *et ideo dico quod proprie.* Paulo infra codd. O bb *Unde* pro *Tamen.*

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista circa litteram quaeritur de hoc quod dicit: *Deum de Deo, lumen de lumine;* quia cum praepositio *de* notet transitionem et ita diversitatem et [1] distinctionem, videtur quod pari ratione et ab aequipollenti istae sunt verae: Deus est alius a Deo, Deus distinguitur a Deo.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est importare distinctionem sive diversitatem, scilicet ut *modum* [2] vel ut *rem*, vel ut *exercitam* vel ut *conceptam*. Quoniam igitur praepositiones important distinctionem ut *exercitam*, et distinctio est in divinis quantum ad supposita, *de* [3] facit terminum stare pro diversis suppositis. Quoniam ergo circa id ponit modum, circa quod exercet distinctionem, et tales sunt personae: ideo est vera locutio. Quia vero hoc nomen *alius* importat distinctionem ut *conceptam*, similiter hoc verbum *distinguere:* ideo simpliciter ponit distinctionem circa terminum ratione suae formae; ideo sunt falsae [4].

Dub. II.

Item quaeritur de responsione, quam ponit Magister, ibi: *Quod vero additur: Ergo genuit se Deum* etc., quia Magister solvit interimendo conclusionem et videtur non recte solvere. Cum enim *idem* et *diversum* sufficienter dividant ens [5], videtur necessario sequi: genuit Deum: ergo se, vel alium.

Respondeo: Dicendum, quod Magister sustinendo primam et interimendo conclusionem innuit, conclusionem non sequi ex praemissis; et quod non sequatur, ostendit ferendo instantiam [6] contra illud disiunctum.

Ad illud vero quod obiicitur, quod *idem* et *diversum* sufficienter dividunt [7] ens; dicendum, quod simpliciter loquendo falsum est. Nam pars nec est eadem toti omnino nec simpliciter diversa. Habet tamen veritatem secundum *idem*. Unde: « si non est idem alii, est diversum », verum est secundum illud, secundum quod non est idem [8]. Filius autem non est idem Patri in persona, et ideo in persona alius; nec tamen sequitur: *alius Deus*, quia significatur alietas in essentia [9].

Dub. III.

Item quaeritur de hac distinctione, quam ponit Magister de hoc praedicato *Deus Pater,* quod potest esse constructio *appositiva* et *immediata,* vel *mediata* [10]. *Primo* enim videtur, quod ista distinctio non sit intelligibilis, quoniam quae ex eadem parte intransitive construuntur, videntur solum immediate construi. *Item* videtur, quod non solvat, quia recta solutio est, cuius dantem oppositum non contingit solvere [11]; sed ista distinctione remota, adhuc manet sophisma, si loco eius quod est *Deus Pater*, solum ponatur *Pater:* ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod distinctio Magistri bona est et secundum artem. Nam sicut vult Priscianus [12], inter adiectivum et substantivum intelligi-

---

1 Praeter fidem mss. et ed. 1 repetit Vat. hic *ita*.

2 Supple: se habendi. — De hac distinctione vide infra d. 26. q. 1. et 2.

3 In mss. et edd. excidit particula *de*, quam contextus requirit.

4 Pro maiore intelligentia et explicatione huius dubii cfr. q. 1. et 2. huius distinctionis. — Quoad praepositionem *de* vide infra d. 5. a. 1. q. 2.

5 Aristot., X. Metaph. text. 12. (IX. c. 3.): Omne etenim, quodcumque sit ens, aut idem aut diversum.

6 Vide Aristot., II. Prior. c. 26. (c. 28.) de Instantia.

7 Cod. S *dividant*.

8 Codd. T aa bb satis bene addunt *non, secundum illud, secundum quod est idem*, a quibus cod. A in eo tantum divergit, quod particulam *non* minus bene transponit post *quod est*.

9 De hoc dubio cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 50. m. 3. a. 2. § 1; S. Thom., hic q. 1. a. 3. ad 3.

10 Vat. post *appositiva* omittit *et*, quod tamen cum ed. 1 habent codd., quorum nonnulli deinde indebite omittunt *vel mediata;* codd. V X omittunt *et immediata*, quod tamen propter subnexa melius retinetur, licet, quod ad rem attinet, omitti possit, cum *immediata* hic idem sit cum *appositiva;* S. Thom., hic q. 1. a. 3. ad 4. constructioni *appositivae* opponit *mediatam*. — Distinctio Magistri, de qua hic agitur, respicit istam propositionem: *Genuit Deum, qui non est Deus Pater*. Si haec verba *Deus Pater* immediate coniuncta intelliguntur, ita quidem ut terminus *Pater*, tanquam determinans alterum terminum *Deus*, sit terminus principalis, tunc propositio est vera. Sensus enim est: *Genuit Deum, qui non est Deus Pater, sed Deus Filius*. Si vero disiunctim intelliguntur, ita ut terminus principalis sit *Deus*, cui deinceps adiungitur, *qui est Pater*, sic erit falsa; sensus siquidem est: *Genuit Deum, qui non est Deus, et Deus Pater est*.

11 Modus iste loquendi, qui occurrit etiam infra d. 15. p. II. q. 1. in corp. et d. 44. a. 2. q. unic. in corp., sumtus est ex Aristot., II. Elench. c. 3. secundum translationem Boethii: Nam si esset haec solutio, dantem oppositum non possibile esset solvere. Secundum translationem autem ed. Paris. (Firmin-Didot.) c. 22. sic habetur: Nam si esset haec solutio, quam afferunt, qui contrarium daret solvere non posset. — Paulo infra cod. X *maneret*, cod. Z *remaneret* loco *manet*.

12 Libr. XVIII. c. 1. post medium: Subauditur enim participium verbi substantivi *ens*, quod in usu nunc nobis non est, pro quo possumus *qui est* vel *qui fuit* dicere vel subaudire. Similiter, aliis casibus nominativum consequentibus, vel supradictum participium vel quae pro eo accipiuntur subaudire necesse est ad nominativum. — Hac Prisciani regula posita, S. Doctor eam applicat, ulteriore addita distinctione respectu ipsius copulae cum termino adiuncto. Nam appositio, si per participium *ens* sive per relativum (quod est, qui est) cum substantivo coniuncta est, respectu eiusdem potest teneri vel *implicative*, vel *non implicative* seu *in quadam distantia* (sive relativum ut relativum). Si implicative, tunc est constructio appositiva et immediata, et dictio haec: *Deus, qui est Pater* (Deus i. e. Pater) aequivalet huic: *Deus, qui est ipse Pater;* si non implicative, tunc constructio habetur mediata, et dictio haec: *Deus, qui est Pater* aequivalet huic: *Deus, et ille Deus est Pater*, sive etiam: *Deus, qualis est Pater*.

tur media copula *ens* vel *quod est ens*[1]. Et quoniam hoc quod est *ens* sive quod est *Pater* potest teneri *implicative;* et sic restringitur et tenet locum appositivae constructionis et aequivalet uni termino: ideo dicitur, quod potest teneri sive construi *immediate;* et sic *Deus Pater* non est aliud quam ipse Pater. Vel ipsum relativum potest intelligi *relative*, et ita in quadam distantia; et tunc non restringitur, et sensus est: *Deus Pater,* id est *Deus,* qui est Pater; quod tantum valet *est Deus,* et ille est Pater.

Haec autem solutio Magistri solvit quidem[2] sophisma quantum ad unam deceptionem, et ideo est bona. Sed rursus cadit ibi alia deceptio de *relativo*, et ideo adhuc oportet solvere, non ad illam deceptionem, sed ad aliam. Ideo Praepositivus[3] solvit ad hoc argumentum alio modo: ergo Deum qui est Pater, vel qui non est Pater, et dicit, quod non sequitur, nec[4] sunt contradictoriae, quia suppositio huius relativi non est eadem. In affirmativa enim supponit pro Deo genito, quia non confunditur[5]; in negativa vero simpliciter. Unde sicut hae non contradicunt, sed ambae sunt falsae: Nullus homo est Petrus, Ioannes est Petrus, ita dicit in proposito, quia negatio confundit. Unde istae duae ambae sunt falsae: Deus Filius est Pater, Deus non est Pater. — Sed licet solutio Praepositivi locum habeat in proposito, quia non differt praeponere et postponere negationem huic termino *Deus,* tamen in aliis non habet locum. Negatio enim postposita relativo ipsum non confundit.

Alia deceptio.

Solutio Praepositivi.

Non omnino probatur.

Et ideo moderni aliter solvunt distinguendo, quod[6] hoc relativum *qui* potest facere relationem *simplicem* vel *personalem.* Si *simplicem,* affirmativa vera est, negativa falsa; si *personalem,* e converso negativa vera, affirmativa falsa. Quod patet, quia haec est falsa: persona Filii est Pater, et haec est vera: « persona Filii non est Pater[7] ».

Vera solutio.

DUB. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *unus Deus est tres personae.* Sed contra: Quaecumque praedicantur de uno et eodem, praedicantur de se invicem: ergo si unus Deus est Pater et Filius: ergo Pater est Filius. *Si tu dicas,* quod verum est, quando praedicantur de uno singulari, sed non est verum, quando praedicantur de uno communi; *contra:* nihil subiicitur duobus in unica[8] suppositione, quamvis sit commune ad illa. Unde haec est falsa: homo est Socrates et Plato: ergo similiter in proposito.

RESPONDEO: Dicendum, quod, sicut patet, de suppositione huius nominis *Deus* secus est quam de suppositione alicuius alterius termini. Quia enim[9] habet naturam termini communis et discreti, ideo simul stat pro pluribus, sicut pro uno: et ideo non sequitur: Deus est Pater et Filius: ergo Deus Pater est Filius, vel e converso[10]. Similiter nec licet inferre ex hoc, quod Pater sit Filius. Et notandum, quod talis praedicatio est per identitatem[11]: ideo suppositum de termino formali vere praedicatur.

DUB. V.

Item quaeritur de hoc quod Magister dicit: *Unum solum Deum verum esse Trinitatem;* quia videtur esse contra illud quod dicit inferius[12], scilicet quod *trinitas* est nomen collectivum, *unus et solus* nomen partitivum et discretivum: ergo sicut haec est falsa: unus solus homo est omnis homo, ita et haec.

RESPONDEO: Dicendum, quod hoc nomen *trinitas* est[13] collectivum personarum; *unus* autem et *solus,* addita huic termino *Deus,* non dicunt discretionem personae, sed naturae ab aliis. Unde unus

---

[1] *Ens* videtur hic esse superfluum iuxta verba Prisciani. — Mox ex codd. F T etc. addidimus *Et.* Paulo post nonnulli codd. ut H I P Q cum ed. 1 *et tunc* loco *et sic.*

[2] Substituimus fide multorum codd. ut A F G H I R S T etc. et ed. 1 *quidem* loco *quoddam;* lectio certe melior.

[3] Natione Italus, ab an. 1206 Cancellarius Universitatis Parisiensis, scripsit Summam theologicam ex dictis SS. Patrum, a S. Bonav. et S. Thom. non raro allegatam et adhuc ineditam. De Sermonibus eiusdem cfr. Lecoy, La chaire Française au moyen âge p. 80. — Mox Vat. contra mss. et sex primas edd. omittit *ad.* Paulo post codd. *ergo Deus,* sed minus conforme textui Magistri.

[4] Vat. praeter fidem mss. et edd. 1, 2, 3 *et quod non* pro *nec.* Mox cod. Z *contradictorie opposita* loco *contradictoriae.* Paulo infra post *relativi* supple: qui. — Mox codd. O Z post *eadem* satis bene addunt *in affirmativa et negativa,* supple: propositione.

[5] Hoc est, non supponit confuse et indiscriminatim pro tribus personis, sed determinate solum pro persona Filii; e contra in negativa supponit simpliciter i. e. indiscriminatim et confuse pro personis et etiam pro essentia. Cfr. hic q. 4. Hinc patet, quid sibi velit paulo infra *negatio confundit* (codd. *confunditur*), scil. negatio efficit, ut relativum *qui* supponere possit tam pro tribus personis quam pro essentia.

[6] Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, minus apte transponit *quod* post relativum *qui.* Paulo post plures codd. *distinctionem* pro *relationem;* ed. 1 vero *distinctionem vel relationem.* Retinuimus *relationem,* utpote quod supra dictis q. 1. in corp. magis correspondet. Ibidem et divisio relationis in *simplicem* et *personalem* occurrit.

[7] De solutione huius dubii vide Alex. Hal., S. p. I. q. 50. m. 3. a. 2. § 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. ad 4. et S. I. q. 39. a. 4. ad 5. — Biel, hic q. 1.

[8] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *una.*

[9] Vat. contra codd. et edd. 1, 2, 3 *cum* pro *enim.*

[10] Codd. inter se non conveniunt; cod. T quoad sensum cum Vat. convenit ponendo *vel Filius est Pater* loco *e converso.* Plures codd. ut A G N S V W aa bb *ergo Deus Pater est vel Filius est Pater vel Filius. Similiter;* alii ut C O *ergo Deus Pater est vel Filius est. Similiter;* alii aliter corrupte; sed nihil immutandum duximus.

[11] De praedicatione per *identitatem* vide infra d. 5. a. 1. q. 1. ad 2; d. 33. q. 3. et d. 34. q. 2. — De hoc dubio cfr. supra q. 4. et Scot., hic q. 2.

[12] Dist. XXII. c. 3. et dd. XXIV. et XXV.

[13] Cod. T addit *nomen.*

solus Deus dicitur una sola natura; et quoniam in divinis est idem *natura* et *res naturae* sive suppositum, ideo praedicatione per identitatem *Trinitas* de Deo[1] praedicatur. Nec est simile de hoc quod est *omnis homo* et *unus solus homo*. Nam iste terminus *homo* est terminus, qui potest confundi et multiplicari, et ideo haec est vera: omnis homo est homo, nec stat simul pro pluribus[2], nisi confundatur; et ideo haec est falsa: homo est omnis homo, quia nec ratione supponendi est vera, nec per identitatem, nec est idem in homine *natura* et *res naturae*[3].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Satis est christiano rerum creatarum causam* etc. Videtur enim dicere falsum, quoniam aut dicit *satis* quantum ad *fidem;* et sic est falsum, quia multa alia oportet credere; aut *satis* quantum ad *scientiam;* et illud similiter est falsum, quia nunquam scitur ex hoc causa rei sufficienter.

Respondeo: Dicendum, quod intelligitur *satis* quantum ad scientiam, non quamlibet, sed necessariam ad salutem.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Pater genuit alterum se*. Videtur enim male coniungere illa duo, quia *se* dicit omnimodam identitatem, et *alterum* diversitatem, et ita sunt opposita, et ita[4] opposita implicantur. *Si dicas,* quod unum diminuit de altero, quaero: *quid* et *de quo?*

Respondeo: Dicendum, quod oppositio directa intelligitur semper circa idem. Quoniam ergo in divinis simul est identitas in natura et alietas in supposito, et hoc sine oppositione; ideo nomen *identitatis* et *alietatis* in sermone[5] uniuntur sine oppositione, immo ad singularis modi expressionem.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Pater ut haberet Filium, non minuit se,* quia videtur dicere falsum; quia illud argumentum valet: quicumque generat unum filium, ut non possit amplius generare, minuitur eius potentia; sed sic est in Patre: ergo etc.

Respondeo: Quod illud verum est, si generare alterum sit potentiae; sed quod, uno genito, possit alterum generare, dicit imperfectionem potentiae in generando, quia ex hoc ostenditur, quod non totum dedit uni[6].

Dub. IX.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *De se alterum se genuit, sed non alterum deum, sed alteram personam,* utrum dicatur magis proprie *alterum,* vel *alium;* et[7] videtur quod *alterum,* quia minorem dicit diversitatem, quia Socrates dicitur alter a se; sed in divinis minima est diversitas. *Sed contra:* differentiae accidentales faciunt dici *alterum*[8]*;* sed in divinis nullum est accidens: ergo non debet dici *alterum.*

Item videtur, quod neutrum bene dicatur. Si enim differentiae substantiales faciunt dici *aliud,* et accidentales *alterum,* cum neutrum cadat in divinis, neutrum videtur esse dicendum.

Respondeo: Dicendum, quod quia Pater differt a Filio et in supposito et in proprietate, ideo potest dici *alius,* et potest dici *alter.* Sed quoniam proprietas illa non accidit personae, ideo magis proprie dicitur *alius.* Et quia *alius* respicit suppositum, *aliud* essentiam: ideo, etsi recipiatur[9] ibi *alius* in masculino, non tamen *aliud* in neutro.

---

[1] Vat. contra mss. et edd. 1, 2, 3 *eo* pro *Deo*.

[2] Cod. W *omnibus*. Paulo infra nonnulli codd. ut FHTY cc cum edd. 2, 3 *suppositi* loco *supponendi*.

[3] De re naturae sive supposito vide infra d. 23. a. 1. q. 2. et d. 34. q. 1. — Quoad ipsam solutionem cfr. infra d. 24. a. 3. q. 1. — Alex. Hal., S. p. I. q. 50. m. 3. a. 2. § 7. — S. Thom., S. I. q. 39. a. 6.

[4] Vat. contra fere omnes mss. et ed. 1 *illa* pro *ita*, quod unus vel alter codex omittit.

[5] Fide mss. et ed. 1, 2, 3 expunximus hic additum *uno* et paulo post ex mss. et ed. 1 supplevimus *immo*, loco cuius edd. 2, 3 *in uno*. — De hoc dubio cfr. hic q. 2. — Alex. Hal., S. p. I. q. 50. m. 3. a. 2. § 3. — S. Thom., S. I. q. 39. a. 4. ad 4.

[6] Cfr. supra d. 2. q. 3. ad ult.

[7] Supplevimus ex mss. et ed. 1 particulam *et*.

[8] Cfr. Porphyr. de Praedicab. c. de Differentia.

[9] Licet plurimi codd. et ed. 1 habeant *si*, praeferimus tamen cum codd. LR etc. *etsi*. Codd. cit. et ed. 1 deinde legunt *recipiatur* (multi codd. falso *respiciatur*) pro *recipitur*. — De solutione huius dubii cfr. hic q. 2. et infra d. 9. dub. 1. — Alex. Hal., S. p. I. q. 65. m. 2. a. 2. ad ult. et a. 4. — S. Thom., S. I. q. 31. a. 2. ac S. III. q. 17. a. 1. ad 7, ubi de differentia inter *alium* et *alterum* eadem sententia profertur.

DISTINCTO V.

Cap. I.

Utrum divina essentia genuerit Filium, vel genita sit a Patre, vel de ipsa natus sit Filius, vel Spiritus sanctus processerit.

Post haec quaeritur, utrum concedendum sit, quod Pater genuit[1] divinam essentiam, vel quod divina essentia genuit Filium, vel essentia genuit essentiam, an omnino non genuit nec genita est divina essentia.

Ad quod catholicis tractatoribus consentientes dicimus, quod nec Pater genuit divinam essentiam, nec divina essentia genuit Filium, nec divina essentia genuit[2] essentiam. Hic autem nomine essentiae intelligimus divinam naturam, quae communis est tribus personis et tota in singulis. Ideo non est dicendum, quod
Ratio 1. Pater genuit divinam essentiam; quia si Pater diceretur genuisse divinam essentiam, essentia divina relative diceretur ad Patrem vel pro relativo poneretur. Si autem relative diceretur vel pro relativo poneretur, non indicaret essentiam. Ut enim ait Augustinus in quinto libro de Trinitate[3]: «Quod relative dicitur, non indicat substantiam».

Item, cum Deus Pater sit divina essentia, si eius
Ratio 2. esset genitor, esset utique genitor eius rei, quae ipse est; et ita eadem res se ipsam genuisset, quod Augustinus negat, ut supra[4] ostendimus.

Item, si Pater est genitor essentiae divinae, cum
Ratio 3. ipse essentia divina sit et Deus sit, eo ergo[5] quod generat, et est et Deus est. Ita ergo non illud quod generatur, est a Patre Deus, sed Pater eo quod generat, et est et Deus est. Et si ita est, non genito gignens, sed gignenti genitus[6] causa est, ut et sit et Deus sit. Simili ratione probat Augustinus in libro septimo de Trinitate[7], «quod Pater non est sapiens sapientia, quam genuit, quia si ea sapiens est, ea est; hoc enim est ibi esse quod sapere. Quodsi hoc est ibi esse quod sapere, non per illam sapientiam, quam genuit, sapiens Pater est. Quid enim aliud dicimus, cum dicimus: hoc illi est esse quod sapere, nisi, eo est quo sapiens est? Ergo quae causa illi est, ut sapiens sit, etiam ipsa illi causa est, ut sit. Si ergo sapientia, quam genuit, illi causa est, ut sapiens sit, et causa illi est, ut sit. Sed causam Patri, qua sit, a Patre genitam, nullo modo quisquam dixerit sapientiam; quid enim est insanius? Ita ergo, si Pater genuit essentiam, qua est, essentia, quam genuit, causa est illi, ut sit». Non ergo ipsam, qua[8] est, essentiam genuit. «Nam in illa simplicitate, inquit Augustinus[9], quia non est aliud sapere quam esse, eadem est ibi sapientia quae essentia»; ideoque quod de sapientia, hoc de essentia dicimus. Sicut ergo non genuit sapientiam, qua sapiens est, ita nec essentiam, qua est. Ut enim sapientia sapiens est et potentia potens, ita et essentia ipse est, eademque est sapientia et potentia, quae essentia. Patet itaque ex praedictis, quia[10] Pater essentiam divinam non genuit.

Huic autem videtur contrarium quod Augustinus ait in libro unico de Fide et symbolo, capitulo tertio[11]: «Deus, cum Verbum genuit, id quod ipse est genuit, nec de nihilo nec de aliqua iam facta conditaque materia, sed de se ipso id quod est ipse». Item[12]: «Deus Pater, qui verissime se indicare animis cogituris et voluit et potuit, hoc ad se ipsum indicandum genuit, quod est ipse qui genuit». Ecce aperte dicit his verbis, Deum Patrem genuisse illud quod ipse est. Illud autem quod ipse est, non est nisi essentia divina: videtur ergo divinam essentiam genuisse. Ad quod respondemus, illa verba sic intelligenda esse dicentes: Pater de se ipso genuit illud quod ipse est, id est Filium, qui est illud quod Pater est. Nam *quod* Pater est, et Filius hoc est, sed non *qui* Pater est, et Filius hic est. — Adversari videtur Augustinus.

Ita etiam non est dicendum, quod divina essentia genuit Filium, quia cum Filius sit divina essentia, iam esset Filius res, a qua generatur; et ita eadem res se ipsam generaret. Ita etiam dicimus, quod essentia divina non genuit essentiam. Cum enim una et summa quaedam res sit divina essentia, si divina essentia essentiam genuit, eadem res se ipsam genuit, quod omnino esse non potest; sed Pater solus genuit Filium, et a Patre et Filio procedit Spiritus sanctus[13]. — Alias partes quaestionis solvit.

Praedictis autem videtur contrarium esse quod dicit Augustinus in libro septimo de Trinitate[14]: «Hoc, inquit, est Deo esse quod sapere; unde Pater et Filius simul sunt una sapientia, quia una essentia: et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia». Ecce his verbis aperte dicit Augustinus, sapientiam de sapientia et essentiam de essentia, ubi videtur significare, quod sapientia sapientiam et essentia es- — Obiicitur ex Augustino.

---

[1] Solus cod. A ter habet *genuerit* pro *genuit.*
[2] Vat. et edd. 4, 9 superflue addunt *divinam.*
[3] Cap. 7. n. 8, ubi: *Quod autem relative pronuntiatur* etc. Paulo supra edd. 1, 8 post *indicaret* addunt *divinam.*
[4] Dist. IV. c. I.
[5] Vat. et ed. 4 non bene omittunt *ergo;* paulo ante codd. A B C E et ed. 1 addendo *et* legunt: *essentia divina et sit et Deus sit;* cod. vero D *etiam* pro *et.*
[6] Cod. D et edd 1, 2, 3, 8, 9 minus bene *genitum;* in principio huius propositionis cod. C *Quodsi* pro *Et si.*
[7] Cap. 1. n. 2; in quo textu Vat. et edd. 2, 3, 4, 7, 9 bis pro *ibi* legit *sibi;* ed. 5 bis *illi;* codd. bis *ibi,* exceptis D E, qui primo loco habent *ei;* ed. Augustini modo *ibi,* modo *illi.*
[8] Sola Vat. perperam *quae.*
[9] Loc. cit. — Vat. et edd. 4, 5, 6, 9 addunt *ut* ante *inquit.*
[10] Cod. D cum edd. 1, 8 elegantius *quod.*
[11] Num. 4. — Omnes codd. et edd., exceptis Vat. et edd. 4, 9, falso sic: *in libro de Fide ad Petrum.*
[12] Loc. cit., in quo textu codd. B D E *se* pro *se ipsum;* post *indicandum genuit* ed. 8 adiicit *id est;* edd. 1, 3 omittunt *quod est ipse, qui genuit.*
[13] Haec doctrina Magistri oppugnata est ab abbate Ioachim, sed approbata a Concilio Lateranensi IV.; cfr. infra Bonav. ad hanc dist. a. 1. q. 1. et dub. 4.
[14] Ex cap. 1. n. 2. et c. 2. n. 3. passim excerptum. — Vat. omittit *in libro septimo de Trinitate.*

sentiam genuerit. Idem in libro de Fide ad Petrum [1] ait: « Sic Christum Dei Filium, id est unam ex Trinitate personam, Deum verum crede, ut divinitatem eius de natura Patris natam esse non dubites ». Hic videtur dicere, quod natura Filii sit nata de natura Patris. Idem etiam in libro decimo quinto de Trinitate [2] ait: « Dicitur Filius consilium de consilio et voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia ». Et hic videtur dicere, quod substantia sit genita de substantia et sapientia de sapientia. Sed hoc [3] ita determinamus: « sapientia de sapientia, et substantia de substantia est », id est Filius, qui est sapientia, qui est substantia, est de Patre, qui est eadem substantia et sapientia; et Filius, qui est divinitas, natus est de Patre, qui est natura divina. Et ut expressius dicamus, dicimus, Filium sapientiam esse de Patre sapientia, et dicimus, Filium substantiam esse genitum de Patre et a Patre substantia. Quod autem ita intelligi debeat Augustinus, ostendit in libro septimo de Trinitate [4] dicens: « Pater ipse sapientia est; et dicitur Filius sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, id est, sicut lumen de lumine et uterque unum lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia; et uterque una sapientia et una essentia ». Item [5]: « Ideo Christus dicitur virtus et sapientia Dei, quia de Patre, virtute et sapientia, etiam ipse virtus et sapientia est, sicut ipse lumen de Patre lumine est, et ipse fons vitae est apud Deum Patrem, fontem vitae. Filius ergo sapientia de Patre sapientia est, sicut Filius lumen de Patre lumine, et Deus Filius de Deo Patre, ut et singulus sit lumen et singulus Deus et singulus sapientia, et simul unum lumen, unus Deus, una sapientia ». Ecce his verbis manifeste aperit Augustinus, ex quo sensu accipienda sint praedicta verba et his similia, scilicet cum dicitur: substantia de substantia, vel substantia genuit substantiam.

Item obiicitur ex Hilario.

Huic vero etiam id contrarium videtur, quod Hilarius ait in quarto libro de Trinitate [6]: « Nihil, inquit, nisi natum habet Filius; et geniti honoris admiratio in honore generantis est ». Cum ergo Filius essentiam habeat — tota enim in eo est divina essentia — videtur quod ipsa divina essentia nata sit. Item in quinto libro [7] ait: « Nativitas Dei non potest eam ex qua profecta est non tenere naturam, nec enim aliud quam Deus subsistit, quod non aliunde quam de Deo subsistit ». Ecce hic dicit nativitatem Dei profectam ex natura, et ita videtur ex his verbis atque praedictis natura Dei et genita et genuisse. Quod apertius dicit in libro nono de Trinitate [8]: « Nos, inquit, unigenitum Deum, in forma Dei manentem, in natura hominis mansisse profitemur, nec unitatem formae servilis in naturam divinae unitatis refundimus, nec rursus corporali insinuatione Patrem in Filio praedicamus, sed ex eo eiusdem generis genitam naturam naturaliter in se gignentem habuisse naturam, quae in forma naturae se gignentis manens, formam naturae et infirmitatis corporalis accepit. Non enim defecerat Dei natura, ne esset; sed in se humilitatem terrenae nativitatis manens sibi Dei natura susceperat, generis sui potestatem in habitu assumtae humilitatis exercens ». Ecce hic aperte dicit, et naturam genuisse, et naturam genitam, et naturam assumsisse naturam; quod a plerisque negatur. Item in eodem [9]: « Nunquid unigenito Deo contumelia est, Patrem sibi innascibilem Deum esse, cum ex innascibili Deo nativitas unigenita in naturam unigenitam subsistat »? Ecce et hic dicit unigenitam naturam.

Quomodo verba Hilarii sint intelligenda.

Sed quia haec verba sane vult intelligi, ipse idem dicit in quarto libro [10]: « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus ». Haec ergo verba ita intelligi possunt: nihil habet Filius nisi natum, id est, nihil habet secundum quod Deus est, nisi quod nascendo accepit, et ipse nascendo Patris in se subsistentem habuit naturam. Unde idem Hilarius addit in quinto libro [11]: « Eandem naturam habet genitus, quam ille qui genuit, ita tamen, ut natus non sit ille qui genuit (nam quomodo erit Pater ipse, cum genitus sit?), sed in his ipsis subsistat ille qui genitus est, in quibus totus est ipse qui genuit; quia non est aliunde qui genitus est. Et ideo non refertur ad aliud quod in uno subsistit ex uno. Ac sic in generatione Filii et naturam suam, ut ita dicam, sequitur indemutabilis Deus indemutabilem gignens Deum, nec naturam suam deserit ex indemutabili Deo indemutabilis Dei perfecta nativitas. Subsistentem ergo in eo Dei naturam intelligamus, cum in Deo Deus insit; nec praeter eum qui Deus est, quisquam Deus alius sit, quia ipse Deus,

---

[1] Cap. 2. n. 15.

[2] Cap. 19. n. 37. — Immediate ante Vat. cum aliis edd., exceptis 1, 8, omittit *etiam*.

[3] Omnes codd. contra edd. bene *haec*.

[4] Cap. 1. n. 2; ubi post *sapientia de sapientia* edd. 1, 8 addunt *et essentia de essentia*.

[5] Cap. 3. n. 4. — Circa finem huius textus Codd. bis addendo *sit* legunt: *singulus sit Deus et singulus sit sap.*, quibus secundo loco accedunt edd. 1, 5, 6, 8. Pro *singulus* et *simul* edd. 2, 3, 7 quater legunt male *singulis;* in fine edd. 1, 8 addunt *et* post *unus Deus*.

[6] Num. 10.

[7] Num. 37, in quo textu et paulo post Vat. et edd. 4, 7, 9 bis legunt *provecta* pro *profecta*, sed mendose.

[8] Num. 51, in quo textu codd. A B C et edd. 5, 9 legunt: in forma *servi* manentem in natura *Dei* mansisse. Editores Maurini vero habent: in forma *Dei* manentem in natura *Dei* mansisse. Iidem lectionem nostram, quam praeter codd. D E et ceteras Magistri edd. etiam antiquae Hilarii edd. exhibent, depravatam esse censent, cum Hilarius *formae* nomine aliud a *natura* ipsa intellexerit, scil. habitum, quem prae se tulit Christus. Iuxta ipsos sensus est, Christum secundum formam Dei semper mansisse in natura, unitate et gloria Dei, etsi secundum formam servi non statim ab ipsa hominis assumtione naturae divinae assecutus sit gloriam, sed tantum per resurrectionem. Cfr. ibid. n. 38. Licet textus Maurinorum multo probabilior esse videatur, ipsum tamen contra codd. et edd. Magistro non obtrudendum esse censuimus. — In eodem textu cum Hilario codd. A C *acceperit* pro *accepit* et in fine pro *humilitatis* Vat. et plures edd. *humanitatis*.

[9] Loc. cit. n. 53.

[10] Num. 14; cod. A et ed. 4 addunt *de Trinitate*.

[11] Num. 37, sed multis a Magistro mutatis et omissis. — Vat. et ed. 4 omittunt *idem* ante *Hilarius*. In ipsa auctoritate a codd., ed. 1 et textu Hilarii omittitur *Pater* post *quomodo erit*. Mox contra originale, codd. A B C E et ed. 1 Vat. cum ceteris edd., mutata constructione et reiectis signis parentheseos, legit *subsistit* pro *subsistat*. Denique eadem Vat. et edd. 4, 5, 6, 9 addendo *et* habent *subsistit et ex uno*.

et in eo Deus». Naturae ergo Dei Patris veritas in Deo Filio esse docetur, cum in eo Deus intelligatur [1] esse, qui Deus est. Est enim unus in uno et unus ab uno.

Aliae locutiones difficiles proponuntur.

Dicitur quoque et frequenter in Scriptura sacra legitur, Patrem de sua substantia genuisse Filium. Unde Augustinus in libro de Fide ad Petrum [2] ait: « Pater Deus, de nullo genitus Deo, semel de sua natura sine initio genuit Filium Deum sibi aequalem et eadem qua ipse naturaliter aeternus est divinitate coaeternum». Ecce hic dicit Augustinus, Filium genitum de natura Patris. Est autem una natura Patris et Filii et Spiritus sancti. Si ergo de natura Patris genitus est Filius, genitus est de natura Filii et Spiritus sancti, immo de natura trium personarum. Idem quoque Augustinus in libro decimo quinto de Trinitate [3] dicit, Christum esse Filium substantiae Patris et de substantia Patris genitum, tractans illud verbum Apostoli loquentis de Deo Patre sic: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii caritatis suae.* «Quod dictum est, inquit, *Filii caritatis suae*, nihil aliud intelligatur [4] quam Filii sui dilecti, quam Filii substantiae suae. Caritas quippe Patris, quae in natura eius est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quam ipsa natura atque substantia, ut saepe diximus et saepe iterare non piget, ac per hoc Filius caritatis eius nullus est alius, quam qui de substantia eius est genitus». Ecce aperte hic dicit Augustinus, Filium esse genitum de substantia Patris et Filium substantiae Patris. Idem quoque Augustinus in libro secundo contra Maximinum haereticum [5], substantiam Dei genuisse Filium, et Filium genitum de substantia Patris asserit dicens: «Carnalibus cogitationibus pleni, substantiam Dei de se ipsa gignere Filium non putatis, nisi hoc patiatur, quod substantia carnis patitur, quando gignit. *Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei* [6]. Nullo enim modo verum Dei Filium cogitatis, si eum natum esse de substantia Patris negatis. Non enim iam erat hominis Filius et Deo donante factus est Dei Filius, ex Deo natus gratia, non natura. An forte, etsi non hominis filius erat, tamen aliqua iam erat qualiscumque creatura et in Dei Filium, Deo mutante, conversa est? Sed nihil horum est: ergo aut de nihilo, aut de aliqua substantia natus est. Sed ne crederemus, vos putare de nihilo esse Dei Filium, affirmastis [7], non vos dicere de nihilo esse Dei Filium. De aliqua ergo substantia est; et si non de substantia Patris, de qua sit, dicite; sed non invenietis. Iam igitur unigenitum Dei Filium, Iesum Christum, de Patris esse substantia, non vos nobiscum pigeat confiteri». Idem in eodem [8]: «Utrique legimus, *ut simus in vero Filio eius*, Iesu Christo. Dicite ergo nobis, utrum iste verus Dei Filius ab eis qui gratia filii sunt, quadam proprietate discretus de nulla substantia sit, an de aliqua? Non dico, inquis, de nulla, nec dicam de nihilo: ergo de aliqua substantia est. Quaero, de qua? Si non de Patris substantia est, aliam quaere. Si aliam non invenis, Patris agnosce substantiam, et Filium cum Patre homoousion confitere». Item in eodem [9]: «Confiteor, Deum Patrem omnino incorruptibiliter genuisse, sed quod est ipse genuisse. Item dico quod saepe dicendum est: aut de aliqua substantia natus est Dei Filius, aut de nulla; si de nulla: ergo de nihilo; quod vos iam non dicitis; si vero de aliqua, nec tamen de Patris substantia, non est verus Filius; si vero de Patris substantia, unius eiusdemque substantiae sunt Pater et Filius. Vos autem nec Filium [10] de substantia Patris genitum vultis; et tamen eum nec ex nihilo nec ex aliqua materia, sed ex Patre esse conceditis; nec videtis, quam necesse sit, ut qui non est ex nihilo nec ex aliqua alia re, sed ex Deo, nisi ex Dei substantia esse non possit, et hoc esse quod Deus est, de quo est, id est Deus de Deo natus; quia non alius prius fuit, sed natura coaeterna de Deo est».

Summa praedictorum colligitur.

His verbis praemissis innui videtur, quod divina substantia [11] Filium genuerit, et quod Filius sit genitus de substantia Patris, et quod de Deo est natura coaeterna, et quod Pater id quod ipse est genuit. Id autem quod ipse est, essentia divina est; et ita putari potest, divinam essentiam genuisse. Vehementer movent nos haec verba, quae quomodo intelligenda sint, mallem ab aliis audire quam tradere [12]. Ut tamen sine praeiudicio atque temeritate loquar, ex hoc sensu dicta possunt accipi: natura coaeterna de Deo est, id est, Filius coaeternus Patri de Patre est, ita quod est eadem cum eo natura vel eiusdem naturae. Quem sensum confirmat Augustinus, ibidem [13] subiiciens et quod dixerat quasi explanans. Dicto enim: «Natura coaeterna de Deo est», addidit: «Non est aliud Filius quam illud de quo est, id est, unius eiusdemque substantiae est». Deinde apertius talem intellectum ex praedictis verbis fore habendum aperit in eodem libro contra Maximinum dicens: «Trinitas haec unius eiusdemque substantiae est, quia non de aliqua materia vel de nihilo est Filius, sed de quo est genitus. Itemque Spiritus sanctus non de aliqua materia vel de nihilo est, sed inde est, unde procedit». His utique verbis aperte ostendit, ea ratione dici Filium esse de substantia Patris, quia est de Patre genitus, ita quod est eiusdem substantiae cum eo: et [14] Spiritum sanctum esse de substantia Patris et Filii, quia ab utroque procedit, ita quod est eiusdem substantiae.

Sensus eorum explicatur.

---

[1] Ita codd. ABE; ceteri codd. et edd. *intelligitur*.

[2] Cap. 2. n. 10. — Paulo ante post *Scriptura* Vat. cum paucis edd. omittit *sacra*.

[3] Cap. 19. n. 37. — Locus Apostoli est Col. 1, 13, in quo textu Vulgata habet *filii dilectionis*.

[4] Vat. et edd. 4, 9 *intelligitur*.

[5] Cap. 14. n. 2.

[6] Matth. 22,29, ubi Vulgata: *erratis nescientes*, cui concordant nostri codd. et edd. 1, 8; Vat. cum aliis edd. *non scientes*.

[7] Vat. cum edd. 4, 5, 6, 8, 9 *affirmatis;* Augustinus: *affirmasti*.

[8] Loc. cit. n. 3. — Pro *utrique* codd. ABD et edd. 3, 7, 8 *utique*, sed contra originale. — Respicitur locus sacrae Scripturae I. Ioan. 5, 20.

[9] Loc. cit. n. 4. et 2. — Immediate ante Vat. *idem* loco *item* contra codd. et edd. 1, 8.

[10] Vat. cum cod. A et paucis edd. hic adiicit *Dei*.

[11] Codd. CD addunt *vel essentia* et mox post *genuerit* codd. DE *vel* pro *et*.

[12] Vat. cum edd. 4, 6, 8 praemittit *ipse*.

[13] Libr. II. c. Maxim. c. 14. n. 2; quae sequuntur ibidem inveniuntur. — Paulo post Vat. *addit* pro *addidit*.

[14] Sola Vat. omittit *et;* in principio huius propositionis loco *utique* cod. D *itaque*.

Cap. II.

Quod Filius non est de nihilo, sed de aliquo, non tamen de materia, sicut et Spiritus sanctus.

Ostenditur quoque ex illis verbis, Filium et Spiritum sanctum non esse de nihilo, sed de aliquo, nec tamen de aliqua materia. Unde etiam Hilarius in duodecimo libro de Trinitate [1] ait: «Unigenitus Deus, cum natus sit, Patrem testatur auctorem; cum ex manente natus est, non est natus ex nihilo; et cum ante tempus natus est, omnem sensum praevenit nascendo». Hic aperte dicitur, quod Filius non est natus ex nihilo. Similiter et Spiritus sanctus non est dicendus esse vel procedere ex nihilo, «quia Filius de substantia Patris natus est [2]», id est, a Patre est, cum quo est eiusdem substantiae et eadem substantia. Ex quo sensu etiam accipiendum est illud: «Pater genuit id quod est ipse», id est, Filium, qui est hoc quod Pater. Et hoc ita debere intelligi Augustinus aperit, dicens in primo libro contra Maximinum [3]: «Hoc genuit Pater quod est; alioquin non est verus Filius, si quod est Pater non est Filius». Item: «substantia Dei genuit Filium», id est, Pater substantia genuit Filium, qui est eadem substantia et eiusdem substantiae. Quod sic esse intelligendum Augustinus ostendit, dicens ad Maximinum [4]: «Sicut dicis, spiritus spiritum genuit; ita dic: spiritus eiusdem naturae vel substantiae spiritum genuit. Item, sicut dicis: Deus Deum genuit, ita dic, Deus eiusdem naturae vel substantiae Deum genuit. Hoc si credideris et dixeris, nihil de hac re ulterius accusaberis». His enim verbis aperit, quomodo praedicta debeant intelligi. Similiter: «Filius natus est de substantia Patris, vel Pater genuit Filium de sua natura sive essentia», id est, de se natura et essentia genuit Filium eiusdem essentiae [5] ac naturae, et qui est eadem essentia ac natura. Similiter expone illud: «Filius substantiae Patris», id est [6] Filius Patris substantiae, id est, qui est substantia, cum quo et Filius eadem substantia est, quia consubstantialis est Patri Filius. Et hic sensus adiuvatur ex verbis Augustini, qui in libro septimo de Trinitate [7] ait: «Tres personas eiusdem essentiae, vel tres personas unam essentiam dicimus. Tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona». His verbis ostendit, non esse dicendum, personam esse ex essentia, nisi ex sensu praedicto. Qui sensus confirmatur etiam ex eo quod in libro decimo quinto de Trinitate [8] idem ait: «Sicut nostra scientia scientiae Dei, sic et nostrum verbum, quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi Verbo Dei, quod natum est de Patris essentia. Tale est autem, ac si dicerem: de Patris scientia, de Patris sapientia, vel quod est expressius, de Patre essentia, de Patre scientia, de Patre sapientia». Ex hoc itaque intellectu Verbum Dei Patris, unigenitus Filius, per omnia Patris similis et aequalis, recte dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia de sapientia, essentia de essentia; quia est hoc omnino quod Pater, non [9] tamen Pater, quia iste Filius, ille Pater.

Cap. III.

Quare Verbum Patris dicatur Filius naturae.

Inde est, quod solus Unigenitus Dei dicitur natura Filius, quia eiusdem naturae est et eadem natura est cum Patre. Unde Hilarius in libro quinto de Trinitate [10] de Christo loquens ait: «Natura Filius est, quia eandem naturam, quam ille qui genuit, habet».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM V.

De comparatione generationis ad terminum essentialem abstractum, qui est essentia.

Post haec quaeritur, utrum concedendum sit etc.

DIVISIO TEXTUS.

In praecedenti distinctione movit Magister quaestionem de comparatione generationis ad terminum essentialem *concretum*, qualis est hoc nomen *Deus*. In presenti movet quaestionem de comparatione generationis ad terminum essentialem *abstractum*, qui est *essentia*. Et dividitur haec pars in duas partes. In *prima* parte movet quaestionem ex comparatione generationis ad essentiam in ratione *termini*, videlicet utrum essentia generetur; in *secunda* in ratione *principii*, utrum essentia generet etc., ibi: *Ita etiam non est dicendum, quod divina essentia genuit Filium* etc.

---

[1] Num. 25.

[2] August. de Fide et symb. c. 4. n. 6. Verba sequentia: Pater genuit id quod ipse est, ibid. c. 3. n. 4; cfr. supra c. 1.

[3] Cap. 18. — Quod sequitur est ex libr. II. c. 14; vide supra c. 1 post medium. In eodem cap. 14. occurrunt alii textus, ex quibus propositiones, quae hic explicantur, sumtae sunt.

[4] Libr. II. c. 15. n. 3. — Codd. BC in principio textus: *Spiritus sanctus, Spiritum sanctum;* deinde cod. C prosequitur: *genuit, ita est sicut dicis Deum Deus genuit, ita dic.*

[5] Vat. et edd. 4, 6 *substantiae.*

[6] Edd., exceptis Vat., 1 et 8, non bene *et* pro *id est.*

[7] Cap. 6. n. 11. — Vat. cum plurimis edd. adiicit *his* ante *verbis August.* — Paulo infra codd. et ed. 1 *ostendit,* et cod. C addit *Augustinus.* Ceterae edd. *ostenditur.*

[8] Cap. 13. n. 22, in quo textu circa finem Magister adiunxit *de Patre essentia.*

[9] Cod. B *nec.*

[10] Num. 37; vide supra c. 1. circa medium.

Item *prima* pars habet quatuor partes. In *prima* parte proponit problemata, videlicet utrum essentia generet vel generetur. In *secunda* adducit rationes tres probantes, quod essentia non generatur a Patre, ibi: *Ideo non est dicendum, quod Pater genuit* etc. In *tertia* adducit rationes in contrarium, ibi: *Huic autem videtur contrarium* etc. In *quarta* et ultima solvit et exponit, ibi: *Ad quod respondemus.*

Ita etiam non est dicendum[1]. Haec est *secunda* pars istius distinctionis, in qua Magister determinat secundam partem quaestionis, quae est de comparatione generationis ad essentiam in ratione *principii,* et habet haec pars tres partes. In *prima* determinat istam quaestionem dicens, quod essentia non generat[2]; et hoc confirmat per rationem ducentem ad impossibile. In *secunda* vero adducit auctoritates, quae sunt directe contrariae praedictae solutioni, ibi: *Praedictis videtur esse contrarium.* In *tertia* vero adducit auctoritates, ex quibus potest elici contrarietas, ibi: *Dicitur quoque, et frequenter* etc.

Item[3] secunda pars habet quatuor partes. In prima parte adducit auctoritates Augustini contrarias praedictae solutioni. In secunda auctoritates adductas exponit, ibi: *Sed haec ita determinamus.* In tertia vero contra praedictas expositiones adducit auctoritates alias Hilarii, in quibus notatur expressior contrarietas, ibi: *Huic vero etiam contrarium videtur esse.* In quarta vero auctoritates praedictas explanat et explanationem[4] suam per verba Hilarii confirmat, ibi: *Sed quia haec verba sane vult.*

Dicitur quoque, et frequenter in sacra Scriptura legitur. Haec est *tertia* pars, in qua obiicit contra solutionem per auctoritates, ex quibus *elicitur* praedictae solutionis contrarietas — quia[5] in his non dicitur, quod essentia generet vel generetur, sed quod de essentia vel substantia Patris Filius generetur — et haec pars quatuor habet particulas. In prima adducit[6] auctoritates in contrarium. In secunda vero adductas explanat, ibi: *His verbis praemissis innuitur;* ubi resumit praedictam expositionem. In tertia ex praedictorum opinione elicit quoddam corollarium, ibi: *Ostenditur quoque ex illis verbis* etc. In quarta et ultima redit ad propositum et ostendit, expositionem suam bonam esse, per auctoritatem Augustini, ibi: *Et hoc ita debere intelligi* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

In parte ista ad intelligentiam duarum principalium partium huius distinctionis duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de comparatione generationis ad substantiam sive essentiam in ratione *principii.*

Secundo quaeritur de comparatione eiusdem ad essentiam in ratione *termini.*

Et duo quaeruntur quantum ad primum, duo vero quantum ad secundum. Quantum ad *primum* quaeritur:

Primo, utrum substantia vel essentia generet.

Secundo, utrum de substantia generetur aliquis.

ARTICULUS I.

De comparatione generationis ad substantiam sive essentiam in ratione principii.

QUÆSTIO I.

Utrum substantia sive essentia generet.

Circa primum, quod substantia non generet, ostenditur sic.

Fundamenta. 1. Generare dicit relationem: ergo cui convenit generare, convenit et[7] referri; sed essentiae non convenit referri: ergo nec generare.

2. Item, generare importat distinctionem: ergo cui convenit generare, per consequens et[8] distingui; sed essentia cum sit una, non distinguitur: ergo etc. Aut si generat, plures sunt essentiae. Et ad haec duo inconvenientia ducit Magister.[9]

3. Item, generare dicit actionem personalem: ergo de illo solo dicitur, quod significat personam

---

[1] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1, omittendo *Ita etiam non est dicendum*, et variando constructionem praeponit verbo *secunda* particulam *Similiter.* Item in fine propositionis legit *principii, habet tres partes.* Idem recurrit infra pro tertia parte. In medio propositionis habet *in comparatione* loco *de comparatione*, sed male.

[2] Vat. contra mss. et ed. 1 addit hic *sed.*

[3] Supplevimus ex mss. et ed. 1 *Item*, post quod emendavimus Vat. et mss. substituendo cum ed. 1 *secunda* loco *prima,* quod manifeste est falsum.

[4] Vat. *expositionem*, sed contra mss. et ed. 1.

[5] Haec parenthesis explicat, quare dicitur *elicitur,* scil. quia illae auctoritates non explicite continent contrariam assertionem.

[6] Plures mss. cum ed. 1 *inducit.*

[7] Vat., omisso non bene *et,* in fine argumenti post *nec* repetit *convenit*, sed contra mss. et ed. 1.

[8] Ita plurimi codd. cum ed. 1 contra Vat., quae habet *et per consequens etiam.*

[9] Hic c. 1.

vel supponit personam; sed essentia non significat[1] personam, cum sit communis, nec personam supponit, cum sit omnino abstractum: ergo etc.

4. Item, generare est proprietas personae, communicabilitas[2] est essentiae: ergo sicut se habet communicabilitas ad personam, ita proprietas personalis ad essentiam; sed communicabilitas nunquam est personae, quia haec est falsa: Pater est communicabilis; ergo nec proprietas personalis erit essentiae: ergo nec generare, cum sit personae.

Ad oppositum.

Contra: 1. Quaecumque sic se habent, quod unum est idem alii, et non habent diversas proprietates, quidquid dicitur de uno, et de altero[3]; sed persona et essentia sunt huiusmodi, quia persona est essentia, nec habent diversas proprietates, quia proprietas in divinis est relatio distinguens; sed si essentia haberet aliquam proprietatem, tunc distingueretur et referretur: ergo etc. *Si dicas,* quod quamvis persona et essentia non habeant diversas proprietates, tamen differunt per *habere* proprietatem et *non habere; contra*: summa oppositio est contradictio[4]; sed talis diversitas est per contradictionem: ergo magis differunt essentia et persona quam persona et persona; sed persona non praedicatur de persona: ergo nec persona de essentia; hoc autem est falsum: ergo etc.

2. Item, quaecumque sic se habent, quod unum praedicatur de altero, unum supponit pro altero, quia subiectum vere subiicitur praedicato[5]; sed essentia vere praedicatur de Patre; unde haec est vera: Pater est essentia: ergo et supponit: ergo sicut Deus Pater generat, sic potest dici, essentia generat.

3. Item, de quocumque praedicatur subiectum, et propria passio[6]; sed generare est sicut propria passio Patris; sed haec est vera: divina essentia est Pater: ergo et haec similiter: divina essentia generat.

4. Item, de quocumque praedicatur definitum, et definitio[7]; sed definitio *patris* est *filii pater*. Cum igitur haec sit vera: divina essentia est Pater, et haec erit vera: divina essentia est Filii Pater: ergo a convertibili: Filius est Filius essentiae.

CONCLUSIO.

Haec locutio: divina essentia generat, est omnino impropria et neganda, vel saltem pie exponenda.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod fides vera[8] dicit quasi fundamentum, Deum esse trinum et unum, et ita trinum, quod trinitas non confunditur, et ita unum, quod unitas non multiplicatur. Si ergo quod credimus oportuit significare, opportune inventa sunt nomina in divinis, immo a Deo nobis manifestata, quae significent trinitatem sub distinctione et unitatem sine omni multiplicatione. Sicut igitur nomina imposita personis omnino sunt incommunicabilia et quantum ad suppositum et quantum ad significatum; unde haec oratio[9] est falsa: Pater est Filius, vel Pater est communicabilis; ita ex parte essentiae vel naturae oportuit nomina imponi, quae non distinguerentur nec quantum ad significatum nec quantum ad suppositum.

Tria genera nominum essentiam significantium.

Notandum autem, quod triplex est genus nominum significantium essentiam. Quaedam enim significant in *concretione,* ut hoc nomen *Deus;* quaedam in *omnimoda abstractione,* ut hoc nomen *essentia;* quaedam *medio modo*, ut *lumen, sapientia, voluntas* et consimilia; et ista dicuntur medio modo significare, quia non concernunt suppositum per modum inhaerentiae, sed concernunt suppositum ratione eius, quod dicunt aliquam rationem actus vel originis, quae sunt ipsorum suppositorum. Cum igitur tres sint nominum differentiae, nomen *concretum* supponit pro persona proprie; nomen *medium* supponit partim proprie, partim improprie; nomen *abstractum* et absolutum non supponit nisi omnino improprie[10].

Conclusio tripartita.

Unde haec est propria: Deus generat, et in usum adducenda; haec autem: sapientia generat[11] de sapientia, partim propria, partim impropria; ideo est sustinenda, sed non extendenda; haec autem: essentia generat, omnino *impropria,* et ideo neganda est, et si legatur alicubi, est exponenda. Sancti enim

---

[1] Vat. cum cod. cc ordine inverso ponit hic *supponit* pro *significat* et mox *significat* pro *supponit*, sed obstant antiquiores codd. cum ed. 1.

[2] Multi codd. ut A C F G I K L O S T U W X etc. ter *communitas* loco *communicabilitas*, sed minus bene.

[3] Aristot., VII. Topic. c. 1. — Mox post *quia* cod. O addit *quidquid est.*

[4] Aristot., X. Metaph. text. 15. (IX. c. 4.): Horum (oppositorum) primum contradictio.

[5] Aristot., VII. Metaph. text. 7. (VI. c. 3.): Subiectum autem est, de quo cetera dicuntur. Cfr. et libr. Praedicam. in princ. — Paulo ante post *quod unum* cod. Z adiungit *vere et essentialiter;* cod. O vero paulo infra post *de altero* addit *essentialiter* et in fine argumenti habet *ergo sicut Deus generat, quia Pater generat.*

[6] Aristot., I. Topic. c. 7. (c. 6.) ait: Hoc enim erat proprium, quod conversim (de re sive subiecto) praedicatur. — Cod. M addit hic *illius subiecti.* In fine argumenti Vat. contra mss. et ed. 1 *ergo et similiter illa est vera* pro *ergo et haec similiter.*

[7] Cfr. Aristot., VI. Topic. c. 1. (c. 3.), ubi ostendit ad bonam definitionem requiri, quod ipsa *conversim* praedicari possit de definito; et Petr. Hispan., Summula tract. de Syllog. topico. — Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 *definitio et definitum;* sed propter formam argumenti minus bene. Codd. O Z addunt *et e converso.* Paulo infra multi codd. cum ed. 1 post *et haec* omittunt *erit vera:* cod. H habet *ergo et haec: divina* etc.

[8] Ed. 1 *nostra* pro *vera.* Paulo infra codd. V W X et *ita unum, quod trinitas non confunditur, et ita trinum, quod unitas;* lectio certe quoad sensum praeferenda. Mox cod. I cum ed. 1 post *ergo* addit *hoc.*

[9] Codd. V X Z *omnino* pro *oratio.* Paulo infra cod. T (ab altera manu correctus) *quibus non distingueretur* loco *quae non distinguerentur.*

[10] Vat. contra antiquiores mss. et ed. 1 transponit non ita bene *non supponit omnino nisi improprie.*

[11] Codd. M Y Z hic addunt *vel sapientia.* Mox Vat. contra vetustiores codd. et ed. 1 omittit *sed non extendenda;* cod. O *ideo est distinguenda et non extendenda.*

quandoque ad confundendas haereses expressius loquuntur, quam proprietas sermonis sustineat.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod essentia et persona non habent diversas proprietates; dicendum, quod diversitas rationis dupliciter[1] est in divinis. *Uno modo* per *habere diversas* proprietates; et illud inducit distinctionem, et sic differunt ratione nec praedicantur de eodem, ut Pater et Filius; *alio modo* est per *habere* proprietatem et *non habere;* et illud non inducit distinctionem nec facit, quod unum non praedicetur de altero; facit tamen, quod aliquid dicitur de uno, quod non dicitur de altero, ut patet in *Petro* et *homine:* Petrus est individuum, homo non; et tamen homo vere praedicatur de Petro.

Duplex diversitas rationis.

Ad illud, quod *summa* oppositio est affirmationis et negationis; dicendum, quod verum est, ubi negatio nihil ponit, sicut inter aliquid et nihil; sed ubi ponit extrema, *minima* potest esse et surgit ex quantulacumque parva differentia sive rei sive rationis; unde non sufficit ad distinguendum.

Duplex modus contradictoriorum.

2. Ad illud quod secundo obiicitur, quod praedicatum supponit pro subiecto; dici potest *uno modo,* quod — sicut in inferioribus est praedicatio secundum *substantiam,* ut homo est animal, et est praedicatio secundum *rationem*, ut animal est genus; et praedicatum[2] supponit pro eo de quo praedicatur secundum substantiam, sed mutata praedicatione secundum substantiam in praedicationem, quae est secundum rationem, est ibi accidens; unde non sequitur: animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus — *similiter* dicunt in divinis, quod cum sint ibi *res* et *ratio,* est ibi praedicatio secundum substantiam; et illa salvata, quidquid dicitur de praedicato, et de subiecto; sed mutata praedicatione secundum substantiam in praedicationem secundum rationem, est ibi accidens; et talis est hic[3]: Pater generat; sed divina essentia est Pater: ergo divina essentia generat.

Solutio quorundam.

Sed ista similitudo non videtur conveniens, quia in divinis *ratio*[4] praedicatur de essentia, unde haec est vera: essentia est paternitas et generatio; quod quidem in inferioribus non reperitur. Et[5] propterea aliter dicendum, quod in divinis est duplex modus praedicandi: per *identitatem* et per *inhaerentiam.* Per *identitatem,* ut cum dicitur: essentia est Pater; per *inhaerentiam* sive denominationem, sicut faciunt adiectiva et verba[6]. Praedicatio per *identitatem* est in divinis ratione summae simplicitatis, quae non patitur personam minus esse simplicem quam essentiam; quae quia non est in creaturis, ideo in eis non reperitur praedicatio per *identitatem omnimodam*, nisi idem enuntietur de se, ut cum dicitur: humanitas est humanitas; sed omnis propria praedicatio est[7] per *inhaerentiam*, quia nihil est omnino simplex; unde haec est falsa: humanitas est animalitas. In praedicatione vero per *inhaerentiam* terminus[8] aliud significat et aliud supponit, quia significat formam communem et supponit pro inferiori, et in tali verum est, quod illud quod praedicatur de altero, supponit pro illo. Sed in praedicatione per *identitatem* idem significat et supponit. Unde tunc est sensus, quod significatum per hunc terminum *Pater* est idem, quod significatum per hunc terminum *essentia,* et ideo paternitas est essentia; et quia hoc nomen essentia non significat personam, ideo pro ipsa non supponit, cum nullo modo de ipsa praedicetur nisi praedicatione per *identitatem.*

Non probatur.

Vera solutio.

Praedicatio per identitatem.

Praedicatio per inhaerentiam.

3. Ad illud quod obiicitur tertio de passione et subiecto et consimilibus, dicendum, quod *quaedam* sunt vocabula in divinis substantialia, quae claudunt intra se rem, circa quam ponunt formam importatam per ipsa, ut hoc nomen Pater; et talia possunt praedicari per *identitatem*, ut cum dicitur: essentia est Pater, id est, ille qui est Pater. *Quaedam* sunt, quae sunt omnino in adiacentia, sicut verba et nomina adiective retenta[9], ut *generat* et *genitus* et *natus;* et talia ponunt rem suam circa ea, de quibus praedicantur, ideo tantum per *inhaerentiam* praedicantur. Et ideo generare ponit distinctionem, quam importat, circa essentiam, cum de ea dicitur; et ideo haec est falsa: essentia generat; haec tamen vera: essentia est generatio. Et quando a praedicatione per *identitatem* itur[10] ad praedicationem per *inhaerentiam,* potest esse ibi accidens. Quod ergo dicitur; de quocumque praedicatur subiectum, et propria

Duplex species vocabulorum.

---

[1] Nonnulli codd. ut T V Y cum ed. 1 *duplex*, et paulo infra multi codd. ut A C G K L R S T V X etc. post *et* addunt *per*, sed minus apte. Deinde sensu non mutato codd. D T *nec praedicatur unum de altero, ut Pater.* Cfr. de hoc d. 26. a. 1. q. 1. ad 2. Cod. X post *eodem* legit glossando *unde alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; ideo una non praedicatur de alia, ut Pater est Filius.*

[2] Plures codd. ut A B C L R S U X bb cum ed. 1 falso *praedicatio* loco *praedicatum,* et paulo infra post *praedicatione* omittunt multi codd. ut A F G I K T aa etc. cum ed. 1 non bene *secundum substantiam.*

[3] Vat. et codd. cc contra antiquos codd. et ed. 1 non bene *haec;* cod. X *ibi.*

[4] Cod. Y *relatio. Ratio* hic stat pro *relatio,* cfr. supra p. 58, nota 1.

[5] Vat. contra mss. et ed. 1 omittit *Et.*

[6] Codd. I X addunt *sicut Deus est iustus, sicut Pater generat.* — De duplici ratione praedicandi vide infra d. 34. q. 2.

[7] Cod. W hic addit *illa quae est superioris respectu inferioris;* codd. aa bb vero *superioris de inferiore est;* cod. H tandem *in creaturis.*

[8] Codd. L O addunt *communis.* Paulo infra post *pro illo* cod. T continuat constructionem *sed non in praedicatione per identitatem ubi idem.* Quoad doctrinae explicationem cfr. supra d. 4. q. 2. et 4.

[9] Vat. praeter fidem antiquiorum mss. et ed. 1 omittit *sicut verba et nomina adiective retenta.* Paulo ante plures codd. ut A E Q V X post *omnino* omittunt *in*, in qua lectione *adiacentia* adiective sumitur.

[10] Cod. R *infertur,* cod. W *proceditur.*

passio[1], istud habet instantiam, ubi proprietas est extranea ei, de quo praedicatur subiectum, ut haec intentio *species*, quamvis sit proprietas hominis, et homo dicatur de Petro, non tamen dicitur de eo hoc quod est *species*.

Et si obiicias, quod[2] in divinis non cadit ratio extranei, quia non cadit ibi accidens; dicendum, quod etsi non sit extraneitas nec diversitas quantum ad *rem*, est tamen quoad *rationem* sive quoad *modum praedicandi*, qui triplex est in divinis, sicut infra patebit[3]. Unde sicut hic est accidens: essentia est persona; sed persona distinguitur: ergo et essentia; ita et in proposito.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur de hac: essentia[4] est Pater Filii; distinguitur a Praepositivo, quod Pater potest ponere suam rem sive respectum per ipsum importatum circa ipsum subiectum, quod est essentia; et tunc est locutio falsa; est enim sensus, quod essentia refertur ad Filium. *Vel* potest claudere intra se[5] rem sui substantivi, ut sit sensus: essentia est Pater Filii, id est, essentia est ille qui refertur ad Filium; et hoc modo vera est locutio, et non valet argumentum: ergo Filius est Filius essentiae, immo est ibi *accidens*. Sicut enim non sequitur: Filius refertur ad illum qui est Pater, et ille est essentia: ergo refertur vel distinguitur ab essentia; sic et in proposito. Distinctio Praepositivi.

SCHOLION.

I. Quaestio haec est circa *principium quod* divinarum productionum, quod secundum fidem catholicam ipsae sunt divinae *personae* producentes. Conclusiones huius et primae quaestionis sequentis articuli sunt contra abbatem Ioachim, cuius doctrina censurata est in Concilio Lateranensi IV. can. *de Fide catholica*, cap. Damnamus: « Nos autem, S. approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro (Lombardo), quod una quaedam res est incomprehensibilis quidem et ineffabilis... et illa res non est generans nec genita nec procedens ». — Hanc doctrinam catholicam Seraphicus gravissimis argumentis confirmat.

II. In solut. ad. 1 distinguit S. Doctor duplicem diversitatem rationis in divinis secundum differentiam, quae est inter *habere diversas* proprietates et *habere vel non habere unam* eandemque proprietatem, de quo cfr. hic dub. 4. et infra dist. 19. p. II. a. 1. q. 2. ad 4. Affirmat etiam, alteram inducere distinctionem realem, alteram non. Tres enim sunt in divinis proprietates personales, scil. paternitas, filiatio et spiratio passiva, et *habere* distinctas has proprietates inducit realem personarum distinctionem; unde etiam una nequit praedicari de alia. Sed diversitas rationis, quae exsurgit ex *habere aliquam* proprietatem et eandem *non habere*, non importat realem distinctionem. Essentia enim divina non habet proprietatem generandi, quam habet Pater; nihilominus paternitas et essentia divina non distinguuntur realiter et possunt de se praedicari. Nec valet argumentatio (1. ad opp.), quod *habere* proprietatem et *non habere* sint contradictorie opposita, et quod exinde maiorem differentiam inducant inter personam et essentiam, quam quae est inter personas ad invicem. Nam bene distinguit S. Doctor inter contradictionem, cuius unum extremum nihil ponit (ut inter *aliquid* et *nihil*) et illam contradictionem, cuius extrema aliquid ponunt. Si unum extremum nihil ponit, non potest verificari de aliquo termino positivo, bene tamen, si aliquid ponit. Insuper minima *rationis* distinctio sufficit ad hoc, ut contradictoria de distinctis dicantur. Sic terminus *incommunicabilis* verificatur de paternitate et praedicatur de ipsa, non de essentia, licet haec non realiter distinguatur a paternitate. Cfr. infra dist. 26. q. 1. ad 2. et d. 34. q. 1. per totam et d. 33. q. 2. et S. Thom., hic q. 1. a. 1.

III. Prima opinio in solut. ad 2. posita, quae distinguit inter praedicationem secundum substantiam et secundum rationem, Praepositivi fuisse dicitur. Secunda opinio distinguit inter praedicationem per *identitatem* et per *inhaerentiam*, sive denominationem, quae a Scoto dicitur praedicatio formalis. De hac distinctione cfr. infra d. 33. q. 3. et d. 34. q. 2. Praedicatio *identica* fit per abstracta; praedicatio per *inhaerentiam* fit semper in concreto et ratione suppositi. Differunt hae praedicationes, tum quia abstractum eandem rem significat et supponit, concretum vero saepe aliam significat et pro alia supponit (supra, d. 4. q. 1.); tum quia abstractum nomen imponitur formae et a forma denominatur, concretum vero non imponitur formae, sed supposito; tum quia identica omnimodam identitatem complectitur, praedicatio vero per inhaerentiam aliquam diversitatem. Unde falsa est ratiocinatio, quae transit a praedicatione identica ad alteram et ab abstracto ad concretum; et in hoc erravit abbas Ioachim, teste S. Thom. (S. I. q. 39. a. 5.). — In creatis locum non habere praedicationem identicam in proprio sensu, est sententia communis, si excipias Franciscum Mayronis.

IV. Quoad ipsam conclusionem cfr. supra d. 4. q. 1. in corp. — Alex. Hal., p. I. q. 49. m. 1. a. 4. (ubi affert et solvit 25 argumenta contraria); q. 42. m. 3. a. 1. — Scot., hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. q. 39. a. 5. — B. Albert., I. Sent. d. 4. a. 2. ad 1. quaesit.; S. p. I. tr. 7. q. 30. m. 3. a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2. a. 1. et 2. — Henr. Gand., S. a. 39. q. 3. n. 13; q. 4. n. 12. et a. 54. q. 3. n. 21. 28. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum concedenda sit locutio, quod Filius generetur de substantia Patris.

Fundamenta. Secundo quaeritur, utrum sit concedendum, quod aliquis generetur de substantia Patris, ut Filius. Et quod sic, videtur:

1. Per multas *auctoritates* in littera[6] et maxime per illam: *Dicitur quoque et frequenter in Scriptura legitur: Pater de sua substantia genuisse Filium;*

---

[1] Codd. OZ addunt *illud tamen habet veritatem, ubi subiectum praedicatur per inhaerentiam, non ubi praedicatur per identitatem. Illud.*

[2] Restituimus ex mss. et ed. 1 *quod*, et paulo infra substituimus *etsi* pro *si*. Cod. V dein post *non sit* adiungit *ibi*.

[3] Dist. 26. a. 1. q. 1. in corp. Triplex ille dicendi modus est: *essentialis, personalis, notionalis*. — Paulo infra post *ita* supplevimus fide mss. et ed. 1 non bene omissum *et*.

[4] Vat. contra codd. et ed. 1 addit *divina*. Paulo infra codd. T aa bb *suam relationem* loco *suam rem*; ed. 1 autem *suam rem, id est suam relationem sive*.

[5] Plures antiqui codd. ut A I T aa bb cum ed. 1 omittunt *se*.

[6] Hic c. 1. post medium.

sed Scriptura non dicit nisi verum nec frequentat nisi proprium: ergo praedictus sermo est verus et proprius.

2. Item, *ratione* ostenditur sic: quicumque est ab aliquo [1] et est ei consubstantialis, est de eius substantia; sed Filius est a Patre et est ei consubstantialis: ergo est de eius substantia.

3. Item, Pater generat Filium: aut ergo de aliquo, aut de nihilo; non de nihilo, quia tunc esset creatura: ergo de aliquo [2]; non de aliquo alio a se: ergo de sui substantia.

4. Item, in inferioribus filius, qui habet partem substantiae a patre, dicitur esse de substantia patris: ergo multo fortius, qui habet totam substantiam, dicitur esse de substantia generantis: ergo haec est vera: Filius est de substantia Patris.

Ad oppositum. Contra: 1. Propositiones sunt transitivae [3], et ubi transitio, ibi est distinctio et diversitas: ergo cum dicitur: Filius de substantia Patris, haec praepositio *de* notat distinctionem inter substantiam Patris et Filium: ergo cum nulla sit distinctio, quia Filius est substantia Patris, propositio praedicta est falsa. *Si dicas*, quod haec praepositio *de* cadit a generali significato praepositionum, retinens *speciale:* ergo est ibi soloecismus, [4] sicut si dicatur *sublime volat* pro *sublimiter*, quod stultum est dicere.

2. Item, obiicitur de significato *speciali.* Haec praepositio *de*, prout accipitur specialiter, aliquando tenetur *materialiter*, ut cultellus de ferro; aliquando *ordinaliter*, ut de mane fit meridies, id est post mane; aliquando *originaliter*, ut si dicatur, radius de sole vel splendor de igne. Sed quocumque istorum modorum accipiatur, falsa est locutio: si *materialiter*, est falsa, quia Filius caret materia; si *ordinaliter*, falsa, quia sensus est, quod Filius sit post Patrem sive post substantiam Patris; si *originaliter*, similiter falsa quia tunc est sensus, quod Filius habeat ortum a substantia Patris; sed ista non admittitur: substantia Patris generat Filium: ergo est omni modo [5] falsa. *Si dicas*, quod nullo istorum modorum, sed tenetur quarto modo *substantialiter;* quaeritur, unde ortum habeat haec significatio et ubi consimiliter accipiatur [6]; et videtur quod hoc nihil sit, quia tunc haec esset vera: Pater est de substantia Filii, quam nemo concedit.

3. Item, hoc idem ostenditur sic: differt haec praepositio *de* et *a:* quia *a* proprie dicit habitudinem principii activi, sed haec praepositio *de* dicit habitudinem principii passivi; sed Deo et eius substantiae magis convenit ratio principii activi quam passivi: ergo haec est magis vera: Filius est *a* substantia Patris, quam *de;* sed haec non recipitur: ergo nec alia debet recipi.

4. Item, *de* aut dicit *identitatem* aut *diversitatem;* si *identitatem:* ergo cum summa identitas sit in essentia vel substantia, haec erit vera: substantia [7] de substantia, quam negat Magister; si diversitatem; sed non distinguitur substantia Patris a Filio, quia Filius est ipsa substantia Patris: ergo omnino est falsa.

CONCLUSIO.

Concedendum est, Filium generari de substantia Patris.

Respondeo: Dicendum, quod praedicta locutio est concedenda. Conclusio.

Et ad intelligentiam praedictorum [8] notandum, quod praeter praedictos tres modos, quibus haec praepositio *de* accipitur, quarto modo etiam potest accipi, scilicet *substantialiter*, ut dicat substantialem convenientiam inter extrema; sed hanc nunquam pure dicit, cum sit praepositio et importet aliquam habitudinem et respectum ad extrema. Si enim tantum substantialiter teneretur [9]; sicut dicitur: filius de substantia patris, ita diceretur: pater de substantia filii; quod absonum est. Praepositio de accipitur quadrupliciter.

Propterea notandum, quod *substantialiter* accipi consuevit tripliciter. *Aliquando* accipitur substantialiter et partialiter, ut cum dicitur, quod partes sunt de toto sive de substantia totius, ut urceus vini de dolio. *Aliquando* accipitur substantialiter et ordinaliter, ut cum dicitur: de pane fit corpus Christi; ibi enim est *ordo*, quia substantia panis non manet in corpore Christi, sicut nec mane in meridie; sed ulterius *substantialiter*, quia substantia panis transit in substantiam corporis Christi. *Aliquando* accipitur [10] substantialiter et originaliter, ut cum dicitur: Filius de substantia Patris; ratione ablativi tenetur substantialiter, ratione genitivi originaliter: et ideo importat aliquam distinctionem Filii ad Patrem, non ad eius substantiam, et ita praepositio tenet ibi generale significatum et speciale. Substantialiter accipitur tripliciter.

1. 2. Et sic patet responsio ad primum argumentum et secundum. Tamen quod dicitur, quod Solutio oppositorum.

---

[1] Ex fere omnibus codd. et ed. 1 substituimus *aliquo* pro *alio.*

[2] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 addit *et*, pro quo cod. A melius habet *sed.*

[3] Cfr. Priscian., XIV. Grammat. c. 1. seqq. — Mox post *ibi* Vat. habet *etiam est* loco *et.* Paulo infra ed. 1 verbo *nulla* praemittit satis bene *in substantia.*

[4] Priscian., XV. Grammat. c. 1: Nam si (ordinatio partium orationis) incongrua sit, soloecismum faciet, quasi elementis orationis inconcinne coeuntibus.

[5] Plures codd. ut AFHKTY etc. cum ed. 1 *omni modo*, Vat. *omnino.* — Similia habet Aristot., V. Metaph. text. 29. (IV. 24.) de praepositione *ex.* — Paulo infra nonnulli codd. ut KVWX post *modorum* addunt *tenetur.*

[6] Vat. contra mss. et ed. 1 *similiter accipitur.*

[7] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 addit *est.* Textum Magistri vide in lit. c. 1. et 2. circa finem.

[8] Aliqui codd. ut TV addunt *est.*

[9] Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, minus bene *tenetur.*

[10] Substituimus ex codd. et ed. 1 *accipitur* pro *dicitur.* Paulo infra post *Filius* cod. V addit *est.*

praepositiones sunt transitivae, non intelligitur, quod notent ex hoc diversitatem necessario; sed sicut dicitur, quod obliqui [1] sunt transitivi quantum ad modum; quia transitive construuntur cum verbis, ut, video me; similiter hoc de praepositionibus dicitur, quae [2] cum obliquis construuntur.

3. Patet etiam tertium, quod *de* non tantum dicit habitudinem principii passivi nec tantum habitudinem principii activi, sed habitudinem consubstantialem cum habitudine originis; quod non facit haec praepositio *a;* et ideo non est simile.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, patet responsio, quia *de* [3] non dicit ibi penitus identitatem nec diversitatem, sed consubstantialitatem cum habitudine originis.

SCHOLION.

I. Pro intelligentia aliquorum terminorum in solut. ad 1. et alibi occurrentium haec ex antiquis grammaticis notamus. 1. Duplex distinguebatur constructio *transitiva*, scil. tum *actuum* tum *personarum*. In prima constructibile dependens per modum actus significat, ut in verbis transitivis, v. g. lego librum; secunda vero est, in qua constructibile dependens per modum substantiae significat. Haec fit vel per casus obliquos (v. g. filius Socratis; similis Ciceroni) vel etiam per praepositiones, quae inde vocantur transitivae. Vide Scotum, Grammatica speculativa c. 46. usque 51., de hoc subtiliter disputantem.

2. Constructio *transitiva* secundum antiquam definitionem est illa, in qua constructibilia pertinent ad diversa vel videntur pertinere ad diversa; *intransitiva* vero est ea, in qua constructibilia pertinent ad idem vel saltem ad idem videntur pertinere.

3. Quomodo casus grammaticales sint transitivi quantum ad modum significandi, late Scot. explicat ibid. c. 19.

4. Ipse S. Bonav. infra d. 37. p. I. dub. 2. docet, quod praepositiones non notent necessario diversitatem.

Ampliorem expositionem et applicationem huius solutionis exhibent Alex. Hal., S. p. I. q. 42. m. 4. a. 2. ad 3, et Richard. a Med., hic q. 3. ad 1.

II. In conclusione doctores conveniunt. Cfr. Alex. et Richard. locc. citt. — Scot., hic q. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. I. q. 41. a. 3. — B. Albert., I. Sent. d. 4. a. 2. ad 1; S. p. I. tr. 7. q. 30. m. 3. a. 2. p. 3. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 54. q. 3. n. 53. seqq. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, hic q. 2.

ARTICULUS II.

De comparatione generationis ad essentiam in ratione termini.

Consequenter circa secundum articulum huius quaestionis, qui est per comparationem generationis ad essentiam in ratione *termini*, duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum substantia sive essentia generetur.

Secundo, utrum per generationem communicetur.

QUÆSTIO I.

Utrum substantia sive essentia generetur.

Quod autem substantia generetur, sic obiicitur [4].

Ad oppositum. 1. Generatio in inferioribus est motus ad substantiam [5]; quod *motus* est, hoc est imperfectionis, quod *ad substantiam* est, hoc est perfectionis; si ergo quod est perfectionis est transferendum ad divina: ergo et generatio terminatur ad essentiam.

2. Item, generatio in divinis terminatur: aut ergo ad substantiam, aut ad accidens, quia omne ens est substantia, vel accidens [6]; sed in divinis non terminatur ad accidens, cum non sit ibi: ergo ad substantiam. *Si dicas*, quod in divinis, quamvis non sit accidens, est tamen relatio, quae distinguitur a substantia; tunc arguitur sic: aut generatio terminabitur *ad substantiam*, aut *ad relationem;* sed non ad relationem, quia in *ad aliquid* per se non est origo, nec terminatur productio [7]: ergo terminatur ad substantiam: ergo substantia generatur.

3. Item, sicut dicit Philosophus [8]: « Motis nobis, moventur ea quae in nobis sunt, et corruptis nobis, corrumpuntur ea quae in nobis sunt » ; et hoc est,

---

[1] Supple: casus. — Paulo infra plures codd. ut A C F G H K L O R S V X etc. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *videt me* pro *video me*, sed non bene.

[2] Vat. praeter fidem antiquiorum mss. et ed. 1 adiungit *etiam*. Cod. H *quia* loco *quae*.

[3] Vat. ponit *quod* loco *quia* et omittit *de*, sed contra mss. et ed. 1.

[4] Cod. H *ostenditur*.

[5] Propositio haec quoad sensum invenitur in Aristot., V. Phys. text. 7. (c. 1.): Quae (mutatio) vero ex non esse simpliciter in substantiam est, generatio simpliciter est. Cfr. etiam I. de Gener. et corrupt. text. 11-18. (c. 3.).

[6] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. de Complexis et de Substantia; I. Phys. text. 26-30. (c. 3.); V. Metaph. text. 13. seqq. (IV. c. 7.).

[7] Aristot., V. Phys. text. 10. (c. 2.): Neque etiam in ad aliquid (est motus). — Paulo ante aliqui codd. ut A I T bb *arguetur* loco *arguitur*. In fine argumenti post *substantiam* cod. I addit *sed illud, ad quod terminatur generatio, illud generatur.*

[8] Aristot., II. Topic. c. 3. (c. 7.), in quo textu mss. cum sex primis edd. *moventibus* pro *motis* (κινουμένων); idem recurrit infra d. 8. p. I. a. 2. q. 2. ad 3. et d. 37. p. II. a. 1. obiect. 3. Alteram propositionis partem invenies in Aristot., de Longit. et brevit. vitae, c. 2. his verbis: Corruptis (φθειρομένων) enim animalibus, corrumpuntur et scientia et sanitas, quae in animalibus. — Rationem huic propositioni additam innuit Arist., II. Topic. loc. cit. et fusius probat VII. Metaph. text. 35. et 45. seqq. (VI. 10. et 13.). Post *corrumpuntur* codd. V X addunt *omnia* et cod. K post *idem esse* adiungit *et eandem essentiam.*

quia universale habet idem esse cum singulari: ergo cum multo magis sit eadem substantia cum persona, et substantia sit in persona, si persona generatur, et substantia.

4. Item, *generare* tam in divinis quam in creaturis est *simile sibi producere*[1]; sed non est similitudo in persona, sed in substantia et in natura: ergo cum terminetur ad simile, in quantum est simile, ergo ad substantiam, secundum quam attenditur similitudo.

Fundamenta. CONTRA: 1. Omne quod generatur ab alio generatur, quia nihil se ipsum gignit[2]; sed substantia divina non habet alium, nec aliud est in divinis: ergo non generatur.

2. Item, omne quod generatur habet principium *a quo*[3]; sed omne quod habet principium, est principiatum; sed principium et principiatum distinguuntur: si ergo substantia generatur, distinguitur: aut ergo a substantia, aut a persona; sed utrumque est impossibile: ergo etc.

3. Item, omne quod generatur est de substantia generantis[4]; si ergo substantia generatur, substantia vel essentia est de substantia generantis; sed non est nisi una omnino substantia: ergo idem est de se ipso, quod est impossibile.

4. Item, generatio est productio[5]; sed productio est quaedam actio, et omnis actio creaturae terminatur ad singularia: ergo cum generatio sit quaedam actio, in divinis terminabitur ad singulare sive suppositum; sed tale non est substantia: ergo non terminabitur ad ipsam.

CONCLUSIO.

Cum in divinis generatio terminetur solum ad substantiam primam, quae est persona, non ad substantiam secundam sive essentiam, minime recipitur, quod substantia generetur.

RESPONDEO: Dicendum, quod generatio de sua communi ratione ad substantiam terminatur. Sed attendendum, quod substantia dicitur dupliciter: *prima*, quae est individuum et hypostasis sive persona, et *secunda*, quae est commune[6]. Dico ergo, quod est loqui de termino generationis dupliciter: aut quantum ad *productionem*, aut quantum ad *intentionem*. Quantum ad productionem, cum sit circa singulare, terminatur ad substantiam primam, et[7] quantum ad intentionem ad naturam communem, quia natura producens hunc hominem intendit formam communem dare ei. (Substantia dicitur dupliciter. Item terminus generationis.)

Sed quoniam in creaturis forma communis numeratur in suppositis, ideo in illis forma communis producitur et corrumpitur; et ideo in creaturis generatio non tantum secundum intentionem, sed etiam secundum productionem ad substantiam communem terminatur; et ideo universale in singulari generatur, quia numeratur[8]. Sed quoniam in divinis substantia non numeratur nec advenit ei novum esse: ideo generatio secundum productionem terminatur solum ad substantiam primam, quae est persona, quia persona secundum Boethium[9] « est rationalis naturae individua substantia ». Et quoniam illud solum dicitur proprie generari, ad quod terminatur generatio secundum rationem producendi: ideo persona generatur, non substantia vel essentia. Et ideo haec non recipitur: essentia generatur. (Alia generatio in creaturis, alia in Deo. Conclusio.)

Et sic patent omnia obiecta ad utramque partem; procedunt enim[10] diversis viis. (Patent obiecta.)

3. Patet etiam, quare in divinis non sequitur, quod, generata persona, generetur substantia, sicut in creaturis. Posset tamen aliter dici, quod non generetur commune nisi *in hoc*[11]; et non tantum in creaturis hoc verum est, sed etiam in divinis. Commune autem ut *in hoc* non significatur in abstractione, sed in concretione; et ideo, quia hoc nomen *Deus* significat substantiam in concretione[12], Deus generatur et Deus generat Deum. Quia vero substantia vel essentia significat in abstractione, ideo nec generat nec generatur; et ita procedunt rationes ad partes oppositas. (Solvitur 4. oppositorum. Alia solutio.)

---

[1] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 34. (c. 4.), ubi dicit, quod naturalissimum operum viventium est *facere quale ipsum*, id est generare; et text. 49: Finis est generare quale ipsum, id est simile. — Mox plerique codd. ut A C F G H I T etc. cum ed. 1 *ad similem* loco *ad simile* ac dein *similis* pro *simile*.

[2] Aristot., II. de Anima, text. 47. (c. 4.): Generat autem nihil ipsum se ipsum. — Paulo infra post *aliud* aliqui codd. ut A T V Z cc omittunt *est*, cuius loco cod. X ponit *a quo generetur*.

[3] Aristot., IV. Metaph. text. 22. (ed. Venet. 1489), ubi secundum translationem arabico-latinam sic habetur: Et si generetur, necesse est, ut habeat esse illud ex quo generatur, illud quod ex eo generatur, et illud per quod generatur. Iuxta ed. Paris. (Firmin-Didot) III. c. 5: Si fit, necesse est esse, ex quo fit, et a quo generatur.

[4] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 34-50. (c. 4.), ubi de nutritione et generatione agit. — Circa finem argumenti post *una* Vat. minus bene omittit *omnino* et post *idem* omittit *est*, sed contra mss. et ed. 1.

[5] Sub hoc respectu Aristot., II. de Anima, text. 34. (c. 4.) actum generandi viventis definiens ait: est facere quale ipsum. De termino actionis ait Aristot., I. Metaph. c. 1: Actiones autem ac generationes omnes circa singulare sunt. — In fine argumenti aliqui codd. ut A I T cum ed. 1 *terminatur* loco *terminabitur*.

[6] Vide Aristot., de Praedicam. c. de Substantia.

[7] Codd. omittunt *vero* a Vat. post *quantum* additum, cuius loco voci *quantum* praemittunt plures codd. ut A F G I K S T V X Z, quos sequimur, particulam *et*, alii ut H P Q Y *sed*. Paulo infra fide mss. et ed. 1 post *quia* expunximus *haec*.

[8] Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 28. (VI. c. 8.).

[9] Libr. de Persona et duabus naturis c. 3. in initio (ed. Migne). — Immediate post Vat. contra mss. et ed. 1 *Sed quia* loco *Et quoniam*. — De termino generationis cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 26. seqq. (VI. c. 8.).

[10] Fide mss. expunximus hic a Vat. additum *de*.

[11] Hoc est, in individuo sive supposito. De quo cfr. Aristot., VII. Metaph. loc. cit. — Vat. praeter fidem mss. *ut in hoc*.

[12] Vat. incongrue et contra antiquiores codd. et ed. 1 addit *ideo in concretione*.

SCHOLION.

I. Haec conclusio est iterum contra abbatem Ioachim (cfr. Schol. hic a. 4. q. 1.). Ut recte intelligatur conclusio, notandum, quod non est sermo de *subiecto* generationis, quod in generatione creaturarum est materia prima, quae praesupponitur generationi, sed de *termino* generationis, qui incipit esse.

Perfecta generatio terminatur ad substantiam, non ad accidens; sed S. Doctor cum communi sententia distinguit duplicem substantiam: altera dicitur substantia *prima*, quae est *omne individuum* in genere substantiae; altera vero *secunda*, quae est aliquid «commune» in genere substantiae. Substantia prima est terminus totalis generationis quantum ad *productionem;* substantia vero secunda est terminus formalis (at partialis) quantum ad *intentionem*. In creaturis uterque terminus incipit esse de novo, non vero in Deo. «Unde generatio divina terminatur ad primam substantiam, non ad essentiam, neque ad relationem, in quantum est *relatio*, sed in quantum est persona subsistens.». Ita hic Richard. a Med.

II. In conclusione et principalibus argumentis doctores conveniunt. Alex. Hal., S. p. I. q. 42. m. 3. a. 1; p. IV. q. 10. m. 1. — Scot., hic q. 1. — S. Thom., hic q. 3; S. I. q. 39. a. 5. — B. Albert., hic a. 2; S. p. I. tr. 7. q. 30. m. 3. a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2. secundae quaest. — Henr. Gand., S. a. 59. q. 1. n. 4. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, hic. q. 1.

QUÆSTIO II.

Utrum substantia sive essentia divina per generationem communicetur.

Ultimo quaeritur, utrum substantia per generationem communicetur; et quod sic, ostenditur [1] hoc modo.

Fundamenta. 1. Per illud res communicatur, per quod fit, ut sit in pluribus; sed substantia est in pluribus personis et non est nisi per generationem et per processionem: ergo per generationem communicatur.

2. Item, causa est, qua posita ponitur res et qua remota removetur [2]; sed posita emanatione in divinis, ponitur communitas et distinctio; remota generatione vel emanatione, essentia est in uno solo, sicut hypostasis: ergo generatio est ratio communicandi essentiam.

3. Item, quod datur alicui et non desinit haberi a dante, per illud [3] per quod datur, per illud communicatur; sed substantia a Patre datur Filio per generationem et non desinit haberi a Patre, dum datur Filio: ergo per generationem communicatur.

4. Item, generatio in his inferioribus est ratio communicandi substantiam sive naturam; sed in divinis natura est illis multo communicabilior [4], quia simplicior: ergo in divinis per generationem substantia vel essentia communicatur.

Ad oppositum. Contra: 1. Generatio est principium distinguendi [5]; sed non est idem principium distinguendi et communicandi: ergo per generationem non est ratio communicandi in divinis: ergo per generationem nihil communicatur.

2. Item, quod facit aliquid esse *in hoc*, non est ratio communicandi, sed appropriandi et individuandi; sed generatio facit esse substantiam in tali persona, utpote in persona Filii: ergo non est ratio cummunicandi, sed appropriandi.

3. Item, omne illud quod per generationem communicatur, per generationem est commune [6]. Si ergo substantia per generationem communicatur, generatione circumscripta, non erit communis: ergo propria; sed proprium per generationem non potest communicari: ergo nec substantia.

4. Item, quod per generationem communicatur, per generationem datur et recipitur, et omne tale, si non est generationi accidentale, generatur; sed substantia non accidit generationi: ergo etc.

Conclusio.

Essentia divina per generationem communicatur, quia per generationem fit, ut sit in pluribus una.

Respondeo: Ad hoc intelligendum notandum est, quod *commune*, quantum est de se, indifferenter se habet ad actum et potentiam. Commune enim potest dici illud quod est *communicabile*, quamvis non sit in pluribus; sicut patet in multis universalibus, ut in sole et luna et huiusmodi. Commune etiam dicitur *communicatum*, quod est actu in pluribus. Commune sumitur dupliciter.

Dico ergo, quod quemadmodum forma universalis, quantum est de se, est communicabilis; sed tamen actu communicatur per propagationem [7] plu- Applicatio ad Deum.

[1] Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, *videtur*.

[2] Aristot., II. Phys. text. 37. (c. 3.): Operantes quidem (causae) et singulares simul sunt et non sunt cum iis, quorum sunt causae. Cfr. S. Thom., Comment. in hunc locum.

[3] Substituimus ex plurimis mss. et ed. 1 *illud* pro *idem*.

[4] Sensus est: natura est multo communicabilior quam in illis inferioribus. — Forte melius cum cod. T omitteretur *illis*.

[5] Cfr. supra d. 4. q. 2. obiect. 1. — Mox post primum *ergo* Vat. planius quidem *generatio* loco *per generationem*, sed contra mss. et ed. 1.

[6] Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1: *Item per generationem communicatur omne illud quod per generationem est commune*, et paulo infra post *communicatur* addit: *per generationem est communis. Si ergo substantia per generationem communicatur*, qua transpositione et additione vis argumenti debilitatur.

[7] Ita antiquiores codd. cum ed. 1, dum Vat. et cod. cc *actu non communicatur nisi per propagationem*. Vat. deinde contra mss. et ed. 1 addit *vel aggregationem;* sed aperte falsum. Paulo infra plerique codd. ut A F G K T etc. cum ed. 1 *communicatur* pro *communicetur*.

rium, sic natura divina vel essentia de se quidem communicabilis est, sed quod actu communicetur, non est nisi per illud quod multiplicat vel plurificat ei supposita; haec autem est generatio [1].

Conclusio. Quoniam igitur per generationem personae plurificantur, et substantia in illis non numeratur, hinc est, quod verissime substantia vel essentia per generationem communicatur, quia per generationem fit, ut sit una in pluribus.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod generatio est principium distinguendi; dicendum, quod generatio per se est principium distinguendi suppositum a supposito, quia ad illud terminatur per se; etiam est principium communicandi naturam [2] communem, quia similem ex simili. Sed quoniam natura in inferioribus numeratur in suppositis, ideo est principium distinguendi etiam commune, sed per accidens; in Deo autem nec est per se nec per accidens.

2. Ad illud quod obiicitur, quod facere commune esse in hoc est ratio appropriandi; dicendum, quod illud habet veritatem, quando commune est appropriabile vel appropriatum per *esse in hoc.* Divina autem essentia non est sic appropriabilis, vel appropriata per *esse in hoc,* quia non est appropriabilis quoad significatum nec quoad suppositum, quia idem significat et supponit, sicut supra ostensum est [3]; significatum autem eius nulla additione distinguitur. Haec enim est vera: essentia Patris et essentia, quae est in Patre, est Filius.

Alia solutio. Vel aliter potest dici, quod facere *esse in hoc* est dupliciter: aut *absolute*; et sic est ratio appropriandi; aut *in comparatione*, ut illud quod erat prius in uno, fiat postea in alio; et sic est ratio communicandi naturam. Sed quaedam natura est, quae distinguitur [4] in suppositis, ut puta illa cui fit additio, quaedam non, ut divina; et in prima est ratio communicandi et distinguendi, in divina solum communicandi.

3. Ad illud quod obiicitur, quod, si per generationem communicatur, generatio substantiam facit communem [5]; dicendum, quod verum est, secundum quod commune dicitur *secundum actum,* quia in pluribus, sed non *secundum potentiam.* Unde circumscripta generatione, substantia est communis, quia *communicabilis;* sed non est communis, quia *communicata.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod illud quod per generationem datur, generatur; dicendum, quod falsum est: quia *generari* dicit productionem et distinctionem, sed *datio* [6] dicit auctoritatem et communicationem; et quoniam per generationem substantia non distinguitur, quamvis communicetur: ergo etc.

SCHOLION.

I. Scot. (hic q. 2.) observat, quod aliud est aliquid per generationem *communicare,* aliud per eandem aliquid *producere:* productio enim infert realem distinctionem inter producentem et productum, non vero communicatio. Essentia igitur divina nec generatur nec producitur nec multiplicatur, tamen secundum omnes theologos *communicatur.* Terminus totalis generationis in Deo est Filius, et relatio inter generantem et generatum est realis cum reali distinctione. Sed inter communicantem et communicatum, quod est essentia divina, non est realis relatio, nec alia distinctio nisi secundum rationem. Cfr. infra d. 19. p. II. q. 2. in corp. et ad 2; et d. 34. q. 2. ad 7, et ibid. q. 1.

II. Inter antiquos Scholasticos non invenimus, qui explicite hanc quaestionem tractent, praeter B. Albert., hic a. 1. — Henr. Gand., S. a. 60. q. 1. n. 57. et seqq. — Petr. Aureolum, hic q. 5. — Eam tangit Scot., hic. q. 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista incidunt dubitationes circa litteram, et prima dubitatio est de rationibus Magistri. Nam *prima* eius ratio ducit ad hoc inconveniens, scilicet quod, si essentia generaretur a Patre, essentia poneretur pro relativo; et haec ratio ponitur ibi: *Ideo non est dicendum, quod Pater genuit divinam essentiam.* Sed hoc nullum videtur inconveniens. Si enim magis convenit essentia cum supposito, quam universale cum singulari; si non est inconveniens, quod universale ponatur [7] pro singulari, nec est inconveniens, quod essentia ponatur pro relativo.

Respondeo: Dicendum, quod si *essentia* poneretur pro relativo, esset inconveniens, non a parte

---

[1] Cod. O addit *et processio.*

[2] Ex antiquioribus mss. adiecimus *etiam*, sicut et paulo infra fide mss. et ed. 1 *similem* substituimus loco *consimilem.*

[3] Hic a. 1. q. 1. ad 2.

[4] Vat. *dividitur*, sed absque auctoritate mss. et ed. 1. Paulo post cod. I *quaedam quae non distinguitur* loco *quaedam non,* et mox cod. W post *solum* repetit *ratio.*

[5] Ita multi codd. ut CLOSVWXY etc. cum ed. 1; alii vero ut AFGHITZ etc. *quod si generatio communicat substantiam, facit communem.* Vat. *communicatur substantia, fit per generationem communis substantia.*

[6] Mendum Vat. *ratio* pro *datio* ex mss. correximus et paulo infra fide codd. BDFHIPQTY loco *quia* substituimus *et quoniam,* licet alii antiqui codd. ut AEGKSWXZ ee ff cum ed. 1 solum habeant *quoniam*, sed minus bene.

[7] Vat. cum cod. cc *cum universale ponitur*, sed minus bene et contra alios codd., quorum tamen aliqui, retenta particula *quod,* legunt *ponitur* loco *ponatur.*

rei, sed a parte expressionis fidei. Tunc enim videretur et[1] notaretur unitas essentiae in quadam distinctione. Esset etiam inconveniens, quia quod ponitur pro relativo in quantum huiusmodi, non indicat essentiam. Si ergo[2] essentia poneretur pro relativo, essentia aliquando non indicaret essentiam, quod est omni rationi contrarium.

Dub. II.

Item secundo dubitatur de *secunda* ratione, in qua ducit ad hoc inconveniens, quod eadem res gigneret se ipsam, et ponitur, ibi: *Item cum Deus Pater sit divina essentia, si eius esset genitor, esset utique genitor eius quod ipse est,* quia *essentia* dicit quid commune, sicut et hoc nomen *Deus;* sed si dicatur: homo[3] Petrus generat hominem, et ipse est homo: ergo generat se, argumentum istud nihil valet. Similiter videtur hic: Pater generat Deum: ergo etc., pari ratione nec in proposito.

Commune dicitur tripliciter.

Respondeo: Dicendum, quod *commune* dicitur quod est in multis; sed hoc potest esse *tripliciter: aut* quod plurificatur in multis et quantum ad formam et quantum ad suppositum, ut hoc nomen *homo;* et tale habet unitatem rationis, quae admittit distinctionem et quantum ad rem et quantum ad modum[4]. Unde bene dicitur homo esse ab homine, et: duos esse homines. *Alio* modo est *commune* quod plurificatur quantum ad suppositum, non quantum ad formam, ut hoc nomen *Deus;* et tale habet unitatem rei, secundum quod res nominat naturam cum multiplicatione suppositorum: et ideo recipit distinctivum[5], quod importat distinctionem ut modum, non ut rem. Unde conceditur: Deus de Deo, sed non: Deus est alius a Deo. Est *tertio* modo *commune* secundum nomen, quod est in multis, nec tamen plurificatur quantum ad *formam,* quia est unum in multis, nec quantum ad *supposita,* quia pro illis non supponit, ut hoc nomen *essentia.* De tali communi verum est dicere, quod non recipit distinctionem nec quantum ad modum, nec quantum ad rem; tunc enim notaretur idem distingui a se. Et ita argumentum Magistri est bonum: si Pater genuit essentiam, Pater genuit se; et[6] loquitur de communi a parte vocis significantis, non a parte rei, quia a parte rei eadem communitas est in hoc quod est *Deus* et in hoc quod est *essentia.*

Dub. III.

Item tertio obiicitur contra *tertiam* rationem: si Pater genuit divinam essentiam, tunc genitum gignenti causa est, ut sit et Deus sit, et ponitur ibi: *Et si ita est, non genito gignens* etc. Sed haec ratio nihil videtur valere, quia ratio causae non cadit in divinis; « causa enim est cuius esse sequitur aliud[7] »; sed in divinis non est aliud: ergo etc.

Item, non sequitur: Pater genuit sapientiam: ergo est sapiens sapientia genita: ergo pari ratione nec praedicta locutio[8] valet.

Respondeo: Dicendum, quod, sumendo nomen causae proprie, non cadit in divinis[9], cadit tamen et recipitur ratio principiantis et ratio informantis, et pro his accipitur nomen causae. Quoniam igitur ratio essendi significatur per hoc nomen *essentia:* ideo essentia significat[10] quodam modo in ratione causae respectu entis. Si ergo essentia esset genita ab ente, significaretur in ratione effectus sive principiati, et idem esset tunc principium et principiatum respectu eiusdem, quod est impossibile; et in hoc fundatur ratio Magistri.

Ad illud quod obiicitur de sapientia; dicendum, quod tactum est de ipsa in quaestionibus extra litteram[11], quia nomen ita abstractum, sicut *essentia,* non supponit pro relativo, *sapientia* bene supponit pro relativo; et ita est ibi accidens: Pater est sapiens sapientia et genuit sapientiam: ergo est sapiens sapientia quam genuit, vel sapientia genita. In nomine autem *essentiae* non est accidens, quoniam idem significat et supponit.

---

[1] Ed. 1 *quod* loco *et;* aliqui codd. ut G U dd *connotaretur* pro *notaretur.*

[2] Meliorem lectionem damus ex mss. et ed. 1 ponendo *ergo* pro *enim.*

[3] Vat. *hoc modo* pro *homo,* sed castigatur ex mss. et sex primis edd. Paulo infra Vat. contra multos codd. ut A C F G H I S T W etc. *illud non* loco *istud nihil.*

[4] Supple: se habendi. Vide supra d. 4. dub. 1. — Paulo post aliqui codd. ut A B D F G H K etc. cum Vat. ponunt *homo est ab homine.* — De *communi* in Deo et creaturis cfr. infra d. 19. p. II. q. 2; d. 23. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 2.

[5] Cod. T bene addit *secundum;* nonnulli codd. ut F G H K ee ff *distinctionem* loco *distinctivum,* in qua lectione *quod* cum cod. H sumendum esset pro *quia.* Paulo infra mss. cum ed. 1 *Deus esse alius* pro *Deus est alius;* cod. O post *a Deo* addit *vel duo dii.*

[6] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *quia* loco *et.*

[7] In hac communiter recepta causae definitione, quae ex Aristot., II. Phys. text. 28-38. (c. 3.), II. Metaph. text. 6. seq. (I. brevior. c. 2.), V. Metaph. text. 2-4. (IV. c. 2.) colligi potest, Vat. hic et alibi contra codd. ac ed. 1 relativo *cuius* praefigit praepositionem *ad.*

[8] Substituimus ex antiquioribus mss. et ed. 1 *locutio* pro *solutio.*

[9] Cfr. d. 29. a. 1. q. 1. — Paulo ante cod. K post *causae* addit *de se.*

[10] Vat. contra multos codd. ut A C F G H K L O S T U Y etc. et ed. 1 modo passivo *signatur.*

[11] Hic q. 1. — Plura de ista propositione: sapiens sapientia genita, vide d. 32. a. 2. q. 1. et dub. 1. ac 2. — Paulo infra ex cod. W adiecimus *sapientia bene supponit pro relativo,* quod certe supplendum et in aliis mss. forte omissum est propter huius et praecedentis propositionis communem desinentiam *pro relativo;* et mox ex eodem cod. W addidimus *ibi.*

Dub. IV.

Ita etiam non est dicendum, quod divina essentia genuit Filium. Contra hoc obiicit Ioachim, tam contra *positionem* quam contra *rationem*. Contra *positionem*, quia si essentia non generat nec generatur nec procedit: ergo in divinis est res generans et genita et procedens, et res nec generans nec genita nec procedens; et ita est ibi [1] quaternitas, si sunt quatuor res.

Obiectio abbatis Ioachim.

Item, irridet *rationem* Magistri: si essentia generat essentiam, et essentia est una res: ergo una res generat se ipsam. Similiter, inquit Ioachim, potuisti dicere, Petre: Deus generat Deum, et [2] unus est Deus: ergo eadem res generat se ipsam.

Respondeo: Dicendum, quod Ioachim non recte arguit, et deficit sua ratio, quia res non accipitur uniformiter, quia cum dicitur res primo modo, ibi accipitur res pro *re naturae;* sed cum dicitur [3] secundo modo, accipitur pro *ipsa natura* divina. *Praeterea*, deficit ab insufficienti, quia non valet: si aliquid dicitur de aliquo [4], et non dicitur de alio, quod propter hoc illa faciant numerum. Unde non valet: Petrus est individuum: homo non est individuum: ergo Petrus et homo sunt duo. Habere enim proprietatem et non habere non sufficit ad distinguendum.

Ad *instantiam* eius dicendum, quod non recte instat; quia *essentia* est res una quantum ad suppositum et significatum; non enim supponit personas; sed *Deus* est res una quantum ad significatum, sed plures quantum ad suppositum. Et ideo ignoranter Ioachim reprehendit Magistrum, et quia [5], cum esset simplex, non est reveritus Magistrum, ideo iusto Dei iudicio damnatus fuit libellus eius in Lateranensi Concilio, et positio Magistri approbata [6].

Reprehenditur Ioachim.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hilarius: *Nihil habet Filius, nisi quod nascendo accepit.* Quaeritur ergo de hoc verbo *accepit,* utrum dicat *substantiam* vel *relationem.* Si *substantiam:* ergo Pater similiter accepit; si *relationem:* ergo [7] cum essentiam acceperit Filius, essentia est accepta: ergo essentia refertur.

Respondeo: Dicendum, quod *accipere* dicit duo, scilicet *habere* et *esse* ab alio; quantum ad *habere* respicit essentiam; sed quantum ad hoc quod est *esse* ab alio, respicit personam: unde per verbum *accipiendi* significatur, quod essentia habetur a persona, quae est ab alio [8].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Et ideo non refertur ad aliud, quod in uno subsistit ex uno,* quia videtur falsum; quoniam Filius subsistit a Patre, tamen refertur ad Spiritum sanctum [9].

Respondeo: Hoc potest intelligi dupliciter: *uno* modo, quod Filius non habet respectum nisi ad unam *personam;* et hoc intelligitur in quantum Filius, quia in quantum spirans est, refertur ad alium; *vel* quod persona Filii non habet respectum nisi ad unam *naturam;* et hoc verum est, quia Filius non habet in se nisi naturam Patris.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Et naturam suam, ut ita dicam, sequitur indemutabilis Deus.* In divinis enim non est prius nec posterius, et ita nec praecedere nec sequi. *Si tu dicas,* quod est secundum rationem intelligendi; hoc nihil est, quia Deus gignens nec secundum rem, nec secundum intellectum sequitur aliquid [10].

Respondeo: Dicendum, quod Hilarius improprie loquitur, et ideo addit determinationem: *ut ita dicam;* et tantum vult dicere *sequi,* quantum *inseparabiliter comitari* [11] et consociare et ab illo non recedere, et hoc patet per sequens.

Dub. VIII.

Item quaeritur de auctoritatibus Augustini, primo de hoc quod dicit, quod *Deus semel genuit Filium.* Videtur enim male dicere *semel,* quia *semel* dicit vicissitudinem; sed in generatione aeterna nulla cadit vicissitudo: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod *semel* potest dicere *nunc* temporis, vel *nunc* aeternitatis. Et si dicat *nunc* temporis, cum tempus habeat diversa *nunc,*

---

[1] Vat. refragantibus mss. et ed. 1, transponit *ibi* post *si sunt.*

[2] Restituimus ex vetustioribus mss. et ed. 1 particulam *et.*

[3] Substituimus fide nonnullorum codd. V X Y et ed. 1 *dicitur* pro *accipitur.*

[4] Vat. minus bene et contra antiquos mss. ac ed. 1 *altero* pro *aliquo.*

[5] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 hic omittit *quia,* et paulo infra pro *ideo* ponit *et sic.*

[6] Vide supra a. 1. q. 1. Scholion.

[7] Supplevimus ex mss. et ed. 1 *ergo*, quod Vat. minus bene omittit.

[8] De eisdem Hilarii verbis cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 42. m. 3. a. 1. ad 8.

[9] Fide mss. addidimus *sanctum.*

[10] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 *aliud,* et paulo infra contra eosdem omittit *dicendum.*

[11] Vat. *communicare et consonare;* plurimi Codd. *communicari et consonare.* Haec autem verba in codd. ob abbreviatam scripturam saepe vel sunt dubiae lectionis vel cum verbis in textum nostrum receptis confunduntur. Verbum *comitari* recepimus ex ed. 1 et *consociare* ex cod. Z. Mox Vat. absque auctoritate mss. et sex primarum edd. *et per hoc patet sequens,* sed minus bene.

notat intercisionem; si autem *nunc* aeternitatis, et[1] illud *nunc* semper est et invariabile et unum, *semel* dicit omnimodam invariabilitatem, perfectionem et unitatem.

Dub. IX.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Filii caritatis suae,* utrum caritas accipiatur ibi *essentialiter*, aut *notionaliter*. Si *essentialiter:* ergo Christus Filius est essentiae, quod non conceditur. *Si tu dicas,* quod est impropria locutio, et est sensus: *Filii essentiae,* id est, qui est essentia; tunc nullus videtur sensus, et pro nihilo additum[2] hoc quod est *caritatis.* Et *rursus* Augustinus exponit, *Filii caritatis,* id est *Filii dilecti;* sed Pater diligit Filium Spiritu sancto: ergo etc. Si propter hoc *dicas,* quod tenetur *notionaliter;* tunc ergo Filius Dei est Filius Spiritus sancti, quod absurdum est omnino.

Respondeo: Ad[3] hoc dicunt aliqui, quod ille genitivus nec proprie essentialiter nec proprie notionaliter, sed medio modo tenetur, id est *appropriate.* Licet enim caritas sit omnibus communis et proprium Spiritus sancti, uno tamen modo appropriate convenit Patri, quia caritas est amor gratuitus; et sic dicit Richardus, quia amor gratuitus est, qui tantum dat et nihil accipit[4], et hoc est in persona Patris, ideo appropriatur Patri. Alio modo dici potest, quod caritas ibi tenetur *essentialiter*, sicut dicit Augustinus, quod[5] nihil aliud est dicere *Filii caritatis* quam *Filii substantiae;* sed genitivus non construitur in ratione principii, sed ex vi declarationis essentiae[6], et est sensus: *Filii caritatis,* id est Filii cari; et *Filii substantiae* vel naturae, hoc est Filii consubstantialis et naturalis.

Dub. X.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Filius est de substantia Patris homoousion,* quia — cum filius naturalis partem substantiae trahat a patre, partem a matre in his inferioribus, et in Deo totam substantiam trahat a Patre — videtur quod Pater non tantum deberet dici pater, sed etiam mater, et multo fortius mater, quia mater plus dat quam pater. *Item,* Filius Dei vocat se *sapientiam* et sapientiam, quae *concipitur* et *parturitur*, Proverbiorum octavo[7]. Ergo cum hoc proprium sit matris, videtur quod Pater proprius deberet dici mater quam pater.

Respondeo: Dicendum, quod nomen matris non transfertur ad divina. Et unam rationem assignat Anselmus in Monologio[8]: quia principium maternum praeexigit aliud principium prius. Et ratio huius est, quia mater est principium passivum, et omne tale movetur ab alio: ergo ante ipsum est principium aliud. Quoniam igitur principium generationis Filii est primum et est pure actuale, ideo nullo modo transfertur maternum principium; transfertur tamen actus maternus, ut concipere et parturire, pro eo quod *ibi* agit unum principium quod[9] *hic* duo.

Dub. XI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Filius et Spiritus sanctus non est de nihilo.* Videtur enim falsum, quia illud quod de nulla praeiacente materia est, de nihilo est; sed Filius et Spiritus sanctus sunt huiusmodi: ergo etc. *Si tu dicas,* quod Filius et Spiritus sanctus sunt de aliquo, ut de Patre; quaeritur tunc, utrum Pater sit ex nihilo; et videtur quod sic, quia *non aliquid* et *nihil* convertuntur; sed Pater non est ex[10] aliquo: ergo est ex nihilo. *Item,* quia Pater non habet principium effectivum, ideo dicitur esse *a nullo:* ergo[11] cum non habeat materiam, debet dici *de nihilo.* Si conceditur de Patre; *contra:* omne quod habet esse de nihilo, est creatum[12]: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod cum dicitur aliquid esse de nihilo, secundum Anselmum in Monologio[13] tripliciter potest intelligi. *Uno modo,* ut — Esse de nihilo tripliciter dicitur.

---

[1] Vat. clarius *cum,* cui lectioni obstant omnes codd. et ed. 1 ac forma indicativi in verbo *est.* Paulo infra auctoritate plurimorum codd. et ed. 1 verbo *invariabile* praefixum *est* expunximus, et fide antiquiorum mss. ac ed. 1 substituimus *invariabilitatem* pro *invarietatem;* lectio mss. certe praeferenda.

[2] Vat. adiungit *est,* sed contra antiquiores codd. et edd. 1, 2, 3. Codd. RX *additur.* Paulo infra post *id est* Vat., contradicentibus vetustioribus codd., omittit *Filii.* Verba August., XV. de Trin. c. 19. n. 37. sunt: Filii caritatis suae, nihil aliud intelligitur, quam Filii sui dilecti.

[3] Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 *quod propter* pro *Ad.*

[4] Ita antiqui codd. cum ed. 1, dum Vat. cum recentiore cod. cc post *caritas* omittit *est* ac dein *et sic dicit Richardus quia amor gratuitus;* demum pro *nihil* ponit *non.* — Textum Richardi vide supra d. 2. q. 4.

[5] Vat. cum cod. cc *quia* pro *quod,* sed obstant antiquiores mss. et ed. 1.

[6] De significatione *genitivi* vide supra d. 3. p. II. dub. 3. — Mox Vat. cum cod. cc post *sensus* addit *et* ac post *vel* adiicit *etiam,* quae particulae absunt a vetustioribus mss. et ed. 1.

[7] Vers. 24. 25. — Paulo ante Vat. contra mss. et ed. 1 *sapientia est, quae* pro *sapientiam, quae.*

[8] Cap. 42: Quia prima et principalis causa prolis semper est in patre. Nam si maternam causam quolibet modo semper paterna praecedit: nimis est incongruum, ut illi parenti adaptetur nomen matris, cui ad gignendam prolem nulla alia causa aut sociatur aut praecedit. — De proxime sequenti ratione vide Aristot., I. de Generat. animal. c. 19. 20. et ibid. II. c. 4. — Nonnulli codd. post *principium* omittunt *prius,* et Vat. cum nonnullis mss. omittit *et,* quod fide multorum mss. et ed. 1 voci *ratio* praefiximus.

[9] Vat. cum cod. cc *et* loco *quod,* sed minus bene et contra antiquiores codd. Sub *ibi* intellige: in generatione Filii.

[10] Aliqui codd. ut aa bb dd ff cum ed. 1 hic et immediate post *de* loco *ex.*

[11] Vat. cum cod. cc *simili modo* pro *ergo,* quod tamen alii codd. cum ed. 1 exhibent.

[12] Ex mss. et ed. 1 substituimus *creatum* loco *creatura.* Mox Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 adiungit tale argumentum *Item quod est ex nihilo, est vertibile in nihilum ergo* etc.

[13] Cap. 8.

nihil accipiatur simpliciter privative vel negative, ut cum dicitur de tacente: iste loquitur de nihilo; *alio modo* positive, ut si ita dicatur vel [1] intelligatur aliquid fieri ex nihilo, sicut cultellus de ferro; *tertio modo* partim positive, partim privative, ut si dicatur aliquid fieri ex [2] nihilo, quia post nihil est aliquid, sicut dicitur: de paupere fit dives.

Ratio autem huius multiplicitatis est haec. Nam

Ratio. primo distinguendum est, quod [3] negatio eius quod est *nihil,* potest sistere *intra,* vel ferri ad hoc verbum *fieri.* Si feratur ad verbum, tunc *fieri de nihilo* hoc est [4] *non fieri de aliquo*, sicut loqui de nihilo, id est de nulla re. Si autem non feratur ad verbum, tunc affirmatur *fieri;* et tunc duplex est, quia *de* potest intelligi *materialiter;* et tunc significatur, quod nihil sit materia alicuius, et habetur secundus sensus. *Item,* potest teneri *ordinaliter,* et tunc est [5] tertius sensus, sicut creatura dicitur fieri de nihilo.

Dicendum ergo, quod secundum primum sensum

Solutio. Deus potest dici de nihilo esse, sive Pater sive divina essentia; tamen hic modus non est usitatus. Quantum ad secundum modum, omnino nihil fit ex nihilo, quia nihil nullius est materia [6]. Quantum ad tertium modum, secundum quem loquitur Augustinus [7], quod sola creatura fit de nihilo sive est de nihilo, quia *de* notat ibi ordinem, ut habeat esse post non esse, hoc quod est *de nihilo* privat materiam praeiacentem. Quamvis ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus non habeant materiam praeiacentem, quia tamen non habent esse post non esse, ideo non dicuntur esse ex nihilo: et ideo non valet primum argumentum, quia procedit ab insufficienti.

Secundum vero et tertium argumentum, *de Patre* factum, procedit, secundum quod negatio eius quod est nihil, fertur extra ad verbum et facit orationem negativam — aliter enim non aequipollet *non esse* [8] *de aliquo* et *esse de nihilo* — et secundum hunc sensum, sicut conceditur, quod Pater a *nullo* sit, ita *de nihilo.* Tamen, sicut dictum est, sensus iste non est usitatus; communiter enim utimur hac locutione, secundum quod negatio *de nihilo* sistit intra, et hoc quod est *de* accipitur ibi *ordinaliter* [9].

DISTINCTIO VI.

Cap. Unicum.

Utrum Pater voluntate genuerit Filium, an necessitate; et an volens vel nolens sit Deus.

Praeterea quaeri solet, utrum Pater genuerit Filium voluntate, an necessitate. De hoc Orosius ad Augustinum [1] ita ait: « Voluntate genuit Pater Filium, vel necessitate? Nec voluntate, nec necessitate, quia necessitas in Deo non est, praeire voluntas sapientiam non potest ». « Quocirca, ut Augustinus ait in decimoquinto libro de Trinitate [2], ridenda est dialectica Eunomii, a quo Eunomiani haeretici orti sunt, qui cum non potuisset intelligere nec credere voluisset, unigenitum Dei Verbum Filium Dei esse natura, id est de substantia Patris genitum, non naturae vel substantiae dixit esse Filium, sed Filium voluntatis Dei, volens asserere accedentem Deo voluntatem, qua gigneret Filium, sicut nos aliquid aliquando volumus, quod antea non volebamus; propter quod mutabilis intelligitur nostra natura, quod absit, ut in Deo esse credamus ». Dicamus ergo, Verbum Dei esse Filium Dei natura, non voluntate, ut docet Augustinus in libro decimoquinto de Trinitate [3], ubi quendam catholicum haeretico respondentem commendat dicens: « Acute sane quidam respondit haeretico versutissime interroganti, utrum Deus Filium volens, an nolens genuerit, ut si diceret *nolens,* absurdissima Dei miseria sequeretur; si autem *volens,* continuo quod intendebat concluderet, scilicet non naturae esse Filium, sed voluntatis. At ille vigilantissime vicissim quaesivit ab eo, utrum Deus Pater volens, an nolens sit Deus, ut si responderet *nolens,* sequeretur grandis absurditas et miseria, quam de Deo credere magna est insania; si autem diceret *volens,* respondere-

---

[1] Vat. cum cod. cc *aut,* sed obstant antiquiores codd. cum ed. 1.

[2] Nonnulli codd. ut aa bb cum ed. 1 *de.*

[3] Ex antiquis mss. et ed. 1 substituimus *quod* loco *quia.* Paulo infra Vat. cum cod. cc *vel extra ad verbum ferri* pro *vel ferri ad hoc verbum fieri,* sed contra ed. 1 et ceteros codd., qui in eo tantum dissident inter se, quod pro *ferri* alii ut CLSUV aa bb ponunt *foras,* alii vero ut AW *extra,* cod. O *foras ferri,* alii tandem ut GHIKRTXZ dd ee ff cum ed. 1 exhibent textum nostrum.

[4] Plurimi codd. cum ed. 1 *hoc est* loco *est,* quod habet Vat.

[5] Vat., repugnantibus mss. et ed. 1, *habetur* pro *est.* Mox plurimi codd. cum ed. 1 *sicut* pro *et sic* in Vat. posito.

[6] In Vat. et cod. cc desiderantur haec verba *quia nihil nullius est materia,* quae tamen in aliis mss. et ed. 1 habentur.

[7] Libr. II. contra Maximin. c. 14. n. 2. et II. de Actis cum Felice Manichaeo, c. 18. et de Natura boni advers. Manich. c. 26.

[8] Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, transponit *esse* ante *non,* et paulo post contra antiquiores codd. et ed. 1 post *et* omittit *esse.* Mox post *ita* claritatis gratia addit sola Vat. *quod sit.*

[9] Supplevimus ex mss. et ed. 1 *ibi.* — Plura de hac re vide supra a. 1. q. 2. — Eandem doctrinam habet Alex. Hal., S. p. I. q. 42. m. 4. a. 1. — S. Thom., hic q. 2. a. 2; et S. I. q. 41. a. 3. — B. Albert., hic a. 10. — Petr. de Tar., hic q. 3. a. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2. in fine.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Quaest. 65 Dialog. q. 7, in quo textu Vat. post primum *necessitate* addit *sed,* et in fine ponit *potuit* loco *potest,* at contra omnes codd. et edd. 1, 6 et originale Augustini.

[2] Cap. 20. n. 38, sed nonnullis additis; in hoc textu cod. D *antecedentem;* ed. operum Augustini *accidentem* pro *accedentem.*

[3] Ibidem. — Paulo ante sola Vat. post *non voluntate* adiungit *neque necessitate.*

tur ei: ergo et ipse [1] voluntate sua Deus est, non natura. Quid ergo restabat, nisi ut obmutesceret, sua interrogatione obligatum insolubili vinculo se videns »? Ex praedictis docetur, non esse concedendum, quod Deus voluntate vel necessitate, vel volens vel nolens sit Deus; item, quod voluntate vel necessitate, vel volens vel nolens genuerit Filium.

Sed contra hoc opponitur sic: voluntas Dei est natura sive essentia Dei, quia non est aliud Deo esse, aliud velle; et ideo, sicut una est essentia trium personarum, ita et una voluntas. Si ergo Deus natura Deus est, et voluntate Deus est; et si Verbum Dei natura Filius Dei est, et voluntate Filius Dei est. Hoc autem facile est refellere. Nam et praescientia Dei sive scientia, qua scit vel praescit bona et mala, divina natura sive essentia est; et praedestinatio sive voluntas eius eadem divina essentia est, nec est aliud Deo scire vel [2] velle quam esse. Et cum sit unum et idem scientia Dei vel voluntas, non tamen dicitur de voluntate, quidquid dicitur de scientia, et e converso. Nec omnia illa sua voluntate Deus vult, quae sua scientia scit, cum scientia sua noverit tam bona quam mala, voluntate autem non velit nisi bona. Scientia quippe Dei et praescientia de bonis est et malis, voluntas vero et praedestinatio de bonis est tantum; et tamen unum et idem est in Deo scientia et voluntas, et praescientia et praedestinatio. Ita cum unum sit natura Dei et voluntas, dicitur tamen Pater genuisse Filium natura, non voluntate, et esse Deus natura, non voluntate.

Obiectio. Refellitur.

Praedicta tamen verba, quibus prudenter dictum est, quod Deus Pater nec volens nec nolens est Deus, nec volens nec nolens genuit Filium, sive voluntate sive [3] necessitate, ex tali sensu mihi videntur accipienda, ut voluntatem praecedentem vel accedentem intelligamus, qualiter Eunomius intelligebat. Non enim ipse est Deus [4] voluntate praecedenti vel efficienti, vel volens, priusquam Deus; nec voluntate praecedenti vel accedenti genuit Filium, nec prius volens quam generans genuit Filium, [5] nec prius generans quam volens genuit Filium. Volens tamen genuit, sicut potens genuit et bonus genuit et sapiens genuit et huiusmodi. Si enim Pater sapiens et bonus dicitur genuisse Filium, cur non et volens? cum ita sit Deo idem esse volentem, quod est esse Deum; sicut idem est esse sapientem, quod est esse Deum. Dicamus ergo, quia Pater sicut sapiens, ita volens genuit Filium, sed non voluntate praecedenti vel accedenti. Quem sensum aperit Hieronymus et confirmat, ita dicens super Epistolam ad Ephesios [6]: « De Filio Dei, id est Domino Nostro Iesu Christo scriptum est, quia cum Patre *semper fuit*, et nunquam eum, ut esset, voluntas paterna praecessit; et ille quidem natura Filius est ».

Explicantur quaedam verba.

Notula. Hilarius in libro de Synodis [7]: « Eos qui dicunt, de non exstantibus esse Filium Dei, similiter qui dicunt, quod neque consilio neque voluntate Pater genuit Filium, anathematizat sancta Ecclesia. Item si quis nolente Patre dicat natum Filium, anathema sit. Non enim, nolente Patre, coactus Pater vel naturali necessitate ductus, cum nollet, genuit Filium, sed mox ut voluit, sine tempore et impassibiliter ex se Unigenitum demonstravit.

Notula addita.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VI.

De comparatione actus generandi ad potentiam.

Praeterea quaeri solet, utrum Pater genuerit Filium voluntate etc.

DIVISIO TEXTUS.

In parte ista ponit Magister dubitationes emergentes ex comparatione actus generandi *ad potentiam.* Et quoniam contingit comparare [1] actum generandi ad potentiam, et potentiam generandi ad suppositum, et ex utraque comparatione incidit dubitatio circa essentiae unitatem: ideo *primo* ponit dubitationem ex comparatione actus generandi ad potentiam; secundo ponit dubitationem ex comparatione potentiae generandi ad personam, infra distinctione septima: *Hic solet quaeri a quibusdam, utrum Pater* etc.

Item, *prima* pars, quae continet praesentem distinctionem, habet quatuor particulas. In *prima* Magister [2] proponit quaestionem, utrum potentia vel virtus generandi sit producens necessitate, vel voluntate, et determinat veritatem huius quaestionis. *Secundo* ad istam quaestionem respondet ad hominem

---

[1] Codd. ABCD omittunt *et ipse*, quod tamen in ed. operum Augustini habetur. Paulo infra Vat. contra omnes codd. et edd. 1, 8 et originale *indissolubili* pro *insolubili.*

[2] In Vat., obnitentibus codd. et edd. 1, 8, *et.*

[3] Codd. ABC et edd. 1, 8 *vel.* Mox edd. 2, 3, 5, 9, 10 omittunt *mihi.* Dein post *ut* in cod. A additur *nec*, in cod. B *non*, sensu non mutato.

[4] Vat. contra codd. BCDE et edd. 1, 8, transpositis verbis, minus bene *ipse Deus est.*

[5] Edd. 1, 8 omittunt *genuit Filium.* Paulo infra post *bonus genuit* Vat. contra codd. et edd. 1, 8 addit *Filium.*

[6] Super cap. 1, 5. — Omnes codd. et edd. *Augustinus* pro *Hieronymus.* — In cuius textu Vat. sola cum originali post *id est* addit *de* et dein post *Christo* adiungit *in alio loco*, scil. Eccli. 1, 1.

[7] Num. 39. I. et n. 58. XXV. — In cod. A respectu huius notulae additur *et quia Magister non probaverat, Patrem genuisse Filium voluntate, ideo haec nota posita est.* Haec notula in Vat. et aliis edd. ad marginem, in edd. 5, 6 in textu posita est.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Vat. cum aliquibus mss. *comparari.*

[2] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *Magister.*

contra arguendo [1], ibi: *Dicamus ergo, Verbum Dei esse Filium Dei. Tertio* vero opponit contra praedictam solutionem et respondet, ibi: *Sed contra hoc opponitur sic: Voluntas Dei* etc. *Quarto* et ultimo redit ad explanationem primae solutionis, ibi: *Praedicta tamen verba, quibus prudenter dictum est*, ubi explanat solutionem praehabitam.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

ARTICULUS UNICUS.

De generatione Filii secundum suas conditiones.

Ad evidentiam huius partis tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum generatio Filii sit secundum conditionem necessitatis.

Secundo, utrum sit secundum rationem voluntatis.

Tertio, utrum secundum conditionem exemplaritatis.

QUÆSTIO I.

Utrum generatio Filii sit secundum rationem necessitatis.

Circa primum, quod generatio sit secundum conditionem *necessitatis,* sic ostenditur.

Fundamenta. 1. Fecundior et actualior est natura in Patre ad producendum Filium, quam sit in luce ad producendum radium; sed lucem necesse est radium producere, ita quod productio in ipsa est secundum conditionem necessitatis: ergo multo fortius in Patre respectu Filii.

2. Item, omne quod emanat ab alio [2], emanat secundum conditionem necessitatis, aut contingentiae: ergo et Filius emanat altero istorum duorum modorum; sed non secundum conditionem contingentiae, quia tunc contingens esset Filium generari: ergo etc.

3. Item, ab omnipotente detrahere maximum *posse* est impossibile; sed Deus Pater est omnipotens, cuius maximum *posse* est generare Filium: ergo detrahere ei *posse generare Filium* est impossibile. Sed in aeternis potentia est coniuncta actui [3]: ergo pari ratione impossibile est auferre *actum* generationis: ergo impossibile est non generare; sed *impossibile non esse* et *necesse esse* convertuntur: ergo necesse est generare.

Ad oppositum. Contra: 1. Augustinus ad Orosium, et Magister dicit in littera [4]: « Nec voluntate nec necessitate genuit Pater Filium, quia necessitas in Deo non est »: ergo etc.

2. Item, Hilarius in libro de Synodis [5]: « Non naturali necessitate ductus Pater genuit Filium »: ergo non fuit ibi necessitas naturalis nec necessitas alia, ut videtur; ergo etc.

3. Item, nobilius producens est illud quod dominatur suae actioni, quam quod subiacet; sed agens secundum rationem necessitatis subiacet actioni, quia velit nolit oportet ipsum facere: ergo si [6] Pater, qui est nobilissimum agens, nobilissimo modo producit Filium, non igitur secundum conditionem necessitatis.

4. Item, hoc idem potest ostendi sic: quod gratis datur, non de necessitate datur; sed Richardus [7] dicit, quod in Patre est amor gratuitus, quia dat esse Filio et Spiritui sancto: si ergo gratis dat, non necessario.

CONCLUSIO.

Generatio in divinis necessaria est necessitate immutabilitatis, non tamen alia specie necessitatis.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod multiplex est necessitas. Quaedam enim est necessitas proveniens ex principio *disconveniente*, quaedam ex principio *deficiente*, quaedam ex principio *conveniente* et *sufficiente*. Triplex necessitas.

Illa [8] quae provenit ex principio *disconveniente*,

---

[1] Vat. *respondet ad haereticum hominem arguendo*, sed obstant mss. et ed. 1.

[2] Nonnulli codd. ut K W X Y ee *aliquo* pro *alio*.

[3] Aristot., III. Phys. text. 32. (c. 4.): Posse enim ab ipso esse nihil differt in perpetuis. — Paulo infra post *auferre* cod. O addit *ei*. — De conversione harum propositionum modalium *impossibile non esse* et *necesse esse* cfr. Aristot., II. Periherm. c. 3. (c. 13.) et de relatione inter omnipotentiam et potentiam generandi vide infra d. 7. q. 4.

[4] In principio huius distinctionis.

[5] Num. 58. XXV: Non enim nolente Patre, coactus Pater vel naturali necessitate ductus, cum nollet, genuit Filium.

[6] Vat., refragantibus antiquioribus mss. et ed. 1, *simpliciter* pro *si*. Paulo ante post *actioni* cod. O adiungit *suae*.

[7] Libr. V. de Trin. c. 17-19, in quorum primo capite ait: Gratuitum autem amorem se habere ostendit, qui procedentibus de se plenitudinis suae abundantiam tam largiter, quam libenter et gratis impendit. — Et in ultimo capite dicta recolligens ait: Constat namque, quia in uno ex tribus (divinis personis) est amor summus et solum gratuitus; in altero vero sic summus etc. — Vat. mox *quo* pro *quia*, sed contra mss. et ed. 1 et in fine argumenti post *non* repetit *dat*.

[8] In Vat. et cod. cc additur *autem*.

Subdivisio 1. est duplex: aut enim est ex ipso movente contra *naturam*, et haec est necessitas *violentiae;* aut contra *voluntatem*, et ista necessitas est *coactionis*[1]; et de istis duobus modis quaerit haereticus, qui sunt valde usitati.

Illa similiter, quae est ex principio *deficiente*, Subdivisio 2. est duplex: aut enim est respectu eius, quo res est nata compleri; et haec est necessitas *indigentiae*, ut cibi et potus; de hac dicitur primae Ioannis tertio[2]: *Qui viderit fratrem suum necessitatem patientem* etc.; aut respectu eius, quod incurrit ex ipso defectu; et haec est necessitas *inevitabilitatis*, qualis est in morte et in primis motibus; hanc necessitatem incurrit homo ex carentia originalis iustitiae, Psalmus[3]: *De necessitatibus meis erue me.*

Tertia similiter, quae est ex principio *sufficiente* Subdivisio 3. et *conveniente*, est duplex: aut enim est ex principio sufficiente in *disponendo*, et haec est necessitas materiae dispositae, quae potest dici necessitas *exigentiae;* aut in *complendo*, et haec est necessitas immutabilitatis[4].

Et haec ultima[5] necessitas cadit in Deo, et Conclusio. principaliter in Deo, quia ipse solus est qui sibi omnino sufficit et qui secum omnino convenit. Haec autem necessitas non repugnat libertati voluntatis, sed solum vertibilitati, qualis non est in Deo.

1. Ad illud quod obiicitur de *littera*, dicendum, quod illud intelligitur de necessitate coactionis, Solutio oppositorum. quae nullo modo cadit in Deo[6], et de hac quaerebat haereticus.

2. Similiter et Hilarius intelligit de hac eadem, unde et subdit[7] in littera: *non naturali necessitate, cum nollet;* tunc enim ibi esset coactio, dum repugnaret voluntas.

3. Ad illud quod obiicitur, quod agens per necessitatem subiacet suae actioni; dicendum, quod falsum est, nisi sit necessitas repugnans voluntati. Cum enim est necessitas repugnans, necesse est voluntatem subiici, quia non potest praevalere. Sed quando est necessitas summe consonans, non potens discordare a voluntate, tunc nullam inducit subiectionem, sicut patet. Deus enim[8] necessario est beatus et necessario vult esse beatus; et sicut necessarium est, ipsum esse beatum, ita et velle; sic intelligendum est in generatione Filii.

4. Ad illud quod ultimo[9] obiicitur de amore gratuito, dicendum, quod duo sunt in gratuito amore: *unum* est, quod dat ex mera liberalitate, ita quod nulla est exigentia sive debitum meriti vel naturae; *aliud*, quod[10] dat sine retributione, et quantum ad hoc secundum dicitur amor gratuitus in Patre, non quantum ad primum. Naturalis enim fecunditas Patris necessario est ratio communicandi naturam alii.

SCHOLION.

I. Quoad ipsam generationem in divinis cfr. infra d. 9. per totam. — Easdem distinctiones *necessitatis*, paulo alio modo explicatas, S. Doctor habet in quadam quaestione disputata hucusque anecdota: *utrum divinum esse sit summe necessarium*, ex qua haec inserimus. « Triplex est necessitas: quaedam *omnino extrinseca*, quaedam *partim extrinseca*, *partim intrinseca*, et quaedam *omnino intrinseca*. Necessitas omnino extrinseca est illa quae ortum habet a principio, quod est extra, nihil cooperante passo; et haec dupliciter habet esse, vel respectu operum naturalium, vel respectu operum voluntariorum; et sic duplex est necessitas, scilicet *violentiae* et *coactionis*. Necessitas vero partim intra, partim extra est, quae aliquo modo est a principio intrinseco respiciente aliquid extra vel per modum principii moventis, vel per modum termini quiescentis; et sic est necessitas dupliciter dicta, scilicet *inevitabilitatis* et *indigentiae*. Quaedam vero est necessitas omnino intrinseca, quae inest rei ex propria natura; et haec est necessitas *immutabilitatis* et independentiae, et talis necessitas secundum quid reperitur in creatura, simpliciter autem non potest reperiri nis in creatrice essentia. Ipsa enim sola est, quae non admittit aliquam dependentiam; cetera vero, cum sint creata, necessario dependent ab ipsa. Haec autem necessitas necessario ponitur in esse divino, quia est in se ipso et a se ipso » etc.

Ultima illa species necessitatis, quam S. Doctor in corp. vocat necessitatem *immutabilitatis*, intelligenda est in sensu absoluto, ita ut eius oppositum simpliciter sit impossibile. Hoc ideo notandum fuit, quia aliqui doctores necessitatem immutabilitatis aliter accipiunt, nempe pro ea qua aliquid ita habet esse, ut oppositum etiam possit esse, sed non simul cum suo opposito (cfr. Brulifer ad hunc locum). — De variis divisionibus necessitatis cfr. S. Bonav., II. Sent. d. 7. p. I. a. 2. q. 2. ad 3; et ibid. d. 25. p. II. q. 2. in corp.; III. Sent. d. 12. a. 2. q. 1. ad 5.

II. Quoad conclusionem ipsam cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 42. m. 5. a. 1. — Scot., hic q. 1, et Report., hic q. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. q. 41. a. 2. — B. Albert., hic

---

[1] De duplici hac necessitate cfr. Aristot., III. Ethic. c. 1. et I. Magnor. Moral. c. 11-16. (c. 12-17.). — Paulo ante ex vetustioribus mss. et ed. 1 supplevimus *ista*. — De haeretico, quem S. Doctor hoc loco introducit, vide hic lit. Magistri.

[2] Vers. 17, in quo textu Vulgata pro *patientem* legit *habere*.

[3] 24, 17.

[4] Cfr. Aristot., I. Phys. text. 81. (c. 9.), ubi agit de materiae naturali appetitu respectu formae; et V. Metaph. text. 6. (IV. c. 5.), ubi praeter necessitatem immutabilitatis alias proponit necessitatis species, quae in praecedentibus tactae sunt.

[5] Vat. cum cod. cc, obnitentibus antiquioribus mss. et ed. 1, *Et hoc ultimo modo*, et paulo infra post *est qui* minus apte repetit *principaliter*. In fine corp. cod. T cum pluribus aliis post *qualis* omittit *non*, quae lectio explicatur lectione cod. R *quare est in Deo*.

[6] Vat. contra mss. et ed. 1 *Deum*.

[7] Substituimus ex mss. et ed. 1 *et subdit* loco *subiungit*. — Textum Hilarii supra in argum. 2. ad opp. integre exhibuimus.

[8] Fide mss. et ed. 1 adiecimus *enim*.

[9] Vat. cum cod. cc hic omittit *ultimo*, et paulo infra post *dat* omittit *ex*, sed obstant codd. antiquiores cum ed. 1.

[10] Ex plurimis mss. et ed. 1 substituimus *quod* loco *quia*. Circa finem solutionis Vat. praeter fidem antiquiorum mss. et ed. 1 omittit *naturalis* et in fine *alii*. Edd. 2, 3, 4, 5, 6 cum cod. cc *naturae* pro *naturalis*, omittunt etiam in fine *alii*.

a. 1; S. p. I. tr. 7. q. 30. m. 3. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. et 2. — Henr. Gand., de hac et seq. q. S. a. 54. q. 3. n. 45. seqq. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seq. hic q. 1. — Biel, de hac et seq. hic q. 1.

QUÆSTIO II.

Utrum generatio in divinis sit secundum rationem voluntatis.

Secundo quaeritur, utrum generatio Filii sit secundum rationem *voluntatis*. Et quod non, ostenditur [1] primo per *auctoritates*, secundo per *rationes*.

Fundamenta. Primo ostenditur per *auctoritatem* Hilarii, qui dicit in libro de Synodis [2]: « Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed Filio natura dedit ».

2. Item, Augustinus decimo quinto de Trinitate [3] reprehendit Eunomium, qui posuit Filium Dei esse Filium voluntatis: ergo si recte reprehendit, generatio Filii non est secundum conditionem voluntatis.

3. Item, *rationibus* ostenditur sic: Generatio, quantum est de se, est exitus naturalis sive per modum naturae; sed iste [4] est alius modus producendi quam per voluntatem: ergo etc.

4. Item, Filius est sapientia Patris: ergo si procedit secundum rationem voluntatis, voluntas est prior sapientia; sed hoc est inconveniens, quia cognitio secundum naturalem ordinem [5] intelligendi praecedit affectionem sive voluntatem: ergo etc.

Ad oppositum. Sed contra: 1. In omni natura ordinata potentia naturalis subiacet voluntati, vel saltem conformatur voluntati, sicut patet in primo homine; sed in Deo est natura ordinatissima: ergo nihil est a natura vel per naturam, quod non sit per voluntatem: ergo etc.

2. Item, consimilis est modus procedendi in imagine [6] creata et in Trinitate increata; sed in imagine notitia oritur mediante voluntate a mente: ergo et Filius a Patre mediante voluntate sive per voluntatem. *Minor* patet per Augustinum nono de Trinitate [7]: « Partum mentis praecedit appetitus, quo, dum quaerendo invenimus quod nosse volumus, nascitur proles, ipsa notitia ».

3. Item, ubi est maior communicatio, ibi est liberalitas maior; sed Pater plus communicat Filio quam omnibus creaturis: ergo maior est ibi liberalitas: ergo cum creaturae procedant per modum liberalitatis, multo magis Filius, et sic etc.

4. Item, in creaturis [8] in actu generationis simul movet natura et voluntas, et nihil ex hoc filio derogatur: ergo si Pater magis producit secundum se totum quam creatura: ergo multo fortius per naturam et voluntatem.

5. Item, ad hoc est auctoritas Hilarii in tertio de Trinitate [9]: « Pater ante omne tempus Filium procreavit, omne quod est Deus per caritatem nativitati eius impartiens »; si per caritatem: ergo per voluntatem.

6. Item, Origenes loquens de mente divina dicit: « Germen proferens voluntatis fit Verbi Pater [10] »: ergo videtur, quod Filius generetur a Patre per voluntatem et quod sit Filius voluntatis.

CONCLUSIO.

Generatio Filii est secundum voluntatem ut in ratione approbantis, non vero ut in ratione producentis, nisi quatenus voluntas est principium coniunctum naturae et quidem sic, ut natura producat principaliter, voluntate concomitante.

Respondeo: Dicendum, quod voluntas potest dupliciter considerari respectu voliti, scilicet ut in ratione *approbantis* et diligentis; et sic est respectu omnis boni, sive sit necessarium sive sit [11] contingens, sive creatum sive increatum sive ab alio — Voluntas dupliciter consideratur.

---

[1] Fide vetustiorum mss. et ed. 1 posuimus *ostenditur* loco *videtur*.

[2] N. 58. XXIV: Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit, sed naturam Filio dedit ex impassibili ac non nata substantia perfecta nativitas. Ex his verbis patet, posteriorem propositionis partem a S. Bonaventura quoad sensum tantum esse allegatam.

[3] Cap. 20. n. 38. Verba ipsius vide hic in lit. Magistri circa initium. — In fine argumenti Vat. cum cod. cc *rationem* loco *conditionem*, sed obstant ceteri codd. cum ed. 1.

[4] Substituimus ope antiquiorum mss. et ed. 1 *iste* pro *ille*.

[5] Ita vetustiores codd. cum ed. 1, sed Vat. cum cod. cc *rationem* loco *naturalem ordinem*.

[6] Vat. cum cod. cc *producendi in trinitate* loco *procedendi in imagine*, sed contra ceteros codd. et ed. 1 nec non contra subnexa, in quibus semper de *modo procedendi* agitur. Paulo infra post *ergo* restituimus ex antiquioribus mss. et ed. 1 particulam *et*.

[7] Cap. 12. Vide supra d. 3. p. II. a. 2. q. 2. arg. 1. ad opp.

[8] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 expunximus *existentibus*, quod Vat. cum cod. cc hic minus apte addit. Paulo infra cod. O *generationi filii* pro *filio*.

[9] Num. 3: Hic ergo ingenitus ante omne tempus ex se Filium genuit, non ex aliqua subiacente materia... sed incomprehensibiliter, inenarrabiliter, ante omne tempus et saecula. Unigenitum ex his quae ingenita in se erant procreavit, omne quod Deus est per caritatem atque virtutem nativitati eius impertiens.

[10] Haec verba referuntur a Pamphylo Martyre inter fragmenta Origenis Comment. in Ioan. tom. II. sub n. 30. ed. Migne (Patr. Graec. tom. XIV. col. 184), secundum quam editionem loco *fit* habetur *factus est*. — Vat. hoc et praecedens argumentum collocat immediate post primum, sed contra mss. et minus bene ob confusionem scil. argumentorum ex *ratione* et *auctoritate*.

[11] In plurimis mss. et ed. 1 deest *sit*.

sive non ab alio, ut patet; haec enim vera est: Pater vult, se esse Deum [1]. *Alio modo* consideratur ut in ratione *producentis*. Et hoc dupliciter: aut prout est principium *distinctum* contra naturam, secundum quod dicitur, quod alia sunt a [2] natura, alia a voluntate; aut prout est *coniunctum*.

Subdistinctio 1.

Subdistinctio 2.

Si prout est principium *distinctum*, sic distinguitur voluntas dupliciter, scilicet *accedens* et *antecedens*. Voluntas *accedens* est, qua aliquis de non volente fit volens; haec non est in Deo nec respectu Dei nec respectu creaturae [3]. Deus enim non habet aliquam novam voluntatem nec respectu sui nec respectu alterius. Voluntas *antecedens* praecedit effectum causalitate et duratione; haec quidem est in Deo, sed non respectu Dei, sed respectu creaturae solum; omnes enim divinae personae sunt simul.

Subdistinctio 3.

Alio modo, prout voluntas consideratur ut principium *coniunctum* naturae, potest esse dupliciter; quia tunc natura et voluntas sunt principium; aut igitur natura est producens *principaliter*, voluntate concomitante[4], aut *e converso;* utrumque enim principaliter esse non potest.

Conclusio 1.

Si voluntas est principium, concomitante natura, sic est processio Spiritus sancti, qui procedit per modum amoris, tamen similis in natura. Si vero natura est primum[5] principium, concomitante voluntate, sic est generatio Filii, qui producitur ut omnino similis et per modum naturae, nihilominus ut dilectus; et ideo dicitur, quod sibi in eo *complacet Pater* [6], et ad Colossenses primo dicitur *Filius caritatis.*

Conclusio 2.

Solutio oppositorum.

1. 5. 6. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod generatio est per modum voluntatis sive secundum rationem voluntatis; dicendum, quod hoc intelligitur aut de voluntate approbante, ut ostendunt duae auctoritates Hilarii et Origenis, aut de voluntate concomitante [7], ut ratio, quae posita est primo.

2. Ad illud vero quod obiicitur de similitudine imaginis; dicendum, quod in hoc est dissimilis imago creata ipsi Trinitati increatae, ut dicit Augustinus decimo quinto de Trinitate [8], quia ibi non nascitur verbum per inquisitionem, sicut potest nasci in nobis; unde potius valet ad oppositum quam ad propositum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod maior est communicatio in generatione Filii etc.; dicendum, quod maior communicatio vel minor non facit modum emanandi esse secundum liberalitatem vel secundum modum voluntatis, sed modus sive ratio communicandi. Et quia Pater communicat *creaturis* per voluntatem, ita quod voluntas eius est causa producens, *Filio* [9] per fecunditatem naturae: ideo non sic dicitur Filius produci per voluntatem, sicut creaturae.

4. Ad illud quod obiicitur [10], quod in generatione hominis simul movet natura et voluntas; dicendum, quod hoc est propter defectum magis quam propter complementum; quia pater per se non potest generare, sed ex coniunctione cum alio distante, quod fit ad imperium voluntatis; Deus autem alio adiuvante non indiget; et ideo non est simile.

SCHOLION.

I. De diversis modis *volendi,* qui hic tanguntur, Seraphicus in anecdota quaestione disputata: *utrum stent simul Trinitas et summa necessitas*, haec habet: «Est voluntas *accedens,* i. e. de novo adveniens; et haec non est in Deo, nec respectu sui nec respectu creati propter Dei immutabilitatem et necessitatem. Est iterum voluntas *antecedens*; et haec est in Deo, sed non respectu sui, sed respectu creati, quod antecedit (supple ipse) natura et aeternitate. Est tertio voluntas *concomitans* et *acceptans;* et haec est in Deo respectu sui et respectu creati; approbat enim et acceptat voluntas divina omne bonum sive creatum sive increatum, sive contingens sive necessarium. Tripliciter ergo dicta necessitate et voluntate, tertius modus utriusque competit Trinitati summae, scilicet *voluntas acceptabilis* et *necessitas immutabilitatis:* voluntas, inquam, acceptans propter summam caritatem in producente et summam bonitatem in producto, quae duo necessario claudunt in se voluntatem complacentiae» etc.

II. Quoad processionem Spiritus sancti secundum rationem voluntatis cfr. infra d. 10. a. 1. q. 1. — Circa differentiam inter generationem et spirationem cfr. infra d. 26. q. 1. et ibi Scholion.

III. In conclusione doctores consentiunt: Alex. Hal., S. p. I. q. 42. m. 5. a. 1; et q. 43. m. 3. a. 2. — Scot., hic q. 1; Report., hic q. 1. 2. — S. Thom., hic q. 2; S. I. q. 41. a. 2. — B. Albert., hic a. 1. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic q. 2. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 2. — Durand., hic q. 2.

---

[1] Vat. absque auctoritate mss. et trium primarum edd. *vult esse Deus.*

[2] Ex antiquis mss. et ed. 1 supplevimus *a*, quod Vat. cum cod. cc hic et paulo post minus bene omittit. Mox loco *coniunctum* alii codd. ut A B D E F G H I X Z habent *communicans*, alii ut K L O P Q S T U W Y cum ed. 1 *concomitans*, sed falso, uti ex subnexis patet, ubi hoc membrum explicatur et ubi omnes codd. ponunt *coniunctum*. Codd. aa bb addunt *naturae.*

[3] Sequimur cod. I, qui *nec respectu creaturae* addit, quod tam in aliis mss. quam in Vat. deest, sed minus bene, ut ex contextu colligitur. Paulo infra ope plurium mss. ut G H Y aa bb ee ff et ed. 1 substituimus *aliquam* pro *aliam;* lectio certe praeferenda.

[4] Fide plurimorum mss. et ed. 1 posuimus hic et paulo infra bis *concomitante* loco *communicante*, quod minus congrue habetur in Vat.

[5] Addidimus ex vetustioribus mss. et ed. 1 *primum*, non bene omissum in Vat. et cod. cc.

[6] Matth. 17, 5. et II. Petri 1, 17. — In textu ex Epist. ad Coloss. 1, 13. desumto Vulgata et Vat. loco *caritatis* habent *dilectionis*, sed mss. et ed. 1 nec non August., XV. de Trin. c. 19. n. 37. stant pro lectione nostra.

[7] Vat. etiam hic *communicante cum natura* loco *concomitante*, sed obstat auctoritas plurimorum codd. et ed. 1. Paulo ante plerique codd. omittunt *ostendunt;* ed. 1 loco *ostendunt duae* ponit *dicunt.* — Post *ratio* supple: ostendit.

[8] Cap. 13. n. 22: Nostra vero scientia in rebus plurimis propterea et amissibilis est et receptibilis... Propter hoc, sicut nostra scientia illi scientiae Dei, sic et nostrum verbum, quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi Verbo Dei, quod natum est de Patris essentia.

[9] Cod. R addit *vero.*

[10] Revocamus ex vetustioribus mss. et ed. 1 in Vat. et cod. cc omissum *quod obiicitur* et paulo infra substituimus *coniunctione* loco *communicatione*. Circa finem solutionis cod. B *adminiculo* pro *adiuvante.*

QUÆSTIO III.

Utrum generatio Filii sit secundum rationem exemplaritatis.

Ultimo quaeritur, utrum generatio Filii a Patre sit secundum rationem *exemplaritatis*. Et quod sic, videtur hoc modo.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Super illud Psalmi [1]: *Semel locutus est Deus*, Glossa: « id est, Filium genuit, in quo omnia disposuit »; sed dispositio aeterna dicit rationem exemplaris: ergo si Filius procedit ut verbum, procedit per modum exemplaritatis.

2. Item, generatio Filii a Patre est similis productioni notitiae ex mente; [2] sed notitia procedit ex mente secundum rationem exemplaris, quia exemplar est ratio cognoscendi: ergo etc.

3. Item, quod est imago in producto, hoc est exemplar in producente; quando enim productum expresse repraesentat, imago dicitur. Similiter quando [3] producens expresse repraesentat, exemplar dicitur: ergo cum Filius procedat ut imago, eadem ratione per modum exemplaritatis.

4. Item, omne principium cognitivum rei producendae [4] producit secundum rationem exemplandi; sed Pater est principium Filii cognitivum: ergo producit Filium secundum rationem exemplaris. *Si dicas*, quod illud non sufficit, immo necesse est, quod exemplar et exemplatum differant in forma et natura; hoc nihil est, quia si homo, dum generat hominem, posset talem generare, qualem cogitat, tunc generatio illa non tantum esset secundum naturam, sed etiam secundum exemplar. Sed Pater omnino produxit Filium, ut scivit et voluit: ergo etc. *Si dicas*, quod nec illud sufficit, sed necesse est, exemplar praecedere; *obiicitur:* si Deus ab aeterno creasset mundum per impossibile, nihilominus mundus esset productus secundum rationem exemplaritatis.

Argg. pro negativa.

Contra: 1. In inferioribus agens per *naturam* et per *exemplar* ex opposito dividuntur, sicut natura et intellectus [5]: ergo *qui* producitur secundum naturam, non producitur secundum rationem exemplaris, sed Filius secundum naturam producitur a Patre: ergo etc.

2. Item, omne producens aliquid [6] secundum rationem exemplaritatis producit secundum rationem voluntatis; sed Pater, ut ostensum est supra, [7] non producit Filium per voluntatem: ergo etc.

3. Item, formae non est forma [8], ergo nec exemplaris exemplar; sed Filius est ars et exemplar omnium: ergo non habet exemplar in Patre: ergo non procedit secundum rationem exemplaritatis.

4. Item, quod est in alio secundum veritatem, non est in illo secundum exemplar [9]; sed Filius est in Patre secundum veritatem: ergo non secundum exemplar; sed quod non est in alio secundum exemplar, non procedit secundum rationem exemplaris: ergo etc.

CONCLUSIO.

Filius procedit a Patre sicut ratio exemplandi, non sicut exemplatum ab exemplari.

Duplex modus procedendi secundum voluntatem.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut procedere per modum *voluntatis* et liberalitatis est dupliciter — uno enim modo procedit per modum liberalitatis ipsum quod non est liberalitas, sed quod fit vel datur ex liberalitate; et sic creaturae procedunt a Deo; alio modo sicut illud [10] quod est ratio liberalitatis, ut amor; et sic procedit Spiritus sanctus ut amor, qui est donum, in quo omnia dona donantur — sic per modum *exemplaritatis* est procedere dupliciter. *Uno* modo sicut *exemplatum* proprie; et [11] sic creatura procedit *a Deo* tanquam exemplatum ab exemplari, et sic exemplar importat causalitatem formalem respectu exemplati. *Alio* modo dicitur procedere per modum exemplaritatis [12] sicut *ratio exemplandi.* Et sic videtur procedere ipse Filius, qui dicitur Verbum Patris,

Item secundum exemplaritatem.

---

[1] 61, 12. — Glossa apud Lyranum: Apud se semel (locutus est), quia unum Verbum genuit, per quod omnia facta et in quo simul omnia facta sunt. — Vat. cum cod. cc *disponit* loco *disposuit*, sed obstant ceteri codd. cum ed. 1.

[2] Cfr. Basil., II. contra Eunomium, circa medium, et Serm. super verba *In principio erat Verbum*, circa medium.

[3] Vat. contra multos codd. et ed. 1 *cum*. — De varia acceptione *exemplaris* et *imaginis* vide infra d. 31. p. II. a. 1. q. 1.; si *proprie* accipiuntur, tunc sunt termini correlativi, imago siquidem est in *producto* sive est similitudo producta, exemplar vero est id, ad cuius imitationem aliquid producitur; si vero *improprie* accipiuntur, tunc non raro unus terminus pro altero adhibetur.

[4] Mss. et ed. 1 hic *productae*, sed infra in responsione *producendae*.

[5] Vide supra d. 2. q. 4. fundam. 2. — Mox Vat. cum cod. cc, sed contra antiquiores codd. et ed. 1 *quod* loco *qui* et paulo infra *exemplaritatis* pro *exemplaris*.

[6] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *aliquid* loco *aliud*.

[7] Quaest. praeced.

[8] Cfr. Alan. ab Insulis, Theol. Regul., reg. 16.

[9] Cfr. supra d. 2. q. 1. fundam. 5. — Mox mutila lectio Vat. et cod. cc, in qua omittuntur verba *ergo non* usque ad *non procedit*, resarcitur ex aliis mss. et ed. 1.

[10] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 *id*.

[11] Supplevimus ex mss. FGHKSTY et ed. 1 *et*.

[12] Sequimur multos codd. ut FGHIKSTY etc. cum ed. 1 ponendo *exemplaritatis* pro *exemplantis;* lectio in textum recepta magis contextui correspondet. Paulo infra aliqui mss. cum ed. 1 *dicitur* loco *videtur*. Mox ope vetustiorum mss. et ed. 1 post *loquitur* adiecimus *Pater*.

quo non tantum se loquitur Pater, sed etiam cetera disponit. Unde Filius secundum Augustinum sexto de Trinitate[1] dicitur «ars plena omnium rationum viventium». Et hinc habet ortum illud quod consuevit dici, quod qui negat ideas esse, negat Filium

Conclusio 1. Dei esse. Et iste modus procedendi[2] secundum exemplaritatem non repugnat processui naturali, immo non potest esse nisi naturalis. Alius vero modus re-

Conclusio 2. pugnat processui naturali; est enim secundum voluntatis imperium, ita quod producens et productum differunt sicut causa et causatum, et unum secundum veritatem non est in alio.

De argg. pro negativa. Unde rationes inductae ad hanc partem procedunt secundum hanc viam et secundum hanc verum concludunt; secundum aliam vero nulla concludit, immo ad omnes solvendum[3] est per interemptionem.

De argg. pro parte affirmativa. Illae autem, quae obiiciuntur in contrarium, omnes procedunt secundum aliam viam, quia dicunt, quod[4] procedit per modum exemplaritatis, quod est *ratio exemplandi;* quod patet, quia sumuntur a ratione aeternae dispositionis, cognitionis et imaginis. Ultima vero ratio concludit, quod procedat per modum exemplaritatis, sicut *exemplatum,* et propterea solvenda est per interemptionem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omne principium rei producendae, si habet cognitionem, producit per exemplar; dicendum est, quod illud falsum est, nisi ratio cognitionis praecedat, ita quod habeat praecognitionem saltem secundum rationem causae ad effectum; quae ordinatio exigit essentialem diversitatem sive substantialem. Exemplatum enim, secundum quod exemplatum, non est in exemplante secundum veritatem, sed per similitudinem, quae, inquam, similitudo, cum sit ratio cognoscendi et exemplandi, dicitur exemplar. Procedit igitur Filius secundum rationem exemplaritatis, non sicut exemplatum per exemplar, sed sicut ipsum exemplar vel ratio exemplandi cetera. *Et si tu obiicias,* quod exemplar commune est toti Trinitati, respondet ad hoc Altissiodorensis in quaestione[5] de mundo archetypo sive de ideis, quod idea sive mundus archetypus non tantum appropriatum est ipsi Filio, verum etiam proprium.

Solvitur arg. 4. pro parte affirmativa. — Replica. — Solutio Altissiodorensis.

Vel aliter potest dici, quod[6] secundum quod exemplar dicit rationem cognoscendi, sic commune est toti Trinitati et appropriatur Filio, sicut sapientia. Secundum vero quod ultra hoc dicit rationem emanandi, sic est proprium Filii; et sic importatur per hoc nomen *Verbum,* ut melius patebit infra[7]. Alia solutio.

SCHOLION.

Sensus huius quaestionis est, utrum Filius producatur secundum modum *exemplaritatis,* sicut creaturae. — Paucos ex antiquis Scholasticis invenimus explicite tractantes hanc quaestionem, nempe Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richar. a Med., hic q. 4. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista circa litteram dubitatur de ratione Augustini ad Orosium, quod *nec voluntate nec necessitate, quia necessitas in Deo non est* etc. Videtur enim sufficiens[8] divisio. Omne enim quod Deus facit, aut facit *naturaliter,* et sic necessario, aut *voluntarie: ergo* etc. *Si tu dicas,* quod ipse respondet ad intellectum haeretici, et haereticus intelligit de voluntate antecedente et necessitate inevitabilitatis; *obiicitur,* quod oratio nihilominus in se est multiplex. Sed qui respondet orationi multiplici simpliciter affirmando

---

[1] Cap. 10. n. 11: Ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium. S. Thomas, QQ. disp. de Ver. q. 3. a. 1 proxime sequentem propositionem ita exhibet: Augustinus dicit in libro de Civ. Dei: Qui negat ideas esse infidelis est, quia negat Filium esse.

[2] Vat. praeter fidem mss. et sex primarum edd. *ille modus producendi,* sed minus iuste.

[3] Vat. *respondendum,* sed obstant mss. cum edd. 1, 2, 3, 6.

[4] Supple cum codd. IZ *Filius.* Mox ex antiquis mss. et ed. 1 substituimus *per* loco *secundum.* Paulo infra ed. 1 satis bene *prout est* pro *quod est.* Dein multi codd. cum ed. 1 *sunt* loco *sumuntur.* Mox codd. L O post *imaginis* addunt *et hae sunt primae rationes.*

[5] Adiecimus auctoritate antiquiorum mss. et ed. 1 *in quaestione.* — Iste locus invenitur in Summa dicti auctoris In fine libr. I., quae Summa fertur impressa Parisiis 1500. Haec pluries exstat manuscripta in biblioth. Laurentiana Florentiae. Ibi in cod. (11. plut. sin. VII.) sub rubrica: de Creatione mundi, legitur: « Dicimus, quod exemplar sive idea dicitur de Filio Dei et *proprie* et *appropriate*... Sed quia dispositio ad sapientiam pertinet, per *appropriationem* potest dici de Filio, quod sit exemplar vel idea rerum. Sed secundum quod ipse dicitur proprie Imago Patris eadem ratione, qua ipse est Verbum, et in illa Imagine per dictam rationem relucent omnia: et secundum hoc *proprie* dicitur ipse idea vel exemplar rerum » etc. Paulo post sequitur: « Secundo quaeritur, utrum Filius Dei sit mundus archetypus »; ad quod respondet: « Unde Filius Dei quodam modo est mundus archetypus *appropriate,* quodam modo *proprie,* ut dictum est de exemplari ».

[6] Vat. cum cod. cc *quia,* sed minus bene et contra alios codd. cum ed. 1.

[7] Dist. 27. p. II. praecipue q. 3.

[8] Multi codd. ut DFKSTVW etc. cum sex primis edd. *insufficiens,* cuius lectionis sensus potest esse: videtur, quod divisio in *responsione* Augustini (ad bimembrem quaestionem Orosii: *Voluntate genuit vel necessitate)* contenta, in qua scilicet tertium membrum additur *nec necessitate nec voluntate,* sit insufficiens, i. e. *non bona,* quia divisio Orosii est sufficiens i. e. *adaequata.*

vel negando, male respondet, secundum quod dicit Philosophus[1]: ergo, etc.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus respondet secundum intellectum haeretici. Quamvis autem oratio in se sit multiplex, quia tamen haereticus in uno sensu eam accipit, iam multiplicitas illa non faceret[2] ad solvendum, quia non procedit secundum illam. Sed distinctio propositionis multiplicis, quando secundum illam multiplicitatem non cadit deceptio, magis est ad ostentationem quam ad veram responsionem.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Dicamus, Verbum Dei esse Filium Dei natura, non voluntate.* Videtur enim bene dicere, quia Pater alio est Deus, alio est Pater, quia deitate est Deus, et paternitate est Pater, ut dicit Augustinus[3]. Sed Filius est Deus natura deitatis: ergo hac non dicetur Filius, sed ipsa filiatione.

Respondeo: Dicendum, quod ille ablativus potest construi formaliter; et sic falsa est, quia *formaliter* alio est Deus, scilicet natura, et alio Filius[4]. Potest iterum construi *originaliter* et in ratione principii; et sic vera est, et est sensus, quod Filius ortum habet a Patre naturaliter.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Acute sane quidam respondit,* quia Augustinus commendat istam solutionem, quae non est commendanda, quia multiplicare inconveniens non est solvere[5].

Respondeo: Dicendum, quod est solutio *ad hominem* et est solutio *ad orationem*[6]; et aliquando melius et utilius est solvere ad hominem quam ad orationem, ut puta, quando respondens est discolus et non vult intelligere veritatem, et quando assistentes sunt simplices et non possunt capere veritatem et subtilitatem. Ideo quia haereticus veritatem respuebat et adversabatur, idcirco adversanti erat adversandum, et tali modo, quo magis privaretur gloria et assistentes fallacia. Ideo commendat istam responsionem Augustinus, quia[7] manifeste opponentem sua quaestione ligavit. Hunc modum respondendi docuit Dominus Matthaei vigesimo primo[8], ubi dixit: *Baptismus Ioannis de caelo erat, an ex hominibus* etc.

(Solutio ad hominem.)

Item quaeritur, cum non sit responsum ad orationem, quomodo respondendum sit. Videtur enim[9], quod divisio haeretici sit per immediata, quia *velle* et *nolle* opponuntur contradictorie, inter quae non cadit medium. Et dicendum ad hoc, quod haereticus quaerit hoc de voluntate accedente sive de antecedente; et tunc neutra pars est vera, nec sunt membra opposita contradictorie, sed contrarie. Nolle enim et velle dicunt actus voluntatis contrarios, inter quos cadit medium. Aliquid enim est, respectu cuius voluntas nec[10] habet rationem causae nec repugnantiae; et ita patet illud.

(Quaeritur de solutione directa.)

Dub. IV.

Item quaeritur de solutione Magistri. Videtur enim falsum dicere, cum dicit: *Scientia Dei et praescientia de bonis et malis est.* Dicit enim Glossa super illud Psalmi[11]: *Quae ignorabam; interrogabant me* etc.: «Ars nescit vitium»; sed in Deo est ars artium, ergo etc. *Si dicas,* quod nescit per modum practicum, sed scit per modum speculationis[12]; *contra:* solum illud scit hoc modo, quod in eo relucet; sed in Deo non relucent mala: ergo etc.

Item, non videtur Magister solvere ad argumentum; multiplicare enim inconveniens non est solvere.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut infra dicetur[13], Deus cognoscit mala per se ipsum, sicut rectum iudicat de obliquo et lux de tenebra; nec oportet, quod in Deo luceat malum, sed sufficit, quod luceat in eo mali oppositum.

---

[1] Libr. II. Elench. c. 2. (c. 17.) iuxta translationem Boethii: Manifestum, quoniam nulli eorum quae aequivoca sunt, convenit respondere simpliciter.

[2] Nonnulli codd. ut ARTU *fuerat.*

[3] Libr. VII. de Trin. c. 1. n. 1. et c. 6. n. 11. et Serm. 1. in Psalm. 68. n. 5, ubi sententialiter habetur. Cfr. infra Magister, d. XXXIII. in fine. — Substituimus fide mss. et ed. 1 bis *deitate* loco *divinitatis,* quod et magis correspondet verbis Augustini in loc. cit. et modo loquendi Seraphici, de quo vide infra d. 15. p. II. dub. 6.

[4] Cod. X addit *scilicet filiatione,* quae verba a cod. I non hic, sed paulo infra post *sensus* adiiciuntur. Mox ex multis mss. ut AGHKSTYZ etc. et ed. 1 posuimus *quod* loco *quia.* — Plura de hoc dubio vide supra q. 2. et infra d. 33. q. 2. et dub. 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. — Richard., hic q. 3.

[5] Cfr. Aristot., VIII. Topic. c. 4. in princ. (c. 8.) — Paulo ante plures codd. SVWXY dd cum ed. 1 *videtur* loco *est.*

[6] Vat. absque auctoritate mss. et sex primarum edd. hic et paulo infra ter *rationem* pro *orationem.* Cfr. Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.), ubi secundum translationem Boethii, qui pro λόγος semper ponit *oratio,* sic habetur: Hi omnes non ad orationem, sed ad hominem solvunt.

[7] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 *quod* pro *quia,* et paulo infra post *Hunc* male addit *ergo.*

[8] Vers. 25. — Vat. praeter fidem mss. *cum* pro *ubi.*

[9] Supplevimus ex mss. et edd. 1, 6 *enim,* et paulo infra post *quaerit* addidimus *hoc.*

[10] Vat. cum uno alterove cod. *non.*

[11] 34, 11. Glossa interlin. ex Augustino apud Lyranum: Sicut ars vitium, quod per artem cognitum devitatur. — Vide August. in hunc Psalm. Serm. 2. n. 2. — Paulo infra post *artium* cod. G addit *et scientia scientiarum.*

[12] Corrupta lectio Vat. et codd. *sed speculationis* resarcitur ex cod. X, qui post *sed* addit *scit per modum.*

[13] Dist. 39. a. 1. q. 1. et 2. — Vat. hic *dicitur* loco *dicetur,* et paulo infra post *cognoscit* addit *bona in se ipso et,* non quidem falso, sed contra mss. et minus ad rem, quia tota obiectio est solum de cognitione *malorum.* — De propositione immediate sequente Aristot., I. de Anima, text. 85. (c.

Ad illud quod obiicitur de solutione Magistri, dicendum, quod solutionem non ponit, sed innuit contra arguendo, quasi dicat: ex illo unum[1] non potest inferri ex altero, quia quamvis sint idem in essentia, tamen diversa sunt connotata.

DUB. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit[2] in notula: quod *sancta Ecclesia anathematizat eos qui dicunt, Deum non generasse consilio.* Videtur enim contradicere Damasceno[3] dicenti, quod in Deo non est *consilium*, quia consilium est ignorantis naturae.

RESPONDEO: Dicendum, quod *consilium*[4] dicitur dupliciter: uno modo dicitur *consulere* accipere consilium; et sic dicit ignorantiam et similiter *consilium*, dictum ab hoc; alio modo *consulere* dicitur dare consilium, et hoc modo dicit scientiam, et hoc[5] potest transferri ad divina. Deus enim nullo modo accipit consilium aliunde. Unde notandum, quod in consilio duo sunt: est ibi *cognitio* rei occultae, et est ibi *dispositio* firma. Quoniam ergo in Deo est verissima cognitio occultorum et invariabilitas, ideo recte dicitur, in ipso esse consilium. Unde Gregorius[6]: « Deus mutat sententiam, sed non consilium ».

DISTINCTIO VII.

CAP. I.

Utrum Pater potuerit vel voluerit gignere Filium.

Hic solet quaeri a quibusdam, utrum Pater potuerit vel voluerit generare Filium. Si enim, inquiunt, potuit et[1] voluit generare Filium: ergo potuit aliquid et voluit, quod nec potuit nec voluit Filius; nam Filius nec potuit nec voluit generare Filium. Cui versutiae facile respondemus dicentes: posse vel velle generare Filium non est aliquid posse vel velle subiectum[2] voluntati vel potentiae. Est tamen aliqua potentia vel voluntas, scilicet posse vel velle gignere Filium; et ideo distinguenda est intelligentia propositi verbi: posse vel velle gignere Filium est[3] posse vel velle aliquid. Neque enim generatio Filii aliquid eorum est, quae subiecta sunt divinae potentiae et voluntati, nec est aliquid inter omnia vel de omnibus, sed super omnia et ante omnia. Non enim ante voluit vel potuit, quam genuit; sicut nec ante fuit, quam genuit, quia[4] ab aeterno fuit et ab aeterno genuit. Ex simili quoque hoc videre possumus. Pater enim potest esse Pater et vult esse Pater; Filius autem nec[5] potest nec vult esse Pater: ergo Pater potest vel vult esse aliquid, quod non potest vel vult esse Filius. Non sequitur, quia esse Patrem non est esse aliquid, sed est esse ad aliquid, ut in sequenti ostendetur.[6]

Sed vehementer nos movet quod ait Augustinus in secundo libro contra Maximinum[7], qui asserebat Patrem potentiorem Filio, eo quod Filium genuit Deum creatorem, Filius autem non; dicebatque Patrem potuisse gignere non Filium; et ideo potentiorem esse Filio. Ad quod respondens Augustinus dicere videtur, quod Filius etiam potuit gignere, volens ostendere, Patrem non esse potentiorem Filio, his verbis: « Absit, ut ideo potentior sit Pater Filio, sicut putas, quia Creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit Creatorem; neque enim non potuit, sed non oportuit ». Vide et diligenter attende haec verba: non enim non potuit, sed non oportuit. Videtur enim dicere, quod Filius potuit gignere, sed non oportuit; et ita potuit quod non oportuit. Quare autem non oportuit, subdit dicens: « Immoderata enim esset divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia et ipse nepos, nisi avo suo pronepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur. Similiter etiam ille, si nepotem non gigneret avo suo et pronepotem proavo suo, non a vobis appellaretur omnipotens; nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasceretur; nec eam perficeret ullus, si non sufficeret unus omnipotens. Itaque omnipotentem genuit Filium Patris natura, non fecit ».

Hoc autem non videtur quibusdam posse stare, scilicet quod Filius potuerit gignere. Si enim Filius potuit[8] gignere, potuit esse pater; et si potuit esse pater, ergo potuit esse pater vel sui, vel Patris, vel Spiritus san-

---

ult.): « Recto enim et ipsum et obliquum cognoscimus. Iudex enim utrorumque canon est recto ». Ultima verba in translatione arabico-latina sic sonant: Regula enim iudicat utrumque per suam rectitudinem (ed. Venet. 1489).

[1] Lectio confusa Vat. *quasi dicat ex eo quod est ex illo*, *idem* restauratur ope mss. et edd. 1, 2, 3.

[2] Praeter fidem mss. et ed. 1 addit hic Vat. *Hilarius* et post *notula* adiungit *circa istum* § *Praedicta tamen*, insuper in ipso textu ponit *generare* loco *generasse*.

[3] Libr. II. de Fide orthod. c. 22. circa medium: Deus quippe non deliberat, quia ignorantis est consilium inire. — Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 *quia* loco *quod*. Aliqui codd. ut aa bb ff cum ed. 1 *consiliari* pro *consilium*.

[4] Cod. dd addit *aut consulere*. Paulo infra nonnulli codd. ut C I S V aa cc cum quinque primis edd. *ad hoc* pro *ab hoc*.

[5] In Vat. et cod. cc desideratur *hoc*.

[6] Libr. XVI. Moral. c. 10: Deus etsi plerumque mutat sententiam, consilium nunquam.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Vat. *vel*, sed contra codd. et edd. 1, 6, 8.

[2] Supple cum cod. A *divinae*.

[3] Vat. contra codd. et edd. 1, 8 *et*. Paulo ante codd. A B C E cum edd. 1, 3, 7 *praepositi* loco *propositi*.

[4] Edd. 1, 2, 8 addunt *et*.

[5] Vat. cum edd. 4, 6 *non*.

[6] Dist. XXVIII. c. 5. — Paulo ante codd. A B C E et ed. 1 omittunt propositionem *sed est esse ad aliquid*, quam edd. 2, 3, 5, 6, 9, 10 sic exhibent: *sed potest esse ad aliquid*.

[7] Cap. 12. n. 2. — Mox Vat., repugnantibus codd. et edd. 1, 8, post *potentiorem* addit *esse*. Dein cod. C bene *genuerit* loco *genuit*.

[8] Edd. 2, 3, 7, 9, 10 *potuerit*.

cti, vel alicuius alius. Sed[1] alius non, quia nullus alius semper fuit; nec Patris, quia Pater est ingenitus et innascibilis; nec sui, « quia nulla res se ipsam gignere potest »; nec Spiritus sancti, quia nasci non potuit. Si enim nasci potuit, potuit esse filius, et ita mutabilis esse potuit.

Quomodo ergo accipietur[2] quod supra dictum est: non enim non potuit gignere, sed non oportuit, quasi potuit, sed non oportuit? Non est nobis perspicuum aperire, quomodo sit hoc verum, et ideo sub silentio potius esset praetereundum, nisi me super hoc aliquid loqui cogeret instantia quaerentium.

Potest ergo sic intelligi: non enim non[3] potuit, sed non oportuit, id est, non ex impotentia sui fuit, quod Filius non genuit, sed ei non conveniebat, sicut Deus Filius non est Deus Pater; nec tamen hoc ex impotentia sui est. Nam et Pater similiter non est Filius, nec hoc est ex impotentia Patris. Sed quaerit Maximinus, Arianorum Episcopus: unde ergo est, quod Pater non potest esse Filius, vel Filius Pater? Non utique ex impotentia, sed Pater[4] proprietate generationis Pater est, qua oportet eum non esse Filium, et Filius proprietate nativitatis Filius est, qua oportet eum non esse Patrem. De quibus proprietatibus postea plenius tractabitur.[5]

Cap. II.

An posse gignere Filium sit aliqua potentia in Patre, quae non sit in Filio.

Item quaeritur a quibusdam, si Pater potens sit natura gignere Filium, et an haec[6] sit aliqua potentia, quae sit in Filio. Ad quod dicimus, quod Pater non est potens nisi natura; eius enim potentia natura est vel essentia. At inquiunt illi, si potens est gignere, habet ergo potentiam gignendi; Filius autem non habet potentiam gignendi, si non potest gignere: habet ergo Pater aliquam potentiam, quam non habet Filius. Non sequitur. Eandem enim potentiam penitus habet Filius quam et Pater, qua Pater potuit gignere, et Filius potuit gigni. Eadem enim potentia est in Filio, qua potuit gigni, quae est in Patre, qua potuit gignere. Sed contra hoc opponitur: aliud est posse gignere, aliud est posse gigni; quia aliud est gignere[7], aliud gigni. Hic distinguendum est. Si enim, cum dicitur: aliud est posse gignere, aliud posse gigni, aliam significes[8] potentiam, qua Pater potens est gignere, et aliam, qua Filius potens est gigni, falsus est intellectus. Si autem dicas, Patrem posse habere aliam proprietatem sive notionem, qua genitor est; et Filium aliam, qua genitus est, verus est intellectus. Aliam enim habet Pater proprietatem, qua Pater est, aliam Filius, qua Filius est.

Ita etiam, cum dicitur: Filius non habet potentiam generandi, quam habet Pater, dupliciter intelligi potest. Si enim dicatur: Filius non habet potentiam generandi quam et Pater, id est[9], qua potens sit ad generandum, id est, ut genuerit, vel ut generet sicut Pater, verum est. Si vero intelligatur sic: non habet potentiam, qua possit gigni vel genitus esse, qua eadem Pater potens est, ut genuerit vel ut generet, falsum est; sicut dicitur: Pater habet potentiam, qua potest esse Pater; Filius vero non habet potentiam, qua possit esse Pater; et e converso, Filius habet potentiam, qua potest esse Filius, Pater vero non habet potentiam, qua possit esse Filius[10]: habet ergo aliquam Pater, quam non habet Filius, et e converso. Absit; quia eadem est potentia Patris, qua potest esse Pater, et Filii, qua potest esse Filius. Ita etiam eadem est voluntas, qua Pater vult esse Pater, non Filius, et Filius vult esse Filius, non Pater: et eadem est voluntas Filii, qua vult esse genitus, et Patrem genuisse; et Patris, qua vult esse genitor, et Filium genitum esse[11].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VII.

De comparatione potentiae generandi ad personam.

Hic solet quaeri, utrum Pater potuerit vel voluerit etc.

DIVISIO TEXTUS.

In praesenti distinctione ponit Magister dubitationem ex comparatione potentiae generandi ad personam, utrum scilicet, sicut est in persona Patris, ita sit in persona Filii. Et habet haec pars duas: in *prima* Magister quaerit et determinat, utrum Filius possit generare; in *secunda*, utrum potentia generandi sit in Filio, ibi: *Item quaeritur a quibusdam, si Pater potens sit* etc.

Item *prima* pars habet quatuor particulas. In *prima* movet quaestionem, utrum posse et velle

---

[1] Vat. contra codd. et edd. 1, 3, 5, 6, 7, 8 hic repetit *alicuius*.
[2] Vat. cum edd. 4, 5, 6 *accipiatur*.
[3] Mendum Vat. omittentis *non* castigatur ex codd. et edd. 1, 2, 3, 5, 6, 8, 9, 10. Paulo ante cod. D *Potest autem* loco *Potest ergo*.
[4] Codd. hic repetunt *ex*.
[5] Dist. XXVI.
[6] Vat. contra codd. et edd. 2, 3, 5, 9, 10 *hoc*. Mox post *quae* fide codd. et edd. 1, 3, 5, 6, 8 expunximus in Vat. additum *non*. Paulo infra post *dicimus quod* codd. et edd. 1, 8 omittunt *Pater*.
[7] Vat., repugnantibus codd. et edd. 1, 2, 9, 10, addit *et*.
[8] Vat. cum edd. 4, 6, 8 *significas*. Paulo supra post *posse gignere* codd. ADE addunt *et*.
[9] Vat. contra codd. et edd. 1, 8 *scilicet*.
[10] Vat. cum ed. 4 indebite omittit *Pater vero non habet potentiam, qua possit esse Filius*.
[11] In codd. BDE et ed. 1 deest *esse*.

generare similiter comparentur ad personam Patris et Filii. *Secundo,* opponit contra solutionem per auctoritatem Augustini, ibi: *Sed vehementer nos movet, quod Augustinus* etc. *Tertio,* opponit contra praedictam auctoritatem per rationem, ibi: *Hoc autem non videtur quibusdam. Quarto,* redit supra auctoritatem, exponens ipsam [1], ibi: *Quomodo ergo accipitur quod supra dictum est.*

Item quaeritur a quibusdam, si Pater etc. Haec est [2] *secunda* pars huius distinctionis, in qua quaerit Magister, utrum potentia generandi sit in Filio, et haec pars habet duas particulas. *Primo,* quaerit et determinat hanc quaestionem, utrum aliqua potentia sit in Patre, quae non sit in Filio. *Si enim Pater natura potens est generare Filium, et Filius non, patet* etc. Et [3] ad hanc quaestionem respondet Magister, quod omnino eadem est potentia in Patre et Filio. Sed quia hoc erat dubium, ideo opponit contra praedictam solutionem et determinat per distinctionem. *Secundo,* respondet ad primam quaestionem distinguendo, utrum scilicet Filius habeat potentiam generandi, ibi: *Ita etiam cum dicitur, Filius non habet* etc. Si enim intelligatur active, falsus est intellectus, scilicet quod Filius possit generare. Si vero intelligatur [4] passive, scilicet quod habeat potentiam, qua possit generari, vera est. Et fundatur ista distinctio secundum aliquos super hoc, quod ly *generandi* potest intelligi in significatione passiva, vel activa. Si in passiva, tunc vera est; et est sensus: Filius habet potentiam generandi, id est potentiam, qua generatur. Si [5] in activa, hoc potest esse dupliciter, quia potest esse gerundium verbi *personalis*, et tunc habet suppositum determinatum et est falsa; est enim sensus: Filius habet etc. id est, Filius habet potentiam, qua ipse Filius generat; vel *impersonalis;* et tunc non habet certum suppositum et est locutio vera; est enim sensus: Filius habet potentiam generandi, id est, habet potentiam, qua aliquis generat [6], tamen hunc sensum non ponit Magister.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad evidentiam eorum quae dicit Magister de potentia generandi, quatuor quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum posse generare in divinis dicat *quid,* vel *ad aliquid.*

Secundo, utrum Pater communicet Filio [7] potentiam generandi, id est, utrum in Filio sit potentia generandi.

Tertio, utrum posse generare et creare sit unicum posse, vel non.

Quarto, utrum posse generari et creari sit posse univocum [8].

QUÆSTIO I.

Utrum potentia generandi dicat aliquid absolutum, vel relativum.

Circa primum, quod posse generare dicat *quid,* ostenditur:

Argg. quod dicat essentiam.

1. Primo per *auctoritatem* Magistri in littera [9]: « Pater non est potens nisi natura, eiusque potentia natura est vel essentia »; sed natura et potentia dicunt *quid,* non *ad aliquid:* ergo et potentia generandi.

2. Item, *ratione* ostenditur sic: generare est sibi simile in natura producere; sed secundum Philosophum [10] « natura est vis insita rebus similia ex similibus procreans »: ergo vis generandi respicit ipsam naturam sive essentiam de se, non personam; sed omne tale dicit *quid:* ergo etc.

3. Item, « in perpetuis non differt *esse* et *posse* » : ergo multo fortius in aeternis; ergo idem

---

1 Ex vetustioribus mss. et ed. 1 supplevimus *ipsam.*

2 Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1, omittendo verba: *Item quaeritur a quibusdam, si Pater* etc. *Haec est,* mutat constructionem, quia postea eliminat verba *et haec pars.* Mox codd. cum ed. 1 *tres* loco *duas,* sed falso.

3 Ex mss. X Y bb et ed. 1 adiecimus *Et,* pro quo plurimi codd. non ita bene *Sed;* cod. Q vero *Secundo* et paulo infra *tertio* pro *secundo,* at falso, uti inspicienti textum Magistri et verba Bonaventurae patet.

4 Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *intelligatur* pro *intelligitur* et mox *habeat* loco *habet* et paulo infra *ista* pro *illa* ac *aliquos* loco *alios.*

5 Vat. *Sed,* et paulo post omittit *hoc* contra vetustiores codd. et ed. 1, qui et pro *gerundium* ponunt *gerundivum.*

6 Cod. O glossando addit: *scilicet Pater, quia eadem est potentia in Patre et in Filio ad hoc ut generetur, nec tamen ex hoc sequitur, quod Filius generat, sed ex hoc sequitur, quod aliquis generat.*

7 Ope mss. et ed. 1 restituimus omissum *Filio.*

8 Mendum Vat. fide mss. correximus substituendo *univocum* pro *unicum.*

9 Cap. 2. in initio. — Mox Vat. contra multos codd. ut A G H I S T V Y Z bb ff et ed. 1 *quia eius* pro *eiusque* et in propositione minore contra omnes codd. et ed. 1 *et essentia* loco *et potentia.*

10 Aristot., I. Magnor. Moral. c. 10. ait: Omnis natura eius est essentiae procreatrix, qualis ipsa est. Cfr. V. Metaph. text. 5. (IV. c. 4.). — Vat. (cui consentit Richard. a Med., hic q. 1.) contra mss. et edd. 1, 2, 3 ponit *Isaac* (in eius libro de definitionibus haec non inveniuntur) pro *Philosophus.* — B. Albert., I. Sent. d. 4. a. 2. et S. p. I. q. 30. m. 1. hanc definitionem attribuit Boethio, editores autem operum Henrici Gandav. Grammatico. Auctor libri de Spiritu et anima, c. 42. dicit: Natura siquidem est quaedam vis et potentia divinitus rebus creandis insita, quae unicuique rei suum esse tribuit.

est esse et posse [1], et potentia et essentia; sed esse et essentia in divinis dicunt *quid*, non *ad aliquid*, sive per se dicatur, sive cum adiuncto; unde essentia Patris dicit *quid:* ergo pari ratione potentia generandi.

4. Item, in divinis idem est secundum rem *posse scire* et *velle;* sed non est in divinis scientia propria sive *ad aliquid* [2], immo scientia dicit *quid* et est trium, similiter et voluntas: ergo potentia generandi dicit *quid* sive essentiam.

Argg. quod dicat relationem.

Sed contra: 1. Magister dicit in littera, et habetur primo capitulo [3]: Posse generare non est posse aliquid, ergo non dicit *quid;* et dicit *quid* vel *ad aliquid:* ergo etc.

2. Item, ratione ostenditur sic: potentiae distinguuntur per actus [4]: ergo si *actus* potentiae dicit *quid*, et *potentia;* et si dicit *ad aliquid*, tunc et potentia similiter. Sed constat quod *generare* in divinis non dicit *quid*, sed *ad aliquid:* ergo nec *posse* generare.

3. Item, quamvis in creaturis differant virtus et operatio, tamen in Deo idem sunt, sicut vult Dionysius [5]: ergo in Deo idem est *posse generare* et *generare;* sed *generare* in divinis dicit *ad aliquid* et non *quid:* ergo similiter *posse.*

4. Item, Pater generat et potest generare: aut ergo ideo potest, quia generat; aut ideo generat, quia potest. Constat quod non ideo potest generare, quia generat: ergo ideo generat, quia potest generare [6]. Si ergo ratio proprii debet esse propria, ergo potentia generandi debet esse propria; et nihil est proprium in divinis, nisi quod dicit *ad aliquid:* ergo etc.

5. Item, omnis potentia activa, quae inest creaturae, inest secundum aliquas conditiones sive [7] proprietates, ut patet. Posse enim illuminare inest luminoso per lucem, posse calefacere calido per caliditatem. Quamvis autem potentia generandi non sit activa, tamen activae similis est: ergo cum insit Patri, inest per aliquam proprietatem; illa autem proprietas aut dicit *quid*, aut *ad aliquid.* Si *quid:* ergo [8] inest omnibus personis, et ita posse generare, quod manifeste negat Magister: ergo dicit *ad aliquid:* ergo et potentia, quae inest secundum illam: ergo etc.

CONCLUSIO.

Inter tres de hac re opiniones videtur probabilior ea quae asserit, potentiam generandi significare tam relationem quam substantiam, sed in recto relationem.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc problema tres fuerunt positiones.

Fuerunt [9] quidam, qui distinxerunt potentiam generandi dicentes, quod potentia generandi potest dici potentia *nuda*, vel potentia *disposita.* Si dicatur potentia *nuda*, sic voluerunt [10] dicere, quod dicit *quid* et in omnibus *tribus* personis est, quoniam haec potentia sic dicta consequitur naturam; unde cum natura sit in qualibet persona, similiter et potentia huiusmodi. Secundum autem quod dicit potentiam *dispositam*, quia non habet dispositionem nec convenientiam, ut exeat in actum generationis nisi in sola persona Patris, voluerunt dicere, quod dicit *ad aliquid.* Opinio 1.

Sed verba istius positionis non videntur *vera* nec *sana.* Non, inquam, *vera*, quoniam cuius potentia est nuda, nata est pariter esse disposita; si ergo trium [11] est potentia generandi, ut est potentia nuda, similiter et disposita; et ita quaelibet posset generare. Praeterea non videtur *sana:* ponere enim potentiam nudam, quae similiter se habet ad esse et non esse respectu generationis, quam omnino necessarium est esse, non videtur sane dictum esse sive proprie. Reprobatur.

Fuerunt etiam alii, qui dixerunt, quod cum in divinis sit idem posse et esse, et potentia et essentia, quod, quemadmodum potentia et essentia dicunt *quid*, similiter esse et posse. Et quemadmodum, cum dico essentiam Patris et essentiam Filii et Spiritus sancti, sive esse Patrem [12], esse Filium, esse Spiritum sanctum, non dico aliam essentiam nec aliud esse, sed alterius et alterius; ita quando dico potentiam Patris, sive Patrem posse generare et Filium posse Opinio 2.

---

[1] Mutila Vat. et cod. cc lectio, in qua omittuntur verba *ergo multo* usque ad *et potentia*, restauratur ex antiquioribus mss. et ed. 1. — De prima huius argumenti propositione vide supra d. 2. q. 1. argum. 1. ad opp.

[2] Vat. cum pluribus codd. ut HIKSUXYZ bb ff et ed. 1 post *propria* addit *vel voluntas propria* et post *sive* Vat. sola adiungit *scientia et voluntas;* praeferimus tamen lectionem aliorum mss. ut ACFGLORT etc., quae et contextu probatur, quia secus superflue postea poneretur *similiter et voluntas.*

[3] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *post initium* loco *et habetur primo capitulo.* Mox Vat. male et contradicentibus mss. omittit *et dicit quid vel;* pauci codd. ut I cc pro *et* satis bene *sed.*

[4] Communiter allegatur hac de re Aristot., II. de Anima, text. 33. (c. 4.): Priores enim potentiis actus et operationes secundum rationem sunt; si autem sic, his adhuc priora opposita (i. e. obiecta). — Mox mutilam lectionem Vat. et cod. cc, in qua omittitur *et potentia; et si dicit ad aliquid, tunc* redintegramus ope ceterorum mss. et ed. 1.

[5] Libr. de Caelest. Hierarch. c. 11. et de Div. Nom. c. 4. § 1.

[6] Postulantibus mss. et ed. 1, pro *sed e converso* posuimus *ergo ideo generat, quia potest generare.*

[7] Vat. cum cod. cc *et* loco *sive*, sed contra antiquiores codd. et ed. 1.

[8] Ex vetustioribus mss. et ed. 1 supplevimus *ergo.*

[9] Ed. 1 cum uno alterove cod. addit *enim.*

[10] Faventibus antiquis mss. et ed. 1, expunximus hic male additum *aliqui* moxque post *omnibus* adiecimus *tribus.*

[11] Cod. H satis bene addit *personarum.*

[12] Vat. hic et post *Filium* contra plurimos codd. et ed. 1 adiicit *sive* et paulo infra contra antiquiores codd. et ed. 1 omittit *et alterius* necnon post *generare* particulam *et.*

gigni, non dico aliud et aliud posse, sed alterius. Et huius positionis fuit Magister, sicut evidenter apparet in littera[1]. Unde isti dicebant, quod posse generare dicit *quid,* sed secundum respectum *ad aliquid,* quia est essentiale tractum ad personam. Cum enim non sit omnimodae abstractionis, potest ad personam trahi.

Iudicatur probabilis. Et ista positio Magistri[2] satis est probabilis et satis bene videtur sustineri posse.

Tertia opinio. Fuerunt etiam tertii[3] moderniores, qui dixerunt, quod potentia generandi dicit *ad aliquid* in divinis de se. Et ratio eorum est, quoniam potentia dicit habitudinem originalis principii ad principiatum. Et quoniam habitudo potest esse personae ad personam, et tunc vere est habitudo; et essentiae ad creaturam, et tunc secundum modum dicendi sive intelligendi: hinc est, quod principium de sui ratione non tantum est essentiale[4] appropriatum per additionem, immo etiam dicit proprium personae. Pari ratione, cum potentia dicat originalem habitudinem, non tantum essentialem, non solum[5] dicitur vel trahitur ad personam, ut dicat essentiam personaliter, immo dicit proprium, et ita *ad aliquid* de se.

Iudicatur probabilior. Et positio ista sine praeiudicio videtur probabilior. Nam potentia generandi non videtur dicere nisi fecunditatem ad actum generationis; et illa est proprium personae, unde similiter et potentia[6]. Nec est simile de *posse* et *esse* nisi uno modo. Hoc enim verbum *est* aliquando *per se* praedicatur, aliquando est *tertium adiacens.* Quando *per se* dicitur, tunc dicit actum absolutum, quia dicit actum entis ratione essentiae; et tunc oportet, quod dicatur absolute et quod dicat *quid.* Quando vero est *tertium adiacens,* ut cum dicitur Pater est Deus[7], Pater est Pater, tunc hoc verbum *est* dicit habitudinem praedicati ad subiectum. Et quoniam potest dicere habitudinem ad praedicatum essentiale vel personale, ideo potest dicere esse essentiale et modum essendi personalem. *Posse* autem de sui ratione propria dicit habitudinem secundum originem; et hinc est, quod specificatur per adiunctum, ut dicat conditionem principii essentialis, vel personalis. Hanc ergo positionem sustinendo respondeo[8] argumentis probantibus, quod dicit *quid.*

Solvuntur arg. pro sententia Magistri. 1. Quod enim primum obiicitur, patet: concedo enim, Magistrum fuisse huius positionis. Unde dixerunt, quod eadem potentia potest Filius gigni, qua Pater potest gignere; quod non esset[9], nisi potentia diceret *quid.* Unde dixit, quod potentia generandi est in Filio, sed non ad *generare,* sed ad *generari.* *Haec* autem positio[10] dicit, quod est in solo Patre, quia non tantum respicit naturam, sed proprietatem personae.

2. Ad illud quod obiicitur, quod[11] generare consequitur naturam; dicendum, quod in divinis non consequitur naturam simpliciter, sed naturam ut in persona; quia non in qualibet persona est natura fecunda, sed solum in persona Patris, et hoc est per aliquam proprietatem, quae est solius illius personae; non sic est in inferioribus, sicut iam patebit[12]: ideo patet quod illud non valet.

3. Ad illud quod obiicitur, quod in aeternis est idem *esse* et *posse;* dicendum, quod verum est; sed tamen argumentum nihil[13] valet. Quamvis enim omnino sit idem in divinis *esse* et *esse Patrem,* non tamen sequitur, quod si *esse Patrem* est proprium, quod *esse* sit proprium. Similiter nec si *esse* sit commune, quod propter hoc *esse Patrem*[14]. Similiter dicendum in proposito.

4. Ad illud quod obiicitur de scientia, quod dicit *quid,* sive per se dicatur, sive cum alio; dicendum, quod non est simile de scientia et potentia. Scientia enim, quantum est de se, dicit qualitatem absolutam, et ideo, quantum est de se, semper dicit *quid,* nisi trahatur; sed potentia dicit

---

[1] Cap. 1. circa initium. — Vat. contra plurimos mss. et ed. 1 *huiusmodi* loco *huius,* et paulo infra post *generare,* obnitentibus codd. et ed. 1, male addit *non tantum.* Mox ex cod. T et ed. 1 post *sed* posuimus *secundum* loco *etiam;* alii codd. omittunt vel *sed* vel *secundum* (omissio haec facillima erat, eo quod *sed* et *secundum* fere eodem modo abbreviata scribuntur), sed minus bene. Cod. R *dicit quid et respectum sive ad aliquid.*

[2] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *Magistri.* Paulo ante nonnulli codd. ut K S Z ff *ita* loco *ista,* cod. X *ideo.*

[3] Aliqui codd. ut V X Y addunt *et.*

[4] Aliqui codd. ut G aa bb adiiciunt *commune.*

[5] Omnes codd. cum edd. 1, 2, 4, 5, 6 *essentialem* pro *essentialiter,* quod Vat., mutata interpunctione, refert ad ea quae sequuntur; sed falso, quia opponitur verbo *originalem.* Ex mss. F H P Q T Y ee adiecimus *non solum,* quod alii codd. cum Vat. omittunt; ed. 1 non hic, sed paulo infra post *dicat* addit *non tantum.*

[6] Cod. bb addit *generandi.*

[7] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *Pater est Deus,* quod Vat. cum cod. cc omittit. — De *tertio adiacente* vide Aristot., II. Periherm. c. 1. et Comment. S. Thomae in hunc locum (Lect. 2.), ubi et eadem distinctio de verbo *est* proponitur et explicatur: Et non dicitur esse tertium, quia sit tertium praedicatum; sed quia est tertia dictio posita in enuntiatione, quae simul cum nomine praedicato facit unum praedicatum.

[8] Vat. *respondetur,* sed contra mss. et ed. 1.

[9] Cod. X addit *verum.* — Cfr. lit. Magistri, c. 2.

[10] Scilicet tertia opinio. — Plurimi codd. cum sex primis edd. loco *positio* habent *potentia,* cuius lectionis sensus est: haec autem potentia, scilicet generandi, iuxta praedicta dicit seu nominat illud quod est in solo Patre, nempe fecunditatem ad actum generationis. Melius legeretur: haec autem positio dicit, quod potentia est in solo Patre.

[11] Antiquiores mss. et ed. 1 contra Vat. et cod. cc *quod* pro *quomodo.*

[12] Hic q. 2. praesertim ad 6. et dub. 4. — Paulo ante codd. aa bb post *proprietatem* addunt *scilicet innascibilitatem.*

[13] Vat., obnitentibus plurimis mss. et ed. 1, *non* loco *nihil.*

[14] Supple: sit commune. — Mutilam lectionem Vat. et cod. cc, in qua omittuntur verba *Similiter* usque *Patrem,* restauravimus ope aliorum mss. et ed. 1.

habitudinem ad[1] originem, et ideo potest dicere habitudinem propriam et personae ad personam. Unde illud simile Magistri non valet secundum hanc positionem, quod[2], sicut una est voluntas, qua Pater vult esse Pater et non vult esse Filius, et e converso, similiter una est potentia, ut videtur.

Solvuntur argg. contra sententiam Magistri.

Si quis autem vult sustinere positionem Magistri, de facili potest ad omnes rationes in oppositum respondere.

1. Nam nulla ratio probat, quod potentia de se dicat proprium, sed quod potentia generandi active dicta sive *posse generare* dicat ex adiuncto respectum ad personam, et ita dicit *ad aliquid;* sed hoc est solum ratione additi. Unde[3] notandum, quod

Quatuor genera nominum.

quatuor sunt genera nominum in divinis. Quaedam enim *essentialia* sunt dicta *essentialiter*, ut deitas et maiestas; quaedam *essentialia personaliter* dicta, ut potentia generandi; quaedam *personalia* dicta *personaliter*, ut generans et genitus; quaedam *personalia* dicta *essentialiter*, ut missus, incarnatus et huiusmodi[4], quae dicunt respectum ad personam, et ideo personalia, et effectum in creatura, et ideo essentialiter sunt dicta.

2. Duabus rationibus sequentibus facile est respondere, quia illud non habet veritatem, nisi quando actus complectitur totam potentiam[5]; non sic est in potentia Dei, quia eadem est potentia gignere et gigni in Deo.

3. Ad illud quod obiicitur, quod idem est *posse generare* et *generare;* dicendum, quod non valet. Quamvis enim idem sit[6] Pater et substantia, non tamen sequitur, quod si Pater dicitur *ad aliquid*, quod et substantia, sicut melius patebit infra[7].

4. 5. Duabus ultimis rationibus difficile est bene respondere; tamen potest quis dicere, quod rationes illae non concludunt, quod potentia dicat *ad aliquid* de se, sed solum ratione adiuncti, quod est generare; et sic patent cetera[8].

SCHOLION.

I. In productione divinarum emanationum distinguitur *principium quod* et *principium quo*. Ipsae personae producentes sunt *principium quod*, cum actiones sint suppositorum. *Principium quo* (sive ratio, qua suppositum agit) divinarum productionum communiter asseritur esse potentiam generandi et spirandi. Sed disputatur, *quid sit* haec potentia, et circa hoc inquirit hic S. Bonaventura. Aliis verbis haec quaestio sic exprimitur: utrum potentia generandi dicat quid absolutum (essentiam), an relativum sive relationem. Eadem difficultas est circa potentiam spirandi, quae communis est Patri et Filio, de qua infra d. 29. a. 2. q. 1. et 2. Quaestio utraque est potius de modo loquendi quam de gravi aliqua differentia in re. — Si autem quaeritur de principio *quo* utriusque emanationis, quid sit *in se*, et quomodo alterum ab altero differat, communiter nunc respondetur, esse duplicem fecunditatem, scilicet per modum *naturae* sive intellectus et per modum *voluntatis*; de quo vide infra d. 13. q. 3. et Scholion. — Quoad quaestionem hoc loco tractatam recte observat Scotus (Report., hic. q. 1.), quod «diversae sententiae forte possunt conciliari nec videntur contrariari nisi verbis». Quia tamen contrarii modi loquendi, quos doctores in hac quaestione adhibent, non parum influunt in solutiones aliarum de Trinitate quaestionum, quae infra tractantur, iuvat hic aliqua de variis solutionibus huius quaestionis dicere. — S. Thom. (S. I. q. 41. a. 5.) secundae opinioni hic in corp. positae favens asserit, quod potentia generandi significat «in recto naturam divinam, sed in obliquo relationem», et in Comment. (hic q. 1. a. 1.) cum B. Albert. (hic a. 2.) affirmat, eam «esse quasi mediam inter essentiale et personale». Hanc opinionem S. Bonav. dicit esse «satis probabilem, et satis bene videtur sustineri posse», immo ipse in fine solutionis obiectorum argumenta contra eam allata nititur solvere. — Huic positioni directe opponitur sententia Gulielmi Altissiodorensis (vel melius Autissiodorensis, quia nomen Latinum civitatis Auxerre est Autissiodorum vel Autessiodorum) et Durand. (hic q. 1.), qui volunt, hanc potentiam dicere *solam relationem*. Dionys. Carth. eandem hanc sententiam attribuit S. Bonaventurae ipsamque approbat his verbis: «Videtur verior, quod potentia generativa dicatur pure *ad aliquid*... cum enim dicitur generativa potentia, complexum hoc sumitur in virtute unius dictionis aut nominis; ideo quantumcumque potentia secundum se diceretur absolute, tamen ex tali limitatione et contractione sumitur respective». Sed qui attente ponderat verba S. Doctoris, hic et in dubiis circa litteram 5. 6. 7. scripta, iam perspiciet, ipsum mediam quandam viam eligere. Haec eius sententia clarius apparet ex anecdoto Prologo Seraphici ad II. Sent., ex quo supra. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. in Schol., iam aliquid exscripsimus, et nunc prosequimur: «Similiter nec in alio, scil. in potentia generandi, discordavi ab ipso. Quod idem Magister d. VII. innuit, potentiam generandi esse dictam secundum substantiam, et quod alii dicunt, esse dictam secundum relationem et esse proprium, non est controversia, immo utrumque verum est, si quis attendat. Nam si *divisim* loquimur de potentia generandi, secundum quod significatur per haec duo nomina, sic, cum nomen potentiae de se sit essentiale et nomen virtutis generativae sit personale, dicit essentiam vel naturam ut in persona. Si autem loquimur de eo quod per illa duo vocabula significatur, ita quod *connectantur in unius vocabuli intellectum*, tunc, cum nihil aliud sit potentia generandi quam fecunditas potentiae, et fecunditas in producendo personam aliquam omnino sit dictum secundum relationem nec sit commune, sed proprium, sic absque dubio *potentia generandi* vel *posse generare* dicitur secundum relationem. Et sic patet quod utraque istarum opinionum est vera, nec una repugnat alteri. Sed hanc sententiam magis appro-

---

[1] Fide mss. et ed. 1 pro *et* substituimus *ad*, quod perfecte correspondet dictis in fine corp.

[2] Reliquimus cum Vat. *quod*, licet plurimi codd. habeant *quia*, sed minus bene.

[3] Vat. cum cod. cc *Item*, et paulo infra post *essentialiter ut* addit *divinitas*, sed contra alios codd. et ed. 1.

[4] Plures codd. ut AISTVY aa omittunt *incarnatus et huiusmodi.*

[5] Cod. I addit *quando scilicet potentia se habet determinate ad unum actum, ita quod non ad alium.*

[6] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 addit *et.*

[7] Dist. 9. q. 2, imprimis ad 3. 6. et d. 26. q. 1. 3.

[8] Codd. PQ *omnia* pro *cetera;* cod. V *patet solutio ad omnia obiecta.*

bavi, quia plus attingit ad veritatem rei, licet ad *plenam veritatis expressionem utramque oporteat sustinere.* In his igitur et aliis verbis Magistri adhaerens debita servata reverentia [desunt aliqua verba] et proposui et propono iuxta tenuitatem ingenii et paupertatem scientiae in his, in quibus potero, sustinere, his tantum exceptis, in quibus magis communiter non sustinetur, immo communis opinio tenet contrarium. Haec autem sunt octo, ita quod in quolibet libro sunt duo » etc.

Secundum hanc explicationem essentia et proprietas personae constituunt *principium quo* productionum *totale,* et quidem sic, ut essentia sit quasi fundamentum et initium, proprietas vero ratio completiva et quasi formalis, sive ut Richard. a Med. (hic q. 1.) dicit: « Potentia generandi in divinis dicit *quid* et *ad aliquid,* formalius tamen *ad aliquid* videtur significare ». Consentiunt Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 2.), Alex. Hal. (S. p. 1. q. 42. m. 3. a. 2. ad ult.). Nec Henr. Gand. (S. a. 54. q. 8. n. 27. et Quodl. 3. q. 14.) et ipse Scotus aliter sentire videntur, licet hic sub aliis distinctionibus respondeat. Et cum etiam S. Thom. doceat, potentiam generandi importare tum essentiam tum relationem, liquet, eos non dissentire nisi in quaestione, quid *per prius* intelligi debeat. Ceterum solutio S. Bonaventurae cohaeret cum principiis, quae infra d. 27. p. 1. q. 2. diffuso defendit.

II. Valde notabilis est doctrina Seraphici (ad. 1.) de quadruplici genere divinorum nominum. Haec sumta sunt ex Alex. (loc. cit. a. 1.).

III. In solutione argumentorum a solito ordine receditur. Ut nempe opinionem Magistri defendat, S. Doctor argumenta pro propria sua sententia secundo loco adducta solvere nititur. Ordinem solutionum indicant postillae marginales. Auctoribus iam laudatis addantur: B. Albert., de hac et seq. q., S. p. 1. tr. 7. q. 30. m. 4. — Aegid. R., hic 1. princ. q. 2. — Biel, hic q. 1. 2.

QUAESTIO II.

Utrum potentia generandi sit in Filio.

Secundo quaeritur, utrum potentia generandi sit in Filio; et quod sic, videtur *auctoritatibus* et *rationibus.*

1. Primo sic: Hilarius nono de Trinitate[1] dicit: « Filius habet in se naturaliter naturam gignentem »: ergo natura in Filio est nata generare. *Ad oppositum.*

2. Item, Augustinus in libro contra Maximinum[2]: « Neque enim non potuit Filius generare », sed duae negationes aequivalent uni affirmationi: ergo potuit generare.

3. Item, *rationibus* ostenditur sic: plus ordinatur generare ad generandi potentiam, quam ad potentiam spirandi; sed Pater generans Filium communicat ei[3] potentiam spirandi: ergo multo fortius potentiam generandi.

4. Item, Filius est expressissima imago Patris: ergo tantum imitatur Patrem, quod non potest cogitari similior; sed si Filius cogitatur ut generans, magis cogitatur imitari: ergo si imitatur amplius, quam possit quis cogitare, ergo et in actu generandi.

5. Item, *per simile* videtur sic: maior communicatio et diffusio est in luce aeterna quam in luce creata; sed lux creata dat splendori potentiam producendi alium, et sic procedendo; et[4] si esset infinitae virtutis, produceret infinitos splendores: ergo etc.

6. Item, in generatione carnali pater non dicitur perfectum filium generare, nisi det ei potentiam generandi: ergo pari ratione, immo multo fortius[5], non erit Filius perfectus, nisi habeat potentiam ad id, ad quod Pater potest: ergo ad generandum. Aut si non est ita in divinis, tunc ego quaero rationem, quare de perfectione generationis aeternae non sic est communicatio potentiae generandi, sicut in generatione creata.

Sed contra: 1. Augustinus contra Maximinum[6] dicit, « quod non oportuit Filium generare »; sed si non fuit opportunum, nec conveniens; sed omne inconveniens in Deo est impossibile[7]: ergo impossibile fuit, Filium generare: ergo Filius non potest generare: ergo non habet potentiam generandi, quia omni potentia est potens ille qui habet eam: ergo etc. *Fundamenta.*

2. Item, Anselmus in Proslogio[8]: « Qui potest quod sibi non convenit, quanto magis illud potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in eum »: ergo cum Filio non conveniat generare, si posset, potentia illa esset in eo miseria; sed nullam habet miseriam: ergo nec potentiam generandi.

3. Item, *ratione* probatur hoc idem sic[9]: omne illud, in quo aliqua duo necessario distinguuntur, si necessario convenit uni, impossibile est unquam convenire alii, sicut patet: si Petrus et Ioannes necessario differunt in albedine, et albedo convenit Petro, impossibile est, quod Ioanni conveniat; sed Pater et Filius sunt personaliter distincti, ita quod necesse est esse distinctos, et non est dare in quo

---

[1] Num. 51: Neque rursum corporali insinuatione Patrem in Filio praedicamus, sed ex eo eiusdem generis genitam naturam naturaliter in se gignentem se habuisse naturam.

[2] Libr. II. c. 12. n. 3; vide supra lit. Magistri c. 1. circa medium; in quo textu aliqui codd. *non* pro *neque,* alii *non potuit Filius non generare.*

[3] Supplevimus ex antiquioribus mss. et ed. 1 *ei,* quod Vat. cum cod. cc minus bene omittit.

[4] Vat., refragantibus mss. et sex primis edd., omittit *et.*

[5] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *fortiori,* et paulo infra contra plurimos codd. et ed. 1 post *ad id* omittit *ad.* Mox pauci codd. ut I ff cum ed. 1 *habet* pro *potest.*

[6] Libr. II. c. 12. n. 3; vide supra lit. Magistri c. 1. circa medium.

[7] Cfr. d. 2. q. 1. ad. 1.

[8] Cap. 7: Nam qui haec potest, quod sibi non expedit, et quod non debet, potest, quae quanto magis potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum. — Sub nomine *adversitas* intelligitur hic non tribulatio (utpote quae sanctis est bonum), sed nocivum. — Vat. contra antiquos codd. et ed. 1 *hoc potest* pro *illud potest.*

[9] Confusam Vat. et cod. cc lectionem emendavimus ope aliorum codd. et ed. 1 ponendo *sic* loco *sicut,* et paulo infra *sicut patet* pro *ut patet sic.* Plures codd. *aliqui* loco *aliqua.*

distinguantur[1] nisi in hoc, quod ille est generans, iste genitus: ergo cum generare conveniat Patri, impossibile est, quod conveniat Filio: ergo Filius non potest generare: ergo non habet potentiam generandi.

4. Item, generatio Filii a Patre similis est expresse ipsi[2] generationi verbi a mente; sed verbum genitum non habet potentiam generandi aliud verbum, immo oportet, quod omne verbum immediate sit a mente: ergo si recte simile est Verbum increatum, non habet potentiam generandi, sed generandi potentia est in solo Patre.

5. Item, fiat argumentatio Augustini[3] ducens ad impossibile. Si Filius habet potentiam sive posse generandi, ponatur quod generet; quaero de secundo similiter; et si non est stare in primo, oportet ponere infinitos filios, quia qua ratione non statur in primo, ergo nec in aliquo: ergo si est stare — quia hoc[4] repugnat divinae completioni — sed qua ratione statur in aliquo, statur in primo: ergo primus non habet potentiam generandi.

6. Item, fiat argumentatio Richardi[5]: si generaret Filius alium filium: ergo cum filius genitus magis attineat patri quam avo, secundum hoc non esset ibi summa et aequalis connexio: ergo nec summa et aequalis dilectio[6]: ergo nec perfecta beatitudo: quae omnia tanquam summe impossibilia respuit pia fides.

CONCLUSIO.

Pater potentiam generandi non communicat Filio, quod duabus rationibus probatur.

Respondeo: Opinio aliquorum est, quod in Filio est potentia generandi, sed non generat. Hoc autem non est, quia non potest, sed quia non convenit ei[7]. Et ponunt simile in creaturarum productione sive creatione. Deus potest infinitas creaturas producere; sed quod non producit, hoc non est ex impotentia, sed quia non convenit ei; sic et in proposito.

Opinio quorundam.

Sed contra: Ponatur tunc, quod illa potentia, quae est in Filio ad generandum, ducatur in actum; constat quod Filius generabit Deum aeternum: ergo aliquid poterit[8] *incipere* habere esse et *esse aeternum;* hoc autem est impossibile et non intelligibile.

Reprobatur.

Propterea[9] dicendum, quod Pater non communicat Filio posse generare propter duo. *Unum* est, quia non potest, *aliud*, quia non debet.

Conclusio.

Ratio autem, quare non *potest,* haec est: quia fecunditas ad generandum est in Patre, quia principium, et ideo principium, quia primum. Impossibile autem est, quod primum[10] communicet alii primitatem. Nam hic est oppositio in adiecto, quod persona producta sit prima. Quia ergo fecunditas ad generandum ex primitate Patri inerat, ideo non potest eam communicare Filio; et hanc credo propriam esse rationem huius, sicut infra patebit distinctione vigesima septima[11], ubi agetur, quare Pater generat.

Ratio 1.

Similiter non *debet* communicare, quoniam[12] in emanatione divinarum personarum debet attendi *originalis distinctio* et *plenissima communicatio: originalis distinctio*, quia necesse est, ea quae communicant in natura distingui vel per *materiam*[13], vel per *originem.* Per *materiam* distingui personas est impossibile; quia ubi est talis modus distinguendi, est compositio et variatio et formae multiplicatio, quae omnia Deo repugnant, qui est simplex et invariabilis et vere unum. Et ideo necesse est distingui per *originem* sive habitudinem: ergo per generare et generari: ergo si Filius potest generare, potest etiam non distingui. *Si tu dicas*, quod adhuc est distinctio, quia unus tantum Pater, alius tantum Filius, alius Pater et Filius; tunc ego oppono tibi, quod secundus filius posset generare eadem ratione, qua primus; et tunc duo essent, quorum uterque esset pater et filius.

Ratio 2.

Originalis distinctio.

Similiter propter *plenissimam communicatio-*

Plenissima communicatio.

---

[1] Ex plurimis codd. et ed. 1 substituimus *distinguantur* pro *distinguuntur.*

[2] Vat. praeter fidem mss. et sex primarum edd. omittit *ipsi.*

[3] Libr. II. contra Maximin. c. 12. n. 3; vide in lit. Magistri c. 1. circa medium.— Paulo infra plures codd. ut A F G H I K W Y etc. cum ed. 1 *quaeram* loco *quaero.*

[4] Locus difficilis et fortasse corruptus. Subintellige: ponere infinitos filios, sive potius: non stare in aliquo; ideoque particula *quia* in hac sua positione non directam rationem, sed potius praesuppositionem respectu propositionis conditionalis *si est stare* indicat, quod hac meliore positione apparet: ergo — quia hoc repugnat divinae completioni — si est stare. — Cod. Z *ergo necesse est stare.* Paulo infra post *completioni* ex mss. et ed. 1 adiecimus *sed.*

[5] Libr. V. de Trin. c. 10. seqq. et VI. c. 2. seqq. — Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, post *Richardi,* addit *ut* et paulo infra praeter fidem antiquiorum codd. et ed. 1 nec non operum Richardi (VI. de Trin. c. 6.) loco *patri quam avo* ponit *ad patrem quam alius.*

[6] Sequimur cod. O, dum alii codd. et edd. legunt *distinctio*, quod nec contextui nec argumentationi Richardi correspondere videtur.

[7] Plerique codd. cum ed. 1 omittunt *ei*, quod tamen, sibi ipsis non constantes, paulo infra, ubi eadem propositio recurrit, apponunt. Mox ed. 1 cum uno alterove cod. *producat* loco *producit.*

[8] Vat. cum cod. cc *poterat*, sed obstant antiquiores mss. cum ed. 1.

[9] Substituimus *Propterea* loco *Propter hoc* fide antiquiorum mss. et ed. 1, aliqui tamen mss. deinde addunt vel *hoc* vel *ad hoc.* Mox auctoritate eorundem mss. et ed. 1 *posse generare* posuimus loco *potentiam generandi.*

[10] Ita vetustiores codd. cum ed. 1 contra Vat. et cod. cc, qui habent *principium* pro *primum,* sed minus concinne. Mox codd. inter se dissident; alii enim ut F G H I K cc ee legunt *nam haec est*, alii ut P Q cum edd. 4, 5 *nam hoc est*, alii demum cum Vat. et ed. 1 *nam hic est.*

[11] Parte 1. a. 1. q. 2.

[12] Faventibus mss. et ed. 1, substituimus *quoniam* pro *quia.* Cod. R post *Similiter* addit *propter emanationem.*

[13] Plurimi codd. cum ed. 1 hic et immediate infra *naturam* loco *materiam,* sed falso, ut ex contextu patet.

nem non debet communicare, quia multiplicatio suppositorum secundum similem modum egrediendi non est nisi aut propter *defectum durationis*, sicut dictum est [1], in generabilibus et corruptibilibus, ut per successivam generationem perpetuetur esse, aut propter *defectum perfectae actionis*, ut fiat per plures, quod non potest [2] per unum. Sicut sunt factae plures stellae, quia non sufficeret una ad hoc quod faciunt omnes, sic etiam plures Angeli et plures animae ad implendam illam civitatem et manifestandam Dei bonitatem, quam nec una anima nec unus Angelus poterat sufficienter manifestare. Cum ergo in Filio Dei sit plenissima communicatio, quia totam infinitatem suam dat sibi Pater, non fuit conveniens, quod communicaret Filio illam potentiam: et ideo fuit impossibile, quia inconveniens quodlibet in divinis est impossibile [3].

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium per auctoritatem Hilarii, quod Filius habet in se naturam gignentem; dicendum, quod verbum illud est improprium, et ex verbis impropriis non est arguendum, sed magis eorum improprietas exponenda, ut Magister superius exposuit. Est enim sensus: habet in se naturam gignentem, id est naturam Patris gignentis.

2. Ad illud quod obiicitur, quod neque [4] non potuit; dicendum, quod Magister bene exponit, id est, non fuit ex hoc impotens. Unde secundum artem distinguendum est, quando dicitur, Filius non potuit generare: quia *non* potest teneri *privative;* et tunc est sensus, *non potuit*, id est, impotens fuit; et tunc negatur potentia; et relinquitur aptitudo, sicut de truncato dicitur, quod non potest gradi, quia *aptus* natus est ad gradiendum et *non potest* gradi [5]; hoc modo non potest dici de Filio, quia non habet ad hoc aptitudinem; et in hoc sensu loquitur Augustinus. Alio modo *non posse* tenetur *negative;* et in hoc sensu concedendum est, quod Filius non potuit generare.

3. Ad illud quod obiicitur: quod Pater communicat Filio potentiam spirativam; patet responsio: quia cum Filius generetur, non potest habere primitatem respectu generationis; sed cum non spiretur, est inspirabilis; et ideo potuit habere primitatem et fecunditatem respectu illius; et sic patet quod [6] non valet ratio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Filius est expressissima imago etc.; dicendum, quod ideo Filius dicitur [7] expressissima imago, quia repraesentat in omnibus, in quibus imago nata est repraesentare; sed imago sic nata est repraesentare, ut tamen ipsa non sit imaginatum; alioquin non esset imago. Si autem Filius repraesentaret in actu generandi, iam esset Pater: et ideo nec intelligibile nec possibile est, Filium generare sive in generatione Patrem imitari.

5. Ad illud quod obiicitur de luce et splendore, dicendum, quod non est simile, quia lux non perfecte se multiplicat in primo splendore: ideo in pluribus facit quod non potest in uno.

6. Similiter et in filio carnali intelligendum; unde unus pater generat plures filios [8]. Haec tamen ratio non est principalis, sed illa quae dicta est supra [9], quia in his inferioribus non est fecunditas per rationem primitatis, sed per rationem perfectionis. In Deo autem, quia est perfectissimum et primum, non tantum est per naturam perfectionis; quia tunc in omnibus personis esset, et status [10] esse non posset; sed per rationem primitatis. Item rationes istae non procedunt per simile, immo magis per dissimile.

SCHOLION.

I. Haec quaestio intime cohaeret cum praecedenti. In respons. dicitur: personas distingui per originem sive habitudinem. Hoc non disiunctive intelligi debet, sed sic: per originem cum relationibus inde resultantibus, cfr. infra d. 26. q. 3. et Scholion. — In solut. ad 2. verba: « et tunc negatur potentia et relinquitur aptitudo » etc. facile intelliguntur, si attenditur, quod oratio cum negatione privativa exponitur per duas propositiones, quarum una negat actum, altera ponit subiectum ex natura sua *aptum* ad actum. Si igitur verba: *Filius non potuit*, sumuntur privative i. e. ut *impotens*, tunc supponitur *primo*, quod ex natura sua sit ad hoc aptus, et *deinde* asseritur quod hoc non potest actu. Cfr. S. Thom. et Richard., hic circa lit.

II. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 42. m. 3. a. 2. — Scot., Report., hic q. 2. (ubi expressis verbis solutionem Seraphici approbat). — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. I. q. 42. a. 6. ad 3. — B. Albert., hic a. 5. 10. 11. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic q. 2. — Ægid. R., hic 2. princ. — Henr. Gand., S. a. 54. q. 8. et a. 58. q. 1. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 3. — Biel, hic q. 3.

---

[1] Dist. 5. a. 2. q. 1. — Vat. omittit *dictum*, sed obstant fere omnes codd. cum ed. 1.

[2] Supple cum cod. Z *fieri*, vel lege cum nonnullis codd. ut A S T V et ed. 1 *potest unum*. Mox ope mss. vetustiorum et ed. 1 substituimus *factae* loco *perfectae*. Cod. M cum ed. 1 *sic* pro *sicut*.

[3] Vide supra d. 2. q. 1. ad 4. — Mox fide antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *ergo* loco *autem*.

[4] Adiecimus particulam *neque*, quae ex obiectione et contextu requiritur, pro qua cod. T ponit *non*; plurimi codd. particulam illam omittunt legentes *quod non potuit*, fortasse eo quod, sicut supra in obiectione notavimus, verba Augustini alio modo allegant, scil. *non potuit Filius non generare;* in qua lectione hic supplenda sunt verba *non generare*. Cod. T paulo infra post *Filius* habet *non non potuit;* sed duplex negatio hic non ita necessaria videtur, sicut paulo supra.

[5] Vat. cum cod. cc omittit verba *quia aptus* usque ad *gradi*, sed obstant antiquiores codd. cum ed. 1.

[6] Nonnulli codd. ut bb ff cum ed. 1 *quare*.

[7] Fide vetustiorum mss. et ed. 1 supplevimus *ideo* et loco *est* substituimus *dicitur*, ac paulo infra post *sed* expunximus *tamen*.

[8] Antiquiores codd. cum ed. 1 omittunt *carnales*, quod Vat. cum cod. cc superflue addit.

[9] Scil., prima in corp. huius quaestionis. — Mox post *perfectionis* codd. L O non male adiiciunt *tantum*.

[10] Cod. K *principiatus* loco *status*. In fine responsionis codd. aa bb addunt *quia lux et pater producunt diversum a se*.

QUÆSTIO III.

Utrum potentia generandi et potentia creandi sint unica potentia.

Tertio quaeritur, utrum *posse generare* et *creare* sit [1] unicum *posse;* et quod non sit unicum, videtur.

1. Augustinus [2]: « Alio est Pater, alio est Deus »: ergo alio est generans, alio creans; sed potentia generandi est generans, potentia creandi est creans: ergo etc.

Ad oppositum.

2. Item, potentiae distinguuntur per actus et actus per obiecta [3]: ergo si generatio terminatur ad Deum et creatio ad creaturam, et haec sunt omnino diversa: ergo etc.

3. Item, potentiae plurificantur per subiecta, quoniam in pluribus potentibus [4] plures sunt potentiae; sed potentia creandi est in Filio sive posse creare, in eo autem non est posse generare: ergo non sunt unum posse.

4. Item, quaecumque sic se habent, quod unum potest intelligi, altero non intellecto, et e converso, illa non sunt unum; sed posse generare potest intelligi, circumscripta potentia creandi; et e converso posse creare, circumscripta potentia generandi [5]: ergo etc.

Contra: 1. Unius potentis omnino simplicis unicum tantum est posse; sed [6] Pater est potens omnino simplex: ergo unicum tantum habet *posse;* sed habet posse generare et posse creare: ergo illa duo sunt unicum posse.

Fundamenta.

2. Item, si posse est aliud et aliud [7], cum posse generare respiciat personam, posse creare naturam: ergo natura et persona sunt duo: ergo nec natura de persona, nec e converso dicitur. quod est omnino falsum.

3. Item, si est distinctio inter posse generare et posse creare: ergo est ibi *ordo*. Quaero igitur, quid sit prius [8] secundum rationem intelligendi. Et quod potentia generandi, videtur, quia est respectu aeterni, et aeternum ante temporale. *Sed contra*: intellectus communis est ante intellectum proprii; sed potentia creandi dicit commune tribus, potentia generandi proprium Patris: ergo etc.

Alia quaestio de ordine utriusque.

CONCLUSIO.

Potentia generandi et potentia creandi non secundum rem, sed solummodo secundum rationem intelligendi differunt.

Respondeo: Dicendum, quod *posse* generare et *posse* creare est [9] *posse unicum*, tamen dupliciter dictum. Unum enim esse est in re esse Patrem et esse Deum, differens autem secundum rationem intelligendi; quia hoc [10] est absolutum, cum dico *esse Deum,* illud relatum, cum dico *esse Patrem.* Similiter et in *posse* est intelligendum. Unde sicut essentia et persona unum sunt in re, tamen est [11] differentia rationis in intelligendo et in dicendo; similiter dicendum est de potentia generandi et creandi.

Conclusio.

Et [12] sicut est ibi *differentia* non re, sed secundum rationem, ita est ibi *ordo* secundum rationem intelligendi. Unde secundum diversas comparationes habent alium et alium ordinem. Comparando enim posse creare et posse generare ad illud *cuius* sunt; cum posse creare sit naturae, posse generare sit personae, et intellectus communis [13] ante intellectum proprii; sic absque calumnia prior est secundum rationem intelligendi potentia creandi. Comparando autem ad illud *ad quod* terminatur; cum potentia creandi respiciat temporale, potentia vero generandi aeternum; prior est secundum rationem intelligendi potentia generandi quam potentia creandi: et sic patent obiecta de *ordine*.

Solvitur quaestio de ordine.

Concedendae sunt ergo rationes ostendentes, quod non differunt posse generare et posse creare differentia secundum rem sive secundum essentiam.

1. Ad illud ergo [14] quod obiicitur, quod alio est

Solutio oppositorum.

---

[1] Vat. hic et paulo post praeter fidem mss. et ed. 1 *sint.*

[2] Libr. VII. de Trin. c. 1. et 6. ac Serm. 1. in Psalm. 68. n. 5. — Vat. contra antiquiores codd. *per Augustinum;* ed. 1 *dicere Augustinus.*

[3] Aristotelis verba hac de re vide supra q. 1. fundam. 2.

[4] Ita antiquiores codd. cum ed. 1, sed Vat. cum cod. cc *quia in pluribus subiectis.*

[5] Mutilam lectionem Vat. et cod. cc, qui omittunt verba *et e converso* usque *generandi,* restauramus ope aliorum mss. et ed. 1.

[6] Adiecimus ex vetustioribus mss. et ed. 1 minus bene omissum *sed.*

[7] Cod. bb satis bene *si posse creare et posse generare est aliud et aliud posse.*

[8] Plurimi codd. non ita bene nec cum subnexis cohaerenter *principalius.*

[9] Vat. contra mss. *sunt.* Mox post *enim* nonnulli codd. ut CRS omittunt *esse.*

[10] Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 *quod* pro *hoc,* et paulo infra *idem est* loco *illud.*

[11] Codd. inter se non conveniunt; alii ut AFGHKMTV cum ed. 1 pro *tamen est* habent *cum,* alii cum Vat. exhibent textum nostrum, cod. R *tamen differunt ratione.* Mox post *rationis* nonnulli codd. ut ATX etc. cum ed. 1 addunt particulam *et.*

[12] Fide mss. et sex primarum edd. supplevimus *Et.* Mox pauci codd. ut HK post *rationem* habent *intelligendi, ita.*

[13] Faventibus plurimis codd. et ed. 1, expunximus hic additum *est.*

[14] Ex vetustioribus mss. et ed. 1 adiecimus *ergo.*

Deus, alio Pater; dicendum, quod Augustinus loquitur de alio et alio alietate rationis, et non rei. Et intelligitur alietas rationis per illum modum, quo supra dictum est distinctione quinta [1], ubi quaeritur, utrum essentia generet.

2. Ad illud quod obiicitur, quod [2] potentiae distinguuntur per actus etc.; dicendum, quod verum est hoc de illis actibus, qui habent completionem ab obiectis; sed non sunt sic actus divini. Unde quamvis creatura et Filius omnino differant, attamen generatio et creatio idem sunt, sicut essentia et persona. Deus enim in agendo non completur ab obiecto, quia se ipso agit.

3. Ad illud quod obiicitur, quod potentiae plurificantur per subiecta; dicendum, quod istud verum est de subiecto proprio; sed Filius non in quantum *Filius* est subiectum potentiae creandi, sed in quantum *Deus.* Et constat, quod natura divina non facit numerum cum Patre; ita nec potentia respiciens naturam cum potentia Patris.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod unum potest intelligi sine altero et e converso; dicendum, quod aut loqueris quantum ad [3] *significatum,* aut quantum ad *connotatum.* Si quantum ad *connotatum,* verum dicis, quod creatura potest intelligi, non intellecta persona Filii, et e converso. Si quantum ad *principale significatum,* dicis [4] falsum; impossibile est enim, intelligi potentiam generandi sine potentia creandi, sicut impossibile est intelligere personam sine essentia.

SCHOLION.

I. De differentia inter essentiam et personam cfr. infra d. 33. q. 2. et Scholion. — Ad verba in solut. ad 3: « Verum est de subiecto proprio », notandum, quod distinguitur subiectum proximum et adaequatum alicuius potentiae et remotum. Subiectum proximum sive primarium potentiae divinae creativae est unicum scil. essentia divina. Et axioma: potentiae plurificantur per subiecta, non oportet quod sit verum, quando agitur de subiecto remoto, quod est persona divina.

II. Hanc quaestionem alii antiqui Scholastici non nisi breviter tractant. Ipsam tangit S. Doctor infra d. 20. a. 1. q. 1. — Alex. Hal., S. p. I. q. 20. m. 1. et 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 3; de Potent. q. 2. a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 4. — Ægid. R., de hac et seq. q. hic 1. princ. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUÆSTIO IV.

Utrum posse generari et posse creari sint univocum posse.

Ultimo quaeritur, utrum *posse generari* et *posse creari* sint [5] posse univocum. Et quod non, videtur:

Arg. pro parte negativa.

1. Quia quamvis idem sit generare et creare quantum ad principale significatum, aliud tamen est generari et creari, sicut Creator et creatura: ergo cum non habeant [6] esse univocum creatura et Creator: ergo etc.

2. Item, creatio dicit egressum et mutationem, generatio vero omnem excludit mutationem: ergo cum posse creari importet potentiam transmutandi, posse generari non, cum potentiae differant in sua generalitate in potentia transmutandi [7], et in hac non conveniunt: ergo in nulla.

3. Item, *omne* distribuit terminum pro omnibus, quae univocantur vel analogantur in illo [8]; sed cum dico *omnipotens,* non fit distributio pro illo, quod potest generare, quia tunc Filius non esset omnipotens: ergo manifestum est, quod utrumque posse nec est univocum nec analogum; alioquin omnipotentia non convenit Filio.

Arg. pro parte affirmativa.

SED CONTRA: 1. *Res* est commune ad fruibile et utibile: ergo cum aequalis ambitus vel maioris sit *possibile* quam *res,* et non sit maior differentia inter generatum et creatum [9] quam inter fruibile et utibile, pari ratione possibile sive posse est commune ad utrumque.

2. Item, in aeternis non potest esse multiplicitas

---

[1] Art. 1. q. 1.

[2] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 omittit *quod.* — Proxime sequens propositio intelligitur de illis actibus, qui *causantur* aliquo modo ab obiectis, sicuti fit in intellectione nostra.

[3] Cod. Z propter subnexa non incongrue addit *principale* i. e. quod primo et per se significatur, exclusa omni connotatione.

[4] Antiquiores codd. ut A F G H K S W etc. vel omittunt *dicis,* quod tunc certe est supplendum, vel cum ed. 1 loco ipsius ponunt *est.*

[5] Mss. plurimi cum sex primis edd. *sit.*

[6] Vat., obnitentibus multis codd. ut H I S T W Z aa etc. et ed. 1, minus apte *habeat.*

[7] Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 17. et IX. text 2. (IV. c. 12. et VIII. c. 1.), ubi species potentiae recensentur et pro genere earum proximo, in quo omnes conveniunt, assignatur, quod sint principium motus aut transmutationis.

[8] Aristot., V. Metaph. text. 31. (IV. c. 26): Quorum quidem non facit positio differentiam *omne* dicitur. Cfr. Petr. Hispan., Summula. tract. de Distributione. — Mox antiquiores codd. cum ed. 1 *generare;* Vat. et cod. cc non bene *generari.* Agitur quidem de generatione passiva, sed argumentatio incipit a potentia activa, importata in voce *omnipotens,* et recte infertur, si potentia *activa* generandi non cadit proprie sub omnipotentia, tunc et generatio *passiva* non cadit sub *omnia* quae potest: ergo etc.

[9] Fide vetustiorum mss. et ed. 1 substituimus *creatum* pro *creaturam.*

nec diversitas: ergo cum posse creari et posse generari ab aeterno ante conditionem creaturae fuerint, ergo non [1] habent multiplicationem in ipsa potentia.

3. Item, cum dico: creatura potest creari, nihil dico [2] creatum; quia illud vere dicitur de eo quod omnino nihil est, sicut de anima antichristi: ergo solum dico potentiam agentis; sed potentia Dei est unica, non habens aliquam multiplicitatem: ergo eius posse univocum est ad posse creari et posse generari.

CONCLUSIO.

Posse generari et posse creari quoad principale significatum re idem sunt et univoce dicuntur, quoad connotatum vero analogice.

Respondeo: Dicendum, quod cum dico *posse creari* et *posse generari*, dico *principale significatum* et dico *connotatum*. Quantum ad *principale significatum*, dico, quod posse creari idem dicit re, quod posse creare, differens solum [3] modo loquendi vel dicendi: quia quod dicitur per modum actionis per posse creare, dicit posse creari per modum passionis. Quantum vero ad *connotatum* dicit effectum in creatura.

Distinctio.

Quando [4] ergo comparantur posse creari, et posse generari, si comparentur ratione *principalis significati*, dico, quod non tantum est *univocum*, immo etiam *unicum*, ut visum est [5], aliter tamen et aliter intellectum et enuntiatum, sicut posse generare et posse creare. Si autem ratione connotati comparentur, sic concedo, quod est *analogum*, sicut hoc nomen *res* ad fruibilia et utibilia. Quamvis enim Creator et creatura non habeant commune univocum, habent tamen analogum.

Conclusio 1. Conclusio 2.

Notandum tamen, quod duplex est analogia: *quaedam* [6] per reductionem ad *unitatem naturae* secundum prius et posterius; et haec potest esse comparando creaturam ad creaturam, et in hac signum [7] distribuit pro omnibus contentis, nisi sit distributio restricta ex additione, vel ex usu sive modo loquendi, sicut dicitur distributio accommoda [8], ut si dicatur: caelum tegit omnia. *Alia* est analogia per reductionem ad *unitatem similitudinis proportionalis*, non naturae; et quod sic analogatur non est inter alia, sed super alia [9]. Unde distributio proprie pro illo non distribuit, nisi sit extensa. Unde Deus non est ens inter omnia, sed super omnia.

Duplex analogia.

Et hinc est, quod omnipotens non distribuit pro potentia generandi proprie accepta distributione, nisi fiat quaedam extensio, et ex illa per consequens fiat quaedam appropriatio circa suppositum. Unde *proprie* omnipotens convenit tribus, quia non distribuit [10] pro potentia generandi; *appropriate* autem, secundum quod fit ampliatio ex parte signi, solius est Patris.

Potentia generandi non cadit sub omnipotentia.

Ex his patent omnia obiecta; procedunt enim per diversas vias, ut patet intuenti.

SCHOLION.

I. Ut subtilis haec quaestio, quae a paucis antiquis Scholasticis tractatur, recte intelligatur, attendendum est, quo sensu S. Doctor accipiat locutionem: *posse creari*. Non sumitur in sensu *passivae* potentiae, quae est ex parte creaturae, sed in sensu *activae* potentiae, quae est in Deo, ut patet ex ult. arg. Ratio huius modi loquendi explicatur infra d. 42. q. 4, ubi S. Doctor inter alia haec habet (ad 2.): « *mundum creari*, quamvis dicat potentiam per modum passionis, tamen secundum rem non dicit nisi potentiam activam, quia ante mundi creationem nihil est nisi potentia activa. » Item (ad 1.): « Possibile potest dici denominative a potentia passiva vel activa; et quia in Deo proprie est potentia activa, ideo dicitur possibile simpliciter secundum quod ab illa denominatur, non secundum quod a passiva ». Hanc sententiam probat in corp. Cfr. etiam Alex. Hal., S. p. I. q. 20. m. 2. et 3, et S. Thom., I. Sent. d. 42. q. 2. a. 2. Certe res creabilis ante suam creationem nihil omnino est nec habet, ergo nec potentiam passivam; unde solummodo denominatione extrinseca i. e. cum respectu ad primam causam, attribuitur ipsi *posse creari*.

II. His suppositis, tres propositiones S. Doctoris sunt manifestae: 1. Posse *creari* et posse *creare*, licet differant grammaticaliter, non differunt in re, si attenditur principale significatum, quod est creatrix essentia divina. — 2. Posse *creari* et posse *generari* ratione principalis significati sunt univoca, immo unicum. « Nam ipsa divina substantia sub ratione, qua communicabilis est per generationem, est potentia, qua Filius potuit generari », Richard. (hic q. 3.). — 3. Posse *generari* et posse *creari* ratione *connotati* non habent aliquid commune nisi analogum, cum primum connotet Filium aeternum, secundum vero creaturam.

---

[1] Cod. W *nec*.

[2] Vat. cum cod. cc contra ceteros codd. et ed. 1 *dicit;* cod. I *creaturam posse creari, nihil dico esse creatum.* Paulo infra post *sicut* cod. M addit *est.*

[3] Fide mss. et ed. 1 expunximus hic additum *in;* aliqui codd. *solo* pro *solum.* Mox Vat., refragantibus mss. et ed. 1, *dicitur per* loco *dicit.*

[4] Mendosa lectio Vat. *Quo modo* pro *Quando* castigatur ex mss. et ed. 1.

[5] Paulo supra; vide etiam quaest. praeced.

[6] Vat. cum cod. cc praemittit *est,* quod tamen abest a ceteris mss. et ed. 1.

[7] Id est *omne*, quod ideo vocatur *signum,* quia per ipsum indicatur, quantum alius terminus valeat.

[8] Vat. praeter fidem antiquiorum mss. et ed. 1 *accomodata,* et paulo infra *proportionis* loco *proportionalis.* Pauci codd. *regit* pro *tegit,* sed incongrue et contra Petr. Hispan. Summulam tract. de Distributione. — Mox post *naturae* codd. aa bb addunt *ut Creatoris ad creaturam.*

[9] Ex vetustioribus mss. et ed. 1 supplevimus *sed super alia,* et paulo infra, consentientibus omnibus mss. et edd. 1, 2, 3, 6 adiecimus *sed super omnia.*

[10] Cod. M X addunt *proprie.*

III. Quoad *analogiam in genere* cfr. supra d. 1. dub. 5. et ibid. a. 3. q. 1. ad 4. ac Scholion. Duplicem analogiam distinguit textus: prima species est quae fit per reductionem ad unitatem naturae; secunda, per reductionem ad unitatem similitudinis proportionalis. Circa primam speciem haec notamus. In unoquoque genere rerum creatarum est unum, quod sic est mensura aliorum, ut unumquodque in tantum habeat perfectionem suae naturae, in quantum plus minusve ad hanc mensuram accedit. In prima hac specie analogiae «signum distributivum (v. g. omnis) distribuit pro omnibus contentis» i. e. applicat conceptum termini ad omnia et singula sub ipso comprehensa. Sed hoc non valet quoad secundam speciem. Secunda species sive analogia proportionalitatis declaratur in textu. Ex hoc principio S. Doctor deducit, quod potentia generandi in Deo non comprehendatur proprie sub omnipotentia (in corp. et dub. 1. 2.). Idem docent: Alex. Hal., S. p. 1. q. 21. m. 4. a. 3. — Scot., Report., 1. Sent. d. 20. q. 2. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Egid. R., 1. Sent. d. 20. princ. 1. q. 4. et 2. — Dionys. Carth., hic. q. 3. — Consentit etiam S. Thom. 1. Sent. d. 20. q. 1. a. 4; S. 1. q. 42. a. 6. ad 3; tamen de Potentia q. 2. a. 5. aliter loquitur. Videtur autem, quod solus modus loquendi sit diversus.

IV. Quoad conclusionem cfr. Alex. Hal., S. p. 1. q. 20. m. 1. et 2. — B. Albert., hic a. 4.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista incidunt dubitationes circa litteram, et prima est de solutione ista Magistri, qua dicit, quod non sequitur: *Pater potest generare, quod non* [1] *Filius: ergo potest aliquid, quod non Filius;* et respondet, quod *posse generare non est posse aliquid subiectum divinae potentiae.* Sed hoc non videtur solvere, sed aggravare argumentum. Tunc enim, cum *posse generare* [2] sit posse maximum, videtur quod maius inconveniens sequatur, et magis derogetur potentiae Filii, si in hoc deficit, quam si in subiectis [3] divinae potentiae.

Respondeo: Dicendum, quod Magister bene solvit. Potentia enim Patris habet comparari ad inferius et ad aequale, sed ad superius non, cum careat superiori. Cum comparatur ad *inferius*, tunc est potentia essentialis et essentialiter retenta, quia connotat respectum [4] in creatura; et respectu talis potentiae inconveniens esset, quod aliquid posset Pater, quod non posset Filius, quia tunc differrent per essentiam. Cum autem comparatur ad *aequale*, ut ad personam, tunc trahitur ad personam; et tunc nullum inconveniens est, si aliqua proprietas personalis est in Patre, quae non est in Filio. Ideo non sequitur, quod aliqua potentia sit in Patre, quae non sit in Filio [5].

Dub. II.

Item dubitatur de hoc quod dicitur, quod *generatio Filii non est de omnibus.* Videtur enim Richardus de sancto Victore [6] dicere contrarium, qui dicit, quod quia omnipotens est, excusari non potest, quin Filium genuerit: ergo generatio Filii continetur sub omnipotentia: ergo Filius inter *omnia* continetur et est.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magister, generatio Filii non continetur sub omnipotentia, nisi acciperetur omnipotentia per appropriationem. Et quod dicit Richardus non intelligitur [7], tanquam Filius sit *inter omnia,* sed tanquam *ante omnia;* unde arguit a posteriori. Si enim emanatio naturae secundum rationem intelligendi praecedit emanationem secundum rationem voluntatis, nunquam Deus esset potens producere creaturam per voluntatem, nisi etiam produxisset Filium per naturam.

Dub. III.

Item videtur male dicere, cum dicit, quod *esse Patrem non est esse aliquid;* quia cum inter *aliquid* et *nihil* non cadat medium, si non est esse aliquid: ergo est esse nihil [8].

Respondeo: *Esse aliquid* dicitur dupliciter: *vel* communiter ad essentiam et personam; et sic non cadit medium, et in hoc sensu *esse Patrem* est *esse aliquid; alio modo,* prout trahitur [9] ad essentiam; et sic cadit inter *esse aliquid* et *esse nihil* medium, scilicet *esse aliquem;* persona enim praedicatur ut *quis*, non ut *quid* [10].

Dub. IV.

Item quaeritur de ista illatione Magistri: Spiritus sanctus potuit esse Filius, ergo potuit mutari, et ponitur ibi: *Si enim nasci potuit, potuit esse Filius* etc. Videtur ista illatio non valere, quia in creaturis, ubi

---

[1] Supple hic et paulo infra cum codd. X dd *potest.*

[2] Vat. confuse et contra antiquiores codd. et ed. 1 *Cum* loco *Tunc,* et deinde prosequitur: *enim generare eum posse sit posse* etc.

[3] Vat. falso pro *in subiectis* ponit *eum generare Filium esset aliquid subiectum* et contra omnes codd. cum ed. 1, qui in eo tantum dissident, quod multi ut A C F G H M R S T etc. post *quam* minus bene omittunt *si.* Cod. O *si enim in hoc deficit, plus deficit, quam si deficit in subiectis.*

[4] Praeter fidem mss. et edd. 1, 2, 3 praemittit Vat. *effectum seu,* et paulo ante ponit *tenta* pro *retenta.*

[5] De hoc et sequenti dubio vide hic q. 3. et 4. cum Scholiis.

[6] Libr. III. de Trin. c. 4: Sed qui absque dubio omnipotens est, per impossibilitatem excusari non potest.

[7] Aliqui codd. *intelligit;* codd. H O *intelligas.* Paulo infra ex antiquioribus mss. et ed. 1 post *arguit* substituimus *a* pro *ex.*

[8] Ita mss. cum ed. 1, sed Vat. *si Pater non esset aliquid, ergo esset nihil. Resp. Dicendum quod esse* etc.

[9] Plerique codd. ut A F G K T U V Y etc. cum ed. 1 *contrahitur.*

[10] Plura vide infra d. 23. a. 1. q. 3.

magis differt relatio a supposito, potest dici, quod [1] similis potest esse alteri dissimilis sine sui mutatione: ergo cum filiatio et spiratio sint relationes, pari ratione Filius poterit esse Spiritus sanctus, et e converso sine mutatione. *Item*, omne mutabile est aliquid praeter illud, secundum quod mutatur, ut si *non album* fiat *album*, est aliud quam albedo: ergo si intelligatur Spiritus sanctus mutari, si generetur, tunc aliud esset in eo *generatio*, aliud *ille qui generatur;* sed hoc falsum: ergo etc.

Differunt relationes in Deo et in creatoris. Respondeo: Secus est in relationibus creaturae et Dei: quoniam relationes in creaturis non dant relativis existere; unde sine illis potest res esse et cum illis; in divinis autem dant personis *existere;* et ideo si in personis intelligatur, quod proprietas [2] insit hypostasi, intelligitur esse hypostasis, et similiter, si intelligitur non inesse, intelligitur hypostasis non esse. Cum ergo Spiritus sanctus non possit simul spirari et generari — quia quamvis una persona possit duobus modis producere, tamen una persona non potest nisi uno modo produci — sequitur de necessitate: si potest Spiritus sanctus esse Filius vel potuit, potest non esse Spiritus sive non spirari; et si potuit non spirari, potuit non esse; et iterum si potuit generari, potuit esse: et ita potuit fieri de ente non ens et de non ente ens, ac per hoc mutari.

Et sic [3] patet ultimum, quia non dicitur mutari propter diversificationem proprietatum circa idem suppositum, sicut est in mutatione naturali, sed propter corruptionem et inceptionem eiusdem. Nec est illud simile: Pater potest generare et spirare sine sui mutatione: ergo Spiritus sanctus [4] generari et spirari; quia non est inconveniens, unum principium pluribus modis producere, sed unum principiatum pluribus modis produci est impossibile et incompossibile; et ideo patet illud.

Dub. V.

Item videtur falsum dicere, cum dicit: *Pater non est potens nisi natura; eius enim potentia est essentia,* quia secundum hoc *generare,* quod nullo modo est essentiae, nullo modo esset potentiae.

Respondeo: Quamvis potentia, absolute considerata, sit idem quod essentia, tamen potentia, quia non est nomen adeo abstractum sicut essentia, trahitur ad personam. Unde potentia generandi non dicit naturam divinam simpliciter, sed naturam ut in tali persona, scilicet innascibili; ideo non est simile de hoc nomine *essentia* et de hoc nomine *potentia* [5].

Dub. VI.

Item videtur male dicere ibi: *Aliam significes potentiam, qua Pater potest gignere* etc.; quia potentiae divisio sufficiens est per *activam* et *passivam* [6]; sed *posse gignere* dicit potentiam activam, *posse gigni* potentiam passivam: ergo non potest alia potentia significari. *Si tu dicas,* quod *generare* non est agere proprie, similiter nec *generari* pati; *obiicitur,* quod potentiae distinguuntur per actus [7]; sed aliud est gignere et aliud gigni: ergo alia est potentia huius et illius.

Respondeo: Ista distinctio, quam ponit Magister de potentia gignendi active et passive, fundatur super hoc, quod potentia potest considerari secundum id *quod est;* et sic dicit naturam, et sicut una natura est in generante et genito, sed alio et alio modo, sic eadem potentia. Potest iterum considerari secundum id *ad quod est;* et sic dicit modum existendi naturam in persona in comparatione ad alium, qui est principium vel principiatum. Et sic, cum diversi modi sint, diversae dicuntur proprietates *posse generare* et *posse generari* et distinguuntur secundum actus personales; sed primo modo non. Potentia consideratur dupliciter.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Filius habet potentiam, qua potest esse Filius sive qua potest gigni.* Videtur enim dubium vel falsum, quia *gigni* omnino est a *gignere,* et *gignere* est a potentia Patris: ergo et *gigni.*

Respondeo: Sicut potentia gignendi in Patre non dicit nisi naturam in persona ut natam ex se producere aliam, sic potentia gignendi in Filio non dicit nisi naturam [8] in persona ut natam produci ab alia; sicut enim hypostasi Patris convenit generare, sic hypostasi Filii convenit generari. Nec valet quod obiicitur in contrarium. Nam omne quod habet Filius, sive essentiale sive personale, habet a Patre. Ideo quamvis ipsum gigni sit a potentia Patris, non excluditur tamen [9], quin potentia gignendi passiva sit in Filio. Sed illa potentia non

---

[1] Vat. praeter finem mss. et ed. 1 addit *idem.*

[2] De varia acceptione huius nominis *proprietas*, quatenus scilicet convenit cum relatione et ab ea distinguitur, sicuti et de relationibus in Deo vide infra d. 26. per totam. — Codd. hoc loco inter se non conveniunt; aliqui enim ut X cc post *ideo si* omittunt *in personis*, e contra cod. T cum ed. 1 addit *divinis;* mox post *esse* multi codd. cum edd. 1, 2, 3 omittunt *hypostasis*, quod cod. cc, interpunctione mutata, ponit loco *hypostasi.*

[3] Plures codd. ut AGHIKSTWXZ cum ed. 1 omittunt *sic*, et paulo infra fere omnes codd. cum ed. 1 contra Vat. *diversificationem* ponunt pro *diversitatem.*

[4] Cod. dd addit *potest.*

[5] Plura de hoc dubio, sicut et de duobus seqq. vide hic q. 2. et 3. ac apud Richardum, hic q. 3.

[6] Vide Aristot., V. Metaph. text. 17. et ibid. IX. text. 2. (IV. c. 12. et VIII. c. 1.).

[7] Vide supra q. 1. fundam. 2.

[8] Aliqui codd. ut T cc modo positivo *in Filio dicit naturam.* Cod. bb post *persona* addit *Filii.*

[9] Codd. omittunt *tamen.*

est principium generationis, sed idoneitas personae sive hypostasis cum sua proprietate ad generari. Unde quod dicitur *posse gigni*, potentia potest intelligi *originaliter*, et sic est in solo Patre; vel *formaliter*, et sic ponitur esse in Filio; alio autem modo non.

DISTINCTIO VIII.

Pars I.

Cap. I.

De veritate ac proprietate divinae essentiae.

Nunc de veritate sive proprietate, et incommutabilitate atque simplicitate divinae naturae vel [1] substantiae sive essentiae agendum est. « Est itaque Deus, ut ait Augustinus in quinto libro de Trinitate [2], sine dubitatione substantia vel, si melius hoc appellatur, essentia, quam Graeci usiam vocant. Sicut enim ab eo quod est sapere dicta est sapientia, et ab eo quod est scire dicta est scientia; ita ab eo quod est esse dicta est essentia. Et quis magis *est* quam ille, qui in Exodi tertio [3] dixit famulo suo Moysi: *Ego sum qui sum. Et dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos* ». Ipse vere ac proprie dicitur essentia, cuius essentia non novit praeteritum vel futurum. Unde Hieronymus ad Marcellam [4] scribens ait: « Deus solus, qui exordium non habet, verae essentiae nomen tenuit, quia in eius comparatione, qui vere est, quia incommutabilis est, quasi non sunt quae mutabilia sunt. De quo enim dicitur *fuit*, non *est*; et de quo dicitur *erit*, nondum *est*. Deus autem tantum est, qui non novit *fuisse* vel *futurum esse*. Solus ergo Deus vere est, cuius essentiae comparatum nostrum esse non est ».

Explicantur verba Hieronymi. Hic diligenter advertendum est, quomodo intelligi debeant illa verba Hieronymi, scilicet: « Deus tantum est et non novit fuisse vel futurum esse [5] », tanquam non possit dici de Deo *fuit*, vel *erit*, sed tantum *est*, cum de eo scriptum frequenter reperiamus: fuit ab aeterno, fuit semper, et erit in saecula, et huiusmodi; unde videtur, quia non est tantum dicendum de Deo *fuit*, vel *est*, vel *erit*. Si enim diceretur tantum *fuit*, putaretur, quod desierit esse; si diceretur tantum *est*, putaretur, quod non semper fuerit, sed esse coeperit; si tantum diceretur *erit*, putaretur non esse modo. Dicatur ergo, quia semper fuit, est et erit, ut intelligatur, quia nec coepit nec desiit nec desinit [6] nec desinet esse. De hoc Augustinus super Ioannem [7] ita ait: « Cum de sempiterna re proprie dicatur *est*, secundum nos bene dicitur *fuit* et *erit* et *est*: *fuit*, quia nunquam desiit; *erit*, quia nunquam deerit; *est*, quia semper est: non praeteriit, quasi quod non maneat; non orietur [8], quasi quod non erat. Cum ergo nostra locutio per tempora varietur, de eo vere dicuntur verba cuiuslibet temporis, qui nullo tempore defuit vel deest vel deerit; et ideo non est mirum, si de Spiritu veritatis Veritas loquens dixit per futurum: *Quaecumque audiet loquetur* [9]; *audiet*, scilicet ab eo a quo procedit. Audire illius est scire, idem etiam [10] esse. A quo ergo est illi essentia, ab illo audientia, id est scientia, quae non est aliud quam essentia. *Audiet* ergo dixit de eo quod audivit et audit, id est, quod semper scivit, scit et sciet ». Ecce hic dicit Augustinus, verba cuiuslibet temporis dici de Deo, sed tamen [11] proprie *est*. Illud ergo quod Hieronymus dicit, ita intelligendum est: non novit *fuisse* vel *futurum esse*, sed tantum *esse*, id est, cum dicitur de Deo, quod fuit vel erit, non est intelligendum, quod praeterierit vel futurus sit [12], sed quod existat simpliciter sine aliquo temporali motu. Licet enim verba substantiva diversorum temporum de Deo dicantur, ut fuit, erit, est, erat, non tamen temporales motus tunc [13] distinguunt, scilicet praeteritum vel futurum vel praeteritum imperfectum vel praeteritum perfectum vel praeteritum plus quam perfectum, sed essentiam sive existentiam divinitatis simpliciter insinuant. Deus ergo solus proprie dicitur essentia vel esse; unde Hilarius in septimo libro de Trinitate [14] ait: « Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas et manens causa et naturalis generis proprietas.

---

[1] Vat. contra codd. et edd. 1, 3, 8 *sive*.

[2] Cap. 2. n. 3. Cfr. etiam XII. de Civ. Dei, c. 2.

[3] Vers. 14, ubi Vulgata: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices etc. — Immediate ante Vat. contra codd. et edd. 1, 5, 6, 8 omittit *Moysi*.

[4] Edd. 6, 7, 8 *ad Damasum*, attamen neutro in loco haec sententia ad verbum invenitur, sed apud Isidorum, VII. Etymolog. c. 1. n. 10-13, ubi in ed. Migne (Patr. lat. tom. 82.) recte observatur, locum istum potius conflatum esse ex Augustini et Gregorii variis locis, et primam partem, scil. usque ad *non sint*, sumtam esse ex August., VIII. de Civ. Dei, c. 11. — Vide etiam Rabanum, Comment. in Exod. libr. I. c. 6. — In ipso textu Vat. cum cod. A et edd. 4, 5, 6, 7, 8 *tenet* loco *tenuit*, et mox cum edd. 1, 4, 7 *quasi non sint* pro *quasi non sunt*.

[5] Codd. et ed. 1 omittunt *vel futurum esse*, et paulo infra cod. D cum edd. 1, 8 ponunt *de Deo* pro *de eo*.

[6] In Vat. et cod. D nec non in edd. 4, 5, 6, 7 desiderantur verba *nec desinit*.

[7] Tract. 99. n. 45; est tamen aliqua differentia verborum in principio.

[8] Fide codd. et edd. 1, 2, 3, 8, 9, 10 necnon originali consentiente substituimus *orietur* pro *erit*. Paulo supra codd. cum edd. 1, 2, 3, 6, 8, 9, 10 omittunt contra contextum *et est*.

[9] Ioan. 16, 13.

[10] Codd. B C D E *est* loco *etiam*; cod. A *etiam est*.

[11] Codd. cum ed. 1 omittunt *tamen*.

[12] Vat. contra codd. B C D E et fere omnes edd. *praeteriit vel futurum sit*.

[13] Vat. cum edd., excepta ed. 1, *esse* pro *tunc*. Paulo infra Vat. cum edd., excepta ed. 1, verbo *divinitatis* praefigit *suae*.

[14] Num. 11. — Paulo ante Vat. et aliae edd., dempta 1, addunt *suae* post *existentiam*.

Cap. II.

De incommutabilitate eiusdem.

Dei etiam solius essentia proprie incommutabilis dicitur, quia nec mutatur nec mutari potest. Unde Augustinus in quinto libro de Trinitate [1]: « Aliae, inquit, essentiae vel substantiae capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacumque mutatio; Deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest; et ideo sola substantia vel essentia, quae est Deus, incommutabilis est, cui profecto maxime ac verissime competit *esse*. Quod enim mutatur non servat ipsum *esse;* et quod mutari potest, etiam si non mutetur, potest quod fuerat non esse; ideoque illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, verissime dicitur esse », id est substantia Patris et Filii et Spiritus sancti. Ideoque Apostolus loquens de Deo ait [2]: *Qui solus habet immortalitatem.* Ut enim ait Augustinus in libro primo de Trinitate [3]: « Cum anima quodam modo immortalis esse dicatur et sit, non diceret Apostolus: *Solus Deus habet immortalitatem*, nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est, quam nulla potest habere creatura, quoniam solius Creatoris est ». Unde Iacobus ait [4]: *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Et David: *Mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es.* Ideo Augustinus super Genesim [5] dicit, quod Deus nec per loca nec per tempora movetur, creatura vero per tempora et loca. Et *per tempora moveri* est per affectiones commutari; Deus autem nec loco nec affectione mutari potest, qui per Prophetam ait [6]: *Ego Deus, et non mutor*, qui est immutabilis solus. Unde recte *solus* dicitur *habere immortalitatem.* « In omni enim mutabili natura, ut ait Augustinus contra Maximinum [7], nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse, quod erat. Unde et ipsa anima humana, quae ideo dicitur immortalis, quia secundum modum suum nunquam desinit vivere, habet tamen quandam mortem suam; quia si iuste vivebat et peccat, moritur iustitiae; si peccatrix erat et iustificatur, moritur peccato, ut alias eius mutationes taceam, de quibus modo longum est disputare. Et creaturarum natura caelestium mori potuit, quia peccare potuit. Nam et Angeli peccaverunt et daemones facti sunt, quorum est diabolus princeps; et qui non peccaverunt, peccare potuerunt; et cuicumque creaturae rationali praestatur, ut peccare non possit, non est hoc naturae propriae, sed Dei gratiae. Et ideo *solus Deus*, ut ait Apostolus, *habet immortalitatem*, qui non cuiusquam gratia, sed natura sua nec potuit nec potest aliqua conversione mutari, nec potuit nec poterit aliqua mutatione peccare ». « Proinde, ut ait Augustinus in primo libro de Trinitate [8], substantiam Dei sine ulla sui commutatione mutabilia facientem et sine ullo suo temporali motu temporalia creantem intueri et nosse, licet sit difficile, oportet ». Vere ergo ac proprie incommutabilis est sola Divinitatis essentia, quae sine sui mutatione cunctas condidit naturas.

Pars II.

Cap. III.

De simplicitate eiusdem.

Eademque sola proprie ac vere simplex est, ubi nec partium nec accidentium seu [9] quarumlibet formarum ulla est diversitas sive variatio vel multitudo. Ut autem scias, quomodo simplex sit illa substantia, ut te docet Augustinus in sexto libro de Trinitate [10], « animadverte primo, quare omnis creatura sit multiplex et nullo modo vere simplex, et primo de corporali, postea de spirituali creatura. Corporalis utique creatura partibus constat, ita ut sit ibi alia pars minor, alia maior, et maius sit totum quam pars quaelibet; et in unoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura. Potest enim, et minuta magnitudine, manere idem color et eadem figura; et colore mutato, manere eadem figura et eadem magnitudo. Ac per hoc multiplex esse convincitur natura corporis, simplex autem nullo modo ».

Cap. IV.

De corporali et spirituali creatura, quomodo sit multiplex, et non simplex.

« Creatura quoque spiritualis, ut est anima, in comparatione quidem corporis est simplex, sine comparatione vero corporis multiplex est, et non simplex. Quae ideo simplex dicitur respectu corporis, quia mole non diffunditur per spatium loci, sed in unoquoque corpore et in toto tota est et in qualibet eius parte tota est. Et ideo, cum fit [11] aliquid in quavis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quamvis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet. Sed tamen nec in ipsa anima vera simplicitas

---

[1] Cap. 2. n. 3. — In quo textu post *non servat ipsum* contra originale, codd. et ed. 1 Vat. cum aliis edd. addit *verum.*

[2] I. Timoth. 6, 16; idem textus infra bis occurrit.

[3] Cap. 1. n. 2.

[4] Cap. 1, 17. Sola Vat. *Apud Deum.* — Sequens textus est Psalm. 101, 28.

[5] Super Genes. ad litteram VIII. c. 20. n. 39. secundum sensum; cfr. etiam c. 21. 22. 23. 26.

[6] Malach. 3, 6. Vulgata: *Ego Dominus* etc.

[7] Libr. II. c. 12. n. 1.

[8] Cap. 1. n. 3.

[9] Edd., exceptis 1, 8, *nec.*

[10] Cap. 6. n. 8. — Paulo ante restituimus ex codd. et edd. 1, 6, 8 *ut* ante *docet Augustinus.* In ipso textu ante *de corporali* Vat. cum aliis edd., exceptis 1, 4, *primum* pro *primo.* Deinde ante *partibus* Vat. cum plurimis edd. et cod. B addit *ex.* Mox post *ibi* Vat. ponit *aliqua* pro *alia.* Paulo infra ante *figura. Potest* Vat. cum plurimis edd. adiicit *est*, et immediate post omissa particula *et* ponit *imminuta* pro *minuta* contra codd. BCD et fere omnes edd.; Augustinus *diminuta.*

[11] Codd. ABDE et edd. 3, 5, 7, 8, 9 male *sit.* — Infra Vat. cum paucis edd. non bene adiicit *tota* legendo *in ipsa tota anima vera;* et immediate post edd. 2, 3, 7 *vere* pro *multiplicem vera.*

est. Cum enim aliud sit artificiosum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud laetitia, aliud tristitia, possintque haec et alia huiusmodi innumerabilia in animae natura inveniri, et alia sine aliis et alia magis [1], alia minus, manifestum est, non simplicem, sed multiplicem esse naturam. Nihil enim simplex mutabile est; omnis autem creatura mutabilis est [2] »: nulla ergo creatura vere simplex est. « Deus vero, etsi multiplex dicatur, vere tamen et summe simplex est. Dicitur enim magnus, bonus, sapiens, beatus, verus et quidquid aliud non indigne dici videtur, sed eadem magnitudo eius est, quae sapientia. Non enim mole magnus est, sed virtute, et eadem bonitas, quae sapientia et magnitudo et veritas; et non est ibi aliud ipsum beatum esse, et aliud magnum aut sapientem aut verum aut bonum esse aut omnino esse ».

Cap. V.

Quod Deus, cum sit simplex, tamen multipliciter dicitur.

Hic diligenter notandum est, cum dicat Augustinus, solum Deum vere simplicem esse, cur dicat, eundem multipliciter dici. Sed hoc non propter diversitatem accidentium vel partium dicit, sed propter diversitatem ac multitudinem nominum, quae de Deo dicuntur; quae licet multiplicia sint, unum tamen significant, scilicet divinam naturam. Haec enim non ita accipiuntur, cum de illa incommutabili aeternaque substantia incomparabiliter simpliciore, quam est humanus animus, dicuntur, quemadmodum cum de creaturis dicuntur. Unde Augustinus in sexto libro de Trinitate [3]: « Deo est hoc *esse*, quod est *fortem esse* vel *sapientem esse* vel *iustum esse*, et si quid de illa simplici multiplicitate vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significetur. Humano autem animo non est hoc *esse*, quod est *fortem esse* aut *prudentem* aut *iustum;* potest enim esse animus et nullam istarum habere virtutum ».

Cap. VI.

Quod Dei simplicitas nulli praedicamentorum subiicitur.

Quod autem in natura divina nulla sit accidentium diversitas nullaque penitus mutabilitas, sed perfecta simplicitas, ostendit Augustinus in quinto libro de Trinitate [4] dicens: « Intelligamus Deum, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ praesidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnino invenire quid sit, pie tamen caveat, quantum potest, aliquid de illo sentire, quod non sit ». Ecce, si subtiliter intendas, ex his atque praedictis aperitur, illa praedicamenta artis dialecticae Dei naturae minime convenire, quae nullis subiecta est accidentibus.

Cap. VII.

Quod Deus abusive dicitur substantia.

Unde nec proprie dicitur substantia, ut Augustinus ostendit in libro septimo de Trinitate [5]: « Sicut ab eo quod est *esse* appellatur essentia, ita ab eo quod est *subsistere* substantiam dicimus, si tamen dignum est, ut Deus dicatur subsistere. Hoc enim de his rebus recte intelligitur, in quibus subiectis sunt ea quae in aliquo subiecto esse dicuntur, sicut in corpore color aut forma. Corpus enim subsistit, et ideo substantia est. Res ergo mutabiles neque simplices proprie dicuntur substantiae. Deus autem, si subsistit, ut substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid tanquam in subiecto, et non est simplex. Nefas est autem dicere, ut subsistat Deus et subsit bonitati suae, atque illa bonitas non substantia sit vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in subiecto. Unde manifestum est, Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiori intelligatur essentia, quod vere ac proprie dicitur, ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis est ».

Cap. VIII.

Quod non est in Deo aliquid, quod non sit Deus.

Huius autem essentiae simplicitas ac sinceritas tanta est, quod non est in ea aliquid, quod non sit ipsa; sed idem est habens et quod habetur. Unde Hilarius in septimo libro de Trinitate [6] ait: « Non ex compositis Deus, qui vita est, subsistit, neque qui virtus est, ex infirmis continetur, neque qui lux est, ex obscuris coaptatur, neque qui spiritus est, ex disparibus formalis est: totum quod in eo est, unum est ». Idem in octavo libro de Trinitate [7]: « Non humano modo ex compositis Deus est, ut in eo aliud sit

---

[1] Vat. sola repetit hic *et* nec non *minus* post *manifestum est;* eadem cum edd. 2, 6, 8 addit *animae;* cod. D vero post *multiplicem* ponit *eius.*

[2] Libr. VI. de Trin. c. 6. n. 8. Quae sequuntur sumta sunt ex c. 6. et 7. Circa finem huius textus post *eadem bonitas* Vat. contra codd. et edd. 1, 2, 3, 7 adiicit *eius est.* Denique nonnullae edd. *aliud sapientem aliud* pro *aut sapientem aut.*

[3] Cap. 4. n. 6. — Vat. et ceterae edd. in principio post *Deo* addunt *inquit.*

[4] Cap. 1. n. 2. — In principio huius cap. pro *divina* codd. BCD *deitatis*, AE *divinitatis.* In ipso textu post *situ* edd. 1, 8 *praesentem* loco *praesidentem;* circa finem eiusdem Vat. et edd. 4, 5, 8, 9 post *quid sit* addunt *ipse.*

[5] Cap. 4. in fine et c. 5. in principio. — In textu *ante subiectis* Vat. et edd. 4, 9 addunt *ut;* edd. 1, 6, 8 hic et paulo infra ante *subiecto* adiiciunt *ut in* contra originale, codd. et ceteras edd. Deinde edd. praeter fidem codd. et originalis post *Res* ponunt *vero* pro *ergo.*

[6] Num. 27. Non *enim* ex compositis *atque inanimis* Deus... ex *infirmibus* continetur.... ex disparibus *formabilis* est, ubi cod. A *disparibus formatur.* Pro *formalis* in textu Magistri legendum videtur *formabilis.* Hunc textum explicat S. Bonaventura, hic p. II. dub. 6.

[7] Num 43. — In hoc textu Vat. et edd. 4, 8, 9 et cod. B corrupte pro *vita est natura* legunt *una est natura*, ubi Hilarius clarius: *sed totum, quod est, vita est.*

quod ab eo habetur, et aliud sit ipse qui habeat, sed totum vita est, natura scilicet perfecta et infinita et non ex disparibus constituta, sed vivens ipsa per totum ». De hoc eodem Boethius in primo libro de Trinitate [1] ait: « Quocirca hoc vere unum est, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud praeter id quod est; neque enim subiectum fieri potest ». Augustinus quoque in libro de Fide et Symbolo [2] dicit: « In Dei substantia non est aliquid, quod non sit substantia, quasi aliud sit ibi substantia, aliud quod accidat substantiae. Sed quidquid ibi intelligi potest, substantia est. Verum haec dici possunt facile et credi, videri autem nisi puro corde omnino non possunt ». Item Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate [3]: « Sic habetur in natura uniuscuiusque trium, ut qui habet hoc sit, quod habet, sicut immutabilis simplexque substantia ». Unde Isidorus [4] ait: « Deus simplex dicitur, sive non amittendo quod habet, seu quod aliud non est ipse, et aliud quod in ipso est ». Et cum tantae simplicitatis atque sinceritatis sit natura divina, est tamen in ea personarum Trinitas. Unde Augustinus in libro undecimo de Civitate Dei [5] ait: «Non propter hoc naturam summi boni simplicem dicimus, quia est Pater in ea solus, aut Filius in ea solus, aut Spiritus sanctus in ea solus, aut quia sola est ista nominum trinitas sine substantia personarum, sicut Sabelliani putaverunt: sed ideo simplex dicitur, quia est hoc quod habet, excepto quod relative quaeque persona ad alteram dicitur, nec est ipsa. Nam utique Pater habet Filium, ad quem relative dicitur, nec tamen ipse est Filius; et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo vero ad semetipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet, sicut ad semetipsum dicitur vivus, habendo vitam, et eadem vita ipse est. Propter hoc itaque [6] natura haec dicitur simplex, quod non sit aliud habens, et aliud id quod habet, sicut in ceteris rebus est. Non enim habens liquorem liquor est, nec corpus color, nec anima est sapientia ». Ecce, quanta est identitas, quanta est unitas, immutabilitas, simplicitas, puritas divinae substantiae, iuxta infirmitatis nostrae valitudinem assignavimus.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VIII.

De proprietatibus et conditionibus essentialibus Trinitatis et Unitatis.

Pars I.

De veritate et immutabilitate Dei.

Nunc de veritate sive de proprietate et incommutabilitate etc.

DIVISIO TEXTUS.

Terminatis superius duabus partibus istius partis principalis, quae est de Trinitate secundum quod *intelligitur*, in quibus ad probandam Trinitatem Magister adduxit rationes et removit dubitationes; in hac *tertia* parte determinat Magister ipsius [1] Trinitatis et Unitatis proprietates et conditiones. Et quoniam quaedam sunt proprietates respicientes *essentiam*, ut veritas, quaedam *personas*, ut generatio, quaedam *utrasque*, ut aequalitas: ideo haec pars tres habet partes. In *prima* parte agit Magister de proprietatibus essentialibus; in *secunda*, de proprietatibus personalibus, infra distinctione nona: *Nunc ad distinctionem personarum* etc.; in *tertia*, de proprietatibus et conditionibus quodam modo essentialibus et quodam modo personalibus, sicut est aequalitas personarum in aeternitate, magnitudine et virtute [2], infra distinctione decima nona: *Nunc postquam coaeternitatem trium personarum* etc.

Prima pars, quae continet praesentem distinctionem, tres habet partes secundum tres proprietates, quas assignat; et *prima* est de *veritate; secunda* de *immutabililate*, et haec ponitur tertio capitulo [3]: *Dei etiam solius essentia proprie incommutabilis dicitur; tertia* de *simplicitate*, quae ponitur quarto capitulo [4]: *Eademque sola proprie, ac vere simplex est* etc.

---

[1] Cap. 2. — In quo textu Vat. post *praeter id quod* addit *in eo*, contradicentibus omnibus codd., edd. 1, 6 et originali.

[2] Cap. 9. n. 20. — Mss. et edd. 2, 3, 5, 7 citant falso *de Fide ad Petrum*. — In quo textu codd. BC cum omnibus aliis edd. non bene ponunt *accidit* pro *accidat*.

[3] Cap. 17. n. 28. — In quo textu contra orignale, codd. et edd. 1, 6, 8 Vat. ponit *quod* pro *ut*. Mox post *sicut* cod. A addit *est* et deinde ponit *natura* loco *substantia*.

[4] Libr. VII. Etymolog. c. 1; idem occurrit libr. I. Sent. c. 1. — Ipse Isidorus loc. cit. legit: *seu quia non aliud est;* edd. vero 1, 3, 5, 7, 9 *seu non aliud habet quod non est*, et ed. 2 insuper addit *quia* post *seu*.

[5] Cap. 10. n. 1. et 2. — Vat. et edd. 4, 5 omittunt *ait* post *Civitate Dei*. In hoc textu omnes codd. et ed. 1 post *Spiritus sanctus* omittunt *in ea;* et immediate post codd. et edd. 1, 2, 3, 7, 8 pro *aut* ponunt *id est*, contradicente originali. Insuper edd. 2, 3, 4, 5, 7, 9 *substantia* pro *subsistentia*, et loco *sine* edd. omnes cum codd. CE exhibent *sive*, sed falso et contra originale et codd. ABD.

[6] Vat. *utique* contra omnes codd. et edd. 2, 6.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Praeter fidem mss. et ed. 1 omisso *Magister*, substituit Vat. *istius* loco *ipsius* et paulo infra *utraque* pro *utrasque*.

[2] Vat. *unitate* pro *virtute*, sed contra textum Magistri et codd.

[3] Ita codd. cum ed. 1 ad normam alterius divisionis capitulorum; in nostra vide c. 2. — Vat. hic et in seqq. *ibi*.

[4] In nostra ed. c. 3. — Vat. *et haec* loco *quae*, sed contra mss.

Item *prima* pars habet duas partes, quia *primo* attribuit Deo proprietatem veritatis; *secundo* removet dubitationem habentem ortum ex praedictis, secundo capitulo [1]: *Hic diligenter advertendum est.* Similiter *secunda* pars habet duas: in prima assignat Deo [2] proprietatem incommutabilitatis et probat auctoritate Augustini; in secunda confirmat per Apostolum, ibi: *Ideoque Apostolus loquens* etc. *Tertia*, de simplicitate infra subdividetur.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

In parte ista [3] ad evidentiam duarum primarum proprietatum, quas Magister primo assignat, scilicet *veritatis* et *incommutabilitatis*, duo principaliter quaeruntur:

Primo quaeritur [4] de ipsa veritate.

Secundo de immutabilitate.

De veritate iterum quaeruntur duo:

Primo, utrum veritas sit proprietas divini esse.

Secundo, utrum sit eius proprietas in summo, id est, adeo quod non possit cogitari non esse.

ARTICULUS I.

De veritate Dei.

QUAESTIO I.

Utrum veritas sit proprietas divini esse.

Quod veritas sit proprietas divini esse, ostenditur *auctoritatibus* et *rationibus*.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Primo modo sic: Hieronymus ad Marcellam, et habetur in littera [5]: « Solus Deus vere est, cuius essentiae comparatum nostrum esse non est »; sed quod alicui soli convenit, est proprium illi: ergo veritas est proprium divini esse.

2. Item, Augustinus de Vera Religione [6]: « Falsitas est ex istis rebus, quae imitantur illud unum, quo est unum quidquid est, inquantum illud implere non possunt ». Si ergo nulla creatura potest illud summum unum implere, veritas non est in aliqua creatura, sed in omnibus falsitas.

3. Item, Augustinus in Soliloquiis et de Vera Religione [7] dicit, quod lux increata est ratio cognoscendi se et omnia cognoscibilia: ergo si veritas est ratio cognoscendi, et sola lux increata est veritas: ergo veritas est proprietas Dei solius.

4. Item, Anselmus in libro de Veritate [8] dicit, quod omnia sunt vera prima veritate: aut ergo intelligit *effective,* aut *formaliter;* non effective, quia similiter omnia possent dici vera [9] prima bonitate: ergo intelligitur formaliter: ergo non est alia veritas quam veritas increata: ergo si illa est in Deo et Deus, veritas est solius Dei proprietas.

5. Item, *rationibus* probatur sic: veritas et vanitas opponuntur; sed omnis creatura habet vanitatem [10] et permixtionem cum non esse, cum sit ex nihilo, et solus Deus hac caret omnino: ergo in solo Deo est veritas.

6. Item, veritas opponitur umbrae. Quod enim est umbra rei, non habet veritatem [11]; sed creaturae sunt umbrae illius summi esse: ergo non habent veritatem in esse.

7. Item, veritas est, qua aliquid est verum; sed veritas est vera, cum sit cognoscibilis; sed constat quod non alio quam se, quia alias [12] esset abire in infinitum; sed quod est verum se ipso, est verum per essentiam: ergo omnis veritas est vera per essentiam; sed sola veritas increata est vera per essentiam: ergo veritas est proprietas Dei solius.

Argg. pro parte negativa.

CONTRA: 1. Si veritas est Dei proprietas, aut ergo veritas *complexa,* aut *incomplexa.* Non *complexa;* quia talis est cum compositione, in Deo autem non est compositio aliqua. Non *incomplexa;* quia haec convertitur cum ente [13]: ergo cum entitas non sit Dei proprietas, pari ratione nec veritas erit.

---

[1] In nostra ed. c. 1. circa medium.

[2] Codd. cum ed. 1 omittunt *Deo* et *incommutabilitatis.*

[3] Vat. contra mss. et ed. 1 *hac* pro *ista;* mox dicitur *primarum,* quia ut *tertia* proprietas a Magistro enumeratur *simplicitas;* omittitur tamen *primarum* a paucis codd. et ed. 1.

[4] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 adiecimus *quaeritur.*

[5] Cap. 1. circa initium. — Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *auctoritate Hieronymi* pro *Hieronymus.*

[6] Cap. 36. n. 66: Si enim falsitas ex iis est, quae imitantur unum, non in quantum id imitantur, sed in quantum implere non possunt. — Et ibid. paulo ante ait: At si corpora in tantum fallunt, in quantum non implent illud unum quod convincuntur imitari, a quo principio unum est, quidquid est. — Vat. contra plurimos codd. *summe* loco *summum.*

[7] Libr. I. Soliloq. c. 8. n. 15. — De Vera Religione c. 34. n. 64. et c. 36. n. 66. — Vat. absque ulla auctoritate mss. et ed. 1 omittit verba *se et omnia* usque *cognoscendi.*

[8] Cap. 13, ubi probat omnium rerum unam solum esse rectitudinem, ex qua concludit: una igitur in omnibus illis est veritas.

[9] Ita cum ed. 1 antiquiores codd., quorum quidem aliqui *possunt* legunt pro *possent;* Vat. autem cum cod. cc *possunt dici bona,* quo posito argumentum destruitur; recte siquidem omnia effective dicuntur et sunt *bona* bonitate prima. Circa finem argumenti Vat. cum cod. cc post *si illa est* repetit verbum *est,* et immediate post Vat. sola pro *et Deus* ponit *etc. ergo;* sed obstat auctoritas mss. et ed. 1.

[10] Rom. 8, 20: Vanitati enim creatura subiecta est. Cfr. etiam Ecclesiastes 3, 19.

[11] Vide Aristot., V. Metaph. text. 34. (IV. c. 29.). — Mox post *summi* supplevimus ex mss. et ed. 1 male omissum *esse.*

[12] Codd. cum ed. 1 *tunc* pro *alias*, sed non ita bene.

[13] Aristot., II. Metaph. text. 4. (I. brevior. c. 1.): Unumquodque sicut se habet ut sit, ita et ad veritatem.

2. Item, verum aeque commune est ut bonum, et quodam modo magis [1]; sed bonitas non est Dei proprietas: ergo pari ratione nec veritas.

3. Item, veritas est ratio discernendi Creatorem a creatura et creaturam a creatura [2]; sed quod est ratio discernendi et distinguendi est diversum in diversis: ergo alia veritas est in Deo quam in creatura, et in una creatura quam in alia: ergo non est proprium solius Dei.

4. Item, Augustinus in Soliloquiis [3]: « Verum est id quod est », ergo veritas est ipsa entitas: ergo non est proprium essentiae, quia si sic, qua ratione dicitur: Veritas est [4] proprietas essentiae, posset dici e converso, cum omnino idem sint.

CONCLUSIO.

Veritas, quatenus opponitur falsitati, invenitur etiam in creaturis secundum triplicem suam comparationem ad subiectum quod informat, ad principium quod repraesentat, ad intellectum quem excitat; quatenus vero opponitur permixtioni, est proprietas solius Dei.

Veritas tripliciter comparatur. RESPONDEO: Dicendum, quod veritas habet triplicem comparationem. Habet enim comparari ad *subiectum* quod informat, ad *principium* quod repraesentat, et ad *intellectum* quem excitat. In comparatione ad *subiectum* veritatis dicitur veritas actus et potentiae indivisio. In comparatione ad *principium* dicitur veritas summae unitatis [5] et primae repraesentatio sive imitatio. In comparatione ad *intellectum* dicitur veritas ratio discernendi.

Haec iterum dupliciter accipitur. Et in omnibus istis comparationibus dupliciter potest accipi veritas: *uno modo,* prout distinguitur contra *falsitatem; alio modo,* prout distinguitur contra *permixtionem,* secundum quod verum dicitur purum et impermixtum.

Prout veritas dividitur contra falsitatem, quae est privatio indivisionis et imitationis et [6] expressionis, sic cum in creatura sit aliquo modo invenire et indivisionem et imitationem et expressionem, sic est veritas non tantum in Creatore, sed etiam in creatura; et sic non assignatur Dei proprietas. Conclusio 1.

Conclusio 2. *Alio modo,* prout veritas dividitur contra permixtionem sive impuritatem, sic est in solo Deo. Nam in solo Deo est *indivisio* pura, non permixta alicui diversitati; in solo Deo est *imitatio* et similitudo pura non permixta alicui dissimilitudini; et in solo Deo est *expressio luminis* non permixta obscuritati [7]. In creatura autem est indivisio cum actus et potentiae diversitate et imitatio cum dissimilitudine; est ulterius in ea expressio cum obscuritate. Et ideo hoc modo veritas est divini esse proprietas; et sic accipit Magister et Augustinus et Hieronymus. Vocant enim verum esse, quod nihil habet de possibilitate, nihil habet de vanitate, nihil de non entitate. Et ideo in Deo non cadit *praeteritio* et *futuritio,* quae aliquo modo non entia sunt.

De argg. affirmativis. 1, 2, 5, 6. Et sic procedunt duae primae auctoritates et rationes.

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod non sit alia veritas quam aeterna, quia ipsa sola facit intelligere; dicendum, quod sicut color est obiectum visus et motivum visus—tamen non sine actu lucis—et differt ab [8] ipsa luce; sic dicendum, quod veritas creata, quamvis non possit movere sine veritate increata, nihilominus est motiva suo modo et alia veritas ab illa.

4. et 7. Ad illud quod obiicitur de Anselmo, quod omnia sunt vera veritate prima; dicendum, quod verum de sui impositione dicit comparationem ad causam exemplarem, sicut bonum ad causam finalem. Sicut enim dicitur bonum ratione *ordinis,* sic verum ratione *expressionis;* et ratio exprimendi est ipsius exemplaris. Sicut igitur, cum dicitur de bonis creatis, quod sunt bona bonitate increata, bonitas praedicat *finem* in ablativo, *non formam,* quia Dei bonitas [9] nullius creati est forma; similiter, cum dicitur, quod omnia sunt vera veritate increata, ablativus dicit causam formalem *exemplarem* [10]. Omnia enim vera sunt et nata sunt se exprimere per expressionem illius summi luminis; quod si cessaret influere, cetera desinerent essa vera. Ideo nulla veritas creata est vera per essentiam, sed per participationem; et per hoc patet ultimum.

De argg. negativis. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod non est proprietas; patet responsio: quoniam

---

[1] Ratio communiter allegata est, quia *verum* est enti propinquius et *in se* abstractius.

[2] August., de Vera Religione, c. 7. n. 13: Omnis enim res vel essentia... simul haec tria habet, ut et unum aliquid sit, et specie propria discernatur a ceteris, et rerum ordinem non excedat.

[3] Libr. II. c. 5. n. 8: Verum mihi videtur esse id quod *est.*

[4] Multi codd. ut BDFIPQTXYZ cum ed. 1 omittunt *est.*

[5] Ex fere omnibus antiquioribus mss. et ed. 1 hic pro *veritatis* substituimus *unitatis,* et paulo infra pro *distinguendi* posuimus *discernendi,* quae lectio etiam comprobatur argumento secundo pro affirmativa parte et argumento tertio pro negativa parte supra allato.

[6] Ex plurimis mss. et ed. 1 supplevimus bis particulam *et.*

[7] Vat. cum cod. cc *permixti obscuritate,* sed contra antiquiores codd., quorum tamen nonnulli etiam habent *obscuritate,* sed minus bene et contra immediate praecedentia.

[8] Vat. praeter fidem mss. et edd. 1, 2, 3 *ipsa a luce,* sed incongrue, et in fine argumenti contra antiquiores mss. post *veritas* addit *est.*

[9] Vat. contra antiquiores codd. *bonitas increata* pro *Dei bonitas.*

[10] Codd. DT expressius *ablativus non dicit causam formalem esse rerum complectivam, sed exemplarem.* Paulo infra Vat. cum cod. cc, sed contra alios et ed. 1, *expressione* loco *per expressionem,* et in fine Vat. sola *patent ultima* pro *patet ultimum,* sed falso.

obiicit de veritate, secundum quod habet oppositionem ad defectum *falsitatis*, non ad permixtionem possibilitatis; praedicto enim modo convenit non tantum Creatori, sed etiam creaturae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod veritas est idem quod divina essentia; dicendum, quod de ratione *proprietatis* in creatura sunt ista tria: primum est, quod convenit soli; secundum est, quod est ratio innotescendi; tertium est, quod differt ab eo cuius est proprietas [1]. Duo prima sunt perfectionis, ultimum vero imperfectionis, quia excludit simplicitatem. Et ideo veritas dicitur divinae essentiae proprietas, non quia differat vel sit inhaerens divinae essentiae, sicut accidens [2] subiecto, sed quia soli convenit et est ratio cognoscendi eam. Et haec est causa, quare e converso essentia non est proprietas veritatis, quia non est ratio innotescendi eam, sicut e converso.

Proprium in creatura.

Si autem *quaeras*, cum idem significent essentia et veritas, quare unum est ratio cognoscendi alterum, et non e converso; ad hoc dixerunt aliqui, quod quamvis idem significent essentia et veritas, tamen unum, scilicet veritas, est magis ratio cognoscendi ratione connotati. Sed hoc non potest stare, quia veritas nihil connotat. Dicendum ergo, quod hoc est ratione modi significandi et intelligendi.

Quaestio incidentalis.

Solutio vera.

Et notandum, quod dupliciter est loqui de his nominibus: *uno* modo ratione eius quod nominant seu significant; *alio* modo ratione eius, in quo significatur poni quod nominant [3]. Unde differt dicere *sensum* et *sensum hominis;* quia primo dicitur commune ad sensum hominis et bruti, secundo proprium hominis. Si ergo accipimus huiusmodi nomina secundum *se*, alia est ratio essentiae, alia veritatis, quoniam essentia dicit *quid*, veritas *conditionem entis*. Cum vero essentiam et veritatem trahimus ad Deum, quamvis idem sint, tamen ratione generalium significatorum unum accipitur ut proprietas alterius; et non est ibi synonymia nec sunt nomina synonyma, sed manet ratio subiecti et proprietatis secundum modum significandi, et manet etiam secundum modum intelligendi; quia per essentiam in creatura intelligimus essentiam in Creatore, et per veritatem creaturae intelligimus veritatem increatam. Unde sicut veritas creata est proprietas et ratio cognoscendi essentiam creatam, sic veritas increata secundum rationem significandi et intelligendi est ratio cognoscendi et intelligendi essentiam increatam.

Quomodo differunt essentia et veritas.

SCHOLION.

I. Sensus quaestionis est, utrum *veritas* competat Deo tanquam proprium, sive utrum sit de essentia Dei et proprietas Dei solius. *Veritas* hic accipitur, non prout est formaliter in intellectu, nec etiam pro re, quatenus est obiectum intellectus, sed in ordine ad ipsam rem, cuius est actus, sive quatenus dicit indivisionem entis et esse. — Ad intelligentiam terminorum, qui in prima ratione pro parte negativa et alibi saepe occurrunt, notandum, quod *complexum* et *incomplexum* idem sunt ac compositum et incompositum. Veritas *complexa* est passio sive proprietas propositionis, quae dicit connexionem praedicati cum subiecto, et habetur in secunda mentis operatione, nempe in iudicio. Veritas autem *incomplexa* est passio simplex cuiuslibet entis et definitur per hoc, quod sit adaequatio rei ad intellectum, qui rem cognoscit sicuti est. Haec habetur in qualibet prima mentis operatione, quae est simplex apprehensio.

II. Alibi S. Bonav. cum sententia communi distinguit veritatem tripliciter, scil. sumtam vel *formaliter*, quae est veritas in intellectu, vel *radicaliter* sive causaliter, quae est in rebus, vel prout est in *oratione* tanquam *in signo*. Cfr. infra d. 31. p. II. a. 1. q. 1; supra d. 3. p. I. dub. 7; II. Sent. d. 30. a. 3. q. 2; Hexaëm. Serm. 5. De veritate *signi*, infra d. 46. a. 1. q. 4. — S. Thom., I. Sent. d. 19. q. 5; de Verit. q. 1. a. 1. et seqq.; S. I. q. 16. a. 1. 2. 3. 5. — Hoc loco et in Prolog. ad Comment. in Ecclesiast. circa finem agit solummodo de veritate in *rebus*, sive prout veritas est proprietas entis. Haec veritas in rebus iterum triplici modo considerari potest: primo quidem respectu *subiecti;* et sic veritas est indivisio actus et potentiae, vel cum Avicenna in XI. Metaph. c. 2: Veritas cuiuslibet rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est rei; sive veritas est illa res, quae est in actu; et sub hoc respectu definitur: indivisio *esse* et *quod est*. — Secundo consideratur respectu sui *principii*, quod est exemplar divinum, cui res assimilantur; et sub hoc respectu definitur secundum Augustinum in libr. de Vera Religione c. 36. n. 66: Veritas est summa similitudo principii, quae sine ulla dissimilitudine est, unde falsitas oritur. — Tertio modo consideratur respectu ad *effectum consequentem*, quatenus obiectum in intellectu causat veritatem; et sic est ratio cognoscendi rem eamque distinguendi, et sub hoc respectu definitur ab Augustino (loc. cit.): Veritas est quae ostendit id quod est; et ab Hilario: Veritas est declarativum esse. Cfr. supra d. 3. p. I. dub. 7; Alex. Hal., p. I. q. 15. m. 3; S. Thom., de Veritate q. 1. a. 1. — Alia distinctio veritatis contra falsitatem et contra permixtionem patet ex textu.

III. Quoad ordinem argumentorum *pro* et *contra* notandum, quod prima propositio, quae agit de veritate, quatenus distinguitur contra falsitatem, probatur tribus prioribus argumentis pro parte *negativa*. Secunda vero, quae est de veritate, quatenus distinguitur contra permixtionem, probatur 5. et 6. argumento pro parte affirmativa. Cetera argumenta per distinctionem in recto sensu explicantur. — Attentione digna sunt, quae hic in corp. et in solut. ad 1. 2. et ad ult. de veritate creata dicuntur, scil. quod nulla veritas creata sit veritas per essentiam,

---

[1] Cfr. Aristot., V. Topic. c. 1. et 2. ac Porphyr., de Praedicabil. c. de Proprio.

[2] Mendum Vat. *antecedens* loco *accidens* correximus fide mss. et trium primarum edd. Paulo infra post *veritatis* nonnulli codd. cum ed. 1 non apte addunt particulam *et*.

[3] Plerique codd. ut ARSTY etc. *denominant. Unde differret*, et paulo infra *deinde* pro *secundo* et *accipiamus* loco *accipimus*.

sed per participationem, et quod nihilominus suo modo est ratio cognoscendi distincta a veritate increata. Quod dictum est contra rigidos Ontologistas.

IV. Quoad 1. et 2. concl. cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 15. m. 5; et q. 17. m. 4. — Pro explicatione loci sumti ex Anselmo (4. fundam.) cfr. S. Thom. (S. I. q. 16. a. 6.) et praecipue Richard. (hic q. 2. ad 4.), qui in extenso et bene rem tractat, licet alia via incedat ac S. Bonav. — De differentia inter *esse divinum* et *esse creatum* cfr. hic dub. 8.

De tota quaestione: S. Thom., S. c. Gent. I. c. 60; S. I. q. 16. a. 5. — B. Albert., hic a. 1. et d. 46. a. 11. seqq., ubi diffuse multas de hac re quaestiones solvit; S. p. I. tr. 4. q. 19. m. 1. 3. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. et 2. — Richard. a Med., hic q. 1. et 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. et d. 19. 2. princ. q. 2. et 3. — Henr. Gand., S. a. 34. per tot. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUÆSTIO II.

Utrum divinum esse sit adeo verum, quod non possit cogitari non esse.

Secundo quaeritur, utrum haec proprietas conveniat Deo in summo, id est, utrum divinum *esse* sit adeo verum, quod non possit cogitari non esse.

Fundamenta. 1. Et quod sic, videtur per Anselmum [1], qui dicit, quod Deus secundum communem animi conceptionem est quo nihil maius cogitari potest; sed maius est quod non potest cogitari non esse, quam quod potest: ergo cum Deo nihil maius cogitari possit, divinum esse ita est, quod non potest [2] cogitari non esse.

2. Item, Damascenus [3] dicit, quod cognitio essendi Deum nobis naturaliter est impressa; sed naturales impressiones non relinquunt nec assuescunt in contrarium: ergo veritas Dei impressa menti humanae est inseparabilis ab ipsa: ergo non potest cogitari non esse.

3. Item, maior est veritas in esse divino quam in aliqua dignitate [4]; sed aliqua dignitas ita est vera, quod non est ei contradicere corde, ut, omne totum est maius sua parte, et similia; unde non potest cogitari non esse: ergo multo fortius hoc erit verum dicere de prima veritate.

4. Item, intellectus noster nihil intelligit nisi per primam lucem et veritatem [5], ergo omnis actio intellectus, quae est in cogitando aliquid non esse, est per primam lucem; sed per primam lucem non contingit cogitare, non esse primam lucem sive veritatem: ergo nullo modo contingit cogitare, primam veritatem non esse.

5. Item, quod contingit cogitare contingit enuntiare [6]; sed non contingit enuntiare, primam veritatem non esse: ergo nec cogitare. *Probatio mediae:* omnis sermo enuntiativus asserit, se esse verum; unde sequitur: si homo est asinus, hominem esse asinum est verum; sed omne quod ponit veritatem, ponit primam veritatem, quia omnis veritas infert illam: ergo omnis sermo asserit, primam veritatem esse: ergo etc.

6. Item, omnis sermo enuntiativus [7] aut affirmativus est, aut negativus; sed affirmativus affirmat *hoc de hoc;* sed sequitur: si est ens quod est hoc, est ens quod non est hoc, quia cum dico *ens hoc*, dico ens limitatum, finitum et arctatum; et tali posito, ponitur ens summum: ergo omnis sermo affirmativus circa creaturam infert Deum.

7. Item, negativus similiter, quia nullus sermo est magis negativus quam iste: nulla est veritas. Sed Augustinus in Soliloquiis [8] probat, quod sermo iste ponit, aliquam veritatem esse; quia si nulla veritas est, verum est, nullam veritatem esse; et si hoc est verum, aliquid est verum; et si aliquid est verum, aliqua veritas est: ergo etc.

Sed contra: 1. Damascenus [9]: « In tantum praevaluit perniciosa hominum malitia, ut dicat, Deum non esse, secundum illud Psalmi: *Dixit insipiens* etc. » Ad oppositum.

2. Item, idolatra dicit, quod non est alius Deus nisi idolum, et hoc credit et cogitat; sed constat idolum non esse Deum: ergo etc.

3. Item, omne illud, quo intellecto non esse, potest aliquid intelligi, potest cogitari non esse. Sed dicit Boethius in libro de Hebdomadibus [10], quod in-

[1] Proslog. c. 2. seqq.

[2] Aliqui codd. *possit.*

[3] Libr. I. de Fide orthod. c. 1. et 3: Nemo quippe mortalium est, cui non hoc ab eo naturaliter insitum sit, ut Deum esse cognoscat.

[4] *Dignitas,* graece ἀξίωμα, hic et passim significat propositionem immediate sive per se notam, quam definit Aristot., I. Poster. c. 2, quod sit propositio indemonstrabilis, quam necesse est quemlibet docendum habere; et Boeth. de Hebdomad., quod sit enuntiatio, quam quisque probat auditam.

[5] De hac propositione, quae fundatur in doctrina S. Augustini, vide supra q. 1. arg. 3. pro affirmativa parte, et d. 3. p. I. a. 1. q. 1. fundam. 2, ubi et in Scholio sensus ipsius explicatur. — Mox Vat. post *aliquid* omittit *non* et paulo infra post *cogitare* cum cod. cc omittit verba *non esse primam* usque *cogitare,* quae lectio mutila resarcitur ope aliorum codd. et ed. 1.

[6] Vat. contra codd. et edd. 1, 2, 3 verba transponit et modo negativo propositionem sic exhibet: *quod non convenit enuntiare, hoc non convenit cogitare.*

[7] De enuntiatione eiusque speciebus vide Aristot., I. Periherm. c. de Enuntiatione. — Mox Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *quia sequitur* pro *sed sequitur.*

[8] Libr. II. c. 2. n. 2. et c. 15. n. 28. — Vat. cum cod. cc post *ponit* addit *primam,* sed contra ceteros codd. et ed. 1 nec non contra ed. operum Augustini.

[9] Libr. I. de Fide orthod. c. 3.: Quoniam vero Satanae improbitas tantum adversus hominum naturam valuit, ut et quosdam in stolidissimam et quovis malo peiorem exitii voraginem detruserit, ita ut Deum esse negarent, quorum insipientiam divinorum verborum interpres David palam faciens ait: Dixit insipiens in corde suo (Psalm. 13, 1.) etc.

[10] Seu in libro: Quomodo substantiae in eo quod sint, bonae sint, circa medium.

tellecto per impossibile, summum bonum non esse, adhuc potest aliquid intelligi rotundum et album: ergo similiter in summo vero, et sic poterit cogitari non esse.

4. Item, illud quod maxime nos latet, de facili potest cogitari non esse; sed veritas divini esse est huiusmodi, quia *Deus habitat lucem inaccessibilem* [1]: ergo etc.

5. Item, quaero, quid est dicere, Deum non posse cogitari non esse? Si quia non potest aliquo modo cogitari [2] *nec vere nec false*, illud est manifeste falsum; si quia non potest *vere*, similiter nec anima nec caelum et huiusmodi.

6. Item, quod contingit exprimere contingit [3] et cogitare; sed contingit exprimere, divinum esse non esse: ergo et cogitare. Quod contingat, hoc patet, cum dicitur in speciali: Deus non est, et in generali: nihil est; et quod neutra istarum inferat, Deum esse, patet, quia oppositum non infert oppositum [4], et quod nihil ponit nihil infert; quaelibet autem istarum nihil ponit.

Conclusio.

Tanta est veritas divini esse, ut non possit cum assensu cogitari non esse nisi propter defectum ex parte intelligentis, qui ignorat, quid sit Deus; ex parte vero intelligibilis non potest esse defectus nec praesentiae nec evidentiae, sive in se, sive in probando.

Respondeo: Dicendum, quod *aliquid cogitare* [5] Distinctio 1. *non esse* est dupliciter. *Aut* in ratione *falsi*, sicut cogito de hac: homo est asinus; et hoc *cogitare* nihil aliud est quam quid est, quod dicitur, intel- Conclusio 1. ligere. Hoc modo potest cogitari non esse veritas divini esse.

Alio modo est cogitare *cum assensu*, sicut [6] cogito aliquid non esse, et credo non esse: et hoc modo *aliquid cogitare non esse*, quod est, potest Distinctio 2. venire aut ex defectu *intelligentis*, aut ex defectu *intelligibilis*.

Defectus autem *intelligentis* est caecitas vel ignorantia, ob quam, quia ignorat rem, cogitat [7] ipsam non esse. Contingit autem dupliciter esse cogitationem de aliquo ente, videlicet *si est* et *quid est* [8]. Distinctio 3.

Intellectus autem noster deficit in cogitatione divinae veritatis quantum ad cognitionem, *quid est*, tamen non deficit quantum ad cognitionem, *si est*. Conclusio 2. Unde Hugo [9]: « Deus sic ab initio cognitionem suam in homine temperavit, ut sicut nunquam, *quid esset*, poterat comprehendi, ita nunquam, *quia esset*, poterat ignorari ». Quia ergo intellectus noster nunquam deficit in cognitione Dei, *si est*, ideo nec potest ignorare, ipsum esse simpliciter [10], nec cogitare non esse.

Quia vero deficit in cognitione, *quid est*, ideo frequenter cogitat, Deum esse quod non est, sicut idolum, vel non esse quod est, sicut Deum iustum [11]. Et quia qui cogitat, Deum non esse quod est, ut iustum, per consequens cogitat, ipsum non esse: ideo ratione defectus intellectus Deus potest cogitari non esse Conclusio 3. sive summa veritas; non tamen simpliciter sive generaliter, sed ex consequenti, sicut qui negat, beatitudinem esse in Deo, negat eum [12] esse.

Hoc autem modo procedunt rationes probantes, De rationibus ad oppositum. quod aliquis intellectus cogitat vel cogitare [13] potest, divinum *esse* non esse.

Alio modo potest cogitari, aliquid non esse propter defectum *a parte intelligibilis*, et huiusmodi defectus potest esse dupliciter: aut defectus Distinctio 4. *praesentiae*, aut defectus *evidentiae*; defectus *praesentiae*, utpote quia non *semper*, non *ubique* [14], non ubique *totaliter*. Quod non *semper* est, aliquando est, aliquando non: et ideo aliquando vere potest cogitari non esse. Similiter de eo quod non est *ubique*, quia eadem ratione, qua potest cogitari non esse hic, potest cogitari non esse alibi. Similiter de eo quod *secundum partem* adest, secundum partem abest.

Deus autem est semper et ubique et totus semper et ubique: ideo non potest cogitari non esse. Conclusio 4. Hanc rationem assignat Anselmus in libro contra insipientem [15].

---

[1] I. Tim. 6, 16; Vulgata: *lucem inhabitat inaccessibilem.*

[2] Cod. W *potest cogitari aliquo modo non esse nec.*

[3] Plerique codd. ut ACSTVW etc. omittunt *contingit.*

[4] Immo ipsum destruit, includendo negationem sui oppositi.

[5] Plurimi codd. cum ed. 1 *cogitari,* sed cum subnexis minus cohaerenter.

[6] Codd. aa bb satis bene addunt *cum.*

[7] Fide vetustiorum codd. et ed. 1 expunximus *ideo,* quod Vat. cum cod. cc praefigit verbo *cogitat.* Cod. V post *rem* addit *esse.*

[8] Aristot., II. Poster. c. 1.

[9] Libr. I. de Sacram. p. III. c. 1. in fine. Vat. sola in hoc textu post *poterat* addit *ab homine.*

[10] Auctoritate antiquiorum mss. et ed. 1 *simpliciter nec* (quod etiam paulo post occurrit) substituimus pro *similiter non,* quod, mutata insuper interpunctione, habet Vat. cum cod. cc; sed non ita distincta est ista lectio.

[11] Vat. cum cod. cc, obnitentibus tamen aliis codd. et ed. 1, hic et paulo infra pro *iustum* minus bene substituit *non iustum;* lectionis utriusque unus sensus; in lectione siquidem codd. *iustum* refertur ad praecedens *non esse.*

[12] Praeferimus lectionem plurium mss. ut HPTY ee etc. *eum* pro *eam,* utpote quae distinctior est.

[13] Ita codd. cum ed. 1, quorum lectio hic praeferenda est lectioni Vat. *cogitari.* Paulo post etiam unus alterve cod. pro *cogitari* ponit *cogitare.*

[14] Vat., post *semper* addito *quia,* hic adiungit *aut quia, quamvis semper et ubique;* sed obstat auctoritas mss., quorum plures ut ACFKLRSTUV propter repetitionem verborum *non ubique* semel haec verba omittunt, sed incongruenter, ut patet ex subnexis. Ed. 1 *non semper aut non ubique aut non ubique totaliter.* Immediate post Vat. cum cod. cc praeter fidem ceterorum mss. et ed. 1 minus bene *Quia* pro *Quod,* cui codd. aa, bb adiungunt *enim.*

[15] Cap. 1.

Non solum propter defectum *praesentiae* potest cogitari aliquid non esse, sed etiam propter defectum *evidentiae*, quia non est evidens *in se*, nec est evidens *in probando*. Sed divini esse veritas est evidens et *in se* et *in probando*. *In se*, quia sicut principia cognoscimus in quantum terminos [1], et quia causa praedicati clauditur in subiecto, ideo se ipsis sunt evidentia; sic et in proposito. Nam Deus sive summa veritas est ipsum esse, quo nihil melius cogitari potest: ergo non potest non esse nec cogitari non esse. Praedicatum enim clauditur in subiecto. Nec tantum habet evidentiam ex [2] se, sed etiam *ex probatione*, quoniam divinam veritatem esse probat et concludit omnis *veritas et natura* creata, quia si est ens per participationem et ab alio, est ens per essentiam et non ab alio. Probat etiam ipsam et concludit omnis *intelligentia recta*, quia omni animae eius cognitio est impressa, et omnis cognitio est per ipsam. Probat iterum ipsam et concludit omnis *propositio affirmativa;* omnis enim talis aliquid ponit; et aliquo posito ponitur verum; et vero posito ponitur veritas, quae est causa omnis veri [3]. Propositio autem *negativa* non infert ipsam nisi sophistice, ut dicunt. Unde ex hoc quod est *nihil esse*, vel *nullam veritatem esse*, non contingit concludere nec inferre, veritatem esse. Haec enim propositio: *nihil esse* [4], destruit omnem veritatem. Et ideo ad ipsam non sequitur aliqua affirmatio, et haec est falsa: si nihil est, nihil esse est verum. Et si dicatur, quod omnis propositio infert dictum, verum est, sed si nihil est, nulla propositio est nec aliquid. Augustinus autem tale argumentum non facit approbando, sed inquirendo.

Distinctio 5. — Conclusio 5. — Conclusio 6. cum triplici probatione. — De propositione negativa.

Concedendum est igitur, quod tanta est veritas divini esse, quod cum assensu non potest cogitari non esse nisi propter ignorantiam cogitantis, qui ignorat, *quid* est quod per nomen Dei [5] dicitur. Et concedendae sunt rationes ad hoc, licet aliquae sint sophisticae.

Epilogus.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium: In tantum praevaluit etc; dicendum, quod Damascenus loquitur de cogitatione, quae venit ab excaecatione; quod patet ex ipso verbo eius, cum dicit *malitia*.

2. Similiter ad illud de idolo, dicendum, quod ideo errat [6], quia ignorat, *quid* sit; unde non cogitat, Deum non esse in universali.

3. Ad illud quod obiicitur, quod intellecto Deo non esse, possunt alia [7] intelligi; dicendum, quod Boethius loquitur de intellectu, quo per impossibile aliquid cogitamus, sed non assentimus.

4. Ad illud quod obiicitur, quod maxime nos latet; patet responsio, quia [8] maxime nos latet, *quid est*, sed tamen maxime patet, *si est*.

5. Ad illud quod obiicitur, quid est dicere, divinam veritatem non posse cogitari non esse? dicendum, quod hoc est dicere, quod [9] aliquis non potest credere, quod Deus non sit, dummodo utatur ratione. Non sic de creaturis; quia etsi certum est, unam creaturam esse praesentem uni, non tamen omnibus, quia non est virtutis tantae, ut se omnibus offerat aequaliter, sicut prima veritas.

6. Ad illud quod obiicitur, quod contingit exprimere contingit et cogitare; dicendum, quod potest accipi cogitare *generaliter* pro actu mentis sive errantis sive non, sive assentientis sive non; et tunc est illud verum; vel pro cogitatione *cum assensu;* et sic est falsum, quia dignitatibus contingit contradicere quantum ad exterius rationem, non tamen quantum ad interius, ut dicit Philosophus in libro Posteriorum [10].

SCHOLION.

I. Quaestio haec fere coincidit cum illa, quae communiter sic exprimitur, utrum Deum esse sit per se notum. Nihilominus, ut bene intelligatur mens S. Doctoris, observare iuvat, quod status quaestionis, et consequenter etiam forma solutionis aliquatenus differunt a quaestione posita in forma supradicta et eius solutione. Sanctus enim loquitur hic directe de veritate divini esse et tantum indirecte de nostra cognitione huius divini esse; illa vero alia quaestio immediate est de nostra co-

---

[1] Supple: cognoscimus. Aristot., I. Poster. c. 3. (iuxta transl. Boethii): Principium scientiae esse quoddam dicimus, in quantum terminos cognoscimus.

[2] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *ex* pro *in*.

[3] Quomodo haec ratio sit intelligenda, vide supra fundam. 5. et 6.

[4] Vat. cum cod. cc, aliis codd. et ed. 1 refragantibus, *est*. Proxime sequentem propositionem, quae a Vat. corrupte et mutile exhibetur, restauramus ope mss. et ed. 1 ponendo *affirmatio* loco *affirmativa,* dein *falsa* pro *vera,* et addendo verba *nihil esse* usque *si nihil est.* Codd. in eo tantum dissident, quod alii habent *dicatur,* alii cum ed. 1 *dicat,* alii *dicas.*

[5] Plurimi codd. cum ed. 1 omittunt *Dei.*

[6] Supple: idolatra.

[7] Fide vetustiorum mss. et ed. 1 expunximus hic non apte additum *esse.*

[8] Vat. contra mss. et ed. 1 *quod.*

[9] Supplevimus ex mss. D G H K T Y Z aa bb ee ff et ed. 1 verba *hoc est dicere quod.* Mox cod. X *cogitare* loco *credere.* Paulo infra ex cod. T adiecimus *praesentem;* deinde ex eodem codice loco *veritatis* posuimus *virtutis*, quae lectio et in se distinctior est et in corp. art. (de *defectu praesentiae),* insinuari videtur.

[10] Libr. I. c. 8. (c. 10.) iuxta translat. Boethii: Semper enim est instare ad exterius orationem, sed ad interius orationem non semper (πρὸς τὸν ἔξω λόγον, πρὸς τὸν ἔσω λόγον). Cfr. S. Thomas in Comment. super hunc locum, lect. 19, ubi et in translatione antiqua et in Commentario ipso pro *orationem* semper habetur *rationem.* — Vat. transponit contra sensum verborum Aristotelis *rationem* ante *contradicere*, et paulo ante pro *et sic* habet *tunc,* ac post *dignitatibus* addit *id est propositionibus per se notis,* sed praeter fidem mss. et ed. 1.

gnitione. Insuper bene attendendae sunt distinctiones in textu positae.

II. Circa quaestionem, utrum existentia Dei sit per se nota, antiqui Scholastici diverso modo loquuntur. Omnes tamen concedunt, existentiam esse de conceptu essentiali Dei. S. Anselmus docet, omni apprehendenti significationem vocabuli *Deus* per se notam esse eius existentiam; unde ex ipso conceptu Dei ut entis, quo melius cogitari non potest, format argumentum ad probandam existentiam Dei. De valore huius argumenti disputatur. In favorem ipsius citantur Ægid. R., d. 3. p. 1. 1. princ. q. 2. et Dionys. Carth., hic q. 2. Fortasse etiam hi duo vix discedunt a sententia communi Scholasticorum, qui efficaciam argumenti restringunt ad eos, qui iam *propriam* Dei rationem ut primi et necessarii entis habent et admittunt. Porro Nominales asserunt, nec nobis nec Beatis illam propositionem, Deum esse, per se notam esse. Scotus facit quasdam difficultates circa distinctionem inter propositionem per se notam *in se* et per se notam *quoad nos;* attamen quoad rem principalem concedit, dictam propositionem esse notam per se Deo et Beatis, non tamen nobis. S. Thomas simpliciter docet, dictam propositionem esse notam per se secundum se, non tamen nobis (S. I. q. 2. a. 1; I. Sent. d. 3. q. 1. et quaestiunc. 2; de Verit. q. 10. a. 12; S. c. Gent. I. c. 10. 11.).

Omnes tamen antiqui Scholastici concedunt, in aliquo sensu existentiam Dei esse etiam nobis notam per se, scilicet non sub ratione propria, sed sub rationibus communibus, nempe entis, veri, boni, beatitudinis; cfr. S. Thom., S. I. q. 2. a. 1. ad 1. et 3; S. c. Gent. I. c. 11. ad 4; I. Sent. d. 3. q. 2. — Alex. Hal., S. p. I. q. 3. m. 2. ad 3. rem sic explicat: « Cognitio alicuius potest esse duobus modis: in ratione communi et in ratione propria. Potest igitur aliquid cognosci in ratione communi, et tamen ignorari sub ratione propria, sicut cum aliquis cognoscit *mel* sub ratione communi, videlicet quod est corpus molle, rubeum, ignorat autem ipsum sub ratione propria; et ideo cum videt, *fel* esse corpus molle, rubeum, deceptus credit, ipsum esse *mel.* Similiter cognitio beatitudinis et appetitus ipsius nobis innatus est ratione communi, quod est status omnium bonorum aggregatione perfectus; tamen in ratione propria ab aliquibus ignoratur. Unde diversi in diversis ponunt et aestimant beatitudinem... Similiter dicendum, quod idolatrae Deum in ratione communi non ignorant, quod est ens, principium, omnipotens, Dominus; tamen sub ratione propria ignorant » etc. Idem in solut. ad 4. affirmat, Deum cognitione *quid* est posse ignorari, non cognitione *quia* est. Eandem distinctionem et idem exemplum fellis et mellis habet B. Albert., S. tr. 3. q. 19. m. 2. Cfr. etiam Richard., hic p. I. a. 1. q. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Hoc posito, intelligitur doctrina illa communis, quod Deus implicite cognoscatur in omni actu intellectualis cognitionis. Ita S. Thom., de Verit. q. 22. a. 2. ad 1: « Dicendum, quod omnia cognoscentia cognoscunt implicite Deum in quolibet cognito. Sicut enim nihil habet rationem appetibilis nisi per similitudinem primae bonitatis, ita nihil est cognoscibile nisi per similitudinem primae veritatis »; S. Bonaventura de Reductione artium ad Deum: « In omni re, quae sentitur sive quae cognoscitur, interius latet ipse Deus »; Scot., I. Sent. d. 3. q. 2: « Cognoscendo enim quodcumque ens, ut hoc ens est, *indistinctissime concipitur Deus* ».

Patet ergo, S. Bonaventuram non declinasse a via communi dicendo, intellectum nostrum non deficere quoad quaestionem, si Deus est (i. e. sub aliqua ratione communi), sed tantum quoad quaestionem, quid Deus est (i. e. sub ratione propria). Cfr. de hoc Trigosus, Summa theol. q. 2. a. 2. dub. 1. (qui tamen istam distinctionem non satis considerat). Quodsi Seraphicus argumentum notum Anselmi approbare videtur, observandum est, eum loqui vel de divino esse in se, vel de eo intellectu, qui Deum sub ratione propria iam cognoscit. Huic enim evidens esse debet, existentiam Dei includi in eius essentia. Excaecato vero intellectui et ignoranti, quid Deus est, manet absconditum id quod in se est evidens, ita ut Deum verum et vivum in stultitia sua negare praesumat.

III. Quoad ipsas conclusiones praeter iam citatos cfr. Bonav. Itinerar. c. 5; Hexaëm. Serm. 5. et 10. — Scot., I. Sent. d. 2. q. 2. — B. Albert., S. p. I. tr. 4. q. 19. m. 1. 4. — Henr. Gand., S. a. 22. per totum, et a. 30. q. 3. — Durand., hic p. I. q. 3. et 4. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, hic q. 4.

ARTICULUS II.

De immutabilitate Dei.

Consequenter secundo loco est quaestio de secunda proprietate divini esse, scilicet immutabilitate. De qua duo quaeruntur:

Primo quaeritur, utrum immutabilitas sit in Deo.
Secundo, utrum sit Dei proprietas.

QUÆSTIO I.

Utrum Deus sit immutabilis.

Quod immutabilitas sit in Deo, ostenditur hoc modo.

1. Omnis mutatio aut est secundum substantiam, aut secundum accidens [1]; sed Deus non mutatur secundum *substantiam,* quia omne tale est corruptibile, Deus autem sive divina substantia, cum non habeat principium, est incorruptibilis: ergo etc.

Fundamenta.

2. Item, nec secundum *accidens,* quia in Deo non est accidens: ergo nulla in eo est mutatio.

3. Item, omne quod mutatur, per prius est in potentia quam in actu [2], et in tali differt actus a potentia; sed Deus est purus actus: ergo nullo modo mutatur.

4. Item, fiat deductio Richardi [3]. « Omnis mutatio est aut de statu in statum meliorem, aut de statu in statum deteriorem, aut de statu in statum priori aequalem; ubi autem nihil horum esse potest, vera incommutabilitas inest. — Mox ed. 1 *optima* pro *verissime,* et cod. K in fine argumenti *divinae essentiae* pro *divino esse.*

[1] Vide Aristot., V. Phys. text. 1. seqq. ac XI. Metaph. c. 10. (X. c. 11.).

[2] Aristot., XII. Metaph. text. 8. (XI. c. 2.): Omne mutatur ex potentia ente in actu ens.

[3] Libr. II. de Trin. c. 3: Sciendum itaque, quia omnis mutatio est aut de statu in statum meliorem, aut de statu in statum deteriorem, aut de statu in statum priori aequalem; ubi autem nihil horum esse potest, vera incommutabilitas inest. — Mox ed. 1 *optima* pro *verissime,* et cod. K in fine argumenti *divinae essentiae* pro *divino esse.*

tatio aut est in statum meliorem aut deteriorem aut parem »; sed nullo istorum modorum mutatur divina natura, quia non in meliorem, quia verissime est; non in deteriorem, quia a semetipsa est; non in aequalem, quia perfecta est: ergo nullo modo convenit divino esse mutabilitas.

Ad oppositum.

Contra: 1. Sapientiae septimo[1]: *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*: ergo etc. *Si dicatur*, quod sapientia dicitur mobilis per causam, eo quod facit alia moveri; *contra:* nihil dat quod non habet; sed Deus dat omnibus motum[2]: ergo motus vel mutatio maxime est in Deo.

2. Item, omne quod nunc est aliquid, quod non prius, est mutatum[3]; sed Filius Dei est homo, ab aeterno autem non fuit homo: ergo est mutatus. *Si dicas*, quod homo praedicatur de Filio Dei non per inhaerentiam, sed per unionem; et unio est relatio, et relatio advenit sine mutatione, ut de nummo fit pretium, ut dicit Augustinus in quinto de Trinitate[4]; *contra:* Ambrosius[5] ita arguit contra haereticum, qui posuit Filium ex tempore genitum a Patre, quia si hoc, tunc Pater factus est de *non-Patre Pater*, ergo mutatur: ergo similiter in proposito.

3. Item, quicumque de non agente fit agens, mutatur mutatione, quae est ab otio in actum[6]; sed Deus de non creante factus est creans: ergo est mutatus. *Si dicas*, quod Deus de non agente fit agens non propter mutationem sui, sed propter mutationem effectus producti, sicut sol de non illuminante fit illuminans; *contra:* non quia creatura est, ideo Deus creat, sed quia Deus creat, creatura fit sive producitur. Per prius est ergo Deum agere, quam creaturam fieri: ergo cum posterius non sit causa prioris, non quia creatura fit de non ente ens, Deus fit de non creante creans, sed e converso; et ita mutatio est ratione agentis[7], non effectus.

4. Item, Deus aliquid vult, quod prius non voluit, quia ex tempore voluit creare, quod non voluit ab aeterno; sed quicumque vult aliquid, quod non prius, mutatus est[8]: ergo etc. *Si tu dicas*, quod ab aeterno voluit creare mundum in illo instanti[9], sicut ego volo audire missam cras; *contra:* voluntas Dei est causa rerum proxima et immediata; sed posita causa proxima et immediata, ponitur effectus: ergo si ab aeterno voluit, ab aeterno mundus fuit.

CONCLUSIO.

Deus est omnino immutabilis et secundum locum, quia immensus, et secundum tempus, quia aeternus, et secundum formam, quia simplex; et quia immutabilis, ideo omnia movet.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Boethius[10], « Deus stabilis manens dat cuncta moveri ». Unde divina essentia est *immutabilis*. Non enim mutatur *loco*, quia ubique est; non *tempore*, quia aeternitas simul est; non *forma*, quia pure actus est. Unde mutationem secundum formam tollit simplicitas, secundum tempus tollit aeternitas, secundum locum tollit immensitas. Conclusio 1.

Et ideo in Deo est summa stabilitas, et inde omnis *motus causalitas;* quia, sicut probat Augustinus[11] et vult Philosophus, omnis motus procedit ab immobili; ut cum movetur manus, stat cubitus, et movetur cubitus, stante humero. Quia ergo Dei sapientia est stabilis[12], ideo omnia movet. Conclusio 2.

Solutio oppositorum.

1. Quod ergo obiicitur de sapientia, quod dicitur mobilis; dicendum, quod mobile dicitur *active* de ea, quia facit moveri[13], non *passive*, sicut sensibile de animali.

Habere est tripliciter.

Et ad illud quod obiicitur, nihil dat alteri quod non habet; dicendum, quod tripliciter est aliquid habere, scilicet *formaliter*, *exemplariter*, *causaliter*[14]; et quolibet istorum modorum quod habet dare potest. Primo autem modo non habet Deus motum, sed secundo et tertio sic.

2. Ad illud quod obiicitur de relatione, dicen-

---

[1] Vers. 24.

[2] Ed. 1. *moveri*, quo alluditur ad illud Boethii, III. de Consol. Metro 9: Stabilisque manens *das cuncta moveri.*

[3] Vide Aristot., V. Phys. text. 7. et VI. text. 32. et 73. (c. 3. et 8.).

[4] Cap. 16. n. 17: Nummus autem cum dicitur pretium, relative dicitur nec tamen mutatus est, cum esse coepit pretium. — Nota tamen, quod relatio pretii in nummo est tantum accidentalis, relatio vero, quae est in unione hypostatica, est substantialis. Explicationem huius exempli vide infra d. 30. dub. 3.

[5] Libr. I. de Fide, c. 9: Nam si Pater esse coepit, Deus ergo primo erat, postea Pater factus est. — Vat. cum cod. cc post *tunc* contra alios codd. et ed. 1 omittit *Pater*. Ed. 1 post *si hoc* addit *esset.*

[6] Simile habetur Aristot., VIII. Phys. text. 7, et II. de Anima, text. 45. (c. 4.), ubi sic: Faber autem mutatur solum in actum ex otio.

[7] Aliqui codd. ut K V *efficientis.*

[8] Averroes in libro Destructio Destructionum, disput. 1. dub. 1. et in Comment. super VIII. Physic. text. 15. ex hac propositione impossibilitatem creationis deducere conatur. — Paulo ante post *ex tempore voluit* codd. aa bb satis bene addunt *mundum.*

[9] Cod. W addit *in quo creatus est.*

[10] Libr. III. de Consol. Metro 9, post quem textum cod. Z addit *Psalmus* (101, 28.): *mutabis res et mutabuntur* etc. Paulo infra cum plerisque codd. ut A S T V W etc. et ed. 1 legimus *pure* loco *purus*, quod habet Vat.

[11] Libr. VIII. de Genes. ad lit. c. 21. — Verba Aristotelis in libro de Motu animalium c. 1. haec sunt: Verumtamen principium, in quantum principium, quiescit, mota particula, quae subest: veluti brachio moto, cubitus, toto autem membro, humerus (ed. Ven. 1584).

[12] Cod. W addit *et immobilis.* Mox cod. F *Ad illud ergo quod obiicitur.*

[13] Vat. cum cod. cc *motum,* sed contra ceteros mss. et ed. 1.

[14] Cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 5. — Mox codd. inter se dissentiunt; alii siquidem habent *quodlibet* pro *quolibet,* alii cum ed. 1 *dari* loco *dare*, alii ut A T bb cc ponunt *quodlibet* et *dari;* melius legeretur *et quod quolibet istorum modorum habet, dare potest.*

Solutio prima. dum, quod relatio, cum dicitur de novo [1], de necessitate ponit mutationem in altero extremorum, nec oportet quod in utroque. Ideo ista relatio, quae est personae ad personam, ponit mutationem in altera personarum; et una mutata, mutatur et reliqua, quia eadem sunt essentia: ideo de necessitate, si [2] de non-Patre fieret Pater, mutaretur. Relatio autem essentiae ad essentiam non de necessitate ponit mutationem, nisi in altero extremorum, quia cum diversae sint essentiae, potest unum mutari, altero non permutato [3]: et ideo in relatione ad creaturam semper intelligitur in creatura facta mutatio, non in Deo. Tamen proprie loquendo, sicut alibi patebit [4], Deus non refertur ad creaturam, nisi secundum dici et modum loquendi.

Alia solutio. Posset tamen aliter dici, sicut supra tactum est [5], quod non est simile: quia relatio personalis dat personae existere, non sic autem relatio ad creaturam; et ideo sequitur: si incipit *esse Pater*, incipit *esse*; non autem sequitur: si [6] Deus incipit *esse homo*, incipit *esse*. Et ideo bene valet argumentum Ambrosii, quodsi Pater incepisset gignere, quod esset mutatus, quia incepisset esse, non quia ab uno statu in alterum mutatus esset.

3. Ad illud quod obiicitur, quando de non agente etc.; dicendum, quod est agens, quod est sua actio, et est agens, quod non est sua actio, sed actio est ab ipso [7]. Duplex agens. Agens, quod non est sua actio, sic agit, quod inter ipsum et effectum cadit medium, quod disponit ipsum; et tale agens nunquam fit agens de non agente, quin mutetur, quia novum [8] sibi advenit. Sed agens, quod est sua actio, agit se ipso; et ideo inter ipsum et effectum non cadit aliquod medium ipsum disponens; et ideo cum de non agente fit agens, quia nihil novum sibi accidit, ideo non mutatur. Tale agens Deus est.

4. Ad illud quod obiicitur de voluntate, dicendum, quod causa proxima et immediata dicitur tripliciter: Triplex causa proxima. aut respectu *substantiae*, aut *dispositionis*, aut *actus*; respectu *substantiae*, inter quam [9] et effectum non cadit alia substantia media causans; respectu *dispositionis*, cui non additur nova dispositio ad effectum producendum; respectu *actus*, quando actui coniungitur. Dico ergo, quod Dei voluntas fuit causa proxima et immediata ab aeterno respectu substantiae et dispositionis, sed [10] non respectu *actus*; quia actui non coniungitur voluntas nisi pro tempore, in quo vult agere, ut patet, cum dicitur: volo cras legere, voluntas non copulatur actui nisi pro tempore crastino.

SCHOLION.

I. Quoad diversas species *mutationis* et immutabilitatis cfr. q. seq., et quoad solut. ad 1. S. Thom., S. I. q. 9. a. 1. ad 2.

II. Immutabilitas Dei iam in Nicaeno Concilio definita est. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 4. m. 1. a. 2. — Scot., hic q. 5; Report., hic q. 2. de rerum principio q. 3. — S. Thom., hic q. 3. a. 1; S. loc. cit. — B. Albert., hic a. 16. seqq.; S. p. I. tr. 4. q. 21. m. 1. 2. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. — Ægid. R., hic 3. princ. q. 1. — Henr. Gand., de hac et seq. q.; S. a. 30. — Durand., de hac et seq. q.; hic q. 3. — Dionys. Carth., de hac et seq. q.; hic q. 4. — Biel, de hac et seq. q.; hic q. 7.

QUÆSTIO II.

Utrum solus Deus immutabilis sit.

Secundo quaeritur, utrum immutabilitas sit divinae essentiae proprietas, ita quod nulli creaturae conveniat. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Primae ad Timotheum ultimo [11] dicitur de Deo, quod *solus habet immortalitatem*. Et Augustinus dicit contra Maximinum [12]: « In omni natura mutabili nonnulla mors est ipsa mutatio »: ergo si solus Deus habet immortalitatem, solus habet immutabilitatem.

2. Item, omne vertibile est mutabile; sed omnis creatura est vertibilis; unde Damascenus [13]: « Omne quod a versione incipit, in versionem tendit: ergo etc.

---

[1] Plures codd. ut ACLRUVX omittunt *de novo*, sed male. Cod. W *de duobus* et ed. 1 *de persona divina* loco *de novo*, sed inepte. Cod. G *cum de novo advenit*.

[2] Codd. aa bb addunt *Deus*.

[3] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *una mutari, altera non permutata*, ac immediate post omittit *et*; aliqui codd. ut A aa bb cum ed. 1 *mutato* pro *permutato*.

[4] Infra d. 30. q. 3. — Mox post *dici* ed. 1 *vel secundum modum loquendi*.

[5] Dist. 7. dub. 4. Vide etiam infra d. 26. q. 3. — Immediate post Vat. omittit *quod non est*, quae lectio corrupta resarcitur ope mss. et edd. 1, 2, 3.

[6] Vat. cum cod. cc *hic* loco *si*, et post *homo* addit *igitur*, sed obstat auctoritas aliorum mss. et ed. 1.

[7] Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 omittit non bene *sed actio est ab ipso*, pro quo cod. Q *sed actio est aliquid ab ipso*. Paulo ante post *obiicitur* in cod. V et ed. 1 deest *quando*.

[8] Auctoritate mss. et ed. 1 expunximus hic additum *quid*.

[9] Ex mss. et ed. 1 hic substituimus *inter quam* loco *cum inter eam* et paulo infra *cui* pro *cum*.

[10] Vat. cum cod. cc contra alios codd. et ed. 1 minus clare *et* pro *sed*.

[11] Vers. 16.

[12] Lib. II. c. 12. 2.

[13] Libr. I. de Fide orthod. c. 3: Quorum enim esse a mutatione incepit, ea mutationi quoque subsint necesse est.

3. Item, omne quod sibi relictum in nihilum cedit [1], quantum est de se, est mutabile: sed omnis creatura est huiusmodi; unde Gregorius [2]: « Cuncta in nihilum tenderent, nisi manus Conditoris ea retineret »: ergo etc.

4. Item, nullum accidens de se habet stabilitatem; sed esse omni creaturae accidit, sicut dicit Hilarius et habetur in littera [3], quia ab alio venit: ergo omnis creatura quantum ad esse est instabilis.

5. Item, omne vanum est subiectum variabilitati; sed omnis creatura vana, cum sit ex nihilo; unde ad Romanos octavo [4]: *Vanitati subiecta est creatura* etc.: ergo si omnis creatura vana, nulla immutabilis.

6. Item, omne mutatum habet in se mutabilitatem; sed omnis creatura facta est: ergo omnis creatura mutata, ergo nulla immutabilis.

Ad oppositum. CONTRA: Immutabilitas non dicitur nisi tripliciter. Dicitur enim immutabilitas aut *invariabilitas,* aut *incorruptibilitas,* aut *invertibilitas.*

Quoad invariabilitatem. 1. Ostenditur autem, quod *invariabilitas* conveniat creaturis, utpote *principiis.* Nam Augustinus ostendit in duodecimo Confessionum [5], quod *materia* informis est invariabilis; quia quod caret forma, caret ordine, et quod caret ordine, caret vicissitudine, ergo variatione. Auctor autem sex Principiorum [6] dicit hoc de *forma,* « quod est in simplici et invariabili essentia consistens ».

2. Item videtur, quod invariabilitas conveniat *Beatis,* quia ubi perfecta beatitudo, ibi nulla deperditio, et ubi hoc [7], nulla variatio.

3. Item, variatio attenditur, sicut dicit Augustinus super Genesim ad litteram [8], aut secundum locum, aut secundum tempus; sed aliqua creatura caret determinato loco et tempore, ut universale, quod est semper et ubique [9], et caelum empyreum, quod est extra tempus et locum: ergo etc.

Quoad incorruptibilitatem. 4. Item, si immutabilitas dicatur *incorruptibilitas,* idem ostenditur. « Nam omnis corruptio naturalis venit ex contrarietate », sicut dicit Philosophus in libro de Morte et vita [10]; sed multae creaturae carent contrarietate: ergo et corruptibilitate.

5. Item, omnis corruptio est in aliquid prius se, quia corruptio naturalis in aliquid est [11]; sed principia non habent aliquid prius, utpote materia: ergo sunt incorruptibilia.

6. Item, omne perpetuum incorruptibile [12]; sed aliqua creatura naturaliter est perpetua: ergo etc. *Minor* probari potest sic: perpetuitas est de ratione imaginis; unde Augustinus [13]: « Non esset anima imago, si mortis termino clauderetur »; cum ergo anima naturaliter sit imago, ergo naturaliter est immortalis sive perpetua.

Quoad invertibilitatem. 7. Item, ostenditur, quod creatura sit *invertibilis,* sic: vertibilitas est in non esse; sed nihil est, quod possit creaturam aliquam vertere in non esse, quia *a se* non vertitur, cum nihil se corrumpat [14]; *ab alio* non, quia actio creaturae in id terminatur, ex quo incipit; sed nullius creaturae actio incipit a *non esse:* ergo etc. *Praeterea,* distantia infinita est inter esse creaturae et nihil; sed inter extrema in infinitum distantia non potest fieri mutatio per virtutem finitam: ergo nihil potest cedere in nihil, nisi Deo faciente.

8. Item, vertibilitas dicitur per corruptionem in *non esse* omnino; sed nihil, quod corrumpitur, secedit omnino in non ens [15]: ergo nullum corruptibile vertibile. *Si tu dicas,* quod invertibilitatem non habet creatura per *naturam,* sed solum per *gratiam* [16]; *contra:* quod omnibus inest, est naturale.

---

[1] Nonnulli codd. ut D F K X ee cum ed. 1 *tendit.*

[2] Libr. XVI. Moral. c. 37: Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret.

[3] Cap. 1. in fine.

[4] Vers. 10. — Mox in fine argumenti codd. cum edd. 1, 2, 3, 6 omittunt *est* additum a Vat.

[5] Cap. 9. n. 9.

[6] Gilbert. Porretan., c. 1: Forma est compositioni contingens, simplici et invariabili essentia consistens. — Post quem textum cod. O addit *et ita nec forma nec materia variatur.*

[7] Ex antiquis mss. et ed. 1 pro *haec* substituimus *hoc,* quod sensus expostulat. Paulo ante plurimi codd. cum ed. 1 omittunt *ibi,* qui et in fine argumenti ponunt *mutatio* loco *variatio.*

[8] Libr. VIII. c. 20.

[9] Aristot., I. Poster. c. 24. (c. 31.). — Mox nomine *caeli empyrei* intellige ultimam sphaeram, quae iuxta opinionem tunc communiter receptam est immobilis et uniformis, quia eius intrinseca principia, scil. materia et forma, sunt « ita bona coniunctione coniuncta, quod nulla cadit in illud contrarietas », ut ait S. Doctor infra ad 4. obiectionem. Cfr. supra d. 1. a. 3. q. 2. opp. 1., et Aristot., I. de Caelo text. 100. (c. 9.).

[10] Melius poneretur: in libro de Longitudine et brevitate vitae. Aristoteles siquidem duo scripsit opuscula, quorum uni titulus: de Iuventute et senectute, de vita et morte; alteri autem: de Longitudine et brevitate vitae. In priore opusculo perpauca occurrunt de re, quam S. Doctor hic proponit; in posteriore tamen, c. 2. et seq., fusius de hac re tractatur, et inter cetera inveniuntur haec: Quare, cui non est contrarium et ubi non est, impossibile utique erit corrumpi.

[11] Cfr. Aristot., I. Phys. text. 42. et 82. (c. 6. et 9. in fine), et I. de Generat. et corrupt. text. 11. seqq. (c. 3.), ubi et propos. minor huius argum. insinuatur.

[12] Vide Aristot., I. de Caelo, text. 110. seqq. (c. 11. et 12.).

[13] Libr. XIV. de Trin. c. 2-4. n. 4-6., ex quo loco propositio ista colligi potest, sed quoad litteram habetur in libro de Spiritu et anima c. 18, et in M. Aurelii Cassiodori libro de Anima, c. 2: Nam quemadmodum poterat esse imago aut similitudo Dei, si animae hominum mortis termino clauderentur? — Paulo infra post *ergo anima* Vat. cum cod. cc, aliis tamen codd. et ed. 1 obnitentibus, *naturalis* pro *naturaliter.*

[14] Cfr. Aristot., I. Phys. text. 81. (c. 9.). et Boeth., III. de Consol. Prosa 11. — Mox ope plurium mss. ut H I L O S U etc. substituimus *a non esse* (i. e. a nihilo) pro *ante esse,* quod Vat. habet quodque non ita correspondet modo loquendi Scholasticorum; multi codd. propter compendiosam scripturam sunt dubiae lectionis.

[15] Hinc Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 17. (c. 3.): Huius corruptio alterius est generatio.

[16] Vat. cum multis codd. hic omittit *solum* et transponit,

quoniam gratia speciale est; sed naturale est quod est idem apud omnes [1]; sed fere omnis creatura est invertibilis, quia nulla redigitur in nihilum: ergo hoc est *naturale*.

9. Item, ostenditur, quod nec *per gratiam;* quia gratia est perfectio naturae: ergo quod repugnat naturae, non datur per gratiam: ergo si invertibilitas est contra naturam creaturae, ergo non datur per gratiam.

10. Item, obiicitur de *illa gratia*, quia si est creatura, est [2] vertibilis; si ergo conveniat ei invertibilitas, oportet quod per aliam gratiam; et sic erit abire in infinitum. Si ergo oportet stare, patet quod non per gratiam. *Si dicas*, quod gratia illa non dicitur habitus, sed Deus gratis conservans; hoc nihil est, quia sine Deo operante [3] nulla creatura operatur: ergo sicut nulla creatura est invertibilis nisi per gratiam, sic nulla creatura operatur nisi per gratiam: ergo nulla operatio est naturalis, quod stultum est dicere.

CONCLUSIO.

Immutabilitas, accepta ut invariabilitas, est propria solius Dei, accepta ut incorruptibilitas aut invertibilitas, a Deo communicatur aliquibus creaturis vel per naturam vel per gratiam.

Mutatio et immutabilitas tripliciter sumuntur.

Respondeo: Dicendum, quod immutabilitas dicitur per privationem mutabilitatis. *Mutatio* autem dicitur tripliciter: uno modo ab ente in ens; et haec est mutatio secundum accidens [4] et dicitur *variatio;* alio modo ab ente simpliciter in ens potentia sive secundum *quid;* et haec est mutatio secundum formam et dicitur *corruptio;* alio modo est mutatio ab ente in simpliciter non ens; et haec est secundum totam rei substantiam et dicitur *versio.* Secundum hoc intelligendum, quod *immutabilitas* dicitur tripliciter: uno modo *invariabilitas*, alio modo *incorruptibilitas*, et tertio modo *invertibilitas.*

Si ergo immutabilitas dicatur *invariabilitas*, sic dico, quod in nulla omnino est creatura neque per naturam neque per gratiam; nam omne creatum aut est accidens, aut habet accidens, et ita variabile; et haec [5] est proprie proprium ipsius Dei. Conclusio 1.

Si autem dicatur immutabilitas *incorruptibilitas*, sic dico, quod in aliquibus est creaturis: in quibusdam per naturam, ut puta in simplicibus, in quibusdam per gratiam, ut puta in glorificatis corporibus. Nec sic est proprie proprium divinae essentiae. Conclusio 2.

Si vero tertio modo dicatur immutabilitas [6], sic omnibus creaturis inest per *gratiam*, nulli autem per *naturam* nisi soli Deo. Invertibile enim per *naturam* est, quod ex se ipso habet, ut possit stare; hoc autem est, in quo nulla est vanitas [7] et in quo omnino nulla essentiae mutatio nec ad esse, nec ad non esse; et hoc est solum aeternum. Ideo haec invertibilitas est in solo Deo et est proprie proprium eius. Invertibilitas autem per *gratiam* inest omnibus vel pluribus creaturis, quia Deus sua gratuita bonitate cetera continet, ne in nihil cedant; et loquor de creaturis, quae dicunt quid completum et per se existens. Conclusio 3.

Concedendum igitur, quod immutabilitas, prout privat variationem secundum accidens quantum ad actum [8] et potentiam, solius Dei est. *Similiter* prout privat mutationem in non esse secundum actum et potentiam, quantum est de *natura*, solius Dei est, licet per *gratiam* conveniat multis creaturis; et sic procedunt rationes ad primam partem, unde concedendae sunt. Epilogus.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod *principia* rerum sunt *invariabilia ;* dicendum, quod verum est, si considerentur secundum essentiam abstractam; sed si considerentur secundum esse naturae, sic de necessitate habent accidentia coniuncta et possunt variari; variatio autem [9] accidentalis respicit esse. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod in *Beatis* non potest esse variatio; dicendum, quod verum est quantum ad substantiam praemii sive quantum ad praemium substantiale; cadit tamen quantum ad conversionem ad inferius, tum quantum ad affectiones, sicut patet in Angelis, tum quantum ad actiones. Unde Beati erunt agiles et poterunt moveri.

3. Ad illud quod obiicitur de *universali* et de *empyreo*, dicendum, quod utrumque recipit variationem; sed universale ratione eius *in quo* est; quia, « motis [10] nobis, moventur ea quae in nobis

---

paulo supra legendo *ergo nullum corruptibile vertibile solum ;* quae lectio falsa est, nisi fiat transpositio terminorum v. g. ergo nullum solum corruptibile, vertibile; vel ergo nullum vertibile corruptibile solum. Codd. E H Z ii omittunt *solum* utrobique; codd. P Q ee vero ponunt eo loco, quo nos posuimus. — *Gratiam* accipias hic sensu largo, quo Ioan. Damasc., II. de Fide orthod. c. 3. de Angelo ait: Immortalis est non quidem natura, sed Dei munere et gratia.

[1] Vide Aristot., I. Periherm. c. 1. — In fine argumenti post *hoc* supplevimus ex vetustioribus mss. et ed. 1 *est.*

[2] Cod. T cum ed. 1 *ergo* pro *est.*

[3] Cod. A *cooperante.*

[4] Multi codd. ut A B C D E F G L R S T U etc. *actus* loco *accidens,* minus bene, ut patet ex paulo infra positis de invariabilitate. — De primis duabus mutationis speciebus vide Aristot., V. Phys. text. 7. seqq. (c. 1.) ac I. de Generat. et corrupt. text. 23. et 24. (c. 4.).

[5] Supple: invariabilitas. Vat. *Sic accepta immutabilitas* loco *et haec*, sed contra plurimos codd., quorum tamen aliqui ut A F T etc. cum ed. 1 pro *haec* ponunt minus bene *hoc.*

[6] In cod. T ab altera manu hic additur *invertibilitas.*

[7] Vat. contra plurimos codd. ut A F G H I S T Z etc. cum ed. 1 addit hic *vel varietas*, et mox post *nulla* verbum *est.*

[8] Vat. *naturam* loco *actum,* sed falso et contra mss. et ed. 1.

[9] Ed. 1 *enim.*

[10] Substituimus *motis* pro *moventibus*, rationem vide supra d. 5. a. 2. q. 1. argum. 3. ad opp.

sunt »; empyreum vero ratione *contenti.* Potest enim aliquid continere, quod non continet, et aliquid non continere, quod continet.

4. 5. 6. Ad illud quod obiicitur de *incorruptibilitate*, dicendum, sicut praetactum est, quod convenit creaturis; aliquae enim creaturae sunt ita simplices et ita bona coniunctione coniunctae, quod nulla cadit in eis contrarietas, nec est in eis maior ratio corruptionis quam in principiis. Unde sicut principia non sunt resolubilia in aliquid, tamen cederent in nihil, si sibi relinquerentur; sic intelligendum in aliquibus substantiis. Unde non est dicendum, quod sit verum, quod omne compositum sit resolubile secundum *rem;* sed sicut dicit Anselmus [1], « est resolubile *re*, vel *intellectu* ». Unde concedendae sunt rationes ad hoc inductae.

7. 8. Ad illud vero quod obiicitur *de vertibilitate*, dicendum, quod quaelibet creatura vertibilis est per naturam, si sibi relinquatur.

Quare creatura vertibilis.

Si quaeritur causa huius, dicendum, quod huius versionis, cum sit defectus purus, non est reddenda causa *efficiens* vel reducens in non esse, sed solum *deficiens.* Propter quod notandum, quod natura dicitur naturalis origo. Origo autem creaturae et est ex nihilo et est ex suis principiis: secundum hoc dupliciter dicitur aliquid ipsi creaturae naturale, vel quia inest ei ex eo, quod est *ex nihilo,* vel quia inest ei ex eo, quod est ex *suis principiis.* Et quia *nihil* nullius est causa efficiens, sed deficiens, ideo proprietates, quae insunt creaturae ratione eius, quod est ex nihilo, non sunt positiones, sed defectus, nec sunt a virtute, sed a defectu virtutis, nec habent causam efficientem, sed deficientem: et tales sunt *vanitas, instabilitas, vertibilitas.* Si igitur quaeratur, a quo est vertibilis creatura [2], dico, quod non ab aliquo efficiente, sed per defectum in se ipsa. Secundum autem quod *naturale* dicitur quod inest [3] rei per propria et intrinseca principia, sic non dicuntur naturaliter inesse privationes vel defectus, sed habilitates: et ideo hoc modo accipiendo *naturale,* nulla creatura est *vertibilis* in non esse; nec tamen dicitur *invertibilis naturaliter,* quia *naturale* est in quod potest natura; sed principia rei non possunt in rei conservationem nec conservationem sui; et ideo invertibilitas non est huiusmodi naturalis. Nec tamen est *contra* naturam, immo est ei consona; quia omnis natura [4] appetit salvari, quamvis ex se non possit, et maxime illa creatura, quae appetit beatificari, et haec est illa quae ad Dei imaginem facta est. Et quia desiderium naturae non est frustra [5], ubi deficit natura, supplet Dei gratuita influentia. Et sic patet, quod vertibilitas inest per naturam, sed invertibilitas per gratiam.

9. Ad illud quod obiicitur de comparatione gratiae ad naturam, intelligendum est, quod gratia dicitur adiutorium, veniens a superiori, respectu eius quod est supra posse naturae. Hoc autem adiutorium est duplex: aut respectu *esse simpliciter,* aut respectu *esse perfecti.*

Duplex adiutorium divinum.

Si respectu *esse simpliciter,* ut puta conservationis esse, quia nulla principia, cum sint vana [6], de se possunt se ipsa conservare, sic non est mediante aliquo habitu infuso vel dato. Quia respicit esse, et quia [7] esse est commune omnibus, ideo haec gratia est omnibus communis. Unde haec est gratia habens modum naturae, et haec est gratia, qua dicuntur cetera invertibilia [8].

Alio modo dicitur gratia adiutorium respectu *perfecti esse*, et quia *perfectio esse* est in his quae ad beatitudinem ordinantur, respicit *bene esse* et [9] quod non est omnium. Ideo haec est habitus specialis aliquorum, non omnium, et haec est gratia per modum gratiae. Ex his patet quod obiicit [10] de gratia: obiicit enim secundum quod gratia est specialis habitus divisus contra naturam, quia sic dicit aliquid de novo creatum; sed gratia praedicto modo non.

10. Et ex hoc patet ultimo obiectum: quia gratia dicitur adiutorium respectu eius quod est supra posse naturae; et quia conservatio principiorum est supra posse naturae, non autem egressus actionum, immo infra, ideo patet etc.

---

[1] Libr. de Fide Trin. c. 3: Quoniam omne compositum necesse est aut actu aut intellectu posse disiungi. — Mox plerique codd. ut A G H S T X cum ed. 1 *adductae* loco *inductae.*

[2] Codd. P Q bene *vertibilitas creaturae.*

[3] Vat. minus distincte ac contra mss. et ed. 1 *inesse* loco *quod inest.*

[4] Cod. Z cum ed. 1 *creatura.* — Vide Boeth., III. de Consol. Prosa 11, ubi haec propositio probatur.

[5] Vide Aristot., I. de Caelo. text. 32. (c. 4. in fine) et III. de Anima, text. 45. (c. 9.). — Codd. V X *in vanum* loco *frustra.*

[6] Plerique codd. ut F G H I K P Q S T etc. minus bene *varia;* cod. X *variabilia.* — Paulo infra post *sic non est* subaudi: adiutorium vel gratia.

[7] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 in principio huius propositionis ponit *Et*, deinde hic pro *et quia* habet *quod*, quo vis rationis debilitatur.

[8] Vat. incongrue *dantur cetera vertibilia;* omnes codd. cum ed. 1 *invertibilia;* cod. cc *dantur*, antiquiores autem codd. *dicuntur*, licet aliqui propter abbreviationem dubiae sint lectionis.

[9] Vat. *vel esse* loco *et*, quod maior pars codd. habet; aliqui codd. ut O T cum ed. 1 omittunt insuper particulam *et,* pro qua cod. cc habet *vel.* Paulo post aliqui codd. ut A M T aa cum ed. 1 bis *hic* loco *haec.*

[10] Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 *obiicitur*, sed propter subnexa minus bene. Mox Vat. cum cod. cc *et* loco *quia*, at minus distincte et praeter fidem ceterorum mss. et ed. 1.

SCHOLION.

I. *Triplex illa distinctio mutationis,* cui correspondet triplex immutabilitas, sumta est ex Damasceno (de Fide orthod. I. c. 3.). Prima mutatio, quae a S. Doctore vocatur *variatio*, tunc fit, quando subiectum de aliquo accidente mutatur in aliud accidens; haec nunc communiter vocatur motus sive mutatio *accidentalis.* Secunda est *corruptio* sive mutatio ab esse substantiali formae in materia ad non esse eiusdem, manet tamen materia in potentia ad actum. Tertia est *annihilatio*, a S. Bonav. vocata *versio,* qua fit de ente simpliciter non ens; cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 3. q. 2. in corp. Aristoteles (V. Phys. c. 1.), omittendo hoc ultimum membrum, mutationes sic distinguit: ex subiecto in subiectum (alteratio, augmentatio), ex subiecto in non-subiectum (corruptio), ex non-subiecto in subiectum (generatio).

II. S. Doctor non sibi contradicit hic asserendo, quibusdam creaturis, ut Angelis, inesse incorruptibilitatem per naturam, et alibi dicendo, solius Dei esse incorruptibilitatem. Nam in primo loco sermo est de incorruptione respectu suae particularis naturae, non respectu dependentiae a causa prima; in secundo loco loquitur de illa proprietate, quae soli primae causae competit, quae potest creare et annihilare. Cfr. S. Thom., S. I. q. 9. a. 2. in corp. — Notanda est egregia doctrina in solut. ad 6. 7. 8. exposita. Circa causam efficientem et deficientem, cfr. II. Sent. d. 34. a. 1. q. 2.

III. Quoad conclusionem: Alex. Hal., S. p. I. q. 4. m. 3. et p. II. q. 13. m. 2. 3. 4. — Scot., hic q. 5; et Report. hic q. 3. — S. Thom., hic q. 3. a. 1. et 2; S. loc. cit. — B. Albert., hic a. 16. et seqq.; S. p. I. tr. 4. q. 21. m. 3. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Ægid. R., hic 3. princ. q. 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo contingit dubitari de hoc quod dicit Magister: *Nunc de veritate sive proprietate divinae essentiae* etc. Videtur enim male dicere, quia omne, quod habet proprium, distinguitur; sed divina essentia non est distinguibilis: ergo non habet proprium.

Respondeo [1]: Dicendum, quod divina essentia eo modo est distinguibilis, quo modo habet proprietates, et e converso; quia quamvis in se non sit distinguibilis per plurificationem sui nec a persona per diversitatem, est tamen distinguibilis respectu essentiae creatae, respectu cuius habet has proprietates.

Dub. II.

Item quaeritur de illis tribus proprietatibus, quas ponit, scilicet de *veritate, immutabilitate, simplicitate*, cum multae aliae conditiones sint divinae essentiae, quare solum de his tribus agit?

Respondeo: Dicendum, quod per has tres proprietates sufficienter distinguitur *esse increatum* a *creato.* Nam *creatum* [2], eo ipso quod creatum, habet esse post non esse, et ita esse vanum et possibile: ideo habet esse permixtum cum possibilitate, et propter hoc deficit a veritate, a stabilitate et simplicitate. *Increatum* vero *esse* habet contrarias proprietates, et in his sufficienter distinguitur. Nam veritas respicit *quod est*, immutabilitas *quo est* [3], simplicitas *utrumque.* Ideo patet sufficientia et ordo.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *a sapere dicitur sapientia*, quia non videtur dicere verum. Sicut enim albedo se habet ad album, ita sapientia ad sapere; sed albedo non dicitur ab albo, immo magis e contra [4]: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod secundum intellectum *componentem* sapere dicitur a sapientia, quia intellectus componens procedit ab abstracto ad concretum; secundum vero intellectum *resolventem* est e converso; et quantum ad hunc loquitur Augustinus. — Vel posset dici, quod loquitur secundum considerationem grammatici, non logici [5]. Intellectus componens et resolvens. Alia solutio.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quis magis est quam ille, qui dixit famulo.* Videtur enim male dicere, quia *esse* non recipit magis et minus, et maxime in Deo.

Respondeo: Dicendum, quod magis et minus dupliciter possunt considerari, scilicet in comparatione *ad idem;* et sic [6] dicunt intensionem et remissionem;

[1] Vat. cum cod. cc, ceteris tamen codd. cum ed. 1 refragantibus, addit *Ad quod.* Mox plerique codd. ut A F G K S V W X non bene *uno* pro *eo*, alii vero ut H T aa bb *illo.*

[2] Aliqui codd. ut F T dd repetunt hic *esse.* Mox ed. 1 post *creatum* addit *est.*

[3] Plurimi codd. omittunt *est.*

[4] Plures mss. cum ed. 1 *e converso.*

[5] De intellectu resolvente sive analytico, et componente sive synthetico vide infra d. 28. dub. 1, et IV. Sent. d. 50. p. II. a. 1. q. 1. ad 4. — Secunda solutio inde sumitur, quod grammatici formam verborum abstractam derivant a forma concreta, logici autem sive philosophi (Aristot., de Praedicam. c. 1.) e contrario. Cfr. infra d. 33. q. 3.

[6] Vat. praeter fidem omnium mss. et edd. 1, 2, 3 addit *non*, sed falso, quia iuxta omnes Scholasticos intensio et remissio est motus *eiusdem* v. g. caloris a statu imperfectiore ad perfectiorem et viceversa. Vide S. Thomam, qui hic circa litteram idem dubium solvit consimili distinctione, scilicet: Magis et minus potest dici aliquid vel quantum ad ipsam naturam participatam, quae secundum se intenditur et remittitur secundum accessum ad terminum vel recessum; et hoc non est nisi in accidentibus; vel quantum ad modum participandi; et sic etiam in essentialibus dicitur magis et minus secundum diversum modum participandi, sicut Angelus dicitur magis intellectualis quam homo.

vel in comparatione ad *diversas substantias* et naturas; et sic dicunt gradum et excessum, et sic est bene [1] ponere magis et minus in ente respectu Creatoris et creaturae, et respectu creaturarum ad invicem. Sed in comparatione Creatoris ad creaturam est excessus improportionabilis et infinitus; respectu creaturarum ad invicem est proportionabilis.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Cuius essentia non novit praeteritum vel futurum.* Videtur enim esse ista proprietas et Angelorum, quia Augustinus de Civitate Dei [2] dicit, quod « immortalitas Angelorum non est praeterita, quasi non sit, nec futura, quasi nondum sit », sed semper est praesens: ergo non est proprium solius Dei.

Respondeo: *Quidam* dicunt, quod duratio aevi est simplex et tota simul, non habens praeteritum et futurum; nihilominus ipsum aeviternum [3] habet praeteritum et futurum quantum ad affectiones; et ita [4] proprium est solius Dei.

Solutio quorundam.

Alii dicunt, quod in omni duratione creata, quoniam differt a durante et [5] habet esse possibile, est prius et posterius; sed distinguunt in priori et posteriori. Quoddam enim est quod dicit *durationis successionem,* quoddam *successionis durationem* cum variatione et innovatione. Primum est in aevo, secundum in tempore; et hoc vult Anselmus [6] expresse, et hoc credo probabilius. Et patet responsio ad verbum Augustini; ipse enim loquitur de priori et posteriori, quod quidem dicit innovationem et variationem et corruptionem [7].

Alia solutio.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *divinae essentiae comparatum nostrum esse non est.* Videtur enim falsum, quia quod inest alicui substantialiter non adimitur comparatione aliqua; sed esse est substantiale rei cuilibet: ergo etc. *Item* ex comparatione ad Deum creatura melioratur, ut dicit Augustinus [8], ergo magis est, quam si non comparetur: ergo etc.

Respondeo: Dupliciter est accipere talem comparationem. *Uno* modo secundum rationem influentiae et receptionis; et sic creatura ad Deum comparata est magis, quam si non comparetur. *Alio* modo comparatur secundum habitudinem aequiparantiae et proportionis; et hoc modo verum est, quod nulla [9] est proportionabilis secundum conditionem veritatis et nobilitatis esse divini; et ideo quasi nihil est, non omnino in se, sed nihil ad proportionem, quia non potest inveniri aliqua proportio quantitativa.

Duplex comparatio ad Deum.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Dicatur ergo, quod semper fuit, est et erit.* Videntur enim haec verba non dici [10] de Deo, quia dicunt diversa tempora; sed in Deo non cadit diversitas temporum.

Respondeo: *Quidam* voluerunt dicere, quod actus isti non praedicant de Deo diversa tempora secundum essentiam, sed secundum concomitantiam; quia divinum esse omnino invariatum omne tempus concomitatur. Sed haec positio non solvit plene. Dicitur enim vere, quod Deus fuit ante omne tempus; tunc [11] ergo concomitantiam non potest dicere. — Ideo dicunt *alii,* quod tempus consignificatum non est dispositio rei acceptae sive intellectae, quando dicitur de Deo, sed solum modi intelligendi; quando vero de re mobili, utroque modo. Exemplum patet de masculinitate [12] in lapide et in viro: quoniam in viro est ut dispositio rei acceptae, in lapide ut modus intelligendi solum. Sed haec positio non videtur sufficiens, quia intellectus non ponit praeteritum circa suum intelligere, quando intelligit Deum fuisse: ergo oportet, quod ponat circa rem.

Solutio 1. insufficiens.

Solutio 2. insufficiens.

Propter hoc notandum, quod verba diversorum temporum aliter dicuntur de aeterno, aliter de aeviterno, aliter de temporali. Nam respectu temporalis important mutabilitatem et successionem et durationem. Secundum vero quod de aeviternis dicuntur, duo tantum important, successionem et durationem, sicut vult Hieronymus [13], Augustinus et Anselmus. Secundum vero quod dicuntur de Deo, important solum durationem. Unde dicitur: *Deus fuit,* quia eius du-

Vera solutio.

---

[1] Cod. T *verum*, cod. W *ibi* pro *bene*.

[2] Libr. XII. c. 15. n. 2.

[3] Hoc est res aeviterna sive subiectum aevi v. g. Angelus. — Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 non bene addit *seu aeternum*, quia non est idem cum aeviterno.

[4] Supple: non noscere sive non habere praeteritum vel futurum.

[5] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *etiam*, et paulo post *cum priori et posteriori* (nonnulli codd. habent quidem *cum* loco *est*, sed solus cod. cc *cum priori et posteriori*). Pro nostra lectione militant etiam ea quae S. Doctor II. Sent. d. 2. p. I. a. 1. q. 3. in corp. habet, ubi fusius hanc quaestionem pertractans, ex creaturae possibilitate sive ex eo, quod *nulla creatura omnino est actus,* deducit durationem successionis sive prius et posterius in aevo. — Mox Vat., omnibus mss. et sex primis edd. obnitentibus, *de* loco *in*. Paulo infra post *successionem* cod. I satis bene addit *sine variatione et innovatione.*

[6] Vide Monolog. c. 28. et Proslog. c. 20. et 22.

[7] De hoc dubio cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 12. m. 9. a. 3. — S. Thom., S. I. q. 10. a. 5.

[8] Libr. I. de Genes. ad lit. c. 4. 5. n. 9. 10. et libr. contra Epist. Manichaei, c. 40. n. 46.

[9] Subaudi: creatura. — Vat. autem cum cod. cc, aliis tamen codd. cum ed. 1 refragantibus, addit *ratio* et paulo infra loco *ad proportionem* habet *a proportione.*

[10] Plurimis codd. obnitentibus, Vat. praemittit *debere.*

[11] Ex mss. et edd. 1, 2, 3 supplevimus *tunc.*

[12] Substituimus fide antiquorum mss. et ed. 1 *masculinitate* pro *masculino genere.*

[13] De Hieronymo vide notam hic in lit. Magistri c. 1. — Augustini et Anselmi textus accipe ex dub. 5. — Cfr. Scot., I. Sent. d. 9. q. unica in fine. — Paulo ante post *important* aliqui codd. ut F aa bb cum ed. 1 addunt *scilicet*, aliqui ut G I ff *et.*

ratio non coepit; *est*, quia duratio eius non interrumpitur; *erit,* quia non desinit nec corrumpitur. Proprie ergo loquendo, non dicuntur de Deo, ut dicit Hieronymus; large autem loquendo, dicuntur, ut dicit Magister et Augustinus; et ad hoc vadit opinio Magistri [1].

DUB. VIII.

Item quaeritur de verbo Hilarii: *Esse non est Deo accidens* etc., quia nec creaturae est accidens — nulli enim omnino rei accidit esse — quomodo ergo per hoc notatur Deus differre a creatura?

Proprietates accidentis.

RESPONDEO: Dicendum, quod accidens dicit quid natum in alio *esse*, ab alio *exire*, et ab illo [2] *recedere*. Accidens enim dicitur quod *inest* subiecto et ab illo *trahit ortum*, et propterea potest *adesse* et *abesse*. In his tribus proprietatibus communicat esse creatum, licet non eodem modo omnino. Nam *esse* nostrum pendet ab alio sustinente, oritur ab alio efficiente, creatura etiam nata est suum esse perdere: ideo esse eius est quasi accidens, non tamen vere accidens, quia cum pendeat a Deo, non pendet sicut a subiecto. E contrario est in Deo; et ideo dicit Hilarius, quod esse non est accidens Deo; et hoc propter contrarias proprietates: quia accidens natum est alii *inesse*, propter hoc dicit: *subsistens veritas;* quia natum est ab alio *exire*, contra hoc dicit: *manens causa;* quia natum est etiam ab alio *recedere*, contra hoc dicit: *naturalis generis proprietas, quae non dimittit esse* [3].

DUB. IX.

Item quaeritur, quomodo intelligitur *immortalitas*, cum dicitur: *Solus habet immortalitatem*, et dicit Augustinus [4], quod accipitur pro incommutabilitate; sed hoc non videtur conveniens. Mors enim non dicit omnem mutabilitatem, sed solum corruptibilitatem [5] viventium: ergo non idem est dicere.

Vita dicitur dupliciter.

RESPONDEO: Sicut vita accipitur *communiter* et *proprie*, ita et mors, ita et immortalitas. *Uno* enim modo dicitur vita actus continuus et internus [6], qui est a forma spirituali; et sic dicitur proprie, et sic immortalitas dicit vitam talem cum impossibilitate ad eius privationem. *Alio* modo dicitur vita actus completus potentiae, quae est secundum rei naturam, sicut dicitur aqua viva, quae habet operationem aquae convenientem; et hoc modo importat repugnantiam ad corruptionem. Et ideo [7] debet dici secundum hanc vitam *immortale* quod est ita in actu completo, quod nullo modo potest aliquam peiorationem recipere; et sic accipit Apostolus et exponit Augustinus.

DUB. X.

Item quaeritur de hoc quod dicit beatus Iacobus et est in littera [8]: *Nec vicissitudinis obumbratio;* quae differentia est inter *vicissitudinem* et *obumbrationem*, et quae convenientia, ratione cuius dicatur *vicissitudo obumbrare?*

Et dicendum, quod *vicissitudo* importat numerum *vicis*, et iste est numerus cum interruptione; sed *obumbratio* dicitur per privationem actus lucis. Quoniam igitur actus formae lux est, privatio eius recte dicitur *obumbratio;* et quia *vicissitudo* ratione numeri dicit interruptionem, et ratione interruptionis dicit privationem, et ratione privationis *obumbrationem*, hinc est, quod recte dicitur *vicissitudinis obumbratio*.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VIII.

PARS II.

De simplicitate Dei.

Eademque sola proprie ac vere simplex est etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA P. 147.

DIVISIO TEXTUS [9].

Supra ostendit Magister duas proprietates divinae essentiae, scilicet veritatem et incommutabilitatem; hic ostendit simplicitatem divinae essentiae vel naturae. Et habet haec pars tres partes. In *prima* ostendit, quod *proprie* est simplex; in *secunda*, quod *vere*, ibi: *Hic diligenter notandum est, cum dicat*

[1] Vide supra in lit. c. 1, ubi et verba Augustini afferuntur.

[2] Vat. cum cod. cc contra ceteros codd. cum ed. 1 *alio* pro *illo*. — De *accidente* vide Porphyr., de Praedicab.; Aristot., I. Topic. c. 4. et V. Metaph. text. 13. et 35. (IV. c. 7. et 30.).

[3] Plura de hac re vide hic p. II. q. 2. et II. Sent. d. 37. a. 1. q. 2.

[4] Verba Augustini vide supra in lit. Magistri c. 2.

[5] Ed. 1 *corruptionem*.

[6] Bernard., de Gratia et libr. arb. c. 2. ait: Est enim in quolibet corpore vita, internus ac naturalis motus, vigens tantum intrinsecus.

[7] Aliqui codd. ut I Z cc *illud* pro *ideo;* ed. 1 cum uno alterove cod. ut W *illud ideo*.

[8] Cap. 2.

[9] In hac distinctione divisio textus partis II. in codd. hoc loco ponitur, dum alibi coniungitur cum divisione partis I. Cfr. ultima verba in divisione partis I. p. 150.

Augustinus etc. In *tertia*, quod *summe*, ibi: *Huius autem sinceritatis et simplicitatis.*

Prima iterum pars habet tres partes. Primo proponit, quod proprie est simplex; secundo ostendit, quod non convenit naturae corporali, ibi: *Ut autem scias, quomodo simplex* etc. In tertia, quod non convenit naturae spirituali, ibi: *Creatura quoque spiritualis* etc.[1].

Similiter pars, in qua ostendit, quod est *vere* simplex, habet tres partes. In prima ostendit, quod in Deo est pure multiplicitas nominum; in secunda ostendit, quod in eo non est diversitas praedicamentorum, ibi: *Quod autem in natura divinitatis nulla sit accidentium* etc. In tertia concludit, quod nomina praedicamentorum in divinis non possunt dici proprie, et etiam nomen primi praedicamenti, ibi: *Unde nec proprie dicitur substantia.*

Similiter pars[2], in qua ostendit, quod est *summe* simplex, habet tres. Primo enim ostendit, quod tanta est ibi simplicitas, quod nulla est ibi rerum diversitas; secundo, quod cum hac simplicitate stat personarum pluralitas, ibi: *Et cum tantae simplicitatis* etc. Tertio vero et ultimo epilogat, quod ostensa est in divina essentia triplex proprietas, ibi: *Ecce quanta identitas.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae dicit Magister in littera, quatuor quaeruntur in parte ista[3].

Primo quaeritur, utrum in Deo sit summa simplicitas.

Secundo, utrum simplicitas sit Dei proprietas.

Tertio, propter illud quod dicitur in littera de anima rationali, quaeritur, utrum anima rationalis sit in toto corpore, ita quod in qualibet parte.

Quarto quaeritur, utrum Deus sit in aliquo determinato genere.

QUÆSTIO I.

Utrum Deus sit summe simplex.

Circa primum, quod in Deo sit summa simplicitas, sic probatur.

Fundamenta.

1. Omne primum est simplicissimum, quia quanto aliquid prius, tanto simplicius[4]; sed Deus est primum in genere entium, eo quod nec est nec esse potest nec cogitari prius: ergo est ita simplex, quod ipso nihil simplicius esse potest vel cogitari: ergo est simplicissimum.

2. Item, omne quod est quidquid habet, est simplicissimum[5]; sed Deus est quidquid habet: ergo etc. Prima patet in se. *Minor* probatur sic: Deus habet potentiam, sapientiam, et sic de aliis; aut ergo est sua potentia, aut non. Si sic, habeo propositum. Si non est sua potentia, cum sit potens potentia, habet posse ab alio, ergo Deus est ab alio; quod si hoc est falsum; ergo illud ex quo sequitur.

3. Item, in esse nobilissimo debet omnis conditio nobilitatis poni in summo; sed Deus est ens nobilissimum, et simplicitas est conditio nobilitatis: ergo ponenda est in Deo in summo: ergo Deus est summe simplex.

4. Item, quanto aliquid est simplicius, tanto est potentius in virtute, et e converso, quia « virtus unita plus potest quam multiplicata[6] »; sed Deus est infinitus et immensus virtute: ergo est infinitus simplicitate: ergo in Deo est summa simplicitas.

Ad oppositum.

Contra: 1. Simplicius cogitatur aliquid, cum cogitatur ut abstractum a pluribus, quam quod[7] cogitatur ut contentum in pluribus: ergo cum fides nostra cogitet Deum ut in pluribus, non cogitat eum ut simplicissimum: ergo si fides vere cogitat, Deus non est simplicissimus.

2. Item, maior est simplicitas, ubi est identitas sine diversitate, quam cum diversitate; sed in Deo est identitas cum diversitate suppositorum: ergo in Deo non est summa simplicitas.

3. Item, maior est simplicitas, ubi est unitas sine pluralitate[8]; quia numerus dicit aliquo modo compositionem, respectu cuius unitas est simplex: ergo cum in Deo sit unitas cum pluralitate personarum, patet etc.

4. Item, maior est simplicitas, ubi non tantum subiectum, sed etiam proprietas est eadem cum proprietate[9]; quia, quando proprietas differt a proprietate in uno, sunt plura differentia: ergo non est simplex; sed in divinis personis in eadem persona

---

[1] Cod. I addit: *Et primo per rationem communem, et secundo per propriam, ibi: Nihil enim simplex.*

[2] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 praemittit *tertia.*

[3] Fide omnium mss. et ed. 1 restituimus verba *in parte ista.*

[4] Cfr. Aristot., XI. Metaph. c. 1. (X. c. 1.). — Paulo infra post *prius* cod. O adiungit *eo.*

[5] Boeth., de Hebdomad. — Mox fide antiquiorum mss. et ed. 1 adiecimus *sed.* — De hoc argumento vide August., XI. de Civ. Dei, c. 10. et Boeth., de Trin. c. 2.

[6] Libr. de Causis, prop. 17. — In princ. huius argumenti Vat. cum cod. cc bis omittit *est*, quod tamen in aliis codd. et ed. 1 habetur. Cod. M post *simplicius* bene addit *in essentia.*

[7] Aliqui codd. ut H ee ff cum ed. 1 forte melius *cum* loco *quod.* Mox pauci codd. ut H V ee *concretum* pro *contentum.*

[8] Supple cum cod. Z *quam cum pluralitate* vel cum cod. I *quam ubi non.*

[9] Subaudi cum cod. Z: *quam ubi differunt* vel cum codd. Q bb: *quam quando proprietas differt a proprietate.*

differt proprietas a proprietate, unde innascibilitas differt a paternitate: ergo etc.

CONCLUSIO.

Summa simplicitas est in Deo.

RESPONDEO: Dicendum, quod sicut primae rationes probant, in Deo ponenda est summa simplicitas. Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod fides non intelligit ipsum ut simplicissimum; dicendum, quod fides[1] intelligit eum ut simplicissimum, et qui aliter intelligit, non intelligit ut summe simplex. Quod patet sic: quoniam est intelligere unum in uno, et unum in pluribus multiplicatum, et unum in pluribus non multiplicatum. Simplicius autem intelligitur unum in pluribus esse multiplicatum, quam unum in uno; quod patet, quia universale est simplicius singulari[2]; et adhuc multo simplicius intelligitur, quod est unum in pluribus non multiplicatum. Hoc[3] modo intelligit fides nostra Deum. Et ideo simplicior est Deus, quia est in omnibus[4] non multiplicatus, quam si esset in uno solo, vel in pluribus multiplicatus. Hinc est, quod Deus simplicissimus est, et fides nostra eum ut simplicissimum intelligit. Solutio oppositorum. Simplicitas in Trinitate.

Et qui intelligit Deum[5] plurificatum in essentia, vel unum in supposito, derogat *summae* simplicitati eius, derogat etiam *nobilitati* simplicitatis[6] eius. Quoniam ubi *summa* simplicitas intelligitur, oportet summam actualitatem intelligi, si summe *nobilis* est. Et ubi est summa actualitas, summa diffusio et communicatio debet poni; et ista non potest esse nisi in sempiterna productione rei omnino infinitae et aequalis in virtute; et hoc non potest esse in alietate[7] essentiae: ergo non potest intelligi divina essentia simplicissima, nisi in tribus personis intelligatur tota esse, quarum una sit ab alia.

Quando ergo obiicitur, quod simplicius est abstractum a pluribus quam[8] in pluribus; verum est, si in illis pluribus plurificetur. Si autem non plurificatur, non est verum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod maior est simplicitas, ubi nulla diversitas; dicendum, quod diversitas dupliciter potest venire: vel ex *additione*, vel ex *origine*. Ex *additione*, cum est diversitas in proprietatibus absolutis, quae diversae sunt in diversis, ut albedo in Petro et nigredo in[9] Paulo; et haec privat simplicitatem, quia ponit compositionem. Est alia diversitas veniens ex *sola origine*, ut puta, quia una persona emanat[10] ab alia, differt ab ea; et haec non repugnat simplicitati, quia nullam ponit compositionem, sed solum ordinem et respectum ad alium; et haec[11] non proprie dicitur diversitas, sed distinctio et discretio. Et hoc manifestum est, si intelligamus, Patrem se ipso generare Filium, et intelligamus, eum generare et iterum non generare, nulla est hic compositio, quia nulla additio. Diversitas dupliciter oritur.

3. Ad illud quod obiicitur, quod maior est simplicitas, ubi nulla pluralitas; dicendum, quod duplex est pluralitas. *Quaedam*, in qua plus est in duobus quam in uno, ut in duobus hominibus plus est de bonitate quam in uno; et ista pluralitas repugnat simplicitati, quia unitas addit supra unitatem. *Quaedam* autem est pluralitas, in qua tantum in pluribus est, quantum in uno; et haec est in divinis, quia tantum de esse et bonitate et virtute est in una persona, quantum in pluribus; et ista pluralitas nihil addit ad unitatem: et ideo nullam omnino ponit compositionem nec privat simplicitatem. Duplex pluralitas.

4. Ad illud quod obiicitur, quod in Patre differt proprietas a proprietate; dicendum, quod proprietas differt a proprietate tripliciter: aut respectu subiecti, aut respectu sui, aut respectu obiecti. Si respectu *subiecti*, quia causantur ex diversis naturis[12] in ipso repertis; sic ponit compositionem, quia ponit subiectum esse ex[13] pluribus. Si respectu *sui*, sic differt musica et grammatica in Petro; et sic ponit similiter compositionem, quia ponit subiectum subesse pluribus. Si respectu *obiecti*, sic ponit subiectum comparari pluribus; et ex hoc[14] non ponitur compositio, sed distinctio. Exemplum est in puncto, quod est principium et finis respectu diversarum linearum. Hoc modo est differentia proprietatum in divinis. Proprietas differt tripliciter.

---

[1] Codd. inter se non conveniunt; plures enim ut F H I N P Q R U cum ed. 1 loco *fides* habent *immo*, alii ut C L O Z *bene*, alii ut A T aa legunt *quod ipsum intelligit ut*, alii demum, sicut Vaticana et ed. nostra.

[2] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 20. (c. 24.).

[3] Plures codd. ut E I P Q X Z cum ed. 1 addunt *autem*.

[4] Hoc est, in tribus personis divinis; aliqui codd. ut H I Z cum ed. 1 *pluribus* pro *omnibus*, quae lectio in se praeferenda videtur.

[5] Cod. Y adiungit *vel*.

[6] Supplevimus ope vetustiorum mss. et ed. 1 minus bene omissum *simplicitatis*.

[7] Cod. Z *nisi in identitate* pro *in alietate*.

[8] Supple: contentum, vel cum cod. H *contractum*.

[9] Auctoritate multorum mss. ut E H K M P Q U V Z etc. et ed. 1 adiecimus *et nigredo in*, quod et contextus postulare videtur. Vat. cum cod. cc contra alios codd. et ed. 1 post *Paulo* addit *et Gregorio*.

[10] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *emanat* loco *emanans*.

[11] Faventibus pluribus mss. ut A I T etc. et ed. 1 nec non contextu, reposuimus *haec* pro *hoc*. Cod. V *hoc modo*. Paulo ante cod. O *aliam* loco *alium*.

[12] Codd. aa bb addunt *vel principiis*.

[13] Praeferimus lectionem multorum mss. ut H I K L O T X Z aa bb etc. *ex* pro *in*, quae et contextu confirmatur.

[14] Vat. *hoc modo* pro *ex hoc*, sed obstat auctoritas antiquiorum mss. et ed. 1.

SCHOLION.

I. Simplicitas dicit modum quendam unitatis nobilissimum, et simplicitas divina summam simul actualitatem. Distinguitur hic et in sequenti quaestione id quod est *simpliciter* simplex, et quod est *summe* simplex. Primum invenitur etiam in creaturis, et est illud quod non est resolubile in partes essentiales sive constitutivas; sic et materia prima per ablationem omnis actus et perfectionis dicitur simplex. *Summa* vero simplicitas excludit qualemcumque compositionem, tam *activam* sive compositionem *ex* aliis, quam *passivam* sive compositionem *cum* aliis. Haec summa simplicitas certe importat non tantum privationem compositionis, sed etiam « modum unitatis nobilissimum, quem Deus nulli communicat creaturae » (q. seq. ad 1.).

II. Quoad argum. 3. in fund. notandum, illud axioma (quo utitur etiam S. Thom., S. c. Gent. l. c. 18. et Richard. a Med., hic a. 3. q. 1.), quod simpliciora sint nobiliora, valere tantum, si subintelligatur: *ceteris paribus*. In rebus enim corruptibilibus totum compositum, quod complectitur perfectionem sui et partium, potest esse perfectius quam pars simplex, sicut homo nobilior est quam materia, vel etiam quam sola anima. Cfr. Richard., loc. cit. q. 2.

III. Conclusio ipsa, qua eliditur error Gilberti Porretani et abbatis Ioachim, definita est primo in Concilio Rhemensi, tum in Lateran. IV. c. *Firmiter*, de S. Trinit.: « Deus est... una essentia, substantia seu natura simplex omnino ». Cfr. infra dub. 6. — Alex. Hal., S. p. I. q. 5. m. 1. et 2, et q. 14. m. 1. — Scot., hic q. 1; Report., hic q. 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. et q. 4. a. 1; S. I. q. 3. a. 3. 4. 7. 8; S. c. Gent. I. c. 16. 18. — B. Albert., hic a. 22. — Petr. a Tar., hic q. 5. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 4. — Henr. Gand., de hac et seqq. S. a. 28. et 29. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 5. — Biel, hic q. 7. dub. 2.

QUAESTIO II.

Utrum summa simplicitas soli Deo conveniat.

Secundo quaeritur, utrum simplicitas sit Dei proprietas. Et quod sic, videtur hoc modo.

Fundamenta. 1. Nulla creatura est actus purus, quia in omni creatura, ut dicit Boethius [1], differt *quo est* et *quod est;* ergo in omni creatura est actus cum possibili; sed omnis talis habet in se multiformitatem et caret simplicitate: ergo etc.

2. Item, omnis creatura habet esse finitum et limitatum: ergo habet esse arctatum [2]; sed ubicumque est esse limitatum, est ibi aliquid quod contrahit, et aliquid quod contrahitur, et in omni tali est compositio et differentia: ergo omnis creatura est composita: ergo nulla simplex.

3. Item, omnis creatura habet esse datum aliunde, ergo habet esse aliunde acceptum, ergo nulla creatura est suum esse, ergo in omni creatura est dependentia sive differentia; sed nullum tale simpliciter simplex: ergo etc.

4. Item, omne, quod est post primam unitatem, deficit ab illa, ergo statim cadit in dualitatem, sicut dicit Dionysius [3], quod post monadem dyas est: sed omnis creatura est a prima unitate: ergo omnis creatura est ab illa deficiens: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. « Ab uno non procedit nisi unum [4] » et a vero non procedit nisi verum; sed unitas et simplicitas eandem rationem habent in Deo: ergo sicut ab uno unum, ita a simplici simplex.

2. Item, videtur specialiter, quod simplicitas sit in creaturis, quia simplex est quod non habet partem; sed punctus non habet partem, quia ita definitur: punctus est, cuius pars non est [5]: ergo etc.

3. Item, omne illud, ante quod non est aliud, est simplex; quia si compositum est, necessario habet ante se aliud; sed ens est primum, sicut dicit auctor de Causis [6]: « Prima rerum creatarum est esse »: ergo etc.

4. Item, omne illud est simplex, in quo stat resolutio; sed resolutio stat in principiis, quae sunt materia et forma, quia materia ulterius non resolvitur, cum sit status in causis, alioquin esset ire in infinitum [7]: ergo cum resolutio stet in creato, aliquid creatum est simplex. *Si tu dicas,* quod principia non habent omnimodam simplicitatem, quia quamvis non componantur ex aliis, tamen componuntur aliis; *contra:* hoc non videtur facere contra simplicitatem, quod componatur alii. Nam quod aliquid non sit componibile alii, non facit aliquam simplicitatem, cum ista proprietas [8] sit in individuis completis, quae maxime sunt composita: ergo hoc quod dico *componibile aliis,* non tollit ab eis simplicitatem, et sic etc.

---

[1] In libro de Hebdomad. et de Trin. c. 2. Vide supra d. 3. p. II. a. 1. q. 3. fundam. 3.

[2] Cod. X *contractum.*

[3] De Div. Nom. c. 4. et 13. — Mox lectio Vat. *ergo* pro *sed* corrigitur ex mss. et ed. 1.

[4] Ita Avicenna, IX. Metaph. c. 2. seqq. Cfr. etiam Averroes, Comment. in XII. Metaph. text. 44. Allegatur etiam II. de Gener. et corrupt. text. 56. (c. 10.), ubi Aristot. ait: Idem enim et similiter se habens semper idem natum est facere.

[5] Euclid., I. Geometriae, ubi iuxta translationem Boethii habetur: Punctus est, cuius pars nulla est.

[6] Propos. 4. — Mendum Vat., quae post *causis* habet *sed primum*, castigatur ope mss. et ed. 1.

[7] Cfr. Aristot., II. Metaph. per totum (l. brevior.), ubi processus in infinitum in genere causarum reprobatur. De materia et forma, quatenus sunt principia vide Aristot., I. Phys. text. 42. 82. (c. 5. 9.); et Gilbert. Porret., de Sex Princip. prop. 1. — Cod. V *abire* loco *ire.*

[8] Nempe: quod aliquid non sit componibile. — Paulo ante cod. cc *componantur* loco *componatur*, ubi supple: aliquid.

CONCLUSIO.

Deum solum esse summe simplicem, duplici modo probatur.

Respondeo: Dicendum, quod simplicitas essentiae privat compositionem et privat essentialem differentiam sive multiplicitatem. Unde simplex est, quod non habet compositionem partium nec multiplicitatem actionum [1] sive formarum. In solo autem Deo est privatio compositionis et differentiae sive multiplicitatis: ideo simplicitas in solo Deo est essentialiter. (Conclusio 1.)

Unde notandum, quod multiplex est *compositio*. (Multiplex compositio.) Una compositio est ex partibus *essentialibus;* et haec est in omnibus per se entibus [2]; alia est ex partibus *integrantibus;* et haec est in omnibus corporibus; tertia est ex partibus *dissimilibus* sive repugnantibus; et haec est in omnibus animatis et viventibus. Unde in omni substantia per se ente, quae proprie [3] dicitur creatura, est compositio, quia omnis creatura aut est corporalis, aut spiritualis, aut composita ex utroque.

Similiter est considerare triplicem *differentiam* in creaturis. (Alia triplex differentia.) Prima est *substantiae, virtutis* et *operationis* [4], sive substantiae et accidentis; secunda est differentia *suppositi* et *essentiae;* tertia est differentia *entis* et *esse* [5]. Prima differentia est rei, prout est agens; secunda, prout est ens in genere; tertia, prout est ens in se. Prima differentia est in omni *subiecto,* quoniam omne [6] subiectum habet esse mixtum; ideo non agit ex se toto, et ideo differt in eo *quo* agit et *quod* agit, et *actio* sive subiectum et proprietas [7]. Secunda differentia est in omni *individuo,* quia omne individuum habet esse limitatum; et ideo in aliquo convenit, in aliquo differt cum alio, et ideo in omni individuo differt *essentia* et *suppositum;* multiplicatur enim essentia in suppositis. Tertia differentia est in omni *creato* et *concreato* [8]: quia enim omne, quod est praeter Deum, accipit esse aliunde, sive principium sit, sive principiatum: ideo nihil est suum esse, sicut lux non est suum lucere.

Si ergo dicatur simplicitas per privationem *compositionis,* sic proprium est solius Dei in ratione *substantiae,* quia nulla alia substantia est, quae non habet [9] compositionem ex possibili et actuali saltem. (Conclusio 2.)

Si autem simplicitas dicat privationem *essentialis differentiae et dependentiae,* ita quod in essentia nulla sit diversitas nec dependentia [10], est proprium Dei in ratione *entis,* quia nullum aliud ens est, in quo non cadat aliqua diversitas vel dependentia. (Conclusio 3.)

Concedendum ergo est, quod simplicitas est Dei proprium, ut visum est. (Epilogus.) Creaturae autem compositae sunt nec vere simplices, quia habent esse *mixtum* ex actu et potentia, quia habent esse *limitatum,* et ita in genere et specie per additionem contractum, quia habent esse *aliunde datum,* quia habent esse *post Deum unum,* a quo deficiunt; et ita cadunt in compositionem [11].

Aliter potest dici et brevius [12], quod simplex dicitur per privationem compositionis. (Alius modus probandi.) Sed notandum, quod compositio dicitur dupliciter: *uno* modo alicuius *ex aliquibus; alio* modo, qua [13] aliquid dicitur componi *alii.* Si ergo simplicitas privet compositionem *ex aliis,* sic convenit etiam creatis, utpote primis principiis [14], quae non componuntur ex aliis. Si autem privet compositionem *cum aliis* et *ex aliis,* sic solius Dei est. Omnis enim creatura aut est ens *per se* et *in se* [15]; et ita composita *ex aliis;* aut est ens *cum alio* et *in alio;* et ita *alii* composita. Et iterum omne creatum aut est *principium;* et ita componibile alii; aut *principiatum;* et sic compositum ex aliis; et sic accipitur simplicitas, prout est rei proprietas, per privationem, videlicet utriusque compositionis.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod ab uno non est nisi unum etc.; dicendum, quod simplex non est conditio generalis entis sicut unum. Nam (Solutio oppositorum.)

---

[1] Ed. 1 *accidentium* loco *actionum*, cum qua lectione concordant verba Magistri, hic c. 3. in initio, et explicatio ipsorum infra dub. 2. Pro lectione mss. allegari potest Alan. ab Insul. Regul. theolog., reg. 1, ubi praeter pluralitatem partium et proprietatum affert pluralitatem *effectuum*, quae attenditur in proprietatibus; sic albedo facit album, facit coloratum, facit qualem. Deus autem non est diversus effectibus variis, quia non est causa *formalis.* Utraque tamen lectio in idem recidit, ut patet ex iis, quae paulo infra habentur.

[2] Sive substantiis, supple creatis. — Mox cod. W *secunda* loco *alia.*

[3] Vat. cum cod. cc, obnitentibus aliis mss. et ed. 1, male omittit *proprie.*

[4] Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 11. Cfr. supra p. 79. Nota 5.

[5] Vide Boeth., de Trin. c. 2. seqq. et de Hebdomad.

[6] Vat. falso et contra mss. necnon ed. 1 *esse* pro *omne.* — Boeth., de Trin. c. 2. ostendit, quod nullum simplex esse possit subiectum accidentium; cuius propositionis explicationem vide apud Alan. ab Insul. Regul. theolog., reg. 12.

[7] Corrupta lectio Vat. *sive subiecti proprietas* resarcitur ope mss. et ed. 1.

[8] Substantiae sive supposita dicuntur *creari;* accidentia et annexa, inter quae est ipsa creatio passive sumta, dicuntur *concreari.* Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 3. q. 2. — Mox fide antiquiorum mss. et ed. 1 adiecimus *enim.*

[9] Aliqui codd. ut H T cum edd. 1, 4, 5 *habeat.*

[10] Nonnulli codd. ut H I aa bb addunt *sic.*

[11] Vide Boeth., de Unitate et Uno.

[12] Ex vetustioribus mss. et ed. 1 substituimus *brevius* loco *verius* et paulo infra *Sed* pro *Et.*

[13] Ita plurimi codd. ut A C F H K R S T U cc ee cum edd. 1, 2, 3; Vat. *quo.* Refertur *qua* ad *compositio.*

[14] Vat. cum cod. cc praeter fidem ceterorum et ed. 1 omittit minus bene *principiis.* Paulo ante plures codd. ut E F H I K Q X Z *creaturis* pro *creatis.*

[15] Id est substantia completa, cui opponitur accidens. — Paulo infra fide plurium mss. ut H T aa bb ee et ed. 1 post *iterum* posuimus *omne* loco *esse;* codd. aa bb habent *omne esse.*

simplicitas dicit modum unitatis nobilissimum, quem Deus nulli communicat creaturae; quia creatura non potest recipere, cum esse eius sit limitatum, sit[1] mixtum, sit etiam esse dependens et aliunde datum.

2. 3. 4. Ad illud quod obiicitur de simplicitate puncti et entis et principii, dicendum, quod ibi est simplicitas per privationem compositionis ex aliis, non autem prout simplicitas dicit indifferentiam omnimodam. In omnibus enim, ut dictum est, cadit aliqua differentia et dependentia: quamvis enim non sint composita, tamen eorum esse dependet a composito, sive compositione.

Unde bene concedendum est illud quod ultimo dicebatur, quod illud derogat simplicitati rei, quod sit alteri componibilis, in quantum simplicitas privat *multiplicitatem* et *differentiam* in re simplici, quamvis non deroget, in quantum privat[2] *compositionem ex aliis.* Omnis enim dependentia facit ipsum quod dependet a summa simplicitate et indifferentia recedere. Solus autem Deus est independens. Omnia autem alia sunt dependentia, sive comparatione ad principia, ex quibus sunt, sive unum principium componens complicetur ad aliud, sive esse dependens[3] comparatione ad Deum sive ab ipso Deo. Nihil autem, quod dependet, est sua dependentia: ideo nihil tale est summe simplex, quia omne simplicissimum est absolutissimum[4].

SCHOLION.

I. In responsione dicitur, quod compositio ex partibus essentialibus, scil. materia et forma, est « in omnibus per se entibus ». His verbis S. Bonav. tangit illam opinionem, quod etiam in Angelis sit aliquo modo *spiritualis* materia et forma. Hic modus loquendi et ante et post S. Thomam in scholis fuit receptus et approbatus; nunc vero est obsoletus, immo multis immerito est lapis offensionis. Quo sensu haec locutio ab ipso S. Bonav., Alex. Hal. et aliis multis intellecta sit, alibi dicetur; cfr. interim II. Sent. d. 3. p. I. a. I. q. 1., et d. 17. a. 1. q. 2. — Alex. Hal., S. p. II. q. 61. m. 1; ibid. q. 20. m. 2. § 1.

II. Duae exhibentur quaestionis solutiones. In *prima* enumerantur quinque genera compositionis; aliud sextum genus, quod est ex genere et differentia, infra (q. 4. huius dist.) specialiter explicatur. — *Secundum* modum dicendi S. Doctor declarat veriorem, cui consentit S. Thom., S. I. q. 3. a. 7. et 8.

III. Celebris est distinctio inter *quod* est et *quo* est, sive inter essentiam et existentiam. Sumta est haec distinctio ex Boethii libro de Hebdomad., vel potius ex commentario, quem Gilbertus Porretanus in hoc opusculum scripsit. Deus quidem est et sua essentia et suum esse, ut dicit sententia communis, sed in creatura *esse* (existentia) non est id *quod* existit, sed *quo* essentia existit. Haec distinctio ab omnibus admittitur, sed de natura eiusdem fuit et est controversia. Nominales volunt, hanc distinctionem esse *solius rationis;* pluralitas Thomistarum, eam esse *realem;* Scot. vero (II. Sent. d. 1. q. 2. et d. 3. q. 3.) tenet hic suam distinctionem *formalem.* Seraphicus Doctor in his duabus quaestionibus naturam huius distinctionis explicite non determinat, tamen verba eius valde conveniunt cum verbis S. Thomae. Trigosus (S. q. 3. a. 2. dub. 4.) putat, S. Bonaventuram docere realem distinctionem inter esse et essentiam creaturae, sed non tanquam inter duas res, sed sicut inter rem et actum sive modum eiusdem; insuper ipsum S. Thomam et etiam Scotum in eandem fere sententiam convenire asserit. Cfr. circa hanc controversiam Alex. Hal., S. p. II. q. 12. m. 2. 3. — Richard. a Med., Quodl. 1. q. 8. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2. — Dionys. Chart., hic q. 7, ubi retractat id quod prius pro distinctione reali in sensu multorum Thomistarum scripserat; Henr. Gand., S. a. 28. q. 4. — Durand., hic q. 2.

IV. Tangitur in hac et sequenti quaestione alia celebris controversia de distinctione, quae est in Deo *inter essentiam et attributa et inter ipsa attributa,* utrum scil. haec sit solummodo *rationis ratiocinantis,* ut dicunt Nominales, an sit *formalis* in sensu Scoti (hic q. 4.), an *virtualis* sive fundamentalis, ut vult S. Thom. (I. Sent. d. 2. q. unic. a. 2. 3; S. I. q. 13. a. 4.). Sententiae Angelici S. Bonav. quoad distinctionem inter *essentiam* divinam et *attributa absoluta* omnino consentit. Distinctionem enim *virtualem* in sensu S. Thom. ipse *egregie* explicat infra d. 45. a. 2. q. 1. in corp.; cfr. etiam d. 22. a. 1. q. 2. in corp. et ad 3; d. 27. p. I. a. 1. q. 3; d. 34. q. 2. in corp.; d. 35. q. 2. in corp.; d. 7. q. 4, et in hac nostra dist. p. I. q. 1; p. II. q. 1. et. 2. — Etiam in illa quaestione connexa, utrum distinctio *virtualis* iam sufficiat ad verificanda contradictoria de eadem re, S. Bonav. videtur stare potius a parte scholae S. Thomae, quae hoc affirmat, quam Scoti, quae hoc negat. Dicit enim S. Bonav. (infra d. 34. a. 1. q.1. ad 5.), quod « quantulacumque differentia rationis sufficit ad affirmationem et negationem », quod notandum pro doctrina de SS. Trinitate. Cfr. etiam d. 5. a. 1. q. 1. ad 1; d. 19. p. II. a. 1. q. 2. ad 4; d. 28. a. 1. q. 1. in corp.; d. 35. a. 1. q. 3; d. 43. q. 1. ad 3.

Alia vero quaestio est de distinctione inter *relationes* et *essentiam* divinam, quam S. Doctor expressis verbis affirmat esse maiorem quam illam, quae est inter attributa *absoluta* et *essentiam,*

---

[1] Vat. absque auctoritate mss. et quinque primarum edd. *et* pro *sit.* Mox codd. A C G L O R S X aa bb habent *sicut etiam* pro *sit etiam.*

[2] Faventibus multis mss. et ed. 1, substituimus *privat* loco *privet.*

[3] Ita codd. H K cum Vat., in qua lectione verba *esse dependens* referas ad subiectum *omnia alia sunt;* ceteri codd. cum ed. 1 ponunt *omne dependens*, sed minus congrue, etiamsi suppleas verbum *est*, ob mutationem subiecti; utraque lectio non caret difficultate grammaticali.

[4] Libr. II. Sent. d. 3. p. I. a. I. q. 1. in corp. Seraphicus ait: Omne dependens hoc ipso cadit in aliquam compositionem, quia differt *quo est* et *quod est.* — Explicationem huius accipe a B. Albert., S. p. I. tract. 4. q. 20. m. 2: In principiis etiam substantiae non potest esse simplicitas, quia licet ex aliis principiis substantiae non componantur, tamen aliud habent hoc *quod sunt,* et aliud *quo* principia substantiae sunt; hoc enim *quod sunt,* res quaedam et substantiae sunt, quia ex non substantiis non fit substantia, ut dicit Philosophus. Eo autem *quo* principia substantiae sunt, utrumque principiorum dependentiam habet ad alterum. Materia... ad formam ut ad actum, et forma ad materiam ut ad id in quo habet esse distinctum... Similiter dicendum est de componentibus. — Libr. I. Sent. d. 8. a. 24. ad hanc obiectionem: relatio creaturae ad Creatorem est quid extrinsecum, adeoque non facit creaturae compositionem, respondet: Dicendum, quod sola relatio ad causam efficientem non facit eis compositionem, sed hoc quod relinquitur in eis ex tali exitu in esse... ex hoc ipso, quod res exit in esse post nihil, remanet potentia tendendi in nihil, nisi contineatur ab alio.

et inter attributa haec ad invicem, eamque tanquam tertium divisionis membrum et medium exhibet, dum agit de triplici divisione eorum, quae tantum ratione differunt; vide infra d. 26. q. 1. ad 2. et 3, et d. 22. q. 4. Haec secunda species a Seraphico distincta, ut vult Brulifer, dedit occasionem Scoto suam excogitandi distinctionem *formalem*. De sententia S. Bonaventurae cfr. d. 13. q. 3. et Scholion ad d. 26. q. 1.

Circa distinctionem virtualem cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 52. m. 1, et q. 56. m. 7. a. 2. — B. Albert., S. p. I. d. 3. a. 4, et hic a. 3. 4. 5. — Petr. a Tar., I. Sent. d. 2. q. 1. a. 2. 3. — Richard. a Med., I. Sent. d. 2. a. 1. — Ægid. R., I. Sent. d. 2. 1. princ. q. 2. 3. — Henr. Gand., S. a. 51; et Quodl. 5. q. 1. — Durand., d. 2. q. 2. et 3. — Dionys. Carth., I. Sent. d. 2. q. 2.

V. In conclusione principali conveniunt omnes: Alex. Hal., S. p. I. q. 5. m. 3; p. II. q. 12. per totam. — Scot., hic q. 2. — S. Thom., hic q. 5. a. 1. et 2.; S. I. q. 3. a. 7. 8. — B. Albert., hic a. 24. — Petr. a Tar., hic q. 6. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 7. — Biel, hic q. 7. dub. 3.

QUÆSTIO III.

Utrum anima rationalis sit tota in toto corpore, et tota in qualibet parte ipsius.

Tertio quaeritur, utrum anima rationalis sit in toto corpore, ita quod in qualibet parte. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Augustinus [1] dicit, quod sicut Deus est in maiori mundo, sic anima in minori; sed Deus sic est in maiori, quod in qualibet parte totus: ergo anima sic est in minori, scilicet in corpore.

2. Item, quod dat esse toti et partibus unitur toti et partibus secundum essentiam, quia forma per sui essentiam dat esse, et hoc non nisi ei cui essentialiter unitur [2]; sed anima dat esse toti corpori et omnibus partibus: ergo etc.

3. Item, in oculo est videre, est sentire, est vivere [3]. Quaero ergo, utrum sint haec unus actus vel differentes. Non unus; hoc constat, quia, privato visu, adhuc sentit per tactum, privato sensu, adhuc vivit, sicut [4] in paralytico; cum ergo vivere sit a substantia, videre a potentia, in oculo est anima secundum substantiam; eadem ratione potest probari, et in omnibus partibus esse.

4. Item, anima operatur in toto corpore, ergo in toto corpore [5] est per potentiam; sed potentia animae simplex est: ergo si potentia una est in manu et pede, idem est in diversis partibus; sed non est simplicior potentia quam substantia: ergo etc.

5. Item, anima est in corpore: aut ergo [6] est in *qualibet* parte, aut est in *una* determinate, aut est in *puncto*. Si in *qualibet* parte, habeo propositum. Si in *una*, cum illa habeat plures partes, et anima sit simplex, erit in pluribus partibus: ergo non est inconveniens, animam esse in pluribus partibus. Sed qua ratione est [7] in partibus partis, eadem ratione est in partibus totius. Si est in *puncto* corporis [8], ergo cum punctus non habeat proportionem ad totum corpus, anima est improportionabilis toti corpori: ergo non potest esse perfectio, cum proportio sit perfectionis ad perfectibile [9]. *Similiter*, «punctus est substantia posita» sive habens positionem, ergo anima habet situm in corpore; sed nulla forma situalis est motor sufficiens: ergo etc.

SED CONTRA: 1. Forma, quae est in toto et in partibus una, denominat partes et totum ratione consimili [10]. Unde quaelibet pars ignis est ignis: ergo si anima est in qualibet parte, tunc quaelibet pars animalis est animal sicut totum [11], cum quaelibet pars sit substantia animata sensibilis. Ad oppositum.

2. Item, existentia animae rationalis non dependet ab aliqua parte corporis, cum sit fixa in se: ergo non est in qualibet [12].

3. Item, operatio eius non dependet ab aliqua parte corporis nec alicui communicatur: ergo in nulla parte corporis est, nec in quantum perfectio, nec in quantum motor. Unde Philosophus [13] dicit, quod «anima nullius corporis est actus», id est nullius partis corporis, sed in quo est, est sicut actus.

4. Item, corpus organicum [14] est diversarum rationum in partibus et toto, ergo habet diversam perfectionem: ergo cum anima perficiat totum quantum ad essentiam, perficit partes quantum ad potentiam: ergo anima rationalis non est in partibus nisi solum

---

[1] Libr. de Spiritu et anima, c. 13. in fine. — Mox in propos. minore post *maiori* Vat. repetit *mundo*.

[2] Cfr. Aristot., VIII. Metaph. text. 15. et 16. (VII. c. 6.). — De proxime sequente propositione vide II. de Anima, text. 4. seqq. et 24. (c. 1. et 2.), ac I. de Part. animal. c. 1.

[3] Ex plurimis mss. et ed. 1 supplevimus bis *est*.

[4] Supple cum cod. V *patet*. — In fine argumenti post *partibus* cod. Y addit *corporis*.

[5] Vat. absque auctoritate mss. et edd. 1, 2, 3, 6 minus bene omittit *in toto corpore*.

[6] Fide plurium mss. ut M T V W X Z etc. et ed. 1 adiecimus *ergo*, et dein ter *est*.

[7] Plurimi codd. cum ed. 1 hic et paulo post minus apte omittunt *est*.

[8] Codd. aa bb addunt *ergo est punctus*.

[9] Colligitur ex dicto Aristot., II. de Anima, text. 24 (c. 2.): Videtur enim actus activorum inesse in patiente et disposito. — Et text. 26. ait, quod non videatur quodlibet (subiectum) recipere quodlibet (quamlibet formam). — Sequens definitio puncti datur ab Aristot., I. de Anima, text. 68. (c. 4.) et V. Metaph. text. 12. (IV. c. 6.)

[10] Aristot., I. de Historia animal. c. 1.

[11] Ita antiqui codd. cum ed. 1, licet plurimi eorum post *pars* omittant *animalis*; Vat. autem cum cod. cc, omissa particula *tunc*, pro *est animal sicut totum* ponit *dicitur animal*.

[12] Codd. W X addunt *parte*.

[13] Lib. II. de Anima, text. 11. (c. 1.) et III. de Anima, text. 6. (c. 4.).

[14] Aliqui codd. ut A I W Y *organizatum*.

quantum ad rationem potentiae; et hoc etiam dicit Philosophus [1]: « Sicut anima ad corpus, sic partes animae ad partes corporis ».

5. Item, si anima est tota in qualibet parte corporis, ergo tota est in manu; sed quando aliquod totum est in aliquo, movetur illo moto [2]: ergo mota manu, movetur anima, et similiter, manu quiescente, quiescit: ergo cum manus una possit moveri, altera existente in quiete, anima una et eadem numero simul quiescit et movetur secundum idem.

6. Item, si anima est in pluribus partibus [3] tota, qua ratione in tribus, eadem ratione in pluribus, et ita in infinitis, et quantumcumque extendatur corpus: ergo anima nata est esse ubique, et ita videtur, quod anima non sit substantia limitata, sed immensa.

7. Item, si tota anima est in manu sicut in aliis partibus: ergo cum vita sit ab [4] anima, non magis recipit motum et sensum manus a corde, quam e converso. Hoc autem est contra omnes philosophos [5]; et sequitur ex hoc tale inconveniens, quod, sicut laeso corde perit vita, ita laesa manu.

CONCLUSIO.

Anima rationalis est tota in toto corpore et tota in qualibet parte.

RESPONDEO: Dicendum, quod aliqui dicunt, quod anima secundum essentiam est in aliqua parte determinate, secundum potentiam vero est et influit in toto corpore, sicut aranea est in tela [6]. Unde dixerunt, quod est in corde, quia cor est domicilium vitae, et eius inhabitator est anima. Et ad hoc ponendum movit eos *experimentum* cum *defectu rationis*. *Experimentum,* quia visibiliter apparet, quod laeso corde separatur anima, et ab ipso fluit [7] sensus et motus, et est membrum nobile existens in medio, sicut centrum corporis. *Defectus rationis*, quia non potuerunt intelligere, quomodo aliquid limitatum sit unum et idem totum in pluribus; et quia fides non cogit credere, et ratio non intelligit, ideo dicunt, non esse ponendum, quod sit in toto ratione cuiuslibet partis.

Opinio 1.

Sed aliorum opinio est, ut Augustini [8], quod anima in qualibet parte corporis sit tota; et ad hoc ponendum movet *experimentum, exemplum* et rationabile *argumentum. Experimentum,* quia anima in partibus distantibus a corde ita cito sentit, sicut et in propinquis; item [9] simul quasi in ictu oculi sentit laesionem in partibus distantibus, et cum anima separatur, dolor est in singulis partibus et resolutio. *Exemplum* similiter movet, sicut dicit Augustinus [10]: « Videmus enim quod uno animali perfecte sano est una sanitas in singulis partibus, nec maior in maiori nec minor in minori ». Si ergo hoc est in forma corporali, quanto magis in spirituali? Rationis *argumentum* movet, quia anima est *forma simplex* et *motor sufficiens.* Quia *forma* totalis corporis, est in toto; quia vero *simplex,* non est secundum partem et partem sui; quia *motor sufficiens,* ideo non habet situm, et ideo nec est in puncto nec in parte determinata. Et quia magis rationalis est opinio, quae fundatur supra [11] rationem, quam quae fundatur supra defectus rationis, et quia Augustinus hoc dicit, hanc approbo tanquam meliorem.

Opinio 2. probabilior.

Conclusio.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium: forma quae est in toto etc.; dicendum, quod triplex est genus formae. Est enim *quaedam,* quae *perficit* et *extenditur* et *dependet.* Et haec, quia totum perficit, est in toto; quia vero extenditur, perfectionem totius communicat partibus; quia vero dependet nec agit per se, operationem totius communicat partibus, ut patet in forma ignis, quia quaelibet pars ignis est ignis et quaelibet calefacit. Est *alia* [12] *forma,* quae *perficit* et *dependet,* sed *non extenditur;* et ta-

Solutio oppositorum.

Triplex genus formae.

---

[1] Libr. II. de Anima, text. 9. (c. 1.).

[2] Vide supra d. 5. a. 2. q. 1. ad opp. 3.

[3] Vat. cum cod. cc, aliis autem codd. et ed. 1 refragantibus, hic omittit *partibus* et in fine argumenti *substantia,* ac contra plures codd. ut F H T V Y etc. ponit *ea ratione* loco *eadem ratione.*

[4] Aliqui codd. ut A Ç G I R S omittunt *ab.* Cod. T *cum una sit anima.* Codd. L O *sit anima vel ab anima.*

[5] Vide Aristot., III. de Partib. animal. c. 3. et 4.

[6] Chalcidius, qui vixit sub initio IV. saec., in Platonis Timaeum (ed. Lipsiae, 1876, cura Dr. Ioh. Wrobel. pag. 296. n. CCXX.): Sicut aranea in medietate cassis omnia filorum tenet pedibus exordia, ut cum quid ex bestiolis plagas incurrerit ex quacumque parte de proximo sentiat, sic animae principale positum in media sede cordis, sensuum exordia retinere, ut cum quid nuntiabunt, de proximo recognoscat. — Vat. *fluit* pro *influit.* Mox post *quia* cod. K addit *sicut dicitur in libro de Motu cordis.* Vide Alex. Hal., S. p. II. q. 87. m. 2. a. 1. § 1. (in aliis edd. q. 91.). — De hac opinione cfr. Greg. Nyssen., de Hominis opificio, c. 12.

[7] Ex plurimis mss. et ed. 1 substituimus *fluit* loco *influit.* — De cordis principatu vide Aristot., III. de Partib. animal. c. 4.

[8] Libr. VI. de Trin. c. 6. n. 8; et de Immort. animae c. 16. n. 25; ac de Origine animae hom. (epist. 166.) n. 4; necnon contra Epist. Manichaei c. 16. n. 20. — Mox nonnulli codd. modo inverso *ad hoc movendum ponit,* codd. L O *ad hoc monstrandum vel movendum ponit;* sed cum subnexis haec lectio non cohaeret. Dein plures codd. ut A F G I K T etc. cum edd. 1, 2, 3 *rationale* pro *rationabile.* De differentia horum cfr. August., II. de Ordine, c. 11. n. 31. seq.

[9] Vat., obnitentibus antiquioribus mss. et edd. 1, 6, repetit hic *quia.* Cod. W *et ita,* cod. X *et* loco *item,* aliqui codd. vero ut F T particulam *et* addunt non male post *simul.*

[10] Libr. de Praesentia Dei seu Epistol. 187. c. 4. n. 13: Qualitas vero corporis, quae sanitas dicitur, cum sanum corpus est totum, tanta est in maioribus, quanta in minoribus partibus. Non enim quae minus magnae sunt, ideo minus sanae sunt, aut quae ampliores, ideo saniores. — Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *uno.*

[11] Ed. 1 hic et paulo post *super.* Aliqui codd. ut V Y cum ed. 1 *defectum* loco *defectus.* Dein fide plurimorum mss. et sex primarum edd. post *rationis* addidimus *et,* quod Vat. minus bene omittit.

[12] Nonnulli codd. ut A B D E G P T Y W *autem* pro *alia;* cod. I *autem alia.*

lis forma, quia totum perficit, est in toto et qualibet parte; quia vero non extenditur, ideo actum [1] totius non attribuit partibus; quia vero dependet, operationem totius communicat partibus; et talis est anima vegetabilis et sensibilis, quia nulla pars animalis est animal, tamen quaelibet pars animalis vivit et sentit. Est *iterum* [2] *forma*, quae totum *perficit*, tamen *nec extenditur nec dependet* quantum ad operationem; et talis, quia perfectio est, est in toto et partibus; quia vero non extenditur, perfectionem totius non communicat partibus; quia non dependet, ideo [3] nec operationem communicat; et talis est anima rationalis, quia nulla pars hominis est homo, et nulla pars hominis intelligit. Tamen etsi non communicet [4] actum totius *ut toti*, communicat *ut partibus;* quia quaelibet pars est pars hominis et vivificatur a perfectione hominis; et ideo perfectio hominis est in qualibet parte.

3. Et sic patet responsio ad illud, quod nullius corporis est actus; quia nulli parti corporis [5] communicat propriam operationem nec perfectionem totius, tamen omnes partes perficit in toto. *Similiter* ad aliud de forma, quia forma, quae est in partibus, non denominat similiter [6] totum et partes, nisi sit forma dependens et extensa; et loquor hic de forma substantiali tantum, non de accidentali.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non sunt eiusdem rationis totum et partes; dicendum, quod in partibus est considerare *organizationem* et *complexionem.* Ratione complexionis sunt uniformes toti et sunt dispositae ad idem genus vitae et perficiuntur ab uno; ratione [7] organizationis sunt diversae et perficiuntur a potentiis.

5. Ad illud quod obiicitur, quod [8] movetur, mota manu etc.; dicendum, quod perfectio potest super totum perfectibile et quantum ad substantiam et quantum ad potentiam; et cum anima sit perfectio totius corporis, super totum potest, et ideo nullo minori, quam sit totum corpus, definitur eius substantia nec potentia; definitur autem corpore suo, quod perficit, et ideo corpore moto, movetur per consequens; partibus autem non definitur, quia sunt minores toto, et ita est in una, quod est extra illam [9]. Et ideo, quia in nulla parte est definitive, non movetur ad motum alicuius partis, sicut nec Deus movetur ad motum alicuius creaturae.

Quomodo anima movetur.

6. Et per hoc patet sequens, quia totum corpus comparatur ipsi animae tanquam unus locus; et ideo in pluribus partibus non est nisi in quantum in uno loco; unde si separentur, non erit in illis. Nec sequitur ex hoc, quod sit infinita, quia « omnium natura constantium terminus est et ratio magnitudinis et augmenti [10] », et ita corporis humani. Unde potest cogitari tam magnum corpus, quod non posset vivificari ab anima.

7. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod tunc una pars non recipit ab alia; dicendum, quod sicut Deus in maiore mundo immediate est in omni creatura ipsam continens, tamen per [11] ordinem universi influit aliquid una creatura in aliam; sic intelligendum, quod anima per sui praesentiam est in qualibet parte immediate, quam continet et conservat, non tamen omnino, sed influit in omnes partes per unam: et ideo cessante illa parte et eius influentia, perit ordo corporis essentialis, et ita anima separatur.

SCHOLION.

I. Propositio in arg. 1. ad opp., quod forma aliqua denominat partes et totum, vera est, quando agitur de rebus organizatione carentibus, quarum partes sunt proinde omnino homogeneae; sed falsissime applicatur ad corpora organizata, sicut fit in illo sophismate Buridani ad probandum digitum hominis esse hominem. Triplici illa distinctione formarum S. Doctor ad. 1. istam difficultatem iam solvit.

II. Pro intelligentia solutionis ad 5. hoc notandum. Anima vocatur perfectio totius corporis et corpus perfectibile, quia secundum Aristotelem anima, ut forma substantialis, est actus corporis, unde « super totum potest », i. e. per substantiam suam potest totum corpus vivificare et per potentiam movere. Hoc tamen non excludit, quod magis influat in organa principaliora, uti explicatur in solut. ad 7. Verba: « Ideo nulli minori, quam sit totum corpus, definitur eius substantia », sensum habent, quod anima sit in toto corpore modo *definitivo*, ut nunc dicitur, non *circumscriptivo*. Esse in loco *circumscriptive* dicitur, quando totum locatum est in toto loco, et pars locati in parte loci; quando vero aliquid determinatur quidem ad aliquem locum, ut naturaliter non possit simul esse in alio,

---

[1] Aliqui codd. ut D G T ff addunt *sive perfectionem.*

[2] Codd. P Q adiiciunt *tertia.*

[3] Multi codd. ut A C E G H I O R S T U V Y Z ff cum ed. 1 omittunt *ideo.*

[4] Subaudi: parti vel partibus. — Multi codd. ut A C E G L R S U V Y Z cc ff falso post *etsi* omittunt *non;* fere omnes tamen codd. contra Vat. habent *communicet* pro *communicat.* Mox Vat. cum cod. cc, aliis autem codd. cum ed. 1 refragantibus, omittit *est pars* ac post *hominis* particulam *et.*

[5] Ex codd. H Y supplevimus *parti corporis*, certe saltem subaudiendum. Ed. 1 vero paulo ante post *nullius* addit *partis.* Sensus responsionis redditur facilior, si ponatur: quia, etsi nulli parti etc. — Mox fide antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *tamen* loco *cum* et *perficit* pro *perficiat.*

[6] Vat. praeter fidem plurimorum mss. et ed. 1 *simul* pro *similiter ;* cod. 1 *similiter et.*

[7] Cod. V addit *vero.*

[8] Supple cum cod. E: *anima.*

[9] Antiquam lectionem mss. et ed. 1 restituimus ponendo *quod est extra illam* loco *quod non est extra aliam.* Paulo ante cod. W particulae *ita* praefigit *ideo.* — De hac solutione cfr. Aristot., I. de Anima, text. 61. (c. 4.).

[10] Libr. II. de Anima, text. 41. (c. 4.). — Immediate post corrupta et falsa lectio Vat. et cod. cc *et ita corpus humanum non potest* resarcitur ex aliis mss. et ed. 1. Mox multorum codd. ut A F G H K T etc. et ed. 1 auctoritate substituimus *posset* loco *possit.*

[11] Unus alterve codex ut I cum ed. 1 non male *secundum* loco *per.* Mox codd. O Z *ab* pro *aliquid.*

et insuper, ut sit totum in toto et totum in qualibet parte loci, tunc dicitur esse *definitive* in loco.

III. Circa conclusionem omnibus communem cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 64. — Scot., De rer. princ. q. 12. a. 3. — S. Thom., hic q. 5. a. 3; S. I. q. 76. a. 8; S. c. Gent. II. c. 72. — B. Albert., hic a. 26. — Petr. a Tar., hic q. 6. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 3. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 7. post medium. — Biel, II Sent. d. 16. q. unic. dub. 4.

QUAESTIO IV.

Utrum Deus sit in aliquo determinato genere sive praedicamento.

Quarto et ultimo quaeritur, utrum Deus sit in aliquo *determinato* genere. Et quod sic, ostenditur hoc modo.

Ad oppositum. 1. Quod distinguitur ab aliis entibus, est aliqua natura determinata; sed Deus est huiusmodi, quia distinguitur a creaturis omnibus, quia nullum creatum est Deus: ergo est natura determinata; sed quod est natura determinata est in genere determinato [1]: ergo etc.

2. Item, quod habet superius univocum et essentiale, habet esse in genere determinato; sed Deus habet superius se [2], ut substantiam, quae dicitur de Deo et creaturis et essentialiter et univoce, quia secundum istam rationem quae est, *res per se existens*: ergo etc.

3. Item, quod sit in *quolibet genere*, videtur. Quia omne, quod est completionis [3] in creatura, attribuendum est Deo; sed omne praedicamentum habet aliquid completionis: ergo res omnium praedicamentorum sunt in Deo; sed quidquid est in Deo est Deus, et e converso [4]: ergo Deus essentialiter subiicitur rei omnis praedicamenti: ergo est in quolibet.

4. Item, summo bono nihil deficit de bonitate: ergo summo enti nihil [5] de entitate: ergo in Deo est omnis entitas et omnis differentia entitatis: ergo cum differentiae entium sint decem praedicamenta, omnia sunt in Deo.

Fundamenta. Contra: 1. Augustinus in libro quinto de Trinitate [6]: « Deus est bonus sine qualitate, magnus sine quantitate »: ergo magnitudo Dei non est in genere quantitatis nec bonitas in genere qualitatis: ergo nec substantia in genere substantiae: ergo in nullo est [7] genere.

2. Item, videtur quod non est in genere *determinato;* quia omne, quod est in genere determinato, habet esse finitum et limitatum; Deus autem est infinitus: ergo etc.

3. Item, quod non in *quolibet genere,* videtur, quia quod habet in se res plurium generum est compositum; Deus autem est simplicissimus: ergo etc.

CONCLUSIO.

Deus nec est in aliquo determinato genere, nec in pluribus.

Respondeo: Dicendum, quod non convenit Deo esse in *uno genere determinato,* quia omne tale habet esse limitatum et arctatum et compositum. In *pluribus* [8] *generibus* non potest esse. Aut enim aliquid est in pluribus propter naturarum et proprietatum *diversitatem,* ut album, in quantum dicit subiectum aliquod sive rem albam, est in genere substantiae, sed in quantum dicit formam, quae est *albedo*, est in praedicamento qualitatis; aut propter *generalitatem,* sicut unum et ens [9]. Conclusio 1. Conclusio 2. Esse in pluribus est dupliciter.

Neutrum admittitur in Deo. Propter naturarum *multiformitatem* [10] non potest Deus esse in pluribus, quia omne tale compositum est et multiforme, Deus autem simplex. Non propter *generalitatem,* quia ens tale nihil est habens [11] distinctum a rebus creatis. Deus autem est habens in se ens distinctum a rebus, et habens esse simplex et infinitum; et ideo nec in uno genere nec in pluribus esse potest.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod distinguitur ab aliis, est natura distincta etc.; dicendum, quod verum est, si distinguatur per aliquid, quod ipsum [12] contrahat et arctet, sicut per differentiam cadentem in genere; Deus autem non sic distinguitur, sed se ipso.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Deus habet superius univocum; dicendum, quod Deo non est superius, quia [13] non est simplicius; nec univocum,

---

[1] Cfr. Aristot., de Praedicam. in princ., ubi quinque a Scholasticis communiter receptae conditiones pro eo quod aliquid ponatur in genere determinato assignantur, scil. quod sit univocum, quod sit ens incomplexum seu ens per se unum, quod sit ens reale, quod sit universale vel particulare, quod sit ens finitum seu quid determinabile ad specialem modum entis.

[2] Plures codd. ut A B D F G K S T etc. cum ed. 1 *re* loco *se*.

[3] Hoc est, perfectionis. — Cfr. Anselm., Monolog. c. 15.

[4] Cfr. Boeth., de Trin. c. 4, et Alan. ab Insul., Regul. theolog., reg. 9.

[5] Cod. V et ed. 1 repetunt hic *deficit*.

[6] Cap. 1. n. 2: Ut sic intelligamus Deum.... sine qualitate bonum, sine quantitate magnum.

[7] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *est*.

[8] Vat. praeter fidem mss. et sex primarum edd. addit *etiam*.

[9] Quae, sicut et *res*, *aliquid*, *verum*, *bonum* propter maximam universalitatem, qua in omnibus generibus implicantur, vocantur *transcendentalia*.

[10] Vat. *multiplicitatem*, sed contra mss. et ed. 1.

[11] Unus alterve codex ut E V omittit *habens*.

[12] Cod. V *rationem* loco *ipsum*.

[13] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 expunximus hic additum *eo*, et paulo post substituimus *illa* pro *substantiae*.

quia illa ratio non convenit uniformiter creaturae et Creatori. Deus enim est *ens per se*, quia nullo egens; creatura est *ens per se*, quia non est in alio ut in subiecto, eget tamen alio ad sui conservationem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omne, quod est perfectionis et bonitatis, ponendum est in Deo; dicendum, quod hoc potest esse dupliciter: vel per [1] *diversitatem*, et hoc facit esse in diversis generibus; vel secundum omnimodam *unitatem*, et hoc facit esse extra omne genus.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod Deo nihil deficit de bonitate; dicendum, quod Deus non dicitur non deficiens a bonitate propter hoc, quod omnis differentia boni particularis sit in Deo per *differentiam*, sed quia est in eo per *aequivalentiam* [2]. Quia enim est summum bonum, complectitur in se bonum omne; sic intelligendum est de entitate; et sic patet illud.

SCHOLION.

I. *Genus determinatum*, de quo est quaestio, est genus logicum seu praedicamentum, quod praedicatur de pluribus specie differentibus, v. g. substantia. — Aliqui Nominales, ut Gregorius Ariminensis, contra communem et veram sententiam affirmarunt, Deum esse in genere substantiae. Quaestionem S. Doctor duplici conclusione solvit docendo, Deum nec esse in *uno* determinato genere, nec esse in *pluribus* simul. Quod non sit in *pluribus*, probat per partes: cum enim duplici modo aliquid esse possit in pluribus praedicamentis, neuter modus Deo convenit. Primus modus patet ex littera; secundus modus est «*propter generalitatem*, sicut unum et ens». Quod ut intelligatur, sciendum, quod *ens, unum, verum, bonum* vocantur transcendentia, quia ita ponuntur in omnibus praedicamentis, ut praedicentur quidem de eis, sed non sint aliquod praedicamentum. Non enim haec transcendentia esse habent distinctum a praedicamentis, in quibus ponuntur, v. g. *ens* in praedicamento substantiae est substantia, in praedicamento quantitatis est quantitas. Unde hic modus minime convenit Deo, qui habet esse omnino determinatum et distinctum a rebus. Hac doctrina eliditur pantheismus.

II. Solutio ad 1. eruitur ex distinctione inter naturam determinatam per *aliquam differentiam*, et determinatam per *se ipsam*; in primo casu differentia contrahit genus ad aliquam speciem, quae est in aliquo praedicamento; tunc et ipsa natura, sic determinata, est in hoc praedicamento. Aliter dicendum de Deo, qui est actus purissimus, determinatus *per se* et ideo extra omne praedicamentum. Cfr. Richard. a Med., hic q. 2.

III. Quoad rem principalem antiqui doctores consentiunt. De sententia S. Thomae, qui in Commentar. (hic q. 4. a. 2.), paulo aliter loquitur quam in Summa (I. q. 3. a. 5. 7.), cfr. Caietanus ad ult. locum. — Scot. (hic q. 3. n. 20.) non conclusionem, sed tantum eam rationem oppugnat, quae a S. Thom. ex hoc eruitur, quod Deus omnium generum perfectiones in se continet. Tamen Scot. (loc. cit. n. 16.) putat, rationem *entis* Deo et creaturis *univoce* convenire, quod quomodo cohaereat cum aliis doctrinis Scoti varie a Scotistis explicatur. — Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 4. a. 2. 3. — B. Albert., hic a. 32; S. tr. 4. q. 20. m. 3. in fine. — Petr. a Tar., hic q. 5. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 3. — Henr. Gand., S. a. 26. — Durand., II. Sent. d. 3. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 6. — Biel, hic q. 1. 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista circa litteram incidit hic [3] quaestio de *ordine*. Cum enim *compositio* in creatura sit ratio et causa mutationis, *simplicitas* est causa immutabilitatis; quia si affirmatio est causa affirmationis, et negatio causa negationis [4]: ergo cum causa sit ante effectum, debuit primo Magister ponere proprietatem simplicitatis.

Prima solutio. RESPONDEO: Dicendum, quod revera compositio secundum rationem intelligendi prior est quam mutatio; sed quoniam negationes se habent e contrario affirmationibus, hinc est, quod immutabilitas est prior; ita volunt aliqui dicere.

Alia solutio melior. Potest tamen aliter dici et melius, quod est prius et notius *nobis*, et prius *simpliciter* [5]; et quia simplicitas est maxime nobis occulta propter hoc, quod simplex, in quantum simplex, habet rationem principii; et nos venimus a cognitione posterioris in cognitionem prioris: ideo prius agit de immutabilitate quam simplicitate.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit in littera: *Eademque proprie ac vere simplex, quia nec habet compositionem partium* etc. Videtur enim superflua dicere, quia simplex est cuius pars non est, sicut compositum dicitur quod habet partes.

RESPONDEO: Dicendum, quod Magister notificat hic simplex, secundum quod est Dei proprium; et ita opponitur *compositioni* et *multiplicitati*. Quantum

---

[1] Codd. V X *secundum*, et paulo infra cod. T *uniformitatem* loco *unitatem*.

[2] Hoc est, per eminentiam seu eminenter.

[3] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *haec*. Mox post *simplicitas* cod. V *erit* loco *est*.

[4] Aristot., I. Poster. c. 10. (c. 13.): Similiter autem et, si affirmatio est causa ipsius esse, et negatio ipsius non esse. — Hic codd. inter se non conveniunt; alii ut H K V Y etc. cum ed. 1 habent *est*, quod alii ut A F G I T etc. omittunt et cuius loco Vat. non bene habet *sit*; cod. V voci *negationis* praemittit *erit*. Paulo infra post *simplicitatis* codd. H Y addunt *quam immutabilitatis*.

[5] Aristot., I. Poster. c. 2; — in qua propositione fide mss. et ed. 1 adiecimus primum *et*, ac mox post *prius* expunximus repetitum *notius*.

ergo ad privationem *compositionis*, dicit, quod non habet multitudinem partium; quantum vero ad privationem *multiplicitatis extraneae*, dicit, quod non habet varietatem accidentium; quantum vero ad privationem *multiplicitatis intrinsecae*, dicit, quod non habet varietatem formarum, ut generis, speciei et differentiae; et hoc modo simplex est simplex vere et proprie, quod solius Dei est [1].

Dub. III.

Item quaeritur de ista ratione Augustini: *Cum enim aliud sit artificiosum esse, aliud inertem* etc. Probat enim, animam esse compositam propter multitudinem proprietatum. *Sed contra:* nulla substantia componitur ex proprietatibus neque per se neque cum alio: ergo ex hoc non probatur, quod anima sit composita.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus hoc non probat nisi a posteriori. Compositio enim accidentis ad subiectum et diversitas necessario praesupponit aliam compositionem, quia, ut dicit Boethius [2], « quod est pure forma subiectum esse non potest »: ergo ad hoc, quod aliquid sit subiectum accidentium plurium, oportet in illo praeexistere compositionem intrinsecam; sed anima capit in se multitudinem accidentium: et ideo necessario infertur a posteriori, quod ipsa sit composita, licet non ex accidentibus.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sine qualitate bonum, sine quantitate magnum* etc. Videtur enim male dicere; quia a quocumque removetur superius, et inferius [3]: ergo si non habet qualitatem, nec bonitatem. *Si tu dicas,* quod bonitas illa non est species qualitatis, quaeritur, quare non similiter dicitur in divinis qualitas divina, sicut bonitas divina?

Respondeo: Quidam volunt dicere, quod nomen *generis* non transfertur ad divina, tum quia non dicit rei complementum, sicut species; tum quia significat in concretione ad subiectum et in dependentia [4]. Nomina autem *specialia* connotant effectum in creatura; et ideo dicitur *sine qualitate bonus.* Solutio quorundam.

Sed si quis velit [5] inspicere, invenit hoc non habere veritatem. Si ergo quaeratur: quomodo differt in Deo magnitudo et bonitas? dicendum, quod magnitudo significat divinam essentiam per modum quantitatis, bonitas per modum qualitatis: ergo isti modi cadunt in Deo [6]. Et *iterum,* si quaeratur: *qualis* est Deus? respondetur: bonus et magnus. Non probatur.

Et ideo dicendum, quod nomina generum in divinis reperiuntur, sed non prout habent rationem generis, quia Deus in nullo genere est; et ad hoc significandum removet Augustinus [7] nomina novem generum, in quantum sunt genera. Solutio auctoris.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Si tamen est dignum, ut Deus dicatur substare.* Videtur enim satis dignum, quia summa nobilitas est per se subsistere.

Respondeo: Dicendum, quod duplex est proprietas ipsius substantiae, scilicet *per se stare* et *alii subesse;* primum est perfectionis, secundum imperfectionis; et ideo ratione primae dicitur digne [8], non ratione secundae.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hilarius: *Non ex compositis Deus, qui vita est, subsistit* etc.; quae differentia est inter illas differentias? Quodsi [9] nulla est, videtur facere inculcationem verborum.

Respondeo: Dicendum, quod quidam volunt [10], Solutio 1.

---

[1] Vide hic, q. 2.

[2] Libr. de Trin. c. 2: Forma vero, quae est sine materia, non poterit esse subiectum.

[3] Cfr. Aristot., IV. Topic. c. 2. et Petr. Hispan., Summula tract. de Syllog. topico.

[4] Mendum Vat. *substantiam et indipendentiam* correximus auctoritate mss. et ed. 1; cod. dd *in concretione sicut ad subiectum et dependentiam.* — S. Thom., hic q. 4. a. 3. hoc explicat dicens: Quantitas habet propriam rationem in comparatione ad subiectum; est enim quantitas mensura substantiae, qualitas dispositio substantiae; unde eadem ratione removentur a divina praedicatione secundum rationem generis, sicut removebantur per rationem accidentis.

[5] Cod. V hic addit *haec,* et paulo post *illud* loco *hoc.* Mox cod. dd *differat* pro *differt.*

[6] Vat. contra mss. et ed. 1 *Deum.* Paulo infra post *bonus* aliqui codd. ut K cc ee ff cum edd. 2, 3 *non* loco *et*, quae lectio, etsi non sit falsa, tamen minus est ad rem, quia in praeposita quaestione terminus *qualis* sumitur sensu largo, qualenus comprehendit omnia Dei attributa.

[7] Lib. V. de Trin. c. 8. n. 9. — Pro intelligentia huius dubii notandum, quod hic non agitur de quaestione, utrum Deus sit in aliquo genere (de quo S. Doctor iam supra q. 4. egit), sed de translatione nominum genericorum ad divina sive etiam de modo significandi, quem haec nomina respectu Dei habent. Opinionis hic primo loco positae rationes ponunt S. Thom., hic q. 4. a. 3, et clarius de Potentia q. 7. a. 4. ad 2; — Alex. Hal., S. p. 1. q. 48. m. 4. a. 3. § 4. ad 2; — B. Albert., hic a. 31; — Petrus a Tar., hic q. 5; aliique. Secunda opinio est S. Doctoris, quae consistit in duobus, scil. 1.º in eo, quod nomina generum *in quantum sunt genera* non transferantur; et hoc probant rationes pro prima opinione adductae; 2.º in eo, quod praedicta nomina *aliquo modo* transferantur, si nempe accipiuntur communiter sive *improprie* (cfr. d. 23. a. 1. q. 1. ad 2.), et hoc non negant auctores pro prima sententia citati. Ex quo patet, S. Doctorem impugnare eos qui contendunt, dicta nomina *nullo modo* transferri posse.

[8] Ed. 1 addit *substantia.* — De duplici hac substantiae proprietate vide infra d. 23. a. 1. q. 2.

[9] Vat. contra plurimos codd. *Quia si,* et mox contra vetustiores mss. et ed. 1 omittit *verborum.*

[10] Postulantibus antiquioribus mss. et ed. 1, substituimus *volunt* loco *voluerunt.* Dein cod. dd. addit *dicere.*

quod per illa quatuor excludantur quatuor *genera compositionum. Prima* enim est essentiae ex principiis essentialibus, ratione cuius dicitur, quod *Deus non est ex compositis,* id est simul positis. *Secunda* est substantiae ex principiis naturalibus, quae sunt materia et forma; ratione huius dicitur: *neque ex infirmis,* quia materia subiecta est privationi, quae facit formam esse instabilem [1] et infirmam, et similiter materiam; infirma enim dicuntur instabilia. *Tertia* est compositio mixti ex miscibilibus, ratione cuius dicit: *neque ex obscuris,* quia ubi mixtio, ibi quaedam formarum confusio, et ita obscuratio. *Quarta* est compositio animati ex partibus disparibus, ex anima videlicet et corpore; ratione huius dicit: *neque ex partibus disparibus, quia ipse est spiritus.*

Aliter tamen potest dici, quod excludit eandem compositionem ratione *diversarum conditionum.* Ad hoc enim quod aliqua [2] principia constituant aliquid, oportet, quod principia sint *differentia,* sint *dependentia,* sint *imperfecta,* sint etiam *difformia.* Si enim essent omnino conformia et perfecta, non possent aliquid constituere, quia ex duobus entibus actu nihil fit [3]. Quia ergo *differentia,* ideo sunt composita, quasi cum aliis posita; quia *dependentia,* ideo infirma [4]; quia *imperfecta,* ideo obscura; quia *dissimilia,* ideo disparia. Deus autem non potest esse ex differentibus [5] et diversis, quia est vita per essentiam; non potest esse ex dependentibus et infirmis, quia virtus per essentiam; non potest esse ex imperfectis et obscuris, quia lux est; similiter non potest esse ex disparibus et dissimilibus, quia spiritus per essentiam. Summa ergo *actualitas,* summa *potestas,* summa *claritas,* summa *spiritualitas* non permittunt in Deo esse aliquam compositionem. Unde ex his quatuor conditionibus quatuor rationes eliciuntur probantes Deum [6] simplicissimum.

Alia solutio.

DISTINCTIO IX.

Cap. I.

De distinctione trium personarum.

Nunc ad distinctionem trium personarum accedamus. « Teneamus igitur, ut docet Augustinus in libro de Fide ad Petrum [1], Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum naturaliter, nec tamen ipsum Patrem esse qui Filius est, nec Filium esse ipsum qui Pater est, nec Spiritum sanctum esse ipsum qui Pater est aut Filius. Una enim est essentia Patris et Filii et Spiritus sancti, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamvis personaliter alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus [2] ».

Cap. II.

De coaeternitate Patris et Filii.

Genitus est enim a Patre Filius, et ideo alius, nec tamen ante fuit Pater quam Filius; coaeternae enim sibi sunt tres personae. Sed contra hoc inquit haereticus, ut refert Ambrosius in libro primo de Trinitate [3]: « Omne quod natum est, principium habet; et ideo, quia Filius est, principium habet et esse coepit; quod haereticorum ore sic dictum est ». « Nam ipse Arius, ut meminit Augustinus in sexto libro de Trinitate [4], dixisse fertur: Si Filius est, natus est; si natus est, erat, quando non erat Filius ».

Qui hoc dicit « non intelligit, etiam *natum esse de Deo* sempiternum esse, ut sit coaeternus Patri Filius, sicut splendor, qui gignitur ab igne atque diffunditur, coaevus est illi, et esset coaeternus, si ignis esset aeternus [5] ».

Item: « Si Dei Filius, inquit Augustinus, virtus et sapientia Dei est, nec unquam fuit Deus sine virtute et sapientia, coaeternus est Deo Patri Filius. Dicit autem Apostolus [6]: *Christum esse Dei virtutem et Dei sapientiam;* aut ergo non fuit, quando non fuit Filius, aut aliquando Deus non habuit virtutem et sapientiam, quod dementis est dicere ». Constat enim, quia semper habuit sapientiam, semper ergo habuit Filium.

Eidem quoque Arianicae quaestioni Ambrosius [7] in hunc modum respondet: « Ego, inquam, Filium esse natum confiteor; quod reliquum est impietatis hor-

---

[1] Vat. cum cod. cc, aliis tamen codd. et ed. 1 obnitentibus, *mutabilem* pro *esse instabilem.*

[2] Supplevimus *aliqua* ex 1 ed. et omnibus mss., quorum multi tamen mox omittunt *aliquid.*

[3] Aristot., VII. Metaph. text. 49. (VI. c. 13.): Duo namque sic actu, nunquam sunt unum actu.... nam actus separat.

[4] Multi codd. cum ed. 1 *informia,* sed falso.

[5] Antiquiores codd. cum ed. 1 omittunt *differentibus et,* pro quo cod. cc et edd. 2, 3, 6 habent *dependentibus.* Paulo post Vat. cum cod. cc, aliis autem mss. cum ed. 1 obnitentibus, omittit *dependentibus et.*

[6] Aliqui codd. ut K V Y ee addunt *esse.* — Cfr. B. Albert., hic a. 33. — S. Thom. et Richard, hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cap. I. n. 5. — In principio distinctionis omnes codd. omittunt *trium.*

[2] Vat. huic capitulo addit verba sequentis cap. *Genitus est* usque *alius.*

[3] Cap. 11. n. 73. — Solummodo Vat. et edd. 4, 6, 8 citant hunc librum sub nomine *de Fide ad Gratianum;* cfr. supra Dist. II. c. 4. In textu contra originale et codd. nostros Vat. cum ceteris edd. post *Filius* addit *natus.*

[4] Cap. 1. n. 1, unde et duae auctoritates, quae sequuntur, sumtae sunt. In primo textu solummodo Vat. et edd. 4, 6 cum originali Augustini ante *quando* addunt *tempus.* Sed notum adagium Arii est: Erat quando non erat (ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν).

[5] Sola Vat. perperam omittit *aeternus.*

[6] I. Cor. 1, 24; sed in Vulgata et Augustino deest *esse.* Paulo ante post *coaeternus* Vat. et edd. 4, 9 addunt *ergo.*

[7] Loc. cit. — Ex eodem libro c. 8. n. 55 proximus huius capituli locus sumtus est, secundus et tertius ex c. 9. n. 58. et 59; quartus ex eodem cap. n. 60.

resco». Scriptum est enim in veteri Testamento [1], ut vel unum e pluribus dicam: *Ante me non fuit alius Deus, et post me non erit.* Quis ergo hoc dicit? Pater an Filius? Si Filius, *ante me*, inquit, *non fuit alius Deus;* si Pater, *post me*, inquit, *non erit:* hic priorem, ille posteriorem non habet. Invicem enim in se et Pater in Filio, et Filius in Patre cognoscitur [2]. Cum enim Patrem dixeris, eius etiam Filium designasti, quia nemo ipse sibi pater est; cum Filium nominas, etiam Patrem fateris, quia nemo ipse sibi filius est. Itaque nec Filius sine Patre, nec Pater potest esse sine Filio: semper igitur Pater, semper et Filius est».

Invectio contra haereticum.

Item: «Dic, inquam, mihi haeretice, fuitne, quando omnipotens Deus Pater non erat, et Deus erat? Nam si Pater esse coepit, Deus ergo primo erat et postea Pater factus est. Quomodo ergo immutabilis Deus est? Si enim ante Deus, postea Pater fuit, utique generationis accessione mutatus est». «Sed avertat Deus hanc amentiam [3]».

Cap. III.

De ineffabili et intelligibili generationis modo.

«Sed quaeris a me, inquit Ambrosius [4], quomodo, si Filius sit, non priorem habeat Patrem? Quaero item abs te, quando vel quomodo Filium putes esse generatum? Mihi enim impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et Angelorum; supra potestates et supra Angelos et supra Cherubim et supra Seraphim et supra omnem sensum est, quia scriptum est [5]: *Pax Christi supra omnem sensum est.* Et si pax Christi supra omnem sensum est, quomodo non est supra omnem sensum tanta generatio?» «Tu ergo *ori manum admove;* scrutari non licet superna mysteria. Licet scire, quod natus sit, non licet discutere, quomodo natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quaerere metus est». Ineffabilis enim est illa generatio; unde Isaias [6]: *Generationem eius quis enarrabit?*

Non scrutanda mysteria.

Quidam tamen de ingenio suo praesumentes dicunt, illam generationem posse intelligi et alia huiusmodi, inhaerentes illi auctoritati Hieronymi super Ecclesiasten [7]: «In sacris Scripturis *quis* saepissime non pro impossibili, sed pro difficili ponitur, ut ibi: *Generationem eius quis enarrabit*»? Sed hoc non dixit [8] Hieronymus ideo, quod generatio Filii aeterna *plene* intelligi vel explicari possit a quoquam mortalium, sed quia de ea *aliquid* intelligi vel dici potest. Quidam tamen hoc accipiunt dictum de temporali Christi generatione.

Cap. IV.

Utrum debeat dici: semper gignitur Deus, vel semper genitus est.

Hic quaeri potest, cum generatio Filii a Patre nec principium habeat nec finem, quia aeterna est, utrum debeat dici: Filius semper gignitur, vel semper genitus est, vel semper gignetur. De hoc Gregorius super Iob [9] ait: «Dominus Deus Iesus in eo, quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est, vel potius, quia nec coepit nasci nec desiit, dicamus verius *semper natus;* non autem possumus dicere *semper nascitur*, ne imperfectus esse videatur. At vero, ut aeternus designari valeat et perfectus, *semper* dicamus et *natus*, quatenus et *natus* ad perfectionem pertineat et *semper* ad aeternitatem; quamvis per hoc ipsum, quod *perfectum* dicimus, multum ab illius veritatis expressione deviamus, quia quod *factum* non est, non potest dici proprie *perfectum*»; sed balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei resonamus. «Et Dominus, nostrae infirmitatis verbis condescendens, *Estote*, inquit, *perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* [10]». Super illum locum etiam Psalmi: *Ego hodie genui te*, de hac generatione Filii ita loquitur Augustinus [11]: «Quamquam per hoc, quod dicit *hodie*, possit etiam intelligi dies ille, quo Christus secundum hominem natus est; tamen quia *hodie* praesentiam significat, atque in aeternitate neque praeteritum quidquam est, quasi esse desierit, neque futurum, quasi nondum sit, sed praesens tantum, quia quidquid aeternum est, semper est; divinius tamen accipitur de sempiterna generatione sapientiae Dei [12]». Ecce, his verbis ostendit Augustinus, quod generatio Filii semper est nec praeterit nec futura est, quia aeterna est. Ideo enim [13] dixit *genui*, ne novum putaretur, scilicet ne videretur incepisse; *hodie* dixit, ne praeterita generatio videretur. «Ex his ergo verbis Prophetae, ut ait Ioannes Chrysostomus [14], nihil aliud manifestatur, nisi quia ex ipsa essentia Patris semper genitus est Filius».

---

[1] Isai. 43, 10.

[2] Respicitur illud Ioan. 14, 9. et 10. — Paulo supra post *priorem* Vat. contra originale, codd. et edd. 1, 8 adiicit *et*.

[3] Codd. CE et A (in margine) cum edd. 1, 8 hic addunt: *quia semper habuit sapientiam, semper habuit Filium*, quae verba, quia non levi carent interpolationis suspicione, in textum non recepimus.

[4] Libr. I. de Fide ad Gratian. c. 10. n. 64. et 65. — In principio huius loci sola Vat. *habet* pro *habeat*. Mox in codd. BCDE et ed. 1 deest *quando vel*, quod tamen est in originali.

[5] Philip. 4, 7. Verba, quae infra sequuntur: *ori manum admove* et *scrutari non licet*, respiciunt Eccli. 5, 14. et 3, 22.

[6] Cap. 53, 8.

[7] Cap. 3.

[8] Vat. cum paucis edd. *dicit*.

[9] Libr. XXIX. Moral. c. 1. in principio. Etiam verba, quae sequuntur post *resonamus*, ibidem inveniuntur. In principio primi loci codd. ABDE et edd. 1, 8 omittunt *Iesus*.

[10] Matth. 5, 48. — Paulo ante Vat. et edd. 3, 4, 7, 9 *resonemus* pro *resonamus*.

[11] Expos. in Psalm. 2. v. 6. — Paulo ante Vat. perperam *Psalmista*. Eadem Vat. et ed. 4 omittunt *etiam* ante *intelligi*.

[12] Codd. ACE ad marginem et edd. 1, 5, 9 in textu haec adiiciunt: *Unde etiam Augustinus in libro LXXXIII quaest. de semper nato* (q. 37.) *disserens ait: melior est natus, quam qui semper nascitur, quia qui semper nascitur nondum natus et nunquam natus est aut natus erit, si semper nascitur. Aliud est enim nasci, aliud natum esse, ac per hoc nunquam Filius est, si nunquam natus est; Filius autem est, quia natus, et semper Filius, quia aeternus, semper ergo natus.*

[13] Vat. contra codd. et edd. 1, 8 omittit *enim*.

[14] Homil. 2. in Epist. ad Hebr. n. 3.

Origenes videtur aliter dicere.

Origenes vero super Ieremiam[1] dicit, quod Filius semper generatur a Patre, his verbis: « Salvator noster est sapientia Dei; sapientia vero splendor est aeternae lucis: Salvator ergo noster est splendor claritatis. Splendor autem non semel nascitur et desinit, sed quoties ortum fuerit lumen, ex quo splendor oritur, toties oritur etiam splendor claritatis: sic ergo Salvator semper nascitur. Unde ait in libro Sapientis[2]: *Ante omnes colles generat me Dominus*, non, ut quidam male legunt, *generavit* ». His verbis aperte ostendit Origenes sane dici posse et debere: *Filius semper nascitur*, quod videtur contrarium illi verbo Gregorii praemisso, scilicet, « non possumus dicere: *semper nascitur* ».

Solvitur apparens contradictio.

Sed ne tanti auctores sibi contradicere in re tanta videantur, illa[3] verba Gregorii benigne interpretemur. « Dominus, inquit, Iesus ante tempora de Patre natus est, vel potius, quia nec coepit nasci nec desiit, dicamus verius: *semper natus* ». Sed quomodo verius dicitur hoc, scilicet, quod Filius semper natus est, quam illud, scilicet quod de Patre ante tempora natus est? Illud enim sincera et catholica fides tenet ac praedicat ut istud. Quare ergo ait: « Dicamus verius », cum utrumque pariter sit verum, nisi[4] quia volebat intelligi, hoc ad maiorem evidentiam et expressionem veritatis dici quam illud? His etenim verbis omnis calumniandi versutis haereticis obstruitur aditus, quibus Christi secundum deitatem generatio sine initio et sine fine esse ac perfecta monstratur. Non autem adeo aperte[5] manifestatur veritas, cum dicitur: Filius ante tempora genitus est de Patre, vel Filius semper nascitur de Patre. Et ideo dicit Gregorius, quod « non possumus dicere, semper nascitur »; non, inquam, ita convenienter, non ita congrue ad explanationem veritatis; potest tamen dici, si sane intelligatur. « Semper enim nascitur Filius de Patre », ut ait Origenes; non quod quotidie iteretur illa generatio, sed quia semper est. Semper ergo nascitur, id est, nativitas eius sempiterna est.

Consentit Hilarius.

Hilarius quoque dicit, Filium nasci ex Patre, in libro septimo de Trinitate[6] his verbis: « Vivens Deus et naturae aeternae viventis potestas est; et quod cum sacramento scientiae suae ex eo nascitur, non potuit aliud esse quam vivens. Nam cum ait: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem*, docuit, vitam in se per viventem Patrem inesse ». Ecce hic habes, quia[7] Filius nascitur ex Patre. Item in eodem[8]: « Cum dicit Christus: *Sicut Pater habet vitam in se, sic et Filio dedit vitam habere in semetipso*, omnia viva sua ex vivente testatus est. Quod autem ex vivo vivum natum est habet nativitatis perfectum sine novitate naturae. Non enim novum est quod ex vivo generatur in vivum, quia nec ex nihilo est; et vita, quae nativitatem sumit ex vita, necesse est per naturae unitatem et perfectae nativitatis sacramentum, ut et[9] in vivente vivat et in se habeat vitam viventem ». Ecce et hic habes, quia generatur ex vivo vivens Filius. Item in eodem[10]: « In Deo totum quod est vivit; Deus enim vita est, et ex vita non potest quidquam esse nisi vivum; neque ex derivatione, sed ex virtute nativitas est. Ac sic, dum totum quod est vivit, et dum totum quod ex eo nascitur virtus est, habet nativitatem Filius, non demutationem ». Et hic dicit, quia nascitur. Item in nono libro de Trinitate[11]: « Donat Pater Filio tantum esse, quantum est ipse, cui innascibilitatis esse imaginem sacramento nativitatis impertit, quem ex se in forma sua generat ». Hic dicit, quia generat Pater Filium.

Summatim concludit.

Dicamus ergo, Filium natum de Patre ante tempora et semper nasci de Patre, sed congruentius semper natum; et eundem fateamur ab aeterno esse et Patri coaeternum, id est auctori. Pater enim generatione auctor Filii est, ut in sequenti[12] ostendetur. Ut ergo Pater est aeternus, ita et Filius aeternus est, sed Pater sine auctore, Filius vero non, quia Pater innascibilis, Filius natus. Et ut ait Hilarius in duodecimo libro de Trinitate[13]: « Aliud est sine auctore semper esse aeternum, aliud Patri, id est auctori, esse coaeternum. Ubi autem Pater auctor est, ibi et nativitas est; quia sicut nativitas ab auctore est, ita et ab aeterno auctore aeterna nativitas est. Omne autem, quod semper est, etiam aeternum est; sed tamen non omne, quod aeternum est etiam innatum est; quia quod ab aeterno nascitur habet aeternum esse, quod natum est. Quod autem non natum est, id cum aeternitate non natum est; quod vero ex aeterno natum est, id, si non aeternum natum est, iam non erit et Pater auctor aeternus. Si quid ergo ei, qui ab aeterno Patre natus est, ex aeternitate defuerit, id ipsum auctori non est ambiguum defuisse, quia

[1] Homil. 6. in c. 11. circa finem, sed non paucis mutatis.

[2] Prov. 8, 25 secundum Septuag.; Vulgata: *ante colles ego parturiebar*. — Aliquae edd. sic citant: *in libro Sapientiae* pro *Sapientis*, cui errori etiam codd. favent; ed. 9 *unde ait in Prov. 8. Sapientia*.

[3] Sola Vat. omittit *illa*.

[4] Mss. B C E addunt *forte*.

[5] Vat. et edd. 4, 5, 6, 9 superflue addunt *semper*; codd. B C omisso *aperte* legunt *semper*. Immediate post cod. D et edd. 1, 8 *monstratur* pro *manifestatur*.

[6] Num. 27. — Textus Scripturae, ab Hilario citatus, est Ioan. 6, 58, ubi Hilarius ponit *per Patrem* loco *propter Patrem*, quod habet Vulgata.

[7] Codd. *quod* loco *quia*. Postea cod. D et edd. 1, 8 *de Patre* loco *ex Patre*.

[8] Ibid. — Textus Scripturae est Ioan. 5, 26, ubi Vulgata et edd. 1, 2, 5, 9 *semetipso* pro *se*. Deinde post *ex vivente* cod. D addit glossema *Patre*, et cod. A *omnino vitam suam* pro *omnia viva sua*.

[9] Edd. 1, 8 omittunt *et*, quod ceterae auctoritates nostrae cum Hilario habent; mox eadem particula *et* post *Ecce* omittitur a cod. D et ed. 8.

[10] Loc. cit. n. 28. — Codd. CDE addunt *Hilarius*, et CE prosequuntur: *Attende quod totum* pro *In Deo totum*. Deinde edd. 1, 3, 4, 5, 7, 9 contra originale et male legunt *ex virtute nativitatis* pro *ex virtute nativitas*. Immediate post Vat. cum pluribus edd. mendose legit *si* pro *sic*, quod habetur in originali et edd. 5, 6, 8, 9.

[11] Num. 54, ubi contra codd., edd. 5, 9 et originale ceterae edd. habent *impartit* pro *impertit*. Deinde ed. Maurin. Hilarii legit *in formam suam* pro *in forma sua*.

[12] Immediate post, et Dist. XV. circa finem.

[13] Num. 21. — In hoc textu circa medium pro *ex aeterno* edd. 1, 8 non bene *ab aeterno*, et paulo post codd. DE *qui Pater* pro *et Pater*.

si gignenti est infinitum gignere, et nascenti etiam est infinitum nasci. Medium enim quid inter nativitatem Dei Filii et generationem Dei Patris nec ratio [1] nec sensus admittit, quia et in generatione nativitas est, et in nativitate generatio est, quia sine utroque neutrum est: utrumque ergo sine intervallo sui est».

Cap. V.

De obiectionibus haereticorum nitentium probare, Filium non esse coaeternum Patri.

«Sed inquiet haereticus: omne quod natum est, non fuit semper, quia in id natum est, ut esset. Nemo ambigit, quin ea [2] quae in rebus humanis nata sunt, aliquando non fuerint. Sed aliud est ex eo nasci, quod semper non fuit, aliud ex eo natum esse, quod semper est. Ibi nec semper fuit, qui pater est, nec semper pater est; et qui non semper pater est, non semper genuit. Ubi autem semper pater est, semper filius est. Quod si semper Deo Patri proprium est, quod semper est Pater, necesse est, semper Filio proprium esse, quod semper est Filius. Quomodo ergo cadet in intelligentiam nostram, ut non fuerit semper cui proprium est, semper esse quod natum est [3]? Natum ergo unigenitum Deum confitemur, sed natum ante tempora, nec ante esse quam natum, nec ante natum quam esse; quia nasci quod erat, iam non nasci est, sed se ipsum demutare nascendo. Hoc autem humanum sensum et intelligentiam mundi excedit. Non hoc capit ratio humanae intelligentiae, sed prudentiae fidelis professio est [4]».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM IX.

De proprietatibus, quae respiciunt personas, et quidem de emanatione generationis.

Nunc ad distinctionem personarum accedamus etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de proprietatibus, quae respiciunt essentiam. Hic agit de his, quae respiciunt personas; et haec pars habet duas partes. Quia enim distinctio personarum attenditur secundum duplicem emanationem, scilicet generationis et processionis, ideo *primo* agit de generatione, *secundo* vero de processione, infra distinctione decima: *Nunc vero post Filii aeternitatem de Spiritu sancto* etc.

Item, prima pars habet duas partes: in *prima* ostendit, quid de generatione Filii est sentiendum, *secundo* ex incidenti, quo sermone est ipsa exprimenda, ibi: *Hic quaeri potest, cum generatio Filii a Patre* etc.

Prima iterum pars habet quatuor partes [1]. Primo proponit veritatem, quae est a catholicis retinenda, scilicet quod generans et genitus sunt per generationem distincti et coaeterni, ita quod generatio est distinctiva et aeterna. In secunda contra hoc opponit per oppositionem haereticorum, ibi: *Sed contra hoc inquit haereticus.* In tertia determinat, contra arguendo per rationes catholicorum Doctorum Augustini et Ambrosii, ibi: *Qui hoc dicit non intelligit, etiam natum esse* etc. In quarta et ultima respondet, compescendo inquisitionem superfluam haereticorum et etiam catholicorum superborum, ibi: *Sed quaeris a me, inquit Ambrosius,* ubi ostendit quod imperscrutabile [2] est sacramentum generationis.

Hic quaeri potest, cum generatio Filii a Patre etc. Haec est *secunda* pars huius distinctionis, in qua Magister determinat, quo sermone generationis aeternitas congruentius exprimatur; et haec pars habet quatuor partes. In prima ponit doctorum apparentem controversiam. Nam quidam dicunt, eam debere exprimi per verba [3] praeteriti temporis, alii, per verba praesentis. In secunda praedictam controversiam reducit ad concordantiam, ibi: *Sed ne tanti auctores in re tanta sibi contradicere videantur.* In tertia per verba Hilarii confirmat responsionem suam, ne videatur dictis Origenis inniti, ibi: *Hilarius quoque dicit, Filium nasci ex Patre* etc. In quarta concludit summatim, quid dicendum sit [4] sive quomodo loquendum et quomodo etiam de generatione aeterna sentiendum, ibi: *Dicamus ergo Filium natum de Patre,* ubi confirmat veritatem per auctoritatem Hilarii, per quam etiam solvit obiectionem haeretici.

---

[1] Codd. et plurimae edd. contra originale et Vat. omittunt *nec ratio;* et deinde ante *in generatione* Vat. cum paucis edd. omittit *et.*

[2] In codd. et Hilario deest *ea.* — Paulo post, ante *ex eo natum* Vat. cum paucis edd. *est.*

[3] Apud Hilar. (ed. Maurin.) *natus est,* ubi in calce dicitur, plures codd. lectionem *natum* exhibere, quam mss. nostri et edd. habent. — Mox codd. CDE post *iam non* addunt *tantum.*

[4] Totum hoc cap. excerptum est ex Hilario loc. cit. n. 22-26, sed plurimis omissis.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Ed. 1 *particulas.*

[2] Postulantibus mss. et ed. 1, substituimus *imperscrutabile* loco *inscrutabile.* Mox Vat. contra mss. et ed. 1, verbis Magistri *Hic quaeri potest* etc. omissis, pro *Haec est* ponit *Similiter,* deinde propter constructionem mutatam omittit *et haec pars.*

[3] Unus alterve cod. ut 1 cum ed. 1 hic *verbum,* sed paulo post plurimi codd. sibi non constantes *verbum praesentis.*

[4] Fide plurimorum mss. et ed. 1 hic adiecimus *sit,* quod Vat. ponit infra post *sentiendum.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae dicit Magister de generatione aeterna, in praesenti distinctione quatuor principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum in divinis sit ponenda generatio.

Secundo, dato quod sic, utrum generatio in divinis sit [1] personarum distinctiva.

Tertio quaeritur, utrum illa generatio sit aeterna.

Quarto et ultimo quaeritur, utrum illa generatio sit terminata.

ARTICULUS UNICUS.

De generatione in divinis.

QUAESTIO I.

Utrum in divinis generatio ponenda sit.

Circa primum, quod generatio sit in divinis, ostenditur [2]:

Fundamenta.

1. Primo *a minori*. Multo fortius debet esse generatio in eo qui generationem aliis tribuit, quam in his quae recipiunt; sed generatio est in creaturis: ergo et in Deo qui tribuit. Et hoc est quod dicitur Isaiae ultimo [3]: *Si ego generationem aliis tribuo, sterilis ero? dicit Dominus*, quasi dicat, non.

2. Item, ostenditur illud idem a *posteriori*. Per prius enim est paternitas in Deo quam in creatura; sed paternitas et generatio vere est in creatura: ergo et in Deo. Quod prius sit ibi, dicit Apostolus ad Ephesios tertio [4]: *Ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur.*

3. Item, ostenditur hoc ipsum *a simili*, quia omne quod perfectionis est, attribuendum est Deo, in quo est summa omnis perfectionis; sed generatio est perfectionis in creatura, ut vult Philosophus [5], quia «perfectum est quod potest generare quale ipsum est»: ergo etc.

4. Item, illud idem ostenditur *alia ratione* sic [6]: divina natura est summe bona et actualissima: ergo summe potest et vult se communicare; sed prima et summa ratio communicandi est in generatione: ergo necesse est in divinis ponere generationem.

Ad oppositum.

Contra: 1. Generatio in creaturis aut est *perfectionis*, aut *imperfectionis*. Si *perfectionis*, tunc ergo, cum substantiae spirituales et incorporales sint nobilissimae, debet in eis generatio esse: ergo cum non sit in eis, non est nobilitatis; sed quod non est nobilitatis non est in Deo: ergo etc.

2. Item, ubi est generatio, ibi est variatio; generatio enim est species motus, et inter omnes species motus maior est variatio in motu secundum substantiam, quia est entis in potentia, minor in motu secundum locum [7]: ergo cum in Deo non sit variatio nec aliqua species motus, etiam illa quae minima est, ut loci mutatio: ergo nec generatio.

3. Item, ubi est generatio, ibi est corruptio, unde Philosophus [8] dicit, quod «propter longe stare a principio reliquo modo complevit esse Deus, continuam in his faciens generationem»; et huiusmodi signum est, quod sola corruptibilia generant et generantur in creaturis; sed in Deo nulla cadit corruptio: ergo nec generatio.

4. Item, ubi est generatio, ibi est [9] nutritio; unde ad tot et plures se extendit vis nutritiva quam generativa; sed in Deo non est vis nutritiva: ergo nec generativa, ergo nec nutritio, nec generatio: ergo generatio non est in divinis.

---

[1] Auctoritate plurimorum mss. et ed. 1 expunximus hic additum *ponenda*.

[2] Cod. W addit *sic*.

[3] Vers. 9, ubi Vulgata loco *aliis* ponit *ceteris* et pro *dicit* habet *ait*.

[4] Vers. 15, in quo textu Vulgata *caelis* loco *caelo*. — Paulo ante ed. 1 *per prius* pro *prius*.

[5] Libr. II. de Anima, text. 34. (c. 4.) et IV. Meteor. text. 19. (c. 3.).

[6] Vat. cum cod. cc omittit *sic*, et pro *alia ratione* ponit *illa ratione*, sed obest auctoritas aliorum mss. et ed. 1.

[7] Vide Aristot., V. Phys. text. 7. seqq. et VIII. text. 55. seqq. (c. 7.).

[8] Libr. II. de Gener. et corrupt. text. 59. secundum transl. arabico-latinam. In ed. vero Paris. c. 10. ita exhibetur: Hoc vero (esse sive existere) in omnibus inesse impossibile sit, propterea quod longe ab ipso principio distent; reliquo modo Deus ipse universum complevit, continua facta generatione. Vide etiam II. de Anima, text. 35. (c. 4.). — Vat. loco *Philosophus* ponit *Auctor de causis*, sed falso et contra omnes mss., quorum pauci ut H I O indicant etiam locum addendo *in libro de Generat. et corruptione*, et plures *primo* ponunt pro *principio*. Mox nonnulli codd. ut H T ee ff cum ed. 1 *quia* loco *quod*.

[9] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 adiecimus *est*. — Vide Aristot., II. de Anima, text. 42. seqq. (c. 4.).

CONCLUSIO.

Generatio ponenda est in divinis, cuius congruitas et modus explicatur.

Respondeo: Dicendum, quod generatio ponenda est in divino esse [1].

Conclusio principalis.

Et huius ratio potissima est, ut credo, quia omnis natura est communicabilis; et quia in Deo propter sui nobilitatem est aptitudo actui coniuncta, immo ipse actus, oportet quod natura sit pluribus communicata; sed non possunt esse plures ab una natura, quin unus sit ab alio, vel ambo a tertio: ergo cum ante divinas personas nihil sit, oportet quod una sit ab alia. Et quoniam sunt conformes in natura, et generatio est emanatio secundum conformitatem naturae: ideo credo, quod necesse est in divinis ponere generationem.

Ratio potissima.

Ut autem intelligatur, per quem modum, notandum, quod *generare* de sui propria ratione est similem sibi in substantia et natura producere [2]. Sibi vero similem contingit produci tripliciter [3]: *aut* per impressionem suae similitudinis in alio; et sic generatur character a sigillo, lumen a luminoso, species ab obiecto; *alio modo* per eductionem speciei consimilis ab alio; et sic generatur elementum ab elemento; *tertio modo* per productionem similis de simili sive de se ipso; et sic generatur animatum ab animato; et iste tertius modus est perfectior, unde non reperitur nisi in substantiis habentibus formam nobilem, quae est vita [4]. Et iste modus generationis est secundum nascentiam et est in Deo et [5] in creaturis, sed *differenter;* quia producere alium ex se ipso potest esse dupliciter, vel *ex se toto,* vel *ex parte sui.*

Triplex generatio.

Differt generatio in Deo et in creatura.

Alia distinctio generationis.

Ex se toto non potest producere nisi ille, cuius essentia potest esse in pluribus una et tota. Nam si non potest esse in pluribus una et tota, si generans dat totam suam substantiam generato, tunc substantia tota transit in generatum [6], et generans perdit substantiam totam generando, quod esse non potest. Ideo ad hoc necesse est, quod talem habeat substantiam, quae una et tota sit in pluribus. Talis autem substantia non est nisi substantia habens summam simplicitatem; haec autem est sola divina essentia [7], in qua propter summam simplicitatem suppositum non addit ad essentiam, unde nec ipsam coarctat nec limitat nec formam multiplicat. Et ideo in ea [8] potest esse generatio communicans eandem substantiam totam; et talis generatio est omnimodae perfectionis et in solo Deo reperitur, ratione iam dicta.

Conclusio 2.

Alio modo contingit aliquem ex se producere quantum ad *partem sui.* Sic pater naturalis generat filium, partem substantiae transmittendo et decidendo [9]. Et haec generatio necessario est cum *transmutatione;* quia enim pars decisa non habet actum totius, necesse est, quod per mutationem acquirat; sed quod acquirit quod non habet, variatur; ideo haec generatio est mutatio et habet variationem coniunctam. Est etiam cum *corruptione* annexa; quia enim aliqua pars generantis deperditur, generans est, a quo potest fieri ablatio et ita corruptio. Est etiam cum *conservatione* [10] adiuncta; quia enim fit deperditio, necesse est quod per nutrimentum fiat restauratio. Et ideo generatio in creatura et perfectionis et imperfectionis est: perfectionis a parte virtutis producentis, imperfectionis a parte subiecti divisibilis. Et ideo est in solis animatis, quae habent formam perfectionis, ipsam scilicet [11] animam, et corpus defectibile et restaurabile.

Generatio in creatura.

Generatio vero in divinis est omnimodae perfectionis. Quia [12] enim non est *ex parte,* ideo est, quod habet *actu speciem.* Et ideo nec ibi est in natura *imperfectio* nec *variatio,* quia nihil novum acquiritur; nec *corruptio,* quia nihil adimitur; nec *nutritio,* quia nihil [13] restituitur.

Perfectio divinae generationis.

Et ex hoc patet solutio obiectorum; quia *generatio* [14] *de toto* est tantae perfectionis, quod non potest esse in creatura aliqua; *generatio* vero *ex parte* tantam habet imperfectionem coniunctam [15], ut non possit esse circa substantiam invariabilem et incorruptibilem et simplicem, non solum in natura increata, verum etiam in creata. Aliae rationes probant de generatione quae est *ex parte.*

Patet solutio oppositorum.

---

[1] Ex codd. et ed. 1 substituimus *divino esse* pro *divinis,* deinde supplevimus particulam *Et.* Mox post *credo* codd. H I *quia in divinis* et ed. 1 *quia Dei* loco *quia omnis.*

[2] Vide Aristot., II. de Anima, text. 34. (c. 4.); VII. Metaph. text. 22. et 28. (VI. c. 7. et 8.).

[3] Vat. cum cod. cc, antiquioribus autem mss. et ed. 1 refragantibus, *in natura producere tripliciter est* loco *contingit produci tripliciter.*

[4] Hinc et generatio sub hoc respectu communiter definitur: origo viventis a vivente ut principio coniuncto in similitudinem naturae.

[5] Aliqui codd. ut X Z repetunt hic *in.*

[6] Cod. R *et est in generato* pro *in generatum.* Paulo post mendum Vat. *adhuc* loco *ad hoc* correximus ex mss.

[7] Ed. 1 *substantia.* Mox post *suppositum* cod. R *nihil* loco *non,* et paulo infra cod. V *ipsam* praemittit verbo *limitat.*

[8] Fide plurimorum mss. et ed. 1 substituimus *ea* pro *eo,* quod ponitur in Vat.

[9] Ope plurimorum mss. et ed. 1 exhibemus *decidendo* loco *descindendo,* quod non ita bene subnexo verbo *decisa* correspondet. Mox cod. T *causa transmutabilitatis* pro *cum transmutatione.*

[10] Nempe: conservatione passive sumta. — Antiquam lectionem plurimorum mss. et sex primarum edd. restituimus pro *conversione* ponendo *conservatione;* utriusque lectionis idem sensus. Pro lectione mss. stat Aristot., II. de Anima, text. 47. (c. 4.).

[11] Ita mss. cum ed. 1, dum Vat. hic *id est* pro *ipsam scilicet* habet et mox *ipsum scilicet* praemittit nomini *corpus.*

[12] Consentientibus mss. et ed. 1, commutavimus in hac propositione *Quod* in *Quia* et deinde *quia* in *quod.*

[13] Ed. 1 addit *restauratur vel.*

[14] Cod. bb adiicit *quae est.*

[15] Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, *adiunctam.*

SCHOLION.

I. Obiectiones iam in corp. solutae sunt. Quoad Angelos patet, quod nullam habere possunt generationem: non generationem *imperfectam*, quae est ex *parte*, propter simplicitatem substantiae angelicae; non *perfectam*, quae est ex *toto*, quia eorum natura est finita. — Quoad argumenta congruentiae, quae supposito fidei dogmate hic afferuntur, cfr. supra d. 2. q. 2; d. 5. q. 2; dub. 3. 10. huius d.; Breviloq. p. 1. c. 3; Hexaëm. Serm. 11. — Alex. Hal., S. p. I. q. 42. m. 1. 2. — Scot., I. Sent. d. 2. q. 6. 7. — S. Thom., I. Sent. d. 4. q. 1. a. 1; S. I. q. 27. a. 1. 2; S. c. Gent. IV. c. 10. 11. — B. Albert., I. Sent. d. 4. a. 3; S. I. tr. 7. q. 30. m. 1. — Petr. a Tar., I. Sent. d. 4. q. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., I. Sent. d. 4. 1. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 58. q. 1. n. 8-24. — Durand., I. Sent. d. 4. q. 1. — Dionys. Carth., I. Sent. d. 4. q. 1. — Biel, hic q. 1; d. 10. q. 1. prop. 1.

QUAESTIO II.

Utrum in divinis generatio distinguat inter gignentem et genitum.

Secundo quaeritur, utrum generatio in divinis sit personarum distinctiva. Et quod sic, ostenditur hoc modo.

Fundamenta. 1. Augustinus circa principium de Trinitate [1]: « Nulla res est, quae se ipsam gignat, ut sit »: si ergo gignit, aliam gignit; sed inter *aliam* et *aliam* est distinctio: ergo etc.

2. Item, generatio est emanatio; sed ubi est emanatio, ibi est multiplicatio sive plurificatio; ubi autem multiplicatio, ibi [2] distinctio: ergo ubi generatio, ibi necessario est distinctio.

3. Item, generatio in divinis est relatio [3]; sed relatio importat respectum et ordinem; sed ubi respectus et ordo, ibi suppositorum et relatorum sive ordinatorum distinctio: et sic etc.

4. Item, maior [4] diversitas sustinetur a supposito vel in supposito composito et multiplici quam in subiecto simplici et uniformi; sed relative opposita non stant insimul in eodem individuo creato: ergo nec in simplici hypostasi. *Probatio mediae.* Bene sequitur: Socrates est pater Platonis: ergo non est filius eius, vel est distinctus ab eo: ergo multo fortius in divinis.

Ad oppositum. Contra: 1. Pater generando Filium dat ei totum quod habet; sed habet essentiam et personam: ergo dat ei essentiam et personam: ergo sicut Filius non distinguitur a Patre essentialiter, ita nec personaliter, ut videtur.

2. Item, Pater communicat Filio essentiam suam propter summam [5] simplicitatem; sed aeque simplex est persona ut essentia: ergo qua ratione communicat essentiam, communicat et personam.

3. Item, in Patre idem est natura et persona: ergo impossibile est, quod communicet unum, quod non [6] communicet aliud, ergo si dat naturam, et personam.

4. Item, videtur quod relatio non distinguat aliqua [7] ratione, quia unus et idem punctus est principium et finis respectu diversarum linearum: ergo si istae relationes non sunt distinctivae, videtur similiter, quod nec paternitas et filiatio. *Si dicas*, quod non omnes relationes distinguunt, sed solum mutuae, ut principium et principiatum, finis et finitum; *contra* [8]: Pater et Filius se habent, sicut intelligens et intellectum, ut dicit Anselmus [9]; sed idem potest esse intelligens et intellectum: ergo etc.

5. Item, maior est repugnantia in contrariis quam in relativis [10]; sed albedo et nigredo, quae sunt contraria, non faciunt distinctionem circa Petrum, quia idem potest modo esse albus, modo niger: ergo multo fortius unus in divinis modo erit Pater modo Filius.

6. Item, *quaeritur*, quare potius relationes faciunt distinctionem personae quam essentiae, cum aeque bene possint esse plures essentiae vel naturae in una persona, sicut e converso. Quaestio incidens.

---

[1] Libr. I. c. 1. n. 1. — Circa finem argumenti fide multorum mss. et ed. 1 post *inter aliam* expunximus *rem*.

[2] Vat. adiungit *et*.

[3] Cod. Y addit *in creaturis vero actio vel mutatio*.

[4] Multi codd. ut ACGKORSUVY etc. cum sex primis edd. *minor*, sed mendose. Paulo infra ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *subiecto* pro *substantia* et *relative* pro *relativa*. — Sensus argumenti est: Suppositum creatum et compositum est capax ad *maiorem* diversitatem sustinendam, quam increatum et simplex; sed in creato supposito non est capacitas ad *simul* sustinenda relative opposita; ergo multo minus in simplici supposito etc.

[5] In mss. et ed. 1 deest *suam*, quod Vat. hic addit. Mox Vat. cum cod. cc contra alios codd. et ed. 1 *et* pro *ut*.

[6] Sequimur vetustiores codd. cum ed. 1 ponendo *quod non* loco *quin*. Cod. Z brevius *unum sine altero*.

[7] Multi codd. ut ACLOPQRSTUVY etc. cum ed. 1 *alia* loco *aliqua*, sed, ut videtur, minus bene, etiamsi sub *alia ratione* intelligas modum distinguendi relativis proprium, quia, uti ex subnexis patet, agitur de eo, quod relatio simpliciter non distinguat. Cod Z *nisi* pro *aliqua*.

[8] Cod. Y addit *videtur quod nec mutuae quia*. Mox Vat. cum cod. cc, aliis tamen codd. renitentibus, *ut* pro *sicut*.

[9] Monolog. c. 32, ubi hoc quoad sensum invenitur.

[10] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. de Oppositis.

CONCLUSIO.

Contra Sabellium probatur, quod generatio in divinis facit realem distinctionem inter generantem et genitum; contra Arium vero, quod haec distinctio sit quantum ad personam, non quantum ad essentiam.

RESPONDEO: Dicendum, quod generatio in divinis, sicut ostensum est[1], facit realem distinctionem inter generantem et generatum, non rationalem vel intellectualem solum, sicut dixit Sabellius; et[2] realem quantum ad *personam,* non quantum ad *essentiam,* sicut dixit Arius.

Duplex conclusio.

Quod sic patet. Generatio in creaturis dicit emanationem per modum *actionis* sive mutationis, in Deo[3] emanationem per modum *relationis.*

In quantum *emanatio,* dicit *aliquam* distinctionem; in quantum *talis* emanatio, dicit distinctionem in *persona*[4]. Ratione *emanationis* est *distinctio;* quia, sicut dicit Anselmus[5], «nec intellectus capit, nec natura permittit, illum, qui est ab alio, esse illum, a quo est», secundum quod positive dicitur aliquis esse ab alio — nam Pater privative dicitur esse a se, id est non ab alio. In quantum *talis* emanatio, ponit distinctionem in *persona.* Generatio enim est productio convenientis in natura; ratione[6] *naturae* non potest esse distinctio: ergo vel erit ratione *suppositi,* vel *proprietatis.* Si *proprietatis,* aut absolute, aut respective; non *absolute,* quia tunc esset distinctio in natura; nec[7] *respective,* ut puta relationis, quia in relatione secundum se non est motus in creaturis[8] nec origo in divinis; unde filiatio non generatur nisi in alio. Ergo necesse est, quod sit distinctio in *supposito.*

Probatio ratione emanationis.

Similiter ratione *relationis* est distinctio, quia nihil ad se refertur nec ordinatur. Ratione vero *talis* relationis est distinctio *personalis;* quia *generare* et *generari,* cum dicant relationem per modum actionis et passionis[9], dicunt eam in supposito et respectu suppositi. Et ideo, quia relatio inter extrema notat distinctionem, patet quod distinctio est ibi suppositorum. His visis[10], facile est solvere ad obiecta.

Item ratione relationis.

1. Quod ergo obiicitur: Pater communicat Filio totum quod habet; verum est, praeter generationem et generationis distinctionem; ipsa enim *ratio communicandi* dat intelligere distinctionem, quia nullus communicat sibi, sed alii; et ideo[11] id in quo distinguit, non communicat.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod aeque simplex est persona, ut essentia; dicendum, quod simplicitas essentiae est, quod sit in pluribus; sed simplicitas suppositi est, quod non sit in[12] pluribus. Nam suppositum sive individuum, quantum est de se, dicitur quod est in uno solo; ideo non est simile.

3. Ad illud quod obiicitur, quod idem est essentia et persona; dicendum, quod quamvis sint idem, non tamen sunt *ad idem:* quia persona est ad alium, ideo generatur[13] et refertur; essentia vero non, ideo essentia communicatur et persona distinguitur. Sicut ergo, quamvis idem sit in Patre essentia et persona, tamen persona generat, essentia non; sic e converso essentia communicatur et persona non.

4. Ad illud quod obiicitur de principio et fine in puncto, patet responsio, quia illae non sunt *mutuae* relationes, quod proprie requiritur ad distinctionem; unde non valet. Quod *obiicit*[14] *de intelligente et intellecto,* dico quod non est ibi relatio secundum *esse,* sed secundum *dici.* Ad hoc autem quod relatio distinguat, oportet quod sint relationes mutuae, quia aliter non distinguunt; oportet etiam, quod dicant relationem secundum *esse.*

5. Ad illud quod obiicitur de albedine et nigredine, dicendum, quod nulla est oppositio formarum, nisi considerentur[15] respectu eiusdem temporis; et impossibile est, quod idem subiectum eodem tempore sit album et nigrum; relationes autem in divinis simul sunt.

6. Ad illud quod ultimo *quaeritur,* quare magis relationes faciunt[16] distinctionem in personis quam in essentia; patet ex iam dictis responsio. Potest etiam alia ratio reddi, quia pluralitas naturarum impedit

Solvitur quaestio incidens.

---

[1] Hic in fundam.

[2] Vat. contra mss. et sex primas edd. *sed* loco *et,* ac paulo post *dicit* pro *dixit.* Cod. M *accidentalem* loco *intellectualem.*

[3] Cod. bb addit *autem.*

[4] Praeclaram hanc emendationem debemus antiquioribus mss. et ed. 1, dum Vat. verba *in quantum* usque *Ratione* omittit, mutata insuper interpunctione. Nonnulli codd. *autem* praemittunt voci *talis.*

[5] De Process. Spir. S. c. 3: Quippe nec natura permittit nec intellectus capit, existentem de aliquo esse de quo existit, aut de quo existit esse existentem de se. — Cfr. etiam Monolog. c. 38.

[6] Vat. contra mss. et sex primas edd. addit *igitur,* pro quo codd. aa bb incongrue ponunt *enim.*

[7] Ed. 1 *non.*

[8] Vide Aristot., V. Phys. text. 10. (c. 2.).

[9] Plurimi codd. cum ed. 1 omittunt *et passionis,* qui et bis pro plurali ponunt singularem numerum *dicat* et *dicit.* — Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 20. (IV. c. 15.), ubi tres species relationis, inter quas est *actio et passio,* afferuntur.

[10] Vat. cum paucis codd. incongrue et contra alios codd. et ed. 1 hic addit *patet,* moxque omittit *est.* Nonnulli codd. *respondere* pro *solvere.*

[11] Supple: Pater. — Cod. R et ed. 1 clarius *distinguitur* loco *distinguit.* Paulo ante cod. N post *sibi* addit *ipsi.*

[12] Multi codd. ut B D E S V X Y Z aa bb cum ed. 1 *ex* loco *in,* sed falso, ut patet ex contextu. Mox post *dicitur* fide antiquiorum mss. et ed. 1 expunximus *esse.*

[13] Vat. absque auctoritate mss. et sex primarum edd. *generat.*

[14] Vat. praeter fidem mss. et edd. 1, 2, 3, 6 *obiicitur.* Cod. Y particulam *Et* praemittit relativo *quod.*

[15] Cod. R adiungit *secundum idem.*

[16] Cod. Y *faciant.*

simplicitatem personae, sed non sic e converso. Quod patet sic: si[1] plures naturae sunt in una persona, aut ergo per gratiam, aut per naturam. Si per *gratiam unionis,* sic — quia natura unita consequitur unitatem personae — non impedit[2]; sed si *naturaliter,* ut in *Petro,* est pluralitas essentiarum sive naturarum, tunc — cum intellectus naturae praecedat personam, et non natura ex personis, sed persona ex naturis sit[3] — necesse est, personam esse compositam; et inde est, quod in divinis magis est unitas naturae cum pluralitate personarum, quam e converso.

SCHOLION.

I. Duae haereses Sabellii et Arii, Symbolo Nicaeno aliisque Ecclesiae decretis reprobatae, duplici conclusionis propositione refelluntur.

Quoad distinctiones relationis in solut. ad 4. notandum, quod relativa secundum *dici* ea sunt, quae in principali significato non important relationem, sed aliquid absolutum, quod tamen secundario involvit relationem ad aliud, ut scientia ad obiectum, i. e. scibile; ita Brulifer ad hunc locum. Vel clarius cum Goudin (Philos. Logica Maior. p. I. disp. 2. q. 4.): « Relatio secundum *dici* non est aliquid pure relativum, sed res *quaedam absoluta, quam consequitur habitudo ad aliam,* adeo ut exprimi non possit, quin et illa habitudo exprimatur... sic pars, etsi sit aliquid absolutum, includit tamen habitudinem ad totum, scientia ad obiectum ». Quid sit relatio *mutua,* non eget explicatione. Plura vide infra d. 30. q. 3. Scholion.

II. Cfr. supra d. 5. per totam. — Scot., d. 11. q. 2; d. 26. q. unic. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. q. 28. a. 1. 3; S. c. Gent. IV. c. 14. — B. Albert., I. Sent. d. 26. a. 7; d. 9. a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. et 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. unic.

QUAESTIO III.

Utrum in divinis generatio sit aeterna.

Tertio quaeritur, utrum divina generatio sit aeterna. Et quod sic, ostenditur hoc modo.

Fundamenta. 1. In creaturis operans naturaliter operatur quam citius potest, et de perfectione agentis est, quod citissime possit operari[4]: ergo cum productio Filii a Patre sit per naturam et summam potentiam, quam cito *fuit,* Pater *genuit;* sed fuit ab aeterno: ergo etc.

2. Item, de perfectione generationis est, ut quod generatur aequetur generanti[5]: ergo cum divina generatio sit perfectissima, Filius erit Patri per omnia aequalis; sed Pater est infinitus duratione: ergo et Filius.

3. Item, intelligere se coaeternum est menti divinae; nunquam enim est ponere, quod de non intelligente sit Deus factus intelligens; sed verbum est coaeternum menti intelligenti; ex hoc enim, quod mens se intelligit, verbum gignit. Si ergo propriissime Filius est verbum, est coaeternum Patri; et hoc est quod dicit beatus Ioannes[6]: *In principio erat Verbum.*

4. Item, hoc[7] idem ostenditur *per impossibile.* Omne quod coepit esse, est mutatum secundum substantiam; sed omne quod incipit generari, incipit esse: ergo omne quod incipit generari, est mutatum secundum substantiam; sed generatio[8] est de substantia generantis: ergo ubi incipit esse generatio, substantia generantis mutatur; sed substantia Dei Patris secundum esse est immutabilis: ergo generatio non incipit in divinis.

Ad oppositum. Contra: 1. Sicut se habet corruptio ad *non*[9] *esse* ex parte finis, sic generatio ex parte principii; sed omne quod corrumpitur, desinit esse: ergo omne quod generatur, incipit esse; sed nullum tale est aeternum: ergo etc.

2. Item, quidquid producit divina essentia est ipsa[10] posterius tempore, sive duratione: ergo pari ratione quidquid producit divina persona, cum essentia et persona sint idem.

3. Item, in Deo idem est suum esse et sua duratio; sed Filius habet principium essendi: ergo habet principium durationis: sed quod habet principium durandi[11] incipit esse: ergo etc.

---

[1] Vat. omittit *si,* quod pauci codd. ut E X Z bene addunt, cum sermo sit ex suppositione. Mox cod. E *eadem* pro *una.*

[2] Cod. X addit *simplicitatem.*

[3] Plurimi codd., mutata interpunctione, cum ed. 1 *sic* pro *sit,* cod. Y *est;* paulo supra plurimi codd. *praecedit* pro *praecedat.* Lectionem tamen cod. I et ed. 1 praeferimus propter congruitatem grammaticalis constructionis. Cod. I post *personis* addit *constet.* Vat. contra vetustiores codd. et ed. 1 perperam *natura* loco *naturis.*

[4] Vide Aristot., IX. Metaph. text. 10. (VIII. c. 5.). — Paulo infra ed. 1 post *et* repetit *per* et cod. T post *genuit* addit *Filium.*

[5] Aristot., IV. Meteor. text. 19. (c. 3.) ait: Perfectum esse id quod tale producere potest, quale ipsum est. Vide et II. de Anima, text. 34. (c. 4.).

[6] Cap. 1, 1.

[7] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *hoc.* — Vide pro hoc et sequenti argumento Aristot., V. Phys. text. 7; I. de Gener. et corrupt. text. 11-23. (c. 3.), et II. de Anima, text. 34. seqq. (c. 4.).

[8] Cod. T *generatus* pro *generatio* et mox *si* loco *ubi.*

[9] Cod. O omittit *non,* salvo eodem sensu, qui est in generationis et corruptionis contrarietate, de qua V. Phys. text. 14, et quae sub alio respectu exprimitur hac formula: Corruptio unius est generatio alterius.

[10] Fide plurium mss. ut H K Y bb et ed. 1 posuimus ablativum *ipsa* pro *ipsi.*

[11] Praeferimus lectionem nonnullorum mss. ut M P Q pro *essendi* ponentium *durandi,* quia in ipsa et processus et vis argumenti distinctior redditur. Cod. H et ed. 1 ponunt *durationis;* cod. O vero *essendi et durationis.*

4. Item, Pater caret principio et caret initio: ergo qua ratione communicat Filio non habere initium, eadem ratione communicat ei non habere principium; aut si non hoc, nec illud.

CONCLUSIO.

Generatio in divinis est aeterna propter summam generantis fecunditatem et summam geniti aequalitatem et utriusque summam actualitatem.

RESPONDEO: Dicendum, quod generatio Filii est Conclusio et ratio 1. aeterna tum ratione *generantis,* tum ratione *geniti:* ratione *generantis* propter summam et perfectam fecunditatem, ratione *geniti* propter summam et perfectam aequalitatem; quarum utraque conditio tollit, ne Filius sit posterius [1] Patre, sicut visum est Ratio 2. in opponendo. *Alia* ratio est propter summam in *utroque* actualitatem, in qua non distat actus a potentia, nec posse antecedit esse.

1. Ad illud quod obiicitur, quod corruptio ponit Solutio oppositorum. terminum finalem; dicendum, quod corruptio semper dicit variationem et mutationem, et ita conversionem entis in non esse; et ideo ponit terminum finalem. Sed generatio aliquando dicit mutationem [2], ut in creaturis, et sic ponit terminum initialem; sed in divinis non dicit mutationem ex non ente, sed emanationem ab ente.

2. Ad illud quod obiicitur, quod essentia nihil producit nisi ex tempore; dicendum, quod sicut persona producit aliam personam, sic essentia aliam essentiam. Aliam autem essentiam [3] ex se ipsa non producit, cum ipsa sit immultiplicabilis, nec ex alia, quia similiter esset quaerere, unde producit illam aliam; et sic necesse est in productione prima creaturae, quod producat ex nihilo; et omne sic productum habet esse post non esse, et ita initium. Persona autem non de nihilo producit personam; et ideo non facit de non ente ens, et ideo nullum ponit initium talis productio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Filius habet principium essendi; dicendum, quod principium dicitur dupliciter [4], scilicet *originale* et *initiale.* Secundum quod principium dicitur *originaliter,* sic Filius tam quantum ad esse, quam quantum ad durationem habet principium, quia utrumque habet ab alio. Si autem principium dicatur *initium* [5], sic dico, quod nec habet principium essendi nec durandi. Primum principium non aufert rationem aeterni, secundum vero sic. Dupliciter dicitur principium.

4. Ad illud quod obiicitur [6] ultimo, quare Pater communicat Filio carentiam initii, non principii; patet iam responsio: quia *temporale* et *aeternum* de necessitate differunt per essentiam, *principium* et *principiatum* non sic; ideo non est simile de hoc et illo. Quia ergo quod habet initium est temporale, quod [7] caret est aeternum; ideo cum Pater et Filius sint unius essentiae, patet etc. *Rursum,* cum habere principium et non habere dicant [8] differentiam personae, et haec est inter Patrem et Filium; ideo sicut Pater non communicat Filio personam, sed tantum naturam sive essentiam, sic communicavit ei *non habere initium,* sed non communicavit *non habere principium.*

SCHOLION.

I. Conclusio est de fide, definita in Nicaeno contra Arianos. — Rationes pro conclusione in responsione breviter allatae explicantur argumento 1. et 2. in fundam. — Quoad *aeternitatem* cfr. infra d. 31. a. 1. q. 3. et IV. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 1. ad 1; I. Sent. d. 40. a. 2. q. 1. ad 4; d. 41. a. 2. q. 1. ad 4.

II. Quoad conclusionem: Scot., hic et Report. q. unic. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. I. q. 42. a. 2; S. c. Gent. IV. c. 11. — B. Albert., hic a. 5. 6. 7. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 58. q. 1. n. 22. 23. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. hic q. unic. — Biel, hic q. 3.

QUAESTIO IV.

Utrum generatio Filii terminata sit.

Quarto et ultimo quaeritur, utrum generatio Filii sit terminata. Et quod sic, videtur.

1. Augustinus in libro octoginta trium Quaestionum [9]: « Qui semper nascitur nunquam est natus, ac per hoc nunquam est filius ». Nullus ergo per generationem dicendus est filius, quousque generatio Argg. pro parte affirmativa.

---

[1] Ed. 1 *posterior.*

[2] Cod. bb addit *ex non ente,* quod subnexis correspondet.

[3] Praestamus lectionem antiquiorum mss. et ed. 1, quae concinnior est lectione Vat. *Aliam autem naturam essentia.* Vat. et paulo infra minus distincte exhibet *immutabilis* loco *immultiplicabilis;* cum Vat. consentit cod. cc, eo excepto, quod pro *naturam* ponat *creaturam.* Mox cod. R *produce. et* loco *producit.*

[4] Vat. minus bene et contra mss. et ed. 1 *duplex.* — Plura de notione *principii* vide infra d. 29. a. 1. q. 1. et 2.

[5] Cod. bb *initialiter.*

[6] Nonnulli codd. ut FHK cum ed. 1 *quaeritur.*

[7] Cod. Y addit *eo.*

[8] Vat. praeter fidem mss. et trium primarum edd. *dicat.*

[9] Quaest. 37: Qui semper nascitur nondum est natus; et nunquam natus est aut natus erit, si semper nascitur. Aliud

sit terminata; sed Verbum Patris recte dicitur perfectus Filius: ergo eius generatio est terminata.

2. Item, *ratione* ostenditur sic: *produci* terminatur ad *productum esse*, ergo *generari* ad *generatum esse;* sed Filius Dei est generatus et natus: ergo eius productio sive generatio est terminata.

3. Item, nobilius est *esse generatum* quam *generari*, quia generari est via ad generatum esse, et non e converso; sed quod nobilius est Deo est attribuendum: ergo magis debet ei attribui generatum esse quam generari: ergo generatio Filii dicitur in terminatione.

4. Item, in [1] generatione, quae semper est in generando, semper aliquid vel aliquis producitur; sed non producitur id quod productum est, secundum id quod est productum: ergo oportet, vel quod iteretur, vel quod succedat generatum in tali generatione; sed in Filio Dei nec est successio nec [2] iteratio: ergo nec continua generatio: ergo Filii Dei generatio est terminata.

Argg. pro parte negativa.

Contra: 1. Damascenus [3]: « Deus, infinite et sine tempore ens, infinite et inquiescibiliter generat »: ergo generatio nunquam terminatur.

2. Item, *ratione* videtur hoc idem posse monstrari. Aeternum non habet se aliter nunc quam prius, sed semper omnino uniformiter: ergo si semper Pater a principio [4] generat, adhuc generat; alioquin aliter se haberet nunc quam prius, et ita generatio aeterna mutaretur.

3. Item, simplex [5] et infinitum caret omni termino; sed generatio Filii est simplex et infinita: ergo generatio Filii caret omni termino. Quod sit infinita, patet, quia Filius est infinitus, et iterum ipsa generatio est aeterna, et aeternum est duratione infinitum.

4. Item, perfectior est potentia semper actui coniuncta, quam quae non semper: ergo perfectior est fecunditas semper actui generationis coniuncta, maxime cum fecunditas generandi non perdatur, sed perficiatur [6]: si ergo in Deo est fecunditas perfecta, semper ergo generat; sed non generat alium nisi Filium: ergo Filius semper generatur.

CONCLUSIO.

Generatio divina dicenda est terminata, quatenus hoc vocabulum excludit imperfectionem, interminata vero, quatenus excludit durationem.

Triplex rerum differentia.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam notandum, quod *quaedam* sunt, in quibus idem est *esse* et *factum esse*, differt tamen *fieri* et *esse*, ut sunt illa, quorum esse est permanens nec dependet omnino a principio producente [7], immo habent rationem subsistendi aliquam intra se, sive per principia propria sive subiecti, ut substantiae et accidentia innata. *Quaedam* sunt, in quibus differt *esse* et *factum esse*, idem tamen est *fieri* et *esse*, ut sunt successiva, quorum esse dependet omnino a principio producente existente in sua actualitate, ut sunt motus et mutationes. *Quaedam* sunt, in quibus est idem *fieri* et *esse* et *factum esse*, ut sunt illa, quae habent esse permanens et totaliter dependent a principio producente, existente in sua actualitate per eundem modum, per quem in principio [8], non tantum in se, sed etiam respectu producti, ita quod consimilis modus actualitatis attendatur quantum ad utrumque; et talia sunt influentiae sive corporales sive spirituales. Unde Augustinus octavo super Genesim ad litteram [9] dicit, quod lumen semper nascitur et, dum nascitur, est, unde aër semper est illuminatus et semper illuminatur. Similiter omnino dicit [10] de lumine spirituali, quod est gratia.

Si igitur Filius Dei habet esse permanentissimum

---

est enim nasci, aliud natum esse. Ac per hoc nunquam Filius, si nunquam natus. — Mox cod. I *Nunquam* pro *Nullus*, et cod. S *enim* pro *ergo*.

[1] Fide plurium codd. ut B F H P Q Y et ed. 1 supplevimus *in;* quae lectio comprobatur etiam inde, quod infra in solutione huius obiectionis omnes codd. cum Vat. exhibeant praepositionem *in*. Plures codd. ut A G K S T V Y Z falso *generatio naturae* loco *generatione;* pauci ut F X cum ed. 1 *generatione naturae.*

[2] Vat. cum cod. cc adiungit *ibi*, quod bene deest in aliis mss. et ed. 1.

[3] Libr. I. de Fide orthod. c. 8: Deus enim, ut qui tempori non subsit et principio, passione ac fluxione omni vacet sitque incorporeus ac solus ab interitu liber, ita citra tempus quoque et principium et passionem et fluxum et sine ullo congressu gignit, ac nec initium nec finem habet incomprehensibilis ipsius generatio. — Vat. *per Damascenum* pro *Damascenus*, sed contra mss. et ed. 1.

[4] Cod. M addit *Filium*. Mox unus alterve cod. cum ed. 1 *generavit* loco *generat*.

[5] Lectio plurium codd. ut H I P Q ee ff et ed. 1, in qua hic et paulo infra ponitur *simpliciter* pro *simplex et*, satis bona est.

[6] Vat., refragantibus mss. et ed. 1, legit *perditur, sed perficitur.*

[7] In Vat. et cod. cc hic additur *et hoc proximo producente in facto esse*, quod tamen abest ab aliis mss. et ed. 1 et superfluere videtur, quia hoc distinctionis membrum per duo alia satis superque explicatur. Paulo infra Vat. cum cod. cc, aliis tamen codd. cum ed. 1 renitentibus, post *propria* habet *sui* loco *sive*, sed non bene. Mox ex mss. et ed. 1 substituimus *substantiae* loco *substantia*.

[8] Intellige: in initio productionis. Sensus est: modus actualitatis principii taliter producentis idem est in principio seu initio et in continuatione productionis, tum in se tum quoad productum; sicut est v. g. actualitas solis illuminantis et luminis vel aëris illuminati. Vat. falso et contra antiquiores codd. ac ed. 1 post *per quem* addit *sunt.*

[9] Cap. 12. n. 26: Neque enim, ut dicebamus, sicut operatur homo terram... ita Deus operatur hominem iustum, id est iustificando eum, ut si abscesserit, maneat in abscedente quod fecit; sed potius sicut aër praesente lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset, non autem fieret, etiam absente lumine lucidus maneret; sic homo Deo sibi praesente illuminatur, absente autem continuo tenebratur.

[10] Vide textum modo citatum. — Vat. cum cod. cc, aliis vero cum ed. 1 reluctantibus, *dicendum* pro *dicit*.

et esse coniunctissimum principio productivo, ut in sui actualitate existenti, quia ipse Filius est purus[1] actus; omnino idem est in ipso *nasci* et *natum esse;* et ideo semper nascitur et semper est natus et semper est, nec unquam desinit nec cessat generari, nec Pater generare.

Cum ergo quaeritur, an generatio Filii sit *terminata,* distinguendum est, quia *terminatum* aut

Conclusio 1. excludit *imperfectionem;* et sic generatio Filii est terminata, quia perfecta, cum simul sint[2], immo idem sit *generari* et *generatum esse.* Si vero excludat *du-*

Conclusio 2. *rationem,* falsa est, quia semper durat.

Concedo ergo, quod generatio Filii est interminata ratione desitionis, quia nunquam desinit generari, sicut probant rationes ad secundam partem adductae.

1. Ad illud[3] quod obiicitur in contrarium, quod

Solutio argumentorum pro parte affirmativa. qui semper nascitur nunquam est natus; dicendum, quod verum est in illa generatione, in qua differt *nasci* et *natum esse;* sed non talis est generatio divina. Attamen quia generatio divina intelligitur per generationem creatam, et in creaturis de perfecte nato non dicitur nasci, sed natum esse: ideo vult Augustinus[4], quod melius dicitur Filius *natus esse,* quia intelligibilius est, non quia ei non conveniat *nasci.*

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod produci terminatur ad productum esse, et *similiter,* nobilius est generatum esse quam generari; dicendum, quod omnia ista tantum ibi habent locum, ubi differt generari et generatum esse. In illa[5] autem generatione locum non habent.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, in generatione, quae semper est in generando etc.; solvendum est per interemptionem; non enim est verum, quod generatio semper ens[6] semper de novo aliquid producat, quia radius semper oritur a sole, nec tamen semper iteratur nec succedit, sed a sua origine continuatur in esse.

SCHOLION.

I. In quaestione praecedenti probatum est, quod generatio Filii non habet *initium;* hic quaeritur, utrum habeat *terminum,* sive utrum sit terminata. Et cum vocabulum *terminata* habeat duplicem sensum, quatenus excludit aut imperfectionem aut durationem, quaestio haec etiam duplici conclusione resolvitur. — Triplex distinctio in principio responsionis satis notabilis est.

II. De ipsa quaestione cfr. hic dub. 8. — Alex. Hal., S. p. I. q. 42. m. 5. a. 2. — Scot., hic q. unic. ad 3. — S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. I. q. 42. a. 2. ad 4. — B. Albert., hic a. 19; S. p. I. tr. 7. q. 30. m. 4. particula 1. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2; a. 3. q. 1. 2. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 3. — Henr. Gand., S. a. 54. q. 3. n. 70. — Durand., hic q. 4.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista incidunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicitur: *Non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamvis personaliter* etc. Videtur enim falsum quod dicitur, quia bene sequitur: Petrus est albus homo, ergo est animal album, quia idem significat albus et album: ergo pari ratione, quia idem significat[7] *alius* et *aliud,* sequitur: est *alius,* ergo est *aliud ens. Si tu dicas,* quod non est simile de hoc nomine *alius* et de hoc nomine *ens*[8]; *contra:* bene sequitur: est alius homo, ergo est aliud animal: ergo a simili illud sequitur.

Respondeo: Dicendum, quod quia in Deo est singularis alietas, quia *alietas est suppositi* cum omnimoda *unitate naturae:* ideo singulari modo oportet exprimi. Et quoniam masculinum genus importat quandam distinctionem vel discretionem[9], ideo respicit personam; sed neutrum propter indistinctionem respicit naturam: et ideo *alius* importat alietatem in persona, *aliud*[10] in natura, et ideo in divinis non idem significant. Solutio 1.

Posset etiam dici, quod in creaturis aliud significat[11], cum dico: iste est *alius* ab illo, et aliud, cum dico: *est aliud;* et unum sequitur ad aliud. Non sic in divinis; et non est simile de albo, quia album imponitur a forma speciali, quae est albedo. Solutio 2.

---

[1] Ita vetustiores mss. et ed. 1, dum Vat. cum cod. cc *ipse est Filius et purus.* Paulo ante unus alterve cod. ut PQ cum ed. 1 *sua* loco *sui.*

[2] Lectio Vat. *simile* loco *simul sint* corrigitur ex mss. et ed. 1.

[3] Ed. 1 addit *ergo.*

[4] Verba Augustini vide supra in ipsa obiectione. — Mox ed. 1 *dicatur* loco *dicitur.* Paulo ante fide mss. et ed. 1 substituimus *perfecte* pro *perfecto.*

[5] Vat. contra mss. *ista.*

[6] Hoc est, quae semper est. — Paulo infra post *nec tamen semper* Vat. explicando addit *eius productio,* quod deest in mss. et ed. 1.

[7] Vat. contra mss. et ed. 1 hic et paulo ante *significant.*

[8] Vat. praeter fidem mss. et sex primarum edd. *aliud ens.*

[9] Codd. antiquiores inter se non consentiunt; alii enim ut TW cum ed. 1 omittunt *distinctionem vel,* alii autem ut AFGHIKSVXYZ etc. *vel discretionem.*

[10] Vat. repetit hic *alietatem,* quod deest in mss. et ed. 1.

[11] Ed. 1 *significatur* et paulo post *consequitur* loco *sequitur.* — Plura de hac re vide supra d. 4. q. 2.

Dub. II.

Item dubitatur secundo de hoc quod dicit: *Coaeternae sibi sunt tres personae.* Videtur falsum, quia si coaeternae, et [1] aeternae: ergo tres aeterni, quod est contra *Symbolum,* ubi dicitur: « Non tres aeterni »; et iterum contra *rationem,* quia numerus pluralis multiplicat formam. Unde non vere dicitur: tres sunt dii.

Substantia in Deo tripliciter significatur. Respondeo: Dicendum, quod nomen significans *substantiam* in divinis reperitur secundum triplicem modum. *Quoddam* enim significat [2] substantiam et per modum substantiae, ut nomen substantivum, ut Deus; et tale nullo modo plurificatur nec dicitur pluraliter, sive sit substantivum, sive substantivatum; ut [3] hoc nomen *aeternus;* sic accipitur in Symbolo. *Quaedam* significant substantiam per modum adiacentiae, sicut nomina adiectiva adiective retenta [4]; et talia, quia trahunt numerum a substantivis, dicuntur pluraliter, et de genere talium sunt verba et participia. *Alia* sunt nomina, quae important substantiam in adiacentia, connotando intra relationem mutuam, qualia sunt *coaeterni* [5]; et talia ex duplici causa possunt dici pluraliter, tum ratione *consignificationis* sive modi significandi, tum ratione *connotationis.* Et sic patet, quod nulla est contradictio.

Quod [6] autem obiicitur, quod pluralis numerus plurificat formam; dicendum, quod hoc non est verum in adiectivis [7].

Dub. III.

Qui hoc dicit, non intelligit, natum esse etc. Hic ponit Magister quatuor rationes demonstrantes, Rationes 4. Magistri contra Arium. Filium coaeternum Patri, et ita argumentum Arii non valere [8]: Filius est natus, ergo non est aeternus.

Prima sumta est a *simili* et est talis: splendor Ratio 1. est eiusdem durationis cum igne sive aequalis, et tamen est generatus ab igne: ergo multo fortius, cum Filius sit splendor Patris [9], quamvis ab ipso generetur, erit ei coaeternus: ergo conclusio praedictae rationis est falsa, et illa consequentia est interimenda: si natus est, erat quando non erat. *Sed contra:* Si emanatio procedens a Deo est ei coaeterna, sicut emanatio procedens a creatura est ei coaequaeva [10]: ergo cum res exierint a Deo, videtur quod ab aeterno.

Respondeo: Dicendum, quod egressus splendoris [11] a luce vel igne est egressus connaturalis; et talis est egressus Filii a Patre, non autem egressus creaturae a Creatore, immo est voluntarius; et argumentum est bonum in proposito.

Item, si Dei Filius, inquit Augustinus, virtus et sapientia. Ratio 2. Haec est secunda ratio Augustini: Filius Dei est virtus et sapientia: ergo si non est aeternus, aliquando fuit Deus sine virtute et sapientia; sed hoc est impossibile: ergo etc. *Sed contra* hanc rationem sic obiicitur: si enim sequitur: si Pater non habet sapientiam genitam, non est sapiens, videtur quod sit sapiens sapientia genita, quod expresse negat Augustinus in sexto de Trinitate [12].

Respondeo: Augustinus istam rationem redarguit in sexto de Trinitate [13], ostendens, illam procedere ex malo intellectu verbi; attamen, quia Magister adducit eam, potest dici, quod ratio valet, non quia Pater sit sapiens Filio, qui est sapientia genita, sed quia eadem [14] est sapientia genita et ingenita; et ita, si una incipit, et alia.

Eidem quoque Arianicae quaestioni. Ratio 3. Haec est tertia ratio quam adducit, et est Ambrosii, sumta ab auctoritate Isaiae: *Ante me non est Deus, et post me non erit:* ergo nec Pater ante Filium, nec Filius post Patrem. *Sed contra:* In divinis personis est ordo; sed ordo non est nisi prioris ad posterius: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut infra patebit [15], non est ibi ordo durationis, quo alter est prior altero, sed ordo originis, quo alter ex altero.

Invicem enim in se, Pater in Filio, et Filius Ratio 4.

---

[1] Unus alterque cod. ut PQ *ergo* loco *et.*

[2] Ita plurimi antiquiores codd., dum Vat. cum ed. 1 et cod. cc legit *Quaedam enim significant.*

[3] Vat. cum cod. cc, interpunctione mutata, loco *ut* ponit *et.* — Sub voce *substantivatum* intellige adiectivum vel aliud nomen loco substantivi adhibitum.

[4] Pro non congruo vocabulo *tenta* ope mss. et ed. 1 substituimus *retenta;* mox antiquioribus mss. cum ed. 1 consentientibus, lectionem perturbatam Vat. et cod. cc correximus ponendo *quia* pro *quae.*

[5] Nonnulli codd. ut HMY ee cum ed. 1 addunt *et huiusmodi.* Paulo post fide antiquiorum mss. et ed. 1 pro *significationis* substituimus *consignificationis*, quod primam rationem, scilicet quatenus sunt adiectiva seu important substantiam in adiacentia, distinctius exhibet; secunda ratio fundatur in connotata mutua relatione.

[6] Ed. 1 *Ad illud quod obiicitur.* Mox cod. dd *multiplicat* loco *plurificat.*

[7] De hac solutione vide infra d. 24. a. 1. q. 2. Cfr. etiam Alex. Hal., S. p. I. q. 49. m. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 2, et S. I. q. 39. a. 3. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic circa litteram.

[8] Vat. hic addit *quod tale est*, quae tamen verba desunt in codd. et ed. 1. Nonnulli codd. ut EFIKWYZ *valet* pro *valere.* Mox post *ergo non* supplevimus ex mss. et ed. 1 *est.*

[9] Fide mss. et ed. 1 expunximus hic superflue additum *et,* e contra paulo infra post *consequentia* adiecimus *est.*

[10] Codd. inter se dissentiunt, alii enim ut EFINUXZ habent *coaeva* loco *coaequaeva*, alii ut AGKSTW dd ff falso addunt *coaeterna,* sicut et ed. 1 falso habet *coaeva et coaeterna.*

[11] Vat. praeter fidem mss. et edd. 1, 2, 3 hic addit *a sole*, et paulo infra post *talis est* contra vetustiores codd. et ed. 1 habet *egressio* loco *egressus.*

[12] Cap. 1. n. 1. Vide etiam ibid. VII. c. 1. n. 2. et XV. c. 7. n. 12.

[13] Cap. 1. n. 2.

[14] Ed. 1 addit *sapientia.* — Plura hac de re vide infra d. 32. a. 2. q. 1.

[15] Dist. 20. a. 2. q. 1. et 2. — Paulo infra multi codd. ut AFGHIKTVWX etc. *prius* loco *prior.*

in Patre cognoscitur. Haec est quarta ratio et est talis: relativa simul sunt natura [1]; sed Pater et Filius sunt relativa: ergo simul; sed Pater est aeternus: ergo Filius coaeternus. *Probatio,* quod Pater est aeternus: quia, si prius fuit Deus et postea Pater, mutatus est [2]. *Sed contra* istam rationem potest argui pari ratione: prius fuit *Deus* et postea *Dominus:* ergo mutatus est.

Respondeo: *Aliqui* volunt dicere, quod ista ratio valet, quia generatio est de substantia generantis; et ideo si incipit generare, substantia mutatur. Sed hoc non videtur, quia generatio in divinis non dicit motum. *Alii* dicunt, quod quia genitus est consubstantialis gignenti, si mutatur genitus, et gignens; sed genitus mutatur, si de novo generatur: ergo et generans per consequens. *Alius* modus dicendi est, quod paternitas veram dicit habitudinem in Patre, non sic creatio vel dominatio; et ideo paternitas adveniens [3] mutat, non sic dominatio.

Solutio 1. Solutio 2. Solutio 3.

Sed nulla praedictarum rationum [4] dat vigorem huic rationi contra haereticos, quia haereticus dicebat, quod Filius non erat coaeternus, ac per hoc nec consubstantialis, nec idem in substantia. Propter hoc notandum, quod praedicta ratio bona est contra haereticum, facta eius suppositione; quia haereticus dicebat Patrem et Filium differentes in substantia et natura, sicut in generatione carnali. Pari ratione contra eum dicit Ambrosius: cum ita sit, quod Pater iste [5] mutetur accessione generationis, qui generat alium in substantia; et in divinis similiter Pater generat alium in substantia: ergo accessione generationis mutatur, ut [6] iste.

Non approbantur. Solutio auctoris.

Quocumque tamen modo dicatur, non est magnum periculum, quia non omnia argumenta, quae fiunt ad veritatem, sunt necessaria [7].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Vox silet non mea tantum, sed et Angelorum.* Videtur enim male dicere *Angelorum,* quia vox non est nisi habentium organa et respirationem; sed Angeli haec non habent. *Si dicas,* quod habent voces spirituales, non prolatas, sicut dicit Damascenus [8], quod tradant sibi intelligentias suas sine voce prolatas; quaero, quae sit necessitas vocis spiritualis, et quis modus loquendi, et quis modus audiendi?

Quaestio incidens.

Respondeo: Breviter hic dicendum est — quia hoc extra principale propositum est quantum ad partem istam — quod necessitas est locutionis [9]; quia sicut unicuique naturae rationali data est voluntas libera, sic conscientia secreta. Unde sicut non potest aliquis voluntatem alterius in aliud vertere, sed solum inducere, nisi ipsa se inclinet, praeter solum Deum, in cuius manu sunt corda hominum: ita nemo potest [10] conceptiones alterius cognoscere, sed solum coniicere, praeter Deum, nisi ipsa intelligentia exprimat; et ipsa expressio locutio nuncupatur. *Ratio* autem huius est, quia solus Deus format mentem et quantum ad intellectum et quantum ad affectum; et modus loquendi similis est modo addiscendi. Sicut enim nos per sensum addiscimus, ita quod species per interiorem sensum pervenit ad intellectum, sic exprimimus; quia verbum cogitationis internae unitur voci [11] in excogitatione et postmodum voci sensibili in pronuntiatione, et ex hoc fit expressio in actu. Angelus autem unica virtute facit quod nos pluribus. Unde Angelus, sicut per applicationem speciei innatae ad ipsum cognoscibile ipsum cognoscit, sic ordinando speciem innatam ad alium Angelum cognoscentem, conceptus suos aperit; similiter alius mutua conversione recipit; et sic unus loquitur, alter audit. Simile est de duobus speculis sibi oppositis, si voluntarie possent abscondere aliis et offerre [12] quae in se relucent.

Locutio Angelis est necessaria. Modus locutionis.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Dicamus ergo verius, semper natus;* et ratio sua est, ut Deus aeternus et perfectus valeat designari. *Sed contra* hoc est, quod inter omnia tempora praesens maiorem convenientiam habet cum aeternitate; quia verius dicitur *est* de Deo, quam *fuit* et *erit,* sicut exponit Augustinus, sicut habitum est in praecedenti distinctione [13]. Et ratio huius est, quia praesens dicit ens in actu, alia tempora non.

---

1 Aristot., de Praedicam. c. de Relativis. — Mox post *simul* fide antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *sed* loco *si* et *Probatio* pro *Probatur.*

2 Est ratio Ambrosii, quae habetur in lit. Magistri c. 2. in fine.

3 Fide plurium mss. ut HIKM etc. et ed. 1 substituimus *adveniens* loco *veniens.*

4 Cod. D *responsionum.* Mox cod. Y *haereticum* pro *haereticos.* Paulo infra in Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 post *coaeternus* additur *Patri* et pro *nec* habetur *non,* ac post *idem* omittitur *in.*

5 Auctoritate mss. et ed. 1 delevimus hic superflue repetitum *carnalis.*

6 Vat., obnitentibus mss. et edd. 1, 2, 3, *et* loco *ut.*

7 Hoc dubium fusius explicatur hic q. 3.

8 Libr. II. de Fide orthod. c. 3: Sed sine ulla prolati sermonis ope mutuo sibi sensa sua communicant et consilia.

9 Sequimur codd. YZ, dum multi cum ed. 1 ponunt, sed non ita bene *quia necessitas locutionis*, Vat. autem cum praecedentibus coniungendo legit: *quae sit in Angelis necessitas locutionis.*

10 Cod. V addit *cogitationes seu.*

11 In cod. T a secunda manu additum est *intelligibili.*

12 Fide plurium mss. ut FHPQ cc dd ee substituimus bonam lectionem *offerre* pro *auferre*, loco cuius cod. Y ponit *ostendere* et ed. 1 *afferre.* — Plura de locutione Angelorum vide II. Sent. d. 10. a. 3. q. 1.

13 Parte I. lit. Magistri c. 1. et dub. 7. — Mox ex antiquioribus mss. et ed. 1 adiecimus particulam *Et,* quam etiam paulo superius post *fuit* substituimus loco *aut.*

Significatio temporum in Deo.

Respondeo: Dicendum, sicut supra tactum est [1], quod verba diversorum temporum dicta de Deo non significant aliquos temporales actus, sed important durationem divini esse sine initio, ut praeteritum; sine intervallo, ut praesens; sine termino, ut futurum. Et quia omnia ista aeque vere reperiuntur in Deo, ideo omnia aeque vere dicuntur de eo [2].

Ratio 1. quare praeterito utimur.

Sed tamen, quia multi erraverunt in generatione quantum ad initium, pauci vel nulli quantum ad intervallum vel terminum: ideo sacri Doctores, ut ora haereticorum obstruerent, eam [3] per verbum praeteriti temporis, quod semper significat ut praeteritum, et ita nunquam habere principium, expresserunt.

Alia ratio.

Alia ratio est, quia nos generationem divinam manuductione quadam intelligimus per generationem, quae circa nos est; et quia videmus in hac generatione, quia genitus, dum generatur, est imperfectus, ne credere posset aliquis, quod Dei Filius esset imperfectus semper [4], ideo decreverunt dici *semper genitus.*

Ulterior explicatio.

Dicendum ergo, quod quantum est ex parte rei, aeque vere ac proprie dicitur unum, sicut reliquum. Quod vero dicit Gregorius, dicit quantum ad maiorem fidei explanationem, ne error habeat locum; et sic exponit Magister [5]. Magis ergo convenit dicere: semper genitus, quam semper generatur. Nec est simile de hoc verbo *est* et *fuit;* quia hoc verbum *est* significat per modum quietis, et ideo *esse,* dum est, perfectum est; sed hoc verbum *generari* penes haec inferiora per modum *fieri;* et [6] quia in pluribus hoc verum est, quod aliquid, dum fit, non habet esse perfectum, ideo non est simile secundum rationem intelligentiae.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ego hodie genui te,* quia potest intelligi de die, quo ex matre natus est; sed hoc nihil videtur valere, quia secundum hanc generationem non habuit patrem, sed tantum matrem [7].

Respondeo: Dicendum, quod illud verbum intelligendum est *causaliter;* secundum enim generationem ex matre dicitur *genuisse,* quia fecit generari. Similis est expositio super illud Matthaei tertio [8]: *Potens est de lapidibus illis suscitare filios Abrahae;* Glossa: « In huius rei testimonium Deus de Sara genuit filium, id est, fecit generari ».

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Origenes: *Splendor autem non semel nascitur et desinit. Contra:* si hoc simile rectum est, videtur quod Filius non semel nascatur: ergo quaeritur, quare magis generatio Filii assimilatur splendori quam aliis rebus, maxime cum non generetur a luce splendor nisi ad praesentiam corporis obiecti? Et *praeterea,* Filius dicitur *lux* [9]; non ergo *splendor lucis.*

Generatio Filii habet tres conditiones.

Respondeo: Dicendum, quod generatio Filii habet in se perfectam *conformitatem, coaeternitatem* et *aequalitatem* [10]; et quia in creatura una simul haec non possumus invenire, ideo capimus ex multis, et ideo multas illi assimilamus. Quantum ergo ad *conformitatem* similis est generationi verbi [11], quod est proles perfecte repraesentans illum, a quo est. Quantum ad *coaeternitatem* similis est egressui splendoris a luce, in quo est coaevitas [12], propter lucis actualitatem. Quantum ad *aequalitatem* similis est generationi viventis ex vivente, qui generat sibi aequale [13] omnino; et sic diversimode comparatur a Sanctis. Comparat igitur Origenes ad egressum splendoris, non quantum ad *iterationis assimilationem,* sed quantum ad *privationem intermissionis* sive interpolationis.

Differunt splendor, radius, lumen.

Et nota, quod differunt *splendor, radius* et *lumen,* cum omnia dicant influentiam a luminoso: quia *radius* dicit emissionem secundum diametralem distantiam; *lumen,* secundum circumferentiam, utrumque [14] tamen in profundum transparentis; *splendor* dicit repercussionem ad corpus non transparens, tersum et limitatum. Sed tamen hic Origenes vocat splendorem lumen progrediens a luce.

Filius quare dicitur lux.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod Filius est lux; dicendum, quod lux habet in se naturam *manifestandi;* et ita respicit cognitionem et appropriatur Filio; habet in se vim *multiplicandi* sive generandi splendorem; et ita appropriatur Patri [15].

---

[1] In praeced. dist. loco paulo supra citato. Cfr. etiam hic q. 4. — Fide vetustiorum mss. et ed. 1 expunximus post *Dicendum* superflue additum *quod.* Paulo infra cod. E *motus* pro *actus.*

[2] Vat. contra plures codd. ut AGISTVXZ etc. cum ed. 1 *Deo.*

[3] Mss. cum ed. 1 omittunt *eam* certe supplendum.

[4] Restituimus ex mss. et ed. 1 hic non bene omissum *semper.*

[5] Hic, c. 2.

[6] Supplevimus ope mss. et sex primarum edd. particulam *et.*

[7] Cod. X ultimam propositionis partem sic exhibet: *generationem pater non genuit, sed tantum mater.* Mox post *Dicendum* fide antiquiorum mss. et ed. 1 adiecimus *quod.*

[8] Vers. 9, in quo textu Vulgata post *est* addit *Deus* et pro *illis* habet *istis.* Glossam vide apud Lyranum in hunc locum. — Paulo ante supplevimus ex antiquioribus mss. et ed. 1 post *Similis* verbum *est.*

[9] Ioan. 1, 9. — In Vat. ante *praeterea* deest *Et,* quod tamen in vetustioribus mss. et ed. 1 habetur.

[10] Cod. T *coaequalitatem.*

[11] Unus alterque cod. ut M Y addit *ex mente.*

[12] Praeferimus lectionem paucorum mss. ee, ff et ed. 1 *coaevitas* pro *coaeternitas,* utpote quae in se verior est.

[13] Cod. W *simile.* Paulo infra cod. V *terminationis* loco *iterationis.*

[14] In Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, *utrinque,* et mox *transferentis* loco *transparentis.* Paulo infra post *corpus* duce cod. O adiecimus *non,* quae lectio et in se probatur et ex auctoritate confirmatur aliorum auctorum v. g. B. Albert., hic a. 8. et 21; Scot., II. Sent. d. 13. q. unica; Richard. a Med., II. Sent. d. 13. a. 2. q. 1; Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. ad 4 etc. — De differentia inter *lucem, lumen, colorem* cfr. infra d. 17. p. 1. q. 1. in corp.

[15] Plura de hac similitudine sumta a splendore exhibent Alex. Hal., S. p. 1. q. 42. m. 5. a. 3, et ceteri auctores paulo supra allegati et Ægid. R., hic circa lit.

DUB. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hilarius, quod *cum sacramento scientiae suae ex eo nascitur*. Videtur enim secundum hoc, quod Pater secundum sacramentum scientiae generat Filium: ergo scientia est ratio generandi.

RESPONDEO: Dicendum, quod Hilarius vocat hic [1] *sacramentum* sacrum secretum; dicit autem, Filium nasci cum sacramento scientiae, quia Filii generatio non tantum sacra, sed etiam secreta est, non, inquam, Deo secreta, sed nobis, quia nos eam non comprehendimus; ipse autem [2] perfecte novit eam. Ideo dicit *cum sacramento* etc.

DUB. IX.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quod ex vivo vivum natum est habet nativitatis perfectum sine novitate naturae*. Videtur enim falsum, quia puer nascitur de patre et matre viventibus, et tamen utrumque habet, scilicet imperfectionem et novitatem.

RESPONDEO: Ratio Hilarii, sicut patet per litteram sequentem [3], intelligenda est de vivo per *essentiam;* ubi enim est vivens per essentiam, non fit ex non vivo vivens, sicut fit in vivente per *participationem,* ubi non generatur vivum ex vivo nisi per non vivum, ut patet, quia homo non generatur ex homine nisi mediante semine.

DUB. X.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Neque ex derivatione, sed ex virtute nativitas est*. Videtur contrarium, quia secundum Dionysium [4] et Anselmum Pater se habet ad Filium et Spiritum sanctum, ut fons, et illi ut rivi; sed rivus est a fonte per *derivationem*.

RESPONDEO: Dicendum, quod nativitas, quae est per derivationem, attenditur quantum ad transmutationem aliquam circa illud quod transmutatur, et ita dicit passionem quandam, ac per hoc infirmitatem [5]; sed vivens, quod est vita, est actus purus, et ita vita pura, in qua non est infirmitas, sed pura actualitas; et ideo vult Hilarius dicere, quod Pater generans est totus [6] vita, et quod generat non est per passionem vel demutationem, quae attenditur in derivatione, sed per omnimodam virtutem: ergo Filius genitus est virtus, non per mutationem natus.

DUB. XI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ubi Pater auctor est, ibi et nativitas est*. Videtur quod improprie dicit [7], quia *auctoritas* dicit causalitatem; sed haec non recipitur in divinis: ergo etc.

RESPONDEO: Dicendum, quod *auctoritas* dicit quandam principalitatem sive auctoritatem in persona, quae nihil habet ab alio, sed ab ipso omnes; et ista auctoritas in Patre est innascibilitas; unde non dicit causalitatem, sed privationem principii, et per hoc summam principalitatem [8].

DUB. XII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quod vero ab aeterno natum est, id, si non aeternum natum est* etc.; et innuit Hilarius hic tale argumentum: si Filius non est generatus sive natus ab aeterno, generatio eius non est aeterna; et si hoc [9], Pater non generat ab aeterno: ergo Pater non est aeternus: ergo qui derogat aeternitati Filii, derogat aeternitati Patris. *Sed* ista ratio non videtur valere, quia similiter ego arguam ex parte Creatoris et creaturae: si [10] creatura non est aeterna, non ab aeterno creavit Deus, et ita non est Creator aeternus.

RESPONDEO: Dicendum, quod non est simile, sicut patet ex sequenti [11] eius quod Hilarius supponit, quod esse Patrem sit proprie proprium illius personae: ergo cum tale semper conveniat, aut aliter res non habet esse perfectum, sequitur de necessitate: aut Filius est aeternus, aut Pater ab aeterno non habet esse perfectum. Creare vero, etsi solius Dei sit, tamen ratione connotati habet imperfectionem coniunctam, secundum quam non tantum impossibile, sed etiam non intelligibile est, aliquid ab aeterno creari [12].

DUB. XIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sed se ipsum demutare nascendo;* quia secundum hoc, cum Filius Dei prius esset et postea ex Virgine natus sit [13]: ergo esset mutatus.

---

[1] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 minus bene *hoc*.

[2] Aliqui codd. ut AITZ bb cc *enim;* ed. 1 *vero*.

[3] Quae Hilarii verba vide in lit. Magistri c. 4. post medium. — Mox plures codd. ut FHITXYZ etc. cum ed. 1 *intelligitur* loco *intelligenda* est.

[4] De Div. Nom. c. 2. § 5: Pater fons in supersubstantiali Deitate. Anselm., de Fide Trin. c. 8. et de Process. Spiritus S. c. 17, ubi haec similitudo fuse exponitur.

[5] Multi codd. ut ACFGHIKLRSTUV etc. cum subnexis non cohaerenter *informitatem*.

[6] Vat. contra mss. et ed. 1 minus apte *tota*. Mox cod. M *ita quod* pro *et quod*. Paulo infra post *demutationem* in Vat. additur *seu diminutionem*, quod abest ab antiquis mss. et edd. 1, 2, 3.

[7] Vat. *dicat*. Mox cod. Y *reperitur* loco *recipitur*.

[8] Cod. Z addit *sive auctoritatem*.

[9] In cod. M additur *ergo*.

[10] Fide codd. FTY substituimus *si* pro *sed*. Mox verbis *ab aeterno* codd. WXY cum ed. 1 praemittunt *ergo*, Vat. cum aliquibus mss. *enim;* cod. H ponit *quia non ab aeterno;* multi codd. ut AFGTV etc. quamlibet particulam omittunt.

[11] Cod. W *consequenti*.

[12] De quo vide II. Sent. d. 1. p. I. a. 1. q. 2.

[13] Vat. cum ed. 1, mutata interpunctione, *sic*, at codd. AFGHIKT etc. exhibent textum nostrum.

Respondeo: Dicendum, quod ipse [1] Hilarius intelligit secundum *eandem* naturam, secundum quam prius erat. Si enim secundum eandem naturam prius erat et postea natus est, necesse est, quod secundum illam naturam mutatus sit; sed si secundum *aliam* [2], oportet mutationem fieri in illa natura, sed non in persona, cum illa natura non dicat aliquid *in* persona, sed magis aliquid *cum* persona. Unde nulla fit mutatio in alia [3] natura.

DISTINCTIO X.

Cap. I.

De Spiritu sancto, quod amor Patris et Filii proprie dicitur, cum sit in Trinitate amor, qui est Trinitas, sicut Verbum proprie dicitur sapientia, et tamen tota Trinitas dicitur sapientia.

Nunc post Filii aeternitatem de Spiritu sancto, quantum Deo donante videre conceditur, disseramus. Spiritus sanctus amor est sive caritas sive dilectio Patris et Filii. Unde Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate [1] ait: « Spiritus sanctus nec Patris est solius nec Filii est solius, sed amborum, et ideo communem qua invicem se diligunt Pater et Filius nobis insinuat caritatem ».

Ioannes autem in Epistola canonica [2] ait: *Deus caritas est.* « Non dixit: Spiritus sanctus caritas est; quod si dixisset, absolutior esset sermo, et non parva pars quaestionis decisa; sed quia dixit: *Deus caritas est*, incertum est, et ideo quaerendum [3], utrum Deus Pater sit caritas, an Filius, an Spiritus sanctus, an Deus ipsa Trinitas, quia et ipsa non tres dii, sed unus est Deus ». Ad quod Augustinus in eodem libro ita dicit: « Nescio, cur, sicut sapientia et Pater dicitur et Filius et Spiritus sanctus, et simul omnes non tres, sed una sapientia, non ita et caritas dicatur Pater et Filius et Spiritus sanctus, et [4] simul omnes una caritas. Non ideo tamen quisquam nos inconvenienter aestimet caritatem appellare Spiritum sanctum, quia et Deus Pater et Deus Filius potest caritas nuncupari, sicut proprie Verbum Dei etiam sapientia Dei dicitur, cum et Pater et Spiritus sanctus sit sapientia ».

« Si ergo proprie aliquis horum trium caritas nuncupari debet, quis aptius quam Spiritus sanctus? ut scilicet in [5] illa summa simplicique natura non sit aliud substantia, et aliud caritas, sed substantia ipsa sit caritas, et caritas ipsa sit substantia, sive in Patre sive in Filio sive in Spiritu sancto, et tamen Spiritus sanctus proprie caritas nuncupetur ». Ecce his verbis aperte ostendit [6] Augustinus, quod in Trinitate caritas aliquando refertur ad substantiam, quae communis est trium personarum et tota in singulis, aliquando specialiter ad personam Spiritus sancti; sicut sapientia Dei aliquando pro substantia divina, aliquando pro Filio proprie accipitur; et hoc in multis fieri reperitur.

Cap. II.

Quod eadem nomina proprie et universaliter accipiuntur.

« Pluribus enim exemplis doceri potest, multa rerum vocabula et universaliter poni, et proprie quibusdam rebus adhiberi, sicut Legis nomine aliquando simul omnia veteris Instrumenti [7] significantur eloquia, aliquando autem proprie vocatur Lex, quae data est per Moysen ». Multa alia suppetunt exempla, sed in re aperta vitanda est longitudo sermonis. Sicut ergo unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiae, cum sit universaliter et Spiritus sanctus et Pater ipsa sapientia; ita Spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo caritatis [8], cum sit et Pater et Filius universaliter caritas ».

« Sed Dei Verbum, id est unigenitus Dei Filius, aperte dictus est Dei sapientia ore Apostoli dicentis [9] *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Spiritus autem sanctus ubi sit dictus caritas, invenimus, si diligenter Ioannis Apostoli eloquium [10] scrutemur, qui cum dixisset: *Diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est*, adiunxit: *Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, quia Deus dilectio est.* Hic manifestavit se dixisse, eam dilectionem esse Deum, quam dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio; sed quia et Filius ex Deo Patre natus est, et Spiritus sanctus ex Deo Patre procedit, quem potius eorum hic debeamus accipere dictum esse dilectionem, merito quaeritur. Pater enim solus ita Deus

---

[1] In Vat. desideratur *ipse*, quod in mss. et edd. 1, 2, 3, 6 habetur.

[2] Vat. cum cod. cc repetit hic *naturam*, quod deest in antiquioribus mss. et ed. 1. Paulo infra post *persona* adiungunt aliqui codd. ut I T *est*.

[3] Fide plurimorum mss. et ed. 1 loco *illa* posuimus *alia*, sub qua intellige divinam naturam.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cap. 17. n. 27. et 28. — In princip. dist. post *Nunc* codd. DE addunt *vero*.

[2] I. Ioan. 4, 16. — Omnia, quae sequuntur in hoc cap., excepta sunt ex Augustino, loc. cit. n. 27-31.

[3] Edd. cum cod. A addunt *est*. Deinde ante *Augustinus* Vat. et ed. 4 ponunt *hoc* pro *quod*.

[4] Vat. et ed. 4 omittunt *et*. — Infra ante *Filius* cod. C et ed. 8 omittunt *Deus;* in fine huius textus ante *sapientia* codd. BCD et edd. 1, 8 *sint* pro *sit*

[5] Vat. perperam omittit *in*. In fine huius textus Vat. et pleraeque edd. *nuncupatur* pro *nuncupetur*, refragantibus Augustino, codd. ACE et ed. 8.

[6] Vat. *dicit*, contradicentibus mss. et edd. 1, 8. Mox solae edd. 1, 8 adiiciunt *est* post *tota*.

[7] Vat. cum edd. 1, 4, 6, 8 *Testamenti*, sed omnes codd. ceteraeque edd. cum originali contradicunt.

[8] Vat. cum omnibus edd., excepta 1, contra codd. et originale *proprio vocabulo caritas.* Deinde Vat. ceteraeque edd. exceptis 1, 8, contra codd. BDE omittunt *et* ante *Pater*.

[9] I. Cor. 1, 24.

[10] I. Ioan. 4, 7. Vulgata: *quia caritas ex Deo est... Deus caritas est.*

est, ut non sit ex Deo; et ideo dilectio, quae ita Deus est, ut ex Deo sit, non ipse Pater est, sed aut Filius, aut Spiritus sanctus. Sed in consequentibus cum Dei dilectionem commemorasset Ioannes[1], qua *dilexit nos*, et hinc hortatus esset, ut et *nos invicem diligamus*, atque ita *Deus in nobis maneat*, quia utique dilectionem Deum dixerat, statim, volens de hac re apertius aliquid eloqui, inquit: *In hoc cognoscimus, quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis*. Spiritus itaque sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, et ipsum in nobis. Hoc autem facit dilectio. Ipse igitur est Deus dilectio[2]. Deus igitur Spiritus sanctus, qui procedit ex Deo, significatur ubi legitur: *Deus dilectio est, et dilectio ex Deo est*[3] ». Ecce his verbis aperte dicit Augustinus, Spiritum sanctum esse caritatem Patris et Filii; et in tantum quoque sermonem produxit, ut videatur dixisse, Spiritum sanctum non solum esse dilectionem Patris et Filii, qua se invicem et nos diligunt, sed etiam dilectionem, qua diligimus Deum. Sed utrum ipse sit caritas, qua nos diligimus Deum, in sequenti explicabitur[4].

Spiritus est caritas Patris et Filii.

Nunc vero quod incepimus ostendere curemus, scilicet Spiritum sanctum dilectionem esse sive amorem Patris et Filii, quo scilicet Pater diligit Filium et Filius Patrem. De hoc Hieronymus super decimum septimum Psalmum[5] ait: « Spiritus sanctus nec Pater est nec Filius, sed dilectio, quam habet Pater in Filium et Filius in Patrem. » Augustinus quoque in sexto libro de Trinitate[6] ait: « In omnibus aequalis est Patri Filius et est unius eiusdemque substantiae. Quapropter etiam Spiritus sanctus in eadem unitate substantiae et aequalitate consistit ».

Continuatur probatio.

« Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive caritas, manifestum est, quod non aliquis duorum est quo uterque coniungitur, quo genitus a gignente diligatur genitoremque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicuius, sed suo proprio *servantes unitatem spiritus in vinculo pacis*[7] ». Ecce hic habes Spiritum sanctum esse quo Filius diligitur a Patre et Pater a Filio, et quo illi duo *servant unitatem pacis*. « Spiritus ergo sanctus, ut ait Augustinus in eodem, commune est aliquid Patris et Filii, quidquid illud est. At ipsa communio consubstantialis et coaeterna est, quae si amicitia convenienter dici potest, dicatur, sed aptius dicitur caritas; et haec quoque substantia, quia Deus substantia est, et *Deus caritas est*[8]. Tria ergo sunt et non amplius: unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo est, et ipsa dilectio, quae si nihil est, quomodo Deus dilectio est? Si non est substantia, quomodo Deus substantia est? »

Cap. III.

Quod Spiritus sanctus, sicut Patri et Filio est communis, ita commune nomen habet proprium.

Hic notandum est, quod sicut Spiritus sanctus in Trinitate specialiter dicitur caritas, quae est Patris et Filii unio, ita et nomen tenet proprie, quod Patri et Filio communiter quodam modo congruit. Unde Augustinus in quinto decimo libro de Trinitate[9]: « Si caritas, inquit, qua Pater diligit Filium, et Patrem diligit Filius, ineffabilem communionem demonstrat amborum, quid convenientius, quam ut ille proprie dicatur caritas, qui spiritus est communis ambobus? Hoc enim sanius creditur et intelligitur, ut non solum Spiritus sanctus caritas sit in illa Trinitate, sed non frustra proprie caritas nuncupetur, propter illa quae dicta sunt; sicut non solus in illa Trinitate vel *spiritus* est vel *sanctus*, quia et Pater spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus, et tamen ipse non frustra dicitur Spiritus sanctus. Qui enim est communis ambobus, id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter. Alioquin si in illa Trinitate solus Spiritus sanctus est caritas, profecto et Filius non solius Patris, sed etiam Spiritus sancti Filius invenitur. Ait enim Apostolus[10] de Deo Patre: *Transtulit nos in regnum Filii caritatis suae*. Si ergo non est in illa Trinitate caritas Dei nisi Spiritus sanctus, Filius est etiam Spiritus sancti. Sed quia hoc absurdissimum est, restat ut non solus ibi sit caritas Spiritus sanctus, sed propter illa, de quibus satis disserui, proprie sic vocatur ».

Similiter est de nomine spiritus.

[1] Ibid. v. 11-13. — Vat. sola inepte *quia* pro *qua*.

[2] Vat. cum ceteris edd. contra originale: *Ipse ergo Deus est dilectio*.

[3] Omnia in hoc capitulo sunt ex Augustino, XV. de Trin. c. 17. n. 30. et 31. — Paulo ante finem textus post *Deus dilectio* Vat. cum paucis codd. omittit *est*.

[4] Infra dist. XVII. — Vat. contra mss. et edd. 1, 5, 8 omittit *dilectionem* post *sed etiam*, et hic cum ed. 4 legit *explicatur* pro *explicabitur*.

[5] Vers. 1. — Antea post *Nunc* edd. 1, 8 *ergo* pro *vero*.

[6] Cap. 4. et 5. n. 6. et 7; ex ultimo cap. etiam sequentes huius capituli textus excerpti sunt. In fine primi textus pro *consistit* cod. D et edd. 1, 8 *subsistit*, quod magis placeret, si faveret Augustinus.

[7] Ephes. 4, 8. — Paulo ante pro *sintque* mss. ACDE *suntque* ac forte melius. Deinde codd. AC incipiunt sequentem textum verbis: *Spiritus quoque* pro *Spiritus ergo*.

[8] I. Ioan. 4, 16. — Vat. et ed. 4 post *nihil est* perperam omittunt: *quomodo Deus dilectio est, si non est substantia*.

[9] Cap. 19. n. 37. — Cod. C brevius: *Filius Patrem* loco *Patrem diligit Filius*. Mox codd. BCD et edd. 1, 8 cum originali pro *ineffabilem* legunt *ineffabiliter*, et sic hoc adverbio determinari videtur *diligit*. Denique in fine huius propositionis cod. E et ed. 8 *communis amborum* pro *communis ambobus*.

[10] Col. 1, 13. — Vat. cum pluribus edd. ante *Trinitate* ponit *ista* pro *illa*; postea idem fit ab edd. 3, 5, 9 post *sed propter*.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM X.

De aeterna processione Spiritus sancti quantum ad personam quae procedit.

Nunc post Filii aeternitatem de Spiritu sancto, quantum Deo donante, etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de generatione Filii, hic autem agit de processione Spiritus sancti. Et quia gemina est processio Spiritus sancti [1], aeterna et temporalis, primo agit de processione aeterna, secundo de temporali, infra, distinctione decima quarta: *Praeterea notandum, quod gemina est processio Spiritus sancti* etc. Et quoniam processio Spiritus sancti tripliciter potest comparari, scilicet ad *personam* ad quam est, et ad *principium* a quo est, et ad *generationem* a qua differt, ideo haec pars habet tres; in quarum *prima* Magister agit de processione Spiritus sancti quantum ad personam, quae procedit; in *secunda*, quantum ad principium a quo, infra, distinctione undecima: *Hic dicendum est, Spiritum sanctum esse a Patre et Filio;* in *tertia* vero agit de ipsa per comparationem ad generationem, a qua distinguitur, infra, distinctione decima tertia: *Post haec considerandum est, quantum a talibus, quales nos sumus.*

Item, *prima* pars, quae continet praesentem distinctionem, habet quatuor. In *prima* dicit, quod Spiritus sanctus procedit ut amor sive caritas vel dilectio; et hoc probat auctoritate Augustini. In *secunda* vero, quia hoc [2] erat dubium, quod Spiritus sanctus esset caritas, movet quaestionem et solvit, ibi: *Et ideo quaerendum, utrum Deus Pater.* In *tertia* vero solutionem per auctoritatem confirmat, tum quantum ad distinctionem, quae est per communem acceptionem et propriam, tum etiam quantum ad veritatem, ibi: *Pluribus enim exemplis doceri potest* etc. In *quarta* vero et ultima praedictae solutionis assignat rationem ostendens, quod [3] Spiritus sanctus proprie dicatur caritas, cum caritas sit nomen commune, et hoc ibi: *Hic notandum est, quod sicut Spiritus sanctus in Trinitate.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad evidentiam eorum quae dicuntur de Spiritu sancto, in hac parte duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de modo procedendi ipsius Spiritus sancti [4].

Secundo de proprietate ipsius.

Circa primum quaeruntur tria.

Primum est, utrum in divinis sit necesse ponere personam procedentem per modum liberalitatis.

Secundum, utrum sit necesse ponere personam procedentem per modum amoris.

Tertium, si [5] sit necesse ponere personam procedere per modum mutuae caritatis.

ARTICULUS I.

De modo procedendi Spiritus sancti.

QUAESTIO I.

Utrum in divinis ponenda sit persona procedens per modum liberalitatis.

Circa primum, quod sit necesse ponere personam procedentem per modum liberalitatis, ostenditur hoc modo.

1. Perfectior est dilectio mutua quam reflexa [6], Fundamenta. et perfectior adhuc mutua communicata quam non communicata, quia talis, scilicet non communicata,

---

[1] Cod. A et ed. 1 addunt *scilicet.*

[2] Ex mss. et edd. 1, 2, 3 substituimus *hoc* loco *hic.* Mox post *sanctus* ex pluribus codd. ut T Y bb cum ed. 1 posuimus *esset* pro *erat.*

[3] Ed. 1 *quare.*

[4] Vat. contra mss. et ed. 1 omittit *sancti.*

[5] Pauci codd. ut X Y *utrum.* Mox cod. V *procedentem* loco *procedere.*

[6] Hoc est, quae ad ipsum diligentem reflectitur, sive qua aliquis diligit naturam propriam, dum dilectio mutua in alterum tendit, quae esse potest vel *communicata* vel *non communicata* (privata), prout aliqui ita mutuo se diligunt, quod etiam velint vel dilectum diligi ab aliis aliosque diligere, vel non. Vide Scot., III. Sent. d. 28. et Aristot., II. Magn. Moral. c. 17. (c. 13.). — Mox post *adhuc mutua* cod. M addit *et.*

videtur sapere amorem libidinosum: ergo si in Deo est summa dilectio et summa delectatio et [1] beatitudo, non est ibi persona, quae mutuo non ametur, sed cui amor mutuus communicetur; sed communicatio amoris mutui est per liberalitatem: ego etc.

2. Item, in his inferioribus duplex invenitur modus procedendi [2] nobilis, scilicet per modum naturae et per modum voluntatis: primo modo emanat Filius a Patre, secundo modo donum a datore; sed omne quod nobilitatis est in creatura, est attribuendum Deo: ergo etc.

3. Item, in Deo est ponere naturam et voluntatem, et sicut naturam perficit fecunditas, ita voluntatem summa liberalitas; sed natura perfecta fecunditate, producit persona aliam personam: ergo pari ratione, voluntate perfecta liberalitatė, producit persona [3] aliam personam: et sic etc.

4. Item, omnes creaturae a Deo procedunt per cognitionem, et voluntatem; sed ante creaturarum productionem ponere fuit in divinis emanationem Verbi ab aeterno, in quo Pater omnia fienda disposuit [4]: ergo pari ratione necesse fuit emanare personam, in qua omnia vellet et donaret; sed talis procedit per modum liberalitatis: ergo etc.

Contra: 1. Non est similis modus procedendi sive exeundi [5] in creaturis respectu Dei et in personis; nam creaturae sunt extrinsecus, personae vero in essentia unum; sed exitus creaturarum a Deo est per modum liberalitatis: ergo non est ponere personam hoc modo procedere. *Ad oppositum.*

2. Item, exiens per modum voluntatis ab aliquo non assimilatur in substantia producenti, nec aequatur, nec necessario producitur; sed persona, si procedit in divinis, est in substantia similis et in potestate aequalis nec potens se aliter habere: ergo etc.

3. Item, in his inferioribus non tantum sunt ista principia nobilia, scilicet natura et voluntas, verum etiam ratio sive operans per artem [6]: ergo si ponuntur duae personae his duobus modis procedentes, debet poni tertia, quae tertio modo procedat; sed illa non ponitur: ergo nec per modum voluntatis ponetur [7] aliqua pari ratione.

4. Item, quanto pluribus communicatur dilectio, tanto perfectior, quia omne bonum in commune deductum pulcrius elucescit: ergo non solum est ponere tertiam personam, cui amor communicetur secundae [8], sed etiam quartam, cui amor communicetur tertiae; et sic in infinitum; sed hoc est impossibile in divinis, ut ostensum est supra [9]: ergo est stare in prima persona producente: ergo non est persona procedens per modum liberalitatis.

CONCLUSIO.

In divinis per modum liberalitatis procedit tertia persona, quae dicitur Donum.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut probatum est [10], in divinis est ponere tertiam personam procedentem per modum liberalitatis, quae dicitur Donum. *Conclusio.* Et ratio huius est perfectio *dilectionis*, perfectio *emanationis* et perfectio *voluntatis*, qua existente [11] liberalissima, non potest non producere personam; sicut natura, existente fecundissima, non potest non producere personam; et haec est ratio propria huius emanationis. *Triplex ratio.*

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod creaturae emanant per modum liberalitatis; dicendum, quod per modum liberalitatis emanare est dupliciter: aut sicut *volitum*, aut sicut *ratio volendi*, sive aut sicut donatum [12], aut sicut ratio donandi. Primo modo emanant creaturae, quae sunt extra; secundo modo emanat tertia in Trinitate persona, quia ratio volendi et donandi est intrinseca perfectissimae voluntati. *Solutio oppositorum.*

2. Ad illud quod obiicitur, quod voluntas non est [13] principium assimilans nec necessario emanans; dicendum, quod voluntas sive liberalitas dupliciter est principium: *uno* modo distinctum in natura, et sic non assimilat in substantia; *alio* modo concomitante [14] natura, et sic in substantia assimilat. Quoniam igitur persona sic procedit per modum liberalitatis, ut tamen concomitetur natura: ideo similis in substantia, quamvis ipse modus procedendi non sit per modum similis; et sic patet illud. *Voluntas dupliciter est principium.*

---

[1] Vat., reluctantibus vetustioribus mss., repetit hic *summa*. Mox maiorem mss. partem ut ACDGKLORSUVWXYZ secuti, pro *nec cui amor mutuus non communicetur* substituimus *sed cui amor mutuus communicetur*, quo sententia Doctoris distinctior exprimitur, si supples post *sed:* est persona scil. Spiritus S. Vide infra q. 3, et a. 2. q. 2. Alii codd. ponunt loco *sed* vel *et* ut codd. FHPQT, vel ut cod. ff *sive*, vel ut cod. cc *sed et*, ed. 1 autem *id est*.

[2] In Vat. et cod. cc, antiquioribus mss. et ed. 1 renitentibus, *producendi*, sed minus cohaerenter cum subnexis. Mox cod. T *procedit* loco *emanat*.

[3] Fide vetustiorum mss. et ed. 1 restituimus non apte omissum *persona*.

[4] August., Enarrat. in Psalm. 61. n. 18. seq. Vide infra d. 27. p. II. q. 2. — Paulo ante cod. O *necesse fuit ponere* pro *ponere fuit*.

[5] Ita fere omnes codd. cum ed. 1, dum Vat. cum cod. cc solummodo ponit *producendi* omisso *sive exeundi*. Mox codd. aa bb post *liberalitatis* addunt *vel voluntatis* et cod. Y in fine argumenti ponit *procedentem* loco *procedere*.

[6] Vide Aristot., IX. Metaph. text. 10. et XII. text. 13. (VIII. c. 5. et XI. c. 3.).

[7] Vat., plurimis mss. et ed. 1 refragantibus, *ponitur*.

[8] Ed. 1 *primae et secundae*.

[9] Dist. 7. q. 2. fundam. penult., et d. 2. q. 3.

[10] Hic in fundam. et d. 2. q. 4.

[11] Cod. U *quia voluntate existente*.

[12] Vat. cum cod. cc *datum*, sed contra antiquiores codd. et ed. 1, qui et omisso primo *aut* pro secundo ponunt *sive;* at grammatice non ita bene.

[13] Multi codd. ut ABDISTWZ etc. cum ed. 1 *habet*, sed cum subnexis minus cohaerenter.

[14] Praeferimus lectionem plurium mss. ut RXY et ed. 1, qui loco *cum communicante* legunt *concomitante*, dum alii ut CLOTU habent *comitante*, alii ut FGHI etc. *communicante*. Hac de re vide supra d. 6. q. 2. et 3. Eadem lectionum diver-

Solutio aliorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quare non procedit aliqua persona per modum rationis; dicendum, quod omnis modus producendi nobilis ad istos duos reducitur; quia omne agens aut agit naturaliter, aut per voluntatem; — agens enim per violentiam, aut per fortunam est agens imperfectum, et modus producendi minus nobilis [1] — unde ratio non distinguitur contra naturam et voluntatem quantum ad modum agendi; et ideo non est persona tali modo procedens.

Sed tamen hoc non videtur plene solvere, quia nos distinguimus in his creaturis egressum per modum *liberalitatis* ab egressu per modum *artis*. Et [2] propterea dicendum, quod processus per modum liberalitatis est dupliciter, aut sicut *ratio* liberalitatis sive ipsa liberalitas, aut sicut *liberaliter factum;* similiter et in *arte,* aut sicut *ipsa ars* sive ratio artificiandi, aut sicut *artificiatum;* et primo modo potest cadere in divina persona, secundo modo non. Et primo modo procedit Filius, qui est « Verbum et ars plena omnium rationum viventium [3] ». Sed iste modus emanandi non distinguitur a modo emanandi per modum naturae, quia emanat ut omnino similis et per modum similitudinis perfectae. Alius autem modus non potest esse [4], quia duas personas necesse est communicare in eadem natura, et quia necesse est, quod omnis modus emanandi, qui est in divinis, sit per modum naturae principaliter, vel illa concomitante [5]. Unde cum processus per modum *voluntatis* possit esse intrinsecus, sicut [6] procedit amor ab amante; per modum vero *artis* semper est extrinsecus, inquantum huiusmodi: ideo impossibile est, quod cadat in Deo respectu personae, sed cadit solum respectu creaturae.

Melior solutio.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur: si est ponere tertiam personam ob communicationem, pari ratione et quartam; dicendum, quod omnis ratio et natura concordat, quod non fiat per plures quod potest sufficientissime fieri per unum; alioquin est ibi superfluum [7]. Si ergo mutua dilectio non potest esse minus quam ad unum, et communicatio illius mutuae non minus quam ad unum, et in uno est mutua dilectio, et in altero mutuae dilectionis communicatio perfectissime, cum uterque [8] accipiat totum infinite; patet quod non est ultra procedere, sed ibi est stare. Unde ipsa eadem ratio, quae ponit personarum pluralitatem, aufert infinitatem et ponit trinitatem.

SCHOLION.

I. Spiritus sanctus habet nomen Doni, et quidem Doni, in quo omnia donantur (cfr. infra d. 18. per totam). Quidquid autem donatur, datur *per modum liberalitatis.* Quo sensu Seraphicus hic accipiat hanc locutionem, explicatione indigere videtur. *Liberalitas* praeter specialem virtutem moralem implicite etiam importat rationem *libertatis* seu voluntatis, uti docetur in solut. ad 3. Cum igitur duplex sit modus emanandi in Deo, scil. per modum naturae et per modum voluntatis, et processio Spiritus sancti sit per modum voluntatis, illa intrinseca perfectio divinae voluntatis, quae se diffundit et exprimit in processione Spiritus sancti, ut Doni omnium donorum, a Sancto vocatur *liberalitas.* Insuper notandum, quod voluntas in Deo potest accipi vel quatenus secundum nostrum modum intelligendi distinguitur ut *potentia* contra naturam, vel quatenus concomitatur ipsam naturam eamque communicat in ratione obiecti summe amabilis. In primo sensu voluntas est principium fecundum in productione rerum creatarum, non vero in productione Spiritus sancti; in secundo vero sensu est principium Spiritus sancti. Unde patet quod dicit ad 1. 2; intelligitur etiam quod supra d. 6. q. 2. dictum est de differentia inter productionem Filii et Spiritus sancti. Filius enim procedit a Patre per modum *naturae*, concomitante voluntate; et quia per modum *naturae* procedit, procedit ut omnino similis Patri et perfecta ipsius imago (cfr. infra d. 31. a. 1. q. 2.). Spiritus sanctus vero producitur per modum *voluntatis,* concomitante natura, similis quidem, immo idem omnino in natura, tamen sic, quod vi processionis *ratio imaginis* completius sit in Filio.

II. Argumentum ultimum in fundam., quod ab emanatione creaturarum deducitur, approbatur etiam ab Alex. Hal., S. Thom. (hic in Comment.), Richard. aliisque, sed ab Ægid. (hic) immerito impugnatur, de quo videsis Dionys. Carth. (hic q. 1. circa med.).

III. De ipsa quaestione Alex. Hal., S. p. 1. q. 43. m. 1. qui, ut dicit hic Dionys Carth., « de his plenissime scribit, immo quod iam ex multis doctoribus est inductum, ipse pene totum solus in scripto suo expressit, multaque alia, quae aliorum nullus conscripsisse videtur ». — Scot., hic q. unic. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. seq. — B. Albert., I. Sent. d. 13. a. 4; de hac et seqq. qq. S. p. 1. tr. 7. q. 31. m. 2. — Petr. a Tar., de hac quaest. et seq. hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 61. q. 10. — Dionys. Carth., de hac et seq. hic q. 1. — Biel, hic q. 2. concl. 3.

---

sitas reperitur paulo infra respectu verbi *concomitetur*, ubi Vat. etiam particulam *tamen* omittit.

[1] De agente per violentiam vide Aristot., III. Ethic. c. 1. et II. Magn. Moral. c. 8. et 9. (c. 7. et 8.). — De agente per fortunam cfr. XII. Metaph. text. 13. (XI. c. 3.). et II. Phys. text. 39. et seqq. (c. 4-6.).

[2] Supplevimus ex plurimis mss. et ed. 1 particulam *Et*.

[3] August., VI. de Trin. c. 10. n. 11. — Paulo infra cod. A *consimilis* loco *similis*.

[4] Supple cum ed. 1: *in divinis*.

[5] Eodem modo, quo paulo superius, etiam hic lectionum occurrit varietas; Vat. cum pluribus codd. *communicante*, alii ut G T U *comitante*, alii ut H R O X Y aa bb ff cum ed. 1 exhibent lectionem nostram.

[6] Vat. cum pluribus codd. perperam *sic*.

[7] Vide Aristot. et Averroem, I. Phys. text. 50. et 56. (c. 6.), et VIII. Topic. c. 4. (c. 9. circa finem), ubi respectu syllogismi dicitur: Est autem quoddam et idem ad syllogismos peccatum, quando ostenditur per longiora, quod contingit per breviora. — In hac propositione Vat. *esset* pro *est*. Paulo ante in cod. M post *natura* satis bene additur *in hoc*.

[8] Plurium mss. ut A F G H I K R U Y etc. et ed. 1 auctoritate pro *utrumque* substituimus *uterque*, quo sensus redditur clarior.

QUAESTIO II.

Utrum in divinis ponenda sit persona procedens per modum amoris sive caritatis.

Secundo quaeritur, utrum in divinis sit necesse ponere personam procedentem per modum amoris sive caritatis. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Non est [1] perfecta cognitio sine dilectione, ergo nec perfectum verbum sine amore: ergo nec perfecta emanatio verbi sine emanatione amoris: ergo necesse est ponere emanationem per modum amoris: ergo etc.

2. Item, amor est donum, in quo omnia [2] alia dona donantur; nihil enim proprie donatur nisi ex amore; si ergo persona procedit per modum liberalitatis, cum ipsa procedat non per aliud, sed per se; ergo per modum amoris sive caritatis.

3. Item, omnis et summa perfectio pluralitatis est in unitate, ergo et distinctionis in unione; sed inter omnes uniones, quae sunt inter distantes, summa et iucundissima est unio caritatis; si ergo est ibi distinctio, est unio; et si unio, est caritatis emanatio.

4. Item, Spiritus sanctus, in nobis existens et habitans, facit nos similes illi summae Trinitati, sicut dicit Dominus, Ioannis decimo septimo [3]: «*Ut sint unum, sicut et nos*»; sed Spiritus sanctus, in nobis existens, producit primo amorem caritatis, ad Romanos quinto [4]: «*Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris* etc.». Ergo necesse est, in illa summa Trinitate reperiri per prius emanationem caritatis.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Personae divinae sunt hypostases perfectae, ut Pater et Filius; nullus autem amor dicit hypostasim, sed eius proprietatem sive habitum: ergo nulla persona in divinis procedit per modum amoris.

2. Item, amor est eius in quo requiescit affectus: ergo semper accipitur ut in alium tendens; sed omnis persona est in se perfecte ens et distincta: ergo nulla persona procedit per modum amoris.

3. Item, non ob aliud ponitur in divinis emanatio per modum amoris, nisi quia Pater amat Filium; cum ergo Filius amet Spiritum sanctum, pari ratione erit ponere ulteriorem personam emanantem per modum amoris, et sic in infinitum; et [5] hoc est inconveniens: ergo etc.

4. Item, cum in natura intellectuali ex parte potentiae motivae sit accipere irascibilem, quae respicit honorem, sicut concupiscibilem, quae respicit amorem [6], quaestio est, quare in divinis non accipitur persona secundum actum irascibilis, sicut secundum actum concupiscibilis?

5. Item, cum sint aliae *affectiones* in anima, ut gaudium, spes et huiusmodi, quare solum per modum amoris procedit persona in divinis? *Si tu dicas*, quod amor non tenet rationem affectionis, tunc obiicio, quia sicut amor divinus [7] non est affectio, ita nec gaudium.

6. Item, cum sint alii *habitus* in anima importantes complementum, cuiusmodi sunt scilicet dona Spiritus sancti, ut intelligentia [8] et sapientia; quare magis procedit persona per modum amoris, quam per modum alterius habitus? quod si non alius, nec iste debet poni, ut videtur.

Conclusio.

Spiritus sanctus per modum amoris procedit, quia procedit per modum voluntatis et liberalitatis.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut probatum est supra [9], necesse est aliquam personam in divinis procedere per modum liberalitatis, et illam dicimus Spiritum sanctum. Hanc autem necesse est procedere per modum amoris; quia, si ponatur in divinis emanatio [10] per modum voluntatis, necesse est, quod inter omnes sit *prima* et *nobilissima*. Emanatio autem per modum amoris est huiusmodi, quod patet, si respiciamus, in anima. Affectio enim amoris est *prima* inter omnes affectiones et radix omnium aliarum, sicut ostendit Augustinus in pluribus locis, maxime in decimo quarto de Civitate Dei [11]. Et ista affectio *nobilissima* est inter omnes, quoniam plus

Conclusio. Amor est affectio prima et nobilissima.

---

[1] Mss. et ed. 1 postulantibus, expunximus hic a Vat. additum *enim*. Mox post *cognitio* cod. W addit *boni*. — Cfr. de hoc argumento August., IX. de Trin. c. 10. n. 15. ubi et ait: ‹Verbum est... cum amore notitia.

[2] Ex multis mss. et ed. 1. adiecimus *omnia*. — Plura de hac propositione vide infra d. 18. q. 1.

[3] Vers. 22.

[4] Vers. 5. — Mox cod. U *communicationem* loco *emanationem*.

[5] Ed. 1 *sed* pro *et*.

[6] Praestamus lectionem distinctiorem antiquiorum mss. et ed. 1 pro lectione Vat. et cod. cc *sic concupiscibilis amorem*. Haec motivae potentiae divisio, a Scholasticis recepta, occurrit in Nemesii Episc. Emeseni libro de Natura hominis c. 16. et seqq.; ac in Gregorii Nysseni libro de Anima et resurrectione, et in Epistola eiusdem canonica ad S. Letoium; ac Ioan. Damasc., II. de Fide orthod. c. 22, ubi et passiones seu affectiones animae enumerantur. Vide et Aristot., III. de Anima, text. 41. et 53. (c. 9. seq.); de Motu animal. c. 3. (c. 6.); II. Ethic. c. 5, et I. Magn. Moral. c. 8. (c. 7. et 8.).

[7] Codd. V Y *in divinis*.

[8] Ed. 1 *intellectus*. Paulo infra post *si non* codd. T V addunt *est*.

[9] Quaest. praeced.

[10] Codd. R T et ed. 1 *processio*.

[11] Cap. 7-9. Mss. et omnes edd. falso citant XIV. *de Trin.* — Paulo ante ex plurimis mss. et ed. 1 substituimus *ostendit* loco *dicit*. Mox post *Unde* cod. Y *haec* pro *hoc*.

tenet de ratione liberalitatis. Unde hoc est donum, in quo omnia alia dona donantur, et in quo consistunt omnes deliciae substantiae intellectualis. Unde nihil in creaturis est considerare ita deliciosum, sicut amorem mutuum; et sine amore nullae sunt deliciae [1]. Propter hoc dicit Philosophus [2], quod amicitia aut est beatitudo, aut non sine beatitudine. Si ergo emanatio est per modum liberalitatis in divinis, necesse fuit esse [3] primam et summam; et sic necesse fuit esse per modum amoris.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod amor nominat habitum, non substantiam; dicendum, quod est loqui de amore ratione eius *quod nominat*, et sic non dicit substantiam; vel ratione eius *circa quod ponitur;* et quia ponitur in Deo, in quo nullum accidens, sed totum [4] substantia est, ideo non dicit habitum vel proprietatem, sed magis substantiam; et cum dicat egressum, dicit hypostasim sive personam. Simile dicendum est de Verbo [5].

2. Ad illud quod obiicitur, quod amor caritatis semper in alium tendit, et ita procedit in alium et non stat in se; dicendum, quod procedere in alium est dupliciter: aut quia aliud respicit ut obiectum, aut quia in aliud tendit et recipitur. (Procedere in alium est dupliciter.) *Primo* modo bene convenit personae in divinis, quia bene convenit habere respectum ad aliam personam; unde Spiritus sanctus est amor, quo Pater amat Filium. Si autem dicatur tendere *secundo* modo, sic non habet locum in proposito, quia, quando ego amo alium, amor non exit a me, ita ut recipiatur in alio, sed tantum a voluntate procedit, et quia est accidens, ideo non recedit, sed in voluntate subsistit. In divinis vero, quia hypostasis est, ideo in se subsistit.

3. Ad illud quod obiicitur, quod similiter Filius amans Spiritum sanctum produceret aliam personam; dicendum, quod hoc non tantum facit, quod Pater et Filius producant aliam personam, quia [6] est amor, quo se amant, sed etiam, quia in eis voluntas est fecundissima. Ratio huius dicetur infra [7], et illa non est in Spiritu sancto. Nihilominus tamen potest dici, quod status est in primo amore. Nam primo amore producto, cum ille se ipso amet [8] et ametur, non oportet, alium amorem produci sive aliam personam per modum amoris.

4. Ad illud quod quaeritur, quare non est emanatio quantum ad actum irascibilis? quidam respondent, quod haec vis non habet locum in substantia (Responsio aliorum.) pure spirituali; tamen supposito, quod sit in substantia intellectuali, adhuc actus eius non competit productioni personae, tum quia naturaliter sequitur actum concupiscibilis; (De actu irascibilis.) « ira enim est vindex laesae concupiscentiae », ut dicit Damascenus [9]; tum etiam, quia actus eius consistit aut respectu *superioris*, et hoc non potest esse ubi nihil est superius; aut respectu *inferioris*, et hoc similiter non, quia nulla est inferioritas ibi; respectu *paris* similiter non potest esse in Deo, quia sic est cum quadam disconvenientia et victoriosa repulsione [10]; in personis autem divinis summam unionem et convenientiam esse necesse est. *Et si tu obiicias*, quod non omnis actus irascibilis est respectu disconvenientis, quod patet in spe, et quia in Beatis habebit irascibilis actum; dicendum, quod vel consistit respectu disconvenientis vincendi, vel respectu ardui aggrediendi, et ita vel gradum vel disconvenientiam dicit; sed neutrum potest esse in divinis personis.

5. 6. Ad illud quod obiicitur de aliis *affectibus* et *habitibus*, iam patet responsio. Quia amor est affectus intimus et primus et nobilissimus, quia origo omnium aliorum, ideo complectitur in se totam nobilitatem emanationis per modum liberalitatis: ideo nulla persona debuit emanare per modum alterius habitus, cum talis modus non sit principalis.

SCHOLION.

I. Amor seu caritas in divinis accipitur tripliciter: *essentialiter*, et sic est illa *complacentia*, qua quaelibet persona diligit se et duas alias personas; *notionaliter*, et sic est ipsa spiratio activa sive *concordia* in spirando, qua Pater et Filius spirant Spiritum sanctum; *personaliter*, et sic est ipsa persona procedens i. e. Spiritus sanctus (cfr. infra a. 2. q. 1.). Et notandum, quod Spiritus sanctus non procedit ut id quod datur per amorem, sed ut amor datus sive productus.

---

[1] Cfr. supra d. 1. a. 2. q. 1.

[2] Libr. IX. Ethic. c. 9, ubi conversa probatur, quod scil. beatitudo non sit sine amicitia. — In seqq. locis probatur amicitiam coniunctam esse iucunditati. VIII. Ethic. c. 1; II. Magn. Moral. c. 12. (c. 11.) et VII. Moral. Eudem. c. 2. seqq. ac I. Rhet. c. de Iucundis.

[3] Cod. O *necesse est eam esse*. Mox, consentientibus mss. et ed. 1, post *fuit* adiecimus *esse*.

[4] Plurimi codd. cum ed. 1 non ita bene *tota*. Vat. hic contra antiquiores codd. et ed. 1 repetit *in Deo*.

[5] In Vat. hic additur *quamvis enim verbum in nobis sit accidens, est tamen substantia in Deo*, sed obest auctoritas mss. et ed. 1.

[6] Supple: haec persona. Praeferimus hanc lectionem, in qua et convenit maior pars codd. ut I L O R S T U W X Y etc., dum Vat. hic *quae* loco *quia*, et mox *quia* pro *quo* habet; ceteri autem codd. vel consentiunt lectioni Vat. totaliter, vel tantum partialiter; sic cod. K cum ed. 1 *quae est amor, quo*.

[7] Dist. 11. q. 2. et d. 13. q. 3. — Mox post *status* plurimorum mss. et ed. 1 fide substituimus *est* pro *sit*.

[8] Vat. cum cod. cc addit *alium*, quod deest in antiquioribus mss. et ed. 1. Mox multi codd. ut A C F G H K L R S U V W X Y etc. *illum* loco *alium*.

[9] Libr. II. de Fide orthod. c. 16: Est porro Ira rationis satelles, vindex cupiditatis.

[10] Vat. praecedentia exhibet ita: *nulla est inferioritas in persona producta respectu Patris, non similiter potest esse in Deo respectu disconvenientis, quia sic est cum quadam disconvenientia in victoriosa repulsione*, quae lectio interpolata et distorta castigatur auctoritate mss., qui quoad lectionis substantiam omnes inter se consentiunt et cum ed. 1.

II. Quaestio in solut. ad 4. tacta, utrum vis irascibilis habeat locum in substantia spirituali, resolvitur quoad Deum a S. Bonaventura (I. Sent. d. 45. dub. 10.) cum sententia communi sic: « Vis irascibilis et ira non recipitur in Deo nisi transsumtive ». Quoad Angelos et appetitum *rationalem* animae humanae Henr. Gand. (Quodl. 8. q. 15.) affirmat, in appetitu rationali distinguendam esse vim irascibilem et concupiscibilem; sed ipsius argumenta a Scot. (III. Sent. d. 26. q. unic.) impugnantur. Etiam S. Thom. (S. I. q. 59. a. 4.) illam distinctionem Henr. Gand. non admittit, nec Richardus (II. Sent. d. 24. a. 2. q. 3.); etiam Petr. a Tar. (III. Sent. d. 26. a. 7.) hanc negativam sententiam reputat probabiliorem. Propriam suam sententiam Scot. explicat alibi (III. Sent. d. 34. q. unic.), admittendo aliquam distinctionem ex parte obiecti, cui consentiunt S. Bonav. (II. Sent. d. 25. p. I. q. 6. ad 2, et d. 24. p. I. a. 2. q. 1; III. Sent. d. 33. a. 1. q. 3.) et Alex. Hal. (S. p. II. q. 29. m. 3.).

III. Ipsa quaestio non ab omnibus antiquis explicite tractatur. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 43. m. 3. a. 2. — Scot., hic q. unic., et infra d. 32. q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. q. 37. a. 1. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Henr. Gand., S. a. 61. q. 5.

QUAESTIO III.

Utrum in divinis ponenda sit tertia persona procedens per modum mutuae caritatis.

Tertio quaeritur, utrum sit necesse ponere tertiam personam procedentem per modum mutuae caritatis. Et quod sic, videtur.

1. Ioannis decimo septimo[1]: *Ut sint unum, sicut et nos;* Dominus orat et petit discipulis unitatem, non naturae, sed dilectionis per conformitatem ad illam summam unitatem; sed membra Christi uniuntur per amorem mutuum: ergo in divinis est exemplar huius: sic etc.[2].

Fundamenta.

2. Item, Hieronymus super Psalmum decimum septimum[3]: « Spiritus sanctus est amor, quem habet Pater in Filium, et Filius in Patrem »: ergo est amor mutuus.

3. Item, *ratione* ostenditur hoc ipsum, quia perfectior est dilectio, quando est mutua, quia si non est mutua, ex altera parte claudicat; sed in illa dilectione est summa perfectio et nulla claudicatio: ergo etc.

4. Item, qui non amat vicissim amantem se recte et liberaliter aut est iniquus, aut ingratus; cum ergo in divinis nulla sit iniquitas, nulla ingratitudo, necesse est ibi esse amorem mutuum.

Contra: 1. Si est amor mutuus, ergo Filii in Patrem et Patris in Filium: ergo Pater aliquid recipit a Filio; quod absurdum est.

Ad oppositum.

2. Item, qui amat amantem facit quod debet, quia hoc est debitum, quod rependendum est; ergo si est in divinis amor mutuus, ergo est debitus: ergo non est liberalissimus, quod absurdum est.

3. Item, nullus amor mutuus est amor unicus; haec per se nota est; ergo si Spiritus sanctus est amor mutuus, unicus non est amor.

4. Item, si amor est mutuus, ergo est amor Patris ad Filium; sed iste, ut dicit Richardus[4], est amor gratuitus, similiter erit Filii ad Patrem; et iste, ut ipse dicit, est amor debitus: ergo si tertia persona procedit per modum amoris gratuiti et debiti, ergo est amor ex utroque permixtus: ergo non amor purus. Et *iterum*, cum iste amor sit Filius, videtur quod Filius sit Spiritus sanctus, quia, ut dicit Richardus[5], in Filio est amor ex utroque permixtus.

CONCLUSIO.

Tertia persona procedit per modum mutuae caritatis.

Respondeo: Dicendum, quod cum amor perfectionem delectationis[6] et unionis et rectitudinis habeat ex mutualitate, aut non est personam ponere in divinis procedere per modum amoris, aut, si procedit, procedit per modum mutuae caritatis. Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod tunc Filius aliquid dat Patri; dicendum, quod ex hoc, quod amans per amorem tendit in amatum, nihil dat ei; alioquin nos daremus aliquid Deo, cum ipsum amamus. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod amor mutuus est debitus; dicendum, quod debitus est, quia rectus; sed tamen amor non considerat debitum. Unde quantumcumque debeatur, dum tamen debitum non attendatur, non minuitur ratio liberalitatis, immo ostenditur ratio rectitudinis.

3. Ad illud quod obiicitur: si mutuus, non unicus[7]; dicendum, quod verum est in amantibus, quorum affectus sunt diversi; non sic est in Deo.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non est amor purus; dicendum, quod ex utraque parte liberalis est, et ideo omnino purus. Et quod[8] dicit Richardus, quod est amor debitus et gratuitus; dicendum, quod istae conditiones non dicunt modum amandi circa amorem, sed dicunt modum emanandi sive originis circa personas.

---

[1] Vers. 22.
[2] Pauci codd. ut HIPQ: *et sic patet* etc.
[3] Vide lit. Magistri, c. 2. post medium.
[4] Libr. V. de Trin. c. 17. et seqq. — Mox post *gratuitus* in Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 additur *ergo*, et paulo infra contra multos codd. ut A G K T Z etc. et ed. 1 habetur *ille* loco *iste*.
[5] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *Richardus*.
[6] Nonnulli codd. ut A F K U Z cum ed. 1 *dilectionis*.
[7] Cod. X *obiicitur: nullus amor mutuus est unicus*.
[8] Vat. loco *quod* habet *cum*, deinde omittit *Richardus*, refragantibus vetustioribus mss. et ed. 1, sicuti et paulo infra ponit perperam *emanandi* pro *amandi*.

SCHOLION.

I. In solut. ad 4. verba locum Richardi a S. Victore exponentia: « Non dicunt modum amandi circa amorem etc. » hunc sensum habent: Pater habet amorem *gratuitum,* quia non est ab alio, Filius amorem *permixtum,* quia a Patre procedit et cum ipso producit Spiritum sanctum, cui attribuitur amor *debitus,* quia non producit personam, sed ipse producitur. Cum vero amor in tribus personis sit idem et purissimus, locutio Richardi sumenda est non in sensu proprio, sed metaphorico; unde Scholastici posteriores eam non probabant. Cfr. Brulifer ad hunc locum S. Bonaventurae.

II. Quoad conclusionem Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 43. m. 5. — Scot., I. Sent. d. 12. q. 1, et d. 32. q. 1. ad 3. 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Henr. Gand., S. a. 61. q. 4, et a. 54. q. 6. n. 47. — Biel, I. Sent. d. 12. q. 2. nota 3.

ARTICULUS II.

De proprietate Spiritus sancti.

Secundo principaliter quaeritur de secunda parte, scilicet de proprietate Spiritus sancti, et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum amor sive caritas sit proprium Spiritus sancti.

Secundo, utrum Spiritus sanctus sit proprie nexus.

Tertio, utrum Spiritus sanctus proprie sit spiritus.

QUAESTIO I.

Utrum amor sive caritas sit proprium Spiritus sancti.

Circa primum, quod caritas sit proprium Spiritus sancti, sic ostenditur.

Fundamenta. 1. Augustinus decimo quinto de Trinitate[1]: « Sicut in illa Trinitate non solus Spiritus sanctus est spiritus, tamen proprie dicitur Spiritus sanctus; ita, quamvis Pater sit caritas et Filius caritas, tamen proprie caritas dicitur illa persona, sicut proprie dicitur Spiritus sanctus ».

2. Item, hoc idem ostenditur per eundem super primam Canonicam Ioannis[2], ubi intendit proprietatem Spiritus sancti invenire, et ad hoc perducit sermonem, quod Spiritus sanctus est caritas.

3. Item, *ratione* ostenditur illud idem: quia[3] illud est proprie proprium personae, quod dicit modum emanandi ipsius; sed amor est huiusmodi, ut probatum est[4]: ergo etc.

4. Item, sicut verbum se habet ad Filium, ita amor ad Spiritum sanctum; sed verbum est proprium Filii: ergo et amor proprium Spiritus sancti.

Ad oppositum. Contra: 1. Augustinus in decimo quinto de Trinitate[5]: « Pater est caritas, et Filius est caritas, et Spiritus sanctus est caritas, et simul omnes una caritas »: ergo caritas non dicitur proprie de Spiritu sancto.

2. Item, amor non procedit aliter quam amando: ergo cum amor de necessitate insit amanti, et Pater et Filius amando producant Spiritum sanctum, impossibile videtur, quod ei conveniat proprie. Aut ergo Spiritus sanctus non est persona, aut non est amor proprie sive[6] non procedit per modum amoris.

3. Item, sicut se habet sapientia ad Filium, ita amor ad Spiritum sanctum; sed sapientia non est Filii proprium, immo appropriatum solum: ergo et[7] amor similiter Spiritus sancti: ergo etc.

4. Item, omne[8] quod dicitur proprie, importat aliquam relationem: ergo si amor proprie dicitur, importat relationem. Quaero: ad quid? aut ad *amantem,* aut ad *amatum*[9]. Si ad *amantem,* ergo amans non est amor; similiter si ad *amatum,* tunc ergo Spiritus sanctus aut non amaret aut non amaretur; hoc autem est impossibile.

---

[1] Cap. 19. n. 37: Sicut non solus est in illa Trinitate vel spiritus vel sanctus... et tamen iste non frustra proprie dicitur Spiritus sanctus. Et ibid. c. 17. n. 31: Ita Spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo caritatis, cum sit universaliter caritas et Pater et Filius. — Paulo ante fide mss. et ed. 1 substituimus *ostenditur* loco *ostendit.*

[2] Tractat. VII. n. 6. Vide et XV. de Trin. c. 17-20. — Paulo ante Vat. contra mss. et ed. 1 omittit *primam,* et ed. 1 loco *idem* habet *ipsum.* Mox aliqui codd. ut G K T W Y cum ed. 3 *producit* loco *perducit.*

[3] Ope plurium mss. ut F T Z ff et ed. 1 posuimus *quia* pro *quod.*

[4] Hic, a. 1. q. 2.

[5] Cap. 17. n. 28: Ita et caritas et Pater dicatur et Filius et Spiritus sanctus et simul omnes una caritas. In quo textu ed. 1 post *omnes* addit *tres.*

[6] Aliqui codd. ut V X Z bb falso *aut* loco *sive.*

[7] Supplevimus hic *et;* mox substituimus genitivum *Spiritus sancti* pro dativo, ope mss. et ed. 1.

[8] Postulantibus antiquioribus mss. et ed. 1, expunximus hic additum a Vat. *illud.*

[9] In Vat. et cod. cc desunt verba *Quaero* usque *amatum,* quae in aliis mss. et ed. 1 habentur.

CONCLUSIO.

Caritas, personaliter accepta, est proprium Spiritus sancti; essentialiter accepta dicit complacentiam; notionaliter vero concordiam in spirando.

Respondeo: Dicendum, quod dilectio in divinis potest accipi et accipitur necessario *essentialiter*, *notionaliter* et *personaliter*: *essentialiter*, quia quilibet diligit se [1]; *notionaliter* vero, quia Pater et Filius concordant in spirando Spiritum sanctum, quae concordia amor sive dilectio est; *personaliter* vero, quia ille qui producitur per modum perfectae liberalitatis, non potest esse nisi amor sive dilectio.

Dilectio in Deo accipitur tripliciter.

Unde essentialiter dictum dicit complacentiam, notionaliter vero concordiam in spirando, personaliter vero processum in [2] illa concordia.

Conclusio trimembris.

Huius autem [3] exemplum potest poni in amore creato, quo sponsus et sponsa se diligunt. Nam diligunt se amore *sociali* ad convivendum; diligunt se ulterius amore *coniugali* ad prolem procreandam, et illa [4], si produceretur ex sola concordiae voluntate, *amor* esset; nunc vero est *amatus*, nisi dicatur *amor* per emphaticum loquendi modum. In divinis vero vere et proprie amor est, habens rationem *amoris* et *hypostasis*: *amoris* propter hoc, quia ex voluntate liberalissima primo procedit per modum perfectae liberalitatis; *hypostasis*, quia cum distinguatur a producente et non possit distingui essentialiter, distinguitur personaliter; non sic autem est in amore creato.

Exemplum.

1. 2. Ex hoc patet illud quod obiicitur *primo* et *secundo*, cum dicitur, quod [5] est *proprietas* amantium sive producentium; quia accipitur notionaliter; nam prout ab eis *procedit*, non potest esse proprietas, sed persona distincta. Unde non omnino est similis processus amoris creati et amoris increati [6], quia hic est proprietas, ibi hypostasis et substantia.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur de sapientia, dicendum, quod non est simile; quia sapientia non dicit respectum ad alium, et ideo semper de se dicitur ad se et est essentiale, nisi approprietur; sed amor respectum dicit ad eos, qui amore nectuntur. Unde sicut verbum est proprium Filii, non appropriatum [7], quia connotat respectum ad dicentem; sic etiam amor sive caritas non tantum est appropriatum, verum etiam proprium Spiritus sancti. Et sicut procedit Filius a Patre per modum verbi, ita Spiritus sanctus per modum amoris. Et ex hoc est, sicut melius patebit infra [8], quod haec admittitur: Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto; non autem, quod Pater sit sapiens sapientia genita.

Differt sapientia et amor.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur: *ad quid* dicit respectum? dicendum, quod ad amantes, secundum quod hoc quod est *amantes* tenetur notionaliter, sicut praetactum est [9]. Uno enim modo *diligere se* idem est quod *concorditer spirare*; hoc modo Spiritus sanctus non est amans, quia non spirat. Ipse autem obiicit de essentiali [10], qui non dicit egressum ab amante, sed solum dicit complacentiam voluntatis, qua quilibet amat et amatur.

SCHOLION.

Doctrina huius quaestionis est sententia communis: Alex. Hal., S. p. I. q. 43. m. 3. a. 1, et q. 67. m. 3. a. 3. — Scot., hic q. unic., et d. 32. q. 1. — S. Thom., 1. Sent. d. 27. q. 2. a. 2; S. 1. q. 37. a. 1. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2. — Henr. Gand., S. a. 38. q. 2. n. 8. — Dionys. Carth., de hac et seq. hic q. 1.

---

[1] Cod. O addit *XV. c. 17. de Trin.*

[2] Aliqui codd. ut H I aa bb *ex*. Mox post *concordia* cod. H adiungit: *Primo modo est communis tribus, secundo modo est in Patre et Filio, tertio autem modo est proprium Spiritus sancti.*

[3] Cod. I addit *processus.*

[4] Plurimi codd. incongrue *ille*. Mox post *esset* cod. W adiungit *et ratio amandi;* dein cod. Y *non est amor* pro *amatus*, quod per modum substantivi intelligas. Paulo post per *emphaticum loquendi modum* intellige: emphasim, illam scil. grammaticalem figuram, quae ad maiorem expressionem intimandam adhibetur, v. g. quando abstractum adhibetur pro concreto, cum dicitur: rogo excellentiam tuam.

[5] Subaudi: amor. — Paulo infra post *quia* in codd. t Z additur *amor ibi.*

[6] Nonnulli codd. ut A F R T X cum ed. 1, omissa post *creati* particula *et*, ponunt *amori increato* loco *amoris increati*. Mox particula *hic* refertur ad amorem *creatum*, et *ibi* ad amorem *increatum*.

[7] Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 *et non appropriatur.*

[8] Dist. 32. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. — Paulo ante ed. 1 *sequitur* loco *est*, quae et mox post *haec* addit *bene.*

[9] Hic, in corp. et ad 1. — Paulo supra Vat. *sed* loco *secundum quod*, at perperam et contra mss. cum sex primis edd., quorum tamen aliqui ut O Z *secundum hoc quod amantes*. Mox plures codd. ut A I S T V W X Y *diligunt* pro *diligere.*

[10] Supple cum cod. I *amore*. Vat. *quod* pro *qui*, sed minus clare et contra plurimos codd. cum ed. 1; aliqui codd. ut H X Y cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *quia.*

QUAESTIO II.

Utrum Spiritus sanctus sit nexus sive unitas Patris et Filii.

Secundo quaeritur, utrum Spiritus sanctus proprie sit nexus vel unitas amborum. Et quod sic, videtur hoc modo.

Fundamenta. 1. Augustinus sexto de Trinitate[1]: « Non est aliquis duorum, quo uterque coniungitur »; sed coniungitur nexu: ergo nexus non est aliquis duorum: ergo est tertia persona proprie.

2. Item, amor in creaturis est nexus: sed sicut probatum est[2], Spiritus sanctus est amor perfectissimus: ergo etc. Quod autem amor sit nexus, patet per Dionysium[3]: « Amorem, sive divinum sive intellectualem, unitivam dicimus virtutem ».

3. Item, Spiritus sanctus secundum Graecos procedit a Patre in[4] Filium, secundum Latinos a Patre et Filio. Sed quocumque istorum modorum procedit, uniuntur in Spiritu Pater et Filius; sed ille, in quo uniuntur, est nexus amborum: ergo Spiritus sanctus est nexus.

4. Item, aut Spiritus Patris est Spiritus Filii, aut non. Si non: ergo cum *nemo sciat, quae sunt in homine nisi spiritus eius, qui est in illo*, sicut dicit Apostolus[5], Pater non novit voluntatem Filii, nec Filius Patris: ergo, si idem est spiritus amborum, in Spiritu uniuntur.

Ad oppositum. Contra: 1. Non est nexus nisi separatorum, quae enim non separata sunt[6], non indigent aliquo connectente; sed Pater non est separatus a Filio, nec e converso. quia Filius in Patre et Pater in Filio: ergo etc.

2. Item, nexus est in quo duo aliqui conveniunt; sed Pater et Filius non conveniunt in persona: ergo nulla persona est nexus Patris et Filii.

3. Item, necti dicuntur illa quae conveniunt in aliquo, in quo uniuntur. Si ergo Filius et Spiritus sanctus originaliter conveniunt in Patre, ergo Pater est nexus Filii et Spiritus sancti: non ergo Spiritus sanctus est nexus.

4. Item, nexus dicitur, quia[7] nectitur, aut quia nectit; si ergo Spiritus sanctus est nexus, aut ergo quia nectitur, aut quia nectit. Non quia nectitur; quia tunc similiter alia persona esset nexus, similiter Pater esset nexus; si quia nectit Patrem et Filium: ergo dat aliquid Patri et Filio; sed hoc est inconveniens: ergo etc.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus proprie dicitur nexus sive unitas Patris et Filii.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod nexus proprie dicitur de Spiritu sancto sive unitas amborum. Ratio autem huius est, quia Pater et Filius communicant in uno[8] Spiritu, et ideo amborum est unitas. *Et rursum*, ille Spiritus est amor, et ideo communicant in eo ut in uno amore; et quia amor propriissime nexus[9] est, ideo Spiritus sanctus proprie nexus est, quia est[10] amor mutuus, est amor unicus et substantificus. Duplex ratio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod non est nexus nisi separatorum; dicendum, quod separatio dicitur tripliciter: secundum *distantiam*, et sic dicitur separatio localis; et secundum *differentiam per essentiam*[11], et sic dicitur separatio substantialis; et secundum *differentiam proprietatis relativae*, et sic non dicitur separatio proprie, sed distinctio. Et[12] quolibet istorum modorum contingit esse nexum. Quia ergo Pater et Filius sunt distincti, ideo recte dicuntur connecti.

2. Ad illud quod obiicitur. quod nexus est in

---

[1] Cap. 5. n. 7: Manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo uterque coniungitur.

[2] Hic, a. 1. q. 2. et 3.

[3] De Div. Nom. c. 4. § 15: Amorem... unitivam quandam et concretivam intelligimus virtutem.

[4] Mss. et ed. 1 consentientibus, loco *per* substituimus *in*, quod et loquendi modo S. Doctoris magis correspondet, de quo cfr. d. seq. q. 1, et d. 14. a. 1. q. 1. in corp. Mox pauci mss. ut aa bb *procedat*, et aliqui codd. ut IY cum ed. 1 post *Spiritu* addunt *sancto*.

[5] I. Cor. 2, 11. Vulgata: Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? — Vat., obnitentibus mss. et sex primis edd. post *sunt in* addit *aliquo*, et paulo infra post *Apostolus* adiungit *et*. Cod. O conclusionem argumenti ita exhibet: *ergo si est spiritus, et spiritus amborum; et si hoc, ambo in Spiritu uniuntur.*

[6] Cod. T *qui enim non separati sunt.*

[7] In Vat. praemittitur *aut.*

[8] Cod. E *eodem* pro *uno*, quod, ceteris mss. et ed. 1 refragantibus, Vat. minus bene omittit.

[9] Plures codd. ut ACGKLSUVWY perperam hic addunt *eius*. Mox post *ideo* ed. 1 adiungit *et*.

[10] Vat. omittit *est* legendo *quia amor mutuus est amor unicus et substantificus*; ita etiam aliae edd. et plurimi codd. cum hac differentia, quod plures codd. pro *unicus* habent *unitus*, alii vero pauci *vivificus*. Probabilior nobis ob contextum visa est lectio codd. HIM in textum recepta.

[11] Codd. HY *essentialem* et cod. Z *essentiae* loco *per essentiam*, quod multi codd. ut ACFGKLORSTUV etc. cum sex primis edd. omittunt.

[12] Fide multorum mss. ut AFGHIKTVX etc. et ed. 1 substituimus *Et* pro *In*.

Duplex convenientia. quo aliqui duo conveniunt; dicendum, quod est convenientia *essentialis*, et est convenientia *originis*[1]; et nexus utroque modo potest esse; et quamvis Pater et Filius non conveniant *formaliter* in persona una, tamen *originaliter* conveniunt, quia una persona oritur ab utroque uno et eodem modo.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Filius et Spiritus sanctus conveniunt in Patre; dicendum, quod convenientia *originis* dicitur dupliciter: aut quia oriuntur ab uno, aut quia ab eis oritur unus. Si quia ab uno[2], sic non dicitur nexus, quia nexus est unio *consequens* distinctionem, sed unitas in origine *antecedit* distinctionem. Si vero quia unius origo[3], sic, cum ibi sit distinctio et consequens unio, propriissime est nexus; et sic est in Patre et Filio respectu Spiritus sancti.

Duplex convenientia originis.

Aliter tamen potest dici, quod non est simile, quia Filius et Spiritus sanctus non eodem modo producuntur a Patre, sed Pater et Filius eodem modo spirant Spiritum sanctum. Et *iterum*, Patris et Filii convenientia est in Spiritu sancto ut in amore, cuius est nectere; sic non conveniunt Filius et Spiritus sanctus in Patre. Alia solutio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod nexus dicitur, aut quia nectit etc.; dicendum, quod *quaedam* sunt verba, quae in voce activa significant passionem, ut verba ad sensum pertinentia, ut video, audio et similia[4]; *quaedam* in voce activa significant actionem, ut facio et percutio, similiter in passiva. Dicendum igitur, quod hoc quod est *nectere*, cum nectere dicatur Spiritus, quia ab utroque procedit, recte in voce activa passionem significat et in passiva actionem; et ideo non significatur[5], quod aliquid det Patri et Filio, sed quod magis recipiat.

SCHOLION.

Si Spiritus sanctus dicitur *nexus*, sensus est, quod est amor a duobus, scil. Patre et Filio, tanquam ab uno principio uniformiter productus. Cfr. solut. ad 2. Quoad ipsam conclusionem cfr. infra dub. 4. — Alex. Hal., S. p. I. q. 43. m. 3. a. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 3; S. I. q. 37. a. 1. ad 3. — B. Albert., hic a. 8. 9. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 3.

QUAESTIO III.

Utrum Spiritus sanctus proprie sit spiritus.

Tertio et ultimo quaeritur, utrum Spiritus sanctus proprie sit spiritus. Et quod sic, videtur hoc modo:

Fundamenta. 1. Quia persona Spiritus sancti isto nomine propriissime designatur, quod dicitur Spiritus sanctus[6]; sed hoc nomen *sanctus* non coarctat hoc quod est *spiritus*, cum sit aeque commune: ergo spiritus proprie dicitur illa persona.

2. Item, Spiritus dicitur, quia[7] spiratur; sed quod spiratur non generatur, nec e converso: ergo cum *spirari* non conveniat Patri nec Filio: ergo convenit Spiritui sancto.

3. Item, homines concordes in uno malo dicuntur *conspiratores*, non quia idem cogitent, sed quia idem malum appetunt, et ad idem malum unus omnium est colligatus affectus: ergo cum *conspiratio*[8] a *spiratione* veniat, non dicitur spirari nisi amor: ergo nec Spiritus sanctus dicitur nisi amor: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*, Ioannis quarto[9]; sed tota Trinitas est adoranda: ergo tota Trinitas est spiritus; hoc idem dicit Augustinus[10].

2. Item, *ratione* ostenditur hoc idem sic: spiritus dividitur contra corpus: ergo quod non est corpus est spiritus[11]: ergo est nomen absolutum, non relativum: ergo etc.

3. Item, spiritus dicitur aut a *spiritualitate*, aut a *spiratione*. Si a *spiritualitate*, sic dividitur contra corpus, et constat quod toti[12] conveniat Trinitati; si a *spiratione*; contra: *spirare* active dictum

---

[1] Vat., adstipulante nullo cod., *originalis*, et mox contra antiquiores codd. et ed. 1 post *potest* addit *dici*, deinde contra multos codd. ut IKMRTZ etc. ac ed. 1 loco *conveniant* ponit *communicent*.

[2] Codd. LO hic addunt *sic Filius et Spiritus sanctus conveniunt originaliter in Patre, sed*.

[3] Ita plurimi codd. cum edd. 2, 3, sed Vat. *quia a duobus unius origo*; cod. R cum ed. 1 *quia unus oritur*; cod. X *quia unus oritur a duobus*.

[4] Ed. 1 *consimilia*, dein post *quaedam* adiungit *quae*.

[5] Cod. X *significat*, cod. H *sequitur*.

[6] Unus alterve cod. ut Z cum ed. 1 omittit *sanctus*, pro quo cod. O ponit *quia per spirationem producitur*. Paulo ante cod. Z *quo* loco *quod*, pro quo aliqui codd. habent *quia*. Mox codd. aa bb post *non coarctat hoc* addunt *nomen* et ed. 1 post *ergo spiritus* adiicit *sanctus*.

[7] Fide multorum mss. ut AFGHIKMTVY etc. substituimus *quia* loco *quod*.

[8] Praestamus lectionem veram ex multis mss. ut AFGHIKMSTW etc. et ed. 1 ponendo *conspiratio* loco *spiratio*.

[9] Vers. 24.

[10] Libr. V. de Trin. c. 11. n. 12, et ibid. XV. c. 19. n. 37. Vide hic lit. Magistri, c. 3. — Ed. 1 *hoc ipsum* loco *hoc idem*.

[11] In cod. O additur *sed tota Trinitas non est corpus, ergo* etc. In fine argumenti supple: ergo convenit toti Trinitati.

[12] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus non bene omissum *toti*.

convenit toti Trinitati, quia tota Trinitas dicitur inspirare: ergo active dictum non dicitur relative, ergo nec passive.

4. Item, secundum quod dicitur a *spiratione*, videtur quod magis proprie conveniat Filio; et hoc patet per auctoritatem. Iob trigesimo secundo [1]: *Inspiratio Omnipotentis dat intellectum;* sed hoc appropriatur Filio: ergo etc.

5. Item, spiratio est actus naturalis [2]; sed solus Filius procedit per modum naturae: ergo solus Filius spiratur.

CONCLUSIO.

Spiritus, quatenus dicitur a spiritualitate, convenit toti Trinitati; quatenus autem dicitur a spiratione, est proprium Spiritus sancti.

Respondeo: Dicendum, quod hoc nomen *spiritus* reperitur in *corporibus*, in substantiis *rationalibus* [3] et in *Deo;* et licet in Deo sit propriissime, quia propriissime est in eo spiritualitas et spiratio, tamen ratio cognoscendi et dicendi tanquam a posteriori incipit a substantia corporali. (Spiritus invenitur in tribus.)

In substantia autem *corporali* spiritus dicitur dupliciter: aut a *spiritualitate* contra corpulentiam; et sic dicitur absolute, et vocatur spiritus *corpus subtile*, sicut accipitur in libro de Differentia spiritus et animae [4]; aut a *spiratione;* et sic dicitur spiritus *flatus*, sicut accipit Chrysostomus, Ioannis tertio [5]: *Spiritus ubi vult spirat* etc. Et in Psalmo [6]: *Ignis, grando, spiritus* etc. (Duplex eiusdem sensus in corporalibus.)

Secundum hunc duplicem modum accipitur in substantia *spirituali* sive rationali, aut a *spiritualitate* contra corporeitatem; et sic substantia rationalis vel eius potentia interior dicitur spiritus, Ecclesiastis tertio [7]: *Quis novit, si spiritus filiorum* etc.; aut a *spiratione;* et sic affectus vel amor dicitur spiritus. Et ratio huius est, quia actus spirationis in corpore est actus *internus*, actus *continuus*, actus *vivificus*, et habens originem *a calore* [8]. Quia igitur egressus amoris, ut amor est, venit ab *intrinseco;* et amor est actus *vivificus*, quia amor est vita; et iterum amor est actus *continuus*, quia continue debet reddi amor, et tunc est perfectus, quando homo sic amat; rursus est *calor* spiritualis: ideo solus amor dicitur spiritualiter spirari; et sic accipitur illud primae ad Thessalonicenses ultimo [9]: *Ut integer spiritus* etc. (Item in spiritualibus.) (Proprietates 4. spirationis et amoris.)

Secundum hunc duplicem modum accipitur in *divinis*. Nam secundum quod spiritus dicitur a spiritualitate, sic convenit toti Trinitati; nam tota Trinitas caret corporeitate et materialitate; et sic est nomen absolutum, Ioannis quarto [10]: *Spiritus est Deus*. Secundum autem quod dicitur a spiratione, sic convenit illi soli personae, quae procedit [11] ut amor, ratione iam dicta. Spirari enim in spiritualibus solius est amoris; et quoniam amor potest spirari recte et ordinate, et sic est purus; vel indirecte et immunde, et sic est libidinosus: ideo persona illa, quae est amor, non tantum dicitur Spiritus, sed Spiritus sanctus. Non sic Filius dicitur [12] sanctus, quia generatio est motus naturalis, circa quem non attenditur sanctitas vel puritas, sicut attenditur circa amorem voluntatis. (Similiter in divinis.) (Conclusio 1.) (Conclusio 2.)

1. 2. 3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod spirare est totius Trinitatis; dicendum, quod *spirare* dicitur dupliciter: *uno* modo est spirare idem quod Spiritum [13] producere; et sic non convenit toti Trinitati; *alio* modo est spirare idem quod inspirare; et sic [14] convenit toti Trinitati, quia inspirare dicit effectum spiritus, qui est a tota Trinitate. Dicitur enim inspirari quod in spiritu nostro spiritualiter immittitur, sive affectio sive cognitio. (Solutio oppositorum.) (Spirare est dupliciter.)

5. Ad illud quod obiicitur, quod [15] motus est naturalis; dicendum, quod sic est in corporalibus, quae spirant propter naturae indigentiam; sed non sic in spiritualibus substantiis, quae spirant ex liberalitate voluntatis. Unde ratione huius non transfertur [16], sed ratione aliarum proprietatum.

SCHOLION.

In conclusione antiqui Scholastici cum Patribus Latinis et Graecis consentiunt. Alex. Hal., S. p. 1. q. 43. m. 1, et q. 63. m. 1. — Scot., I. Sent. d. 18. q. unica in utroque scripto. — S. Thom., hic q. 1. a. 4; S. I. q. 36. a. 1. — B. Albert., hic a. 13; S. p. 1. tr. 8. q. 36. m. 1. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 4. — Henr. Gand., S. a. 61. q. 1. 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2.

[1] Vers. 8, in quo textu Vulgata cum ed. 1 habet *intelligentiam* loco *intellectum*. Mox ed. 1 *haec* pro *hoc*.

[2] Cfr. Aristot., de Respiratione.

[3] Substituimus ope multorum mss. ut AFGKT etc. et edd. 1, 2, 3 *rationalibus* loco *rationabilibus*.

[4] Liber iste a Richardo (hic a. 2. q. 3.) attribuitur Constabulo; sed cfr. Bibliotheca philosophorum mediae aetatis, ed. a Barach, Innsbruck 1876-1878, facisc. 2, ubi continentur: Excerpta Costa-Ben Lucae de Differentia animae et spiritus. Vide etiam libr. de Spiritu, c. 1. (inter opera Arist.).

[5] Homil. 26. (alias 25.) super Ioan. 3, 8.

[6] 148, 8. [7] Vers. 21.

[8] De his respirationis actibus vide Aristot., de Respiratione; et Nemesium, de Natura hominis, c. 28.

[9] Vers. 23. [10] Vers. 24.

[11] Cod. K adiungit *per modum amoris vel.* Mox post *dicta* Vat. et cod. cc cum subnexis non cohaerenter et praeter fidem aliorum codd. cum ed. 1 *Spirare* loco *Spirari*.

[12] Auctoritate mss. et sex primarum edd. expunximus hic perperam additum *Spiritus*.

[13] In mss. et edd. 1, 2, 3 non additur *sanctum*, quod in Vat. habetur.

[14] Vat. contra antiquiores mss. et ed. 1 *ille* pro *sic*.

[15] Supple: spiratio. Paulo infra praeferimus lectionem plurium codd. ut FPXY et ed. 1 *spirant* loco *inspirant*.

[16] Vat. cum cod. cc *transferuntur*, sed falso, quia subiectum est spiratio, et contra vetustiores codd. et ed. 1. Cod. K addit satis bene *ad divina*.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram et primum de hoc quod dicit, quod *Spiritus sanctus est amor Patris sive caritas sive dilectio.* Quaeritur ergo, utrum caritas et dilectio differant; et quod sic, videtur per Isidorum [1] dicentem: *Amor* est rationalium et irrationalium, *dilectio* rationalium tantum. *Sed contra:* Dionysius de Divinis Nominibus, capite quarto [2]: « Mihi videntur Theologi commune quid dicere dilectionis et amoris nomine »: et ibidem [3] reprehendit distinguentes dicens, quod faciunt vim in levibus sonis, quasi nos non possimus quatuor per bis duo, et patriam per natale solum significare.

Respondeo: Aliqui voluerunt dicere, quod differunt, quia dilectio dicitur illa proprie, quae est ex voluntate ordinata, sed amor est affectio libidinosa. (Prima opinio.) Sed haec distinctio est contra Dionysium [4] et contra Augustinum super Ioannem [5] et contra canonem sacrae Scripturae, quia Dominus primo quaesivit a Petro: Simon Ioannis *diligis* me? et postea dixit: *amas me?* et ita pro eodem accipiuntur; et hanc differentiam [6] reprehendit Dionysius. (Reprobatur.)

Potest tamen nihilominus aliqua differentia assignari. (Opinio auctoris.) Quamvis enim de una et eadem possint dici affectione, tamen alia et alia ratione. *Amor* enim dicit affectus adhaesionem respectu amati; unde Dionysius [7]: « Amorem unitivum dicimus ». *Dilectio* vero ultra hoc addit electionem; unde dilectio ex diversis electio; unde Canticorum quinto [8]: *Dilectus meus electus ex millibus. Caritas* autem ultra illa addit magnam appretiationem. Carum enim dicitur illud quod magni pretii aestimatur, secundum quod Apostolus in epistolis suis vocat *fideles carissimos,* primae ad Corinthios quarto [9].

Dub. II.

Item dubitatur de hoc quod dicit: *Proprie verbum Dei etiam Dei sapientia dicitur;* quia aut accipitur *proprie,* quia soli convenit, aut *proprie,* quia appropriate: quia si *soli,* hoc falsum est, quia *sapientia* nullo modo dicit proprietatem personalem; si proprie, quia *appropriate,* hoc nihil facit ad propositum, quia Magister vult inquirere proprietatem Spiritus sancti, non appropriatum. *Et iterum,* caritas videtur magis appropriari Patri, secundum quod dicitur in illa prosa, « caritas Pater est [10] »: *Item,* hoc videtur per Richardum [11], quia « amor gratuitus est in Patre, in Spiritu sancto debitus, in Filio ex utroque permixtus »: ergo cum caritas dicat amorem gratuitum, debet ergo appropriari Patri.

Respondeo: Dicendum, quod non est omnimoda similitudo [12], sed in hoc est similitudo: nam commune potest *appropriari,* manente unitate vocis vel significationis. Potest similiter aliquod nomen simul dici per *proprietatem* et per essentiam, manente unitate vocis et significationis, et tamen est de se commune; et tale est hoc nomen caritas. (Solutio 1.)

Aliter potest dici, quod *caritas* est commune et proprium et appropriatum; et Augustinus [13], primo ostendit, quod est appropriatum per similitudinem ad *sapientiam,* et post ostendit, quod est vere [14] proprium, infra: *Nunc, quod incepimus ostendere* etc. Unde ex hac auctoritate non habetur, quod caritas sit proprium, sed solum quod appropriatum. Sed tamen ex aliis verbis Augustini habetur, quod caritas non solum est appropriatum, sed etiam proprie proprium Spiritus sancti. (Solutio 2.)

Ad illud quod obiicitur, quod caritas appropriatur Patri: dicendum, quod caritas habet duplicem

---

[1] Colligi potest ex his verbis VIII. Etymolog. c. 2: Omnis autem dilectio carnalis non dilectio, sed magis amor dici solet. Dilectionis autem nomen tantum in melioribus rebus accipi solet. Idem dicit I. Differentiarum, sub verbo amare et diligere: Alii dixerunt amare nobis naturaliter insitum, diligere vero ex electione.

[2] § 12.

[3] § 11.

[4] Loc. paulo supra cit.

[5] Tract. 123. n. 5, ubi in expositione horum verborum *Simon Ioannis, diligis me* etc. (Ioan. 21, 15-17.) ait: Ubi etiam demonstratur unum atque idem esse amorem et dilectionem.

[6] Cod. dd *distinctionem.*

[7] De Div. Nom c. 4. § 15. Vide hic a. 2. q. 2. fundam. 2. — In quo textu multi codd. cum sex primis edd. falso *mutuum* pro *unitivum.*

[8] Vers. 10.

[9] Vers. 14. et 17. — Plura de his vide infra d. 17. p. I. dub. 1. Consentiunt S. Thom. S. p. I. II. q. 26. a. 3; B. Albert., hic a. 2. Richard. et Petrus, hic circa lit.

[10] In officio Ss. Trinitatis, I. Ant. 3. Nocturn.

[11] Libr. V. de Trin. c. 17. et seqq. Vide supra a. 1. q. 3. opp. 4. — Mox ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *quia* loco *quod.*

[12] Nempe inter *sapientiam* et *caritatem* quoad appropriationem et sensum proprii, prout patet paulo infra ex secunda solutione.

[13] Vide lit. Magistri, c. 2, et pro sequentibus c. 3.

[14] Fide mss. et ed. 1 adiecimus hic *vere,* et mox post *infra* expunximus *eadem distinctione.* Nonnulli codd. ut A G H I T etc. cum ed. 1 *vere proprie,* sed non ita congrue; cod. cc *vere et proprie.*

comparationem ad virtutes alias. Comparatur enim ut *mater*, ut dicit Ambrosius [1], comparatur ut *vinculum*, ut dicit Apostolus ad Colossenses tertio [2]: *Caritas est vinculum perfectionis.* Ratione primi appropriatur Patri, ratione secundi Spiritui sancto.

Ad illud quod obiicitur de Richardo, dicendum, quod *gratuitum* non dicit proprietatem amoris sive amandi, sed proprietatem personae, quae dat et non recipit.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Spiritus sanctus est dilectio, qua Pater et Filius se invicem et nos diligunt.* Quaeritur, utrum Pater et Filius diligant *nos* Spiritu sancto. Utrum enim diligant *se* Spiritus sancto, quaeretur [3] distinctione trigesima secunda, ubi istam quaestionem specialiter movet. Sed prima videtur omnino falsa et impropria. Cum enim dicitur: Pater et Filius diligunt nos etc., constat quod verbum *diligendi* tenetur essentialiter: ergo si diligant [4] Spiritu sancto, sunt Spiritus sanctus. Et *iterum,* dicit Augustinus [5], quod haec nullo modo conceditur: Pater diligit se Spiritu sancto, quia diligere tenetur essentialiter: ergo similiter in proposito.

Solutio quorundam. Respondeo: *Quidam* dicunt, quod ablativus ille exponitur per hanc praepositionem *per* cum accusativo, id est *per Spiritum sanctum;* et regula [6] est, quod haec praepositio *per* cum verbis transitivis dicit subauctoritatem, cum absolutis vero auctoritatem. Unde cum diligere sit transitivum, sensus est, quod Pater et Filius diligunt nos per Spiritum sanctum, quasi diceret: Pater operatur per Filium. — Sed

Reprobatur. haec expositio non videtur conveniens, quia similiter posset [7] dici: Pater et Filius puniunt sive odiunt nos Spiritu sancto; quod non vult dicere Augustinus.

Diligere tenetur tripliciter. Propterea notandum, quod *diligere* aliquando tenetur *pure essentialiter,* ut cum dicitur: Pater diligit se [8]; aliquando *pure notionaliter,* ut cum dicitur: Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, sicut patebit [9]; aliquando *partim essentialiter, partim notionaliter,* sicut cum dicitur: diligunt nos Spiritu sancto; et hoc [10] patet, quia idem est Patrem et Filium diligere nos Spiritu sancto, quod Spiritum sanctum nobis mittere sive inspirare. Mittere autem sive inspirare importat actum notionalem et essentialem, quia sensus est, quod Spiritum producunt et donum eius nobis conferunt; unde dicit simul Spiritus sancti productionem et gratiae collationem. Et quamvis respectu actus essentialis non recipiatur habitudo ablativi, recipitur tamen ratione notionis, sicut et *hic:* Pater dicit se suo Verbo, dicit etiam creaturas Verbo; simili modo intelligendum est in proposito.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sive enim sit unitas amborum sive sanctitas;* quid dicatur per hoc nomen *unitas;* quia aut unitas dicit unitatem *essentialem,* aut *notionalem,* aut *personalem.* Non essentialem, quia tunc non esset amborum, sed trium; non notionalem, quia Spiritus sanctus non est communis spiratio; non personalem, quia Pater et Filius non sunt unum in persona. *Item* quaeritur, quo modo haec [11] distinguantur, *unitas, sanctitas, caritas.* Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod unitas *personaliter* tenetur. Sed attendendum, quod unitas aliquorum dicitur dupliciter: aut qua aliqui sunt unum, et sic Patris et Filii non est unitas *personalis;* aut qua aliqui sunt uniti, et sic Pater et Filius unica persona uniuntur, sicut persona Spiritus sancti, quae est amor et vinculum nectens [12]. Duplex unitas.

Ad illud quod quaeritur, quomodo differunt illa tria; dicendum, quod unum [13] addit supra alterum. Solutio quaestionis. Nam *unitas* dicit conditionem omnis amoris, quoniam omnis amor est vis unitiva; *sanctitas* dicit conditionem amoris casti contra libidinosum, qui non est purus; *caritas* dicit conditionem amoris praecipui; ideo enim caritas dicitur, quia est amor inaestimabiliter habens carum amatum.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si uterque non participatione, sed essentia sua... servantes unitatem spiritus.* Videtur enim non bene dicere, quia servare unitatem spiritus est producere Spiritum sanctum: ergo secundum hoc Pater et Filius sua essentia Spiritum sanctum producunt, et ita videtur

---

[1] Comment. in I. Epist. ad Cor. c. 8, 2: Dum enim caritatem, quae mater omnium bonorum est, non sectantur, non sciunt, sicut oportet. Ceterum hic Comment. non est genuinus. De auctore (Ambrosiaster vulgo vocatur) vide infra d. XIX. c. 4, nota ad textum Magistri.

[2] Vers. 14.

[3] Vat. cum aliquibus codd. *quaeritur.* Paulo infra post *movet* unus alterve cod. ut I Z addit *Magister.*

[4] Ed. 1 *diligunt.* Mox cod. T *sunt Spiritu sancto* pro *sunt Spiritus sanctus.*

[5] Libr. XV. de Trin. c. 7. n. 12, et c. 17. n. 28.

[6] Cod. O *et ratio huius* loco *et regula.* Mox post *absolutis* ex antiquis mss. et ed. 1 substituimus *vero* pro *autem.*

[7] Vat. cum cod. cc, aliis autem codd. cum ed. 1 obnitentibus, *potest.*

[8] Codd. inter se non conveniunt; multi ut A F G H K S T X Y etc. cum ed. 1 exhibent lectionem nostram; Vat. cum cod. cc minus distincte *Pater et Filius diligunt se;* cod. I *Pater et Filius diligit se.*

[9] Dist. 32. a. 1. q. 1. et 2.

[10] Mendosa lectio Vat. *ex hoc* pro *hoc,* et paulo infra *scilicet* loco *quod* castigatur ex mss. et ed. 1.

[11] Codd. dd *hic.*

[12] Plura de hoc vide hic, a. 2. q. 2.

[13] Ed. 1 addit *istorum.*

essentia [1] spirare. *Item* videtur etiam falsum quod dicitur, *non participatione,* quia Pater et Filius participatione spirationis [2] servant unitatem.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus [3] vult ostendere, duplicem modum unitatis esse inter Patrem et Filium, qui est inter membra Christi, scilicet *naturae* et *voluntatis;* sed differenter, quia in nobis est unitas *naturae* per participationem unius communis essentiae, sed non sumus ipsa essentia [4]. Pater vero et Filius non participant essentiam quasi diversum, immo sunt ipsa essentia. Similiter in nobis est conformitas *voluntatis* per donum Dei, quod unit nos; sed Pater et Filius uniuntur non dono accepto ab alio, sed Spiritu proprio; et sic patet responsio [5].

Dub. VI.

Item quaeritur de ratione Augustini: *Quia enim communis est ambobus, id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter;* ergo secundum hoc pari ratione Spiritus sanctus dicitur Deus proprie, cum Deus sit commune ambobus.

Respondeo: Dicendum, quod aequivocatio est in *communitate.* Nam Augustinus non vocat *commune* quod est *in pluribus* et *de pluribus,* sed quod *a pluribus;* et ita commune dicitur magis a *communione,* quam a *communitate,* ut fiat vis in verbo, sicut fit inter unionem et unitatem. Et quoniam caritas non tantum dicit *communitatem,* quia in pluribus, sed *communionem* per unitatem [6] distinctorum: ideo quamvis dicatur essentialiter, potest tamen nihilominus dici personaliter. Communitas dicitur dupliciter.

DISTINCTIO XI.

Cap. I.

Quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, quem tamen Graeci a Filio procedere diffitentur.

Hic dicendum est, Spiritum sanctum esse a Patre et Filio et procedere a Patre et Filio, quod multi haeretici negaverunt. Quod autem de utroque procedat, «multis divinorum eloquiorum testimoniis comprobatur [1]». Dicit enim Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra.* Ecce hic dicitur Spiritus Filii. Et alibi [2]: *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Ipse etiam Filius de Spiritu sancto dicit in Evangelio [3]: *Quem ego mittam vobis a Patre.* Patris autem Spiritus dictus est, ubi legitur [4]: *Si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis.* Et ipse Christus dicit [5]: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur.* Et in alio loco [6]: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et alibi ipse Filius de Spiritu sancto ait: *De Patre procedit.* His et aliis pluribus auctoritatibus ostenditur, quod Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit.

Graeci tamen dicunt, Spiritum sanctum procedere tantum a Patre, et non a Filio. Quod ideo dicunt, quia Veritas in Evangelio fidem integre continente, de processione Spiritus loquens, solum Patrem commemorat dicens: *Spiritus, qui a Patre procedit* [7]; et etiam ideo, quia in principalibus Conciliis, quae apud eos celebrata sunt [8], ita Symbola eorum subiunctis anathematibus sancita sunt, ut nulli de Trinitatis fide aliud docere vel aliter praedicare, quam ibi continetur, liceat. In quibus quidem Symbolis cum Spiritus sanctus commemoretur procedere a Patre, et non a Filio, quicumque, inquiunt, a Filio eum procedere addunt, anathema incurrunt; unde et nos arguunt anathematis reos. Addunt etiam ad assertionem suae opinionis et in testimonium nostrae damnationis de Symbolo fidei, quod secundum traditionem praedictorum Conciliorum Leo tertius Romae transcriptum in tabula argentea post altare beati Pauli posita posteris reliquit, pro amore, ut ipse ait, et cautela fidei orthodoxae. In quo quidem Symbolo in processione Spiritus solus commemoratur Pater his verbis: «Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et glorificandum [9]» etc. Illud est Symbolum, quod in Missa cantatur, editum Graeci dissentiunt.

---

[1] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *essentia* loco *essentialiter.*

[2] Pauci codd. ut K V X *Spiritus sancti* pro *spirationis.*

[3] Verba Augustini vide in lit. Magistri, c. 2. circa finem.

[4] Codd. L O addunt *nisi cum aliquo addito,* et mox bene ponunt *vero* pro *enim,* quod edd. et plurimi codd. habent.

[5] Codd. V X *illud* loco *responsio.*

[6] Codd. H M N *connexionem* pro *unitatem;* cod. Y *per unionem et connexionem;* cod. ee *sed communitatem per unionem.* Paulo infra fide antiquiorum mss. et edd. 1, 2, 3, 6 adiecimus *tamen.*

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] August. de Trin. XV. c. 26. n. 45. — Plerique textus s. Scripturae, qui sequuntur, apud eundem exhibentur, sed alio ordine et multis interpositis verbis. Primus textus Apostoli est Gal. 4, 6, ubi Vulgata cum Augustino et edd. 1, 2, 5, 7, 8 habet *corda vestra* pro *corda nostra.*

[2] Rom. 8, 9. — Codd. et ed. 1 citant *ibi* pro *alibi,* sed perperam.

[3] Ioan. 15, 26.

[4] Rom. 8, 11, ubi edd. contra mss. A C E legunt *Christum* pro *Iesum.*

[5] Matth. 10, 20. — Codd. B D addunt cum Vulgata *in vobis.*

[6] Ioan. 14, 26 et sequens locus ibid. 15, 26, ubi Vulgata: *a Patre procedit.* — Codd. omittunt *in* ante *alio loco.*

[7] Ioan. 15, 26. — Paulo ante pro *integre* Vat. cum nonnullis edd. *integram,* sed refragantibus codd. et melioribus edd. Etiam Abaelardus (Theol. christ. lib. IV. col. 1300. seq.) legit *integre,* ex quo Magister fere ad verbum excerpsit quae sequuntur usque ad: *Illud est Symbolum.*

[8] Haec Concilia sunt Nicaenum (a. 325), Constantinopolitanum I. (a. 381), Ephesinum (a. 430) et Chalcedonense (a. 451).

[9] In his verbis Symboli ed. 1 legit: *vivificantem* pro *vivificatorem;* et ed. 5 *conglorificandum* pro *glorificandum.* — Textus vulgo receptus est: «Dominum *et vivificantem* (in graeco, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιόν) qui ex Patre procedit (ἐκπορευόμενον), qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur». Magister erronee vocat hoc Symbolum Nicaenum; cum sit Concilii Constantinopolitani I.

in Nicaeno Concilio, in fine cuius subiunctum est: « Qui aliud docuerit vel aliter praedicaverit, anathema sit ». Ideoque Graeci nos anathematizatos dicunt, quia dicimus, Spiritum sanctum a Filio procedere, quod ibi non continetur. Quod enim secundum nos ibi dicitur: « Qui a Patre Filioque procedit », alterum a Latinis additum, scilicet *Filioque*.

Solvitur obiectio.

Nos autem illa verba ita determinamus: « qui aliud docuerit, vel aliter praedicaverit », id est, *contrarium* docuerit vel *contrario modo* praedicaverit, anathema sit. *Aliud* ergo posuit pro *opposito*, qualiter et Apostolus in Epistola ad Galatas [1]: *Si quis aliud evangelizaverit*, id est contrarium, *anathema sit*. Non dicit: si quis addiderit. « Nam si illud diceret, sibi ipsi, ut ait Augustinus [2], praeiudicaret, qui cupiebat venire ad quosdam, quibus scribebat, sicut ad Thessalonicenses, ut *suppleret, quae illorum fidei deerant*. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit. Qui autem praetergreditur fidei regulam, non accedit in via, sed recedit a via ». Ad illud autem, quod de Evangelio opponunt, respondemus ita: quia cum dicat in eo Veritas, *Spiritum sanctum a Patre procedere*, non addit *solo*, et ideo etiam a se procedere non negat; sed ideo Patrem tantum nominat, quia ad eum solet referre etiam quod ipsius est, quia ab illo habet.

Cap. II.

De convenientia Latinorum et Graecorum in sensu, et differentia in verbis.

Sciendum est tamen, quod Graeci confitentur, Spiritum sanctum esse Filii, sicut et Patris, quia et Apostolus dicit [3] *Spiritum Filii*, et Veritas in Evangelio *Spiritum veritatis*. Sed cum non sit aliud Spiritum sanctum esse Patris vel Filii, quam esse a Patre et Filio, etiam in hoc in eandem nobiscum fidei sententiam convenire videntur, licet in verbis dissentiant.

Testimonia Graecorum Patrum.

Unde etiam quidam eorum catholici doctores, intelligentes, unam eandemque fore sententiam praedictorum verborum, quibus dicitur Spiritus sanctus *procedere a Filio* et *esse Filii*, professi sunt, Spiritum sanctum etiam a Filio procedere. Unde Athanasius in Symbolo fidei [4]: « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus nec creatus nec genitus, sed procedens ». Ecce Spiritum sanctum aperte dixit procedere a Patre et Filio. Didymus etiam, eorum maximus Doctor, in libro de Spiritu sancto [5] Spiritum sanctum a Filio procedere dicit: « Salvator, inquit, qui et Veritas, dicit: *Non enim loquetur a semetipso*, hoc est, non sine me et sine meo et Patris arbitrio, quia inseparabilis est a me et a Patris voluntate, quia ex se non est, sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit et loquitur, a Patre et a me illi est ». Item [6]: « Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis Spiritusque sapientiae, non potest audire a Filio loquente quae nescit, cum hoc ipsum sit, quod profertur a Filio, id est, procedens Deus de Deo, Spiritus Veritatis procedens a Veritate, consolator manans ex consolatore ». Item Cyrillus episcopus in Epistola Nestorio directa ait [7]: « Spiritus intelligitur per se, secundum quod Spiritus est, et non Filius; sed tamen non est alienus ab eo. Spiritus enim Veritatis nominatur et profluit ab eo, sicut ex Deo Patre ». Ioannes quoque Chrysostomus in homilia quadam de Expositione Symboli [8] sic ait: « Iste est Spiritus sanctus procedens de Patre et Filio, qui *dividit* dona propria, *prout vult* ». Idem in alia homilia: « Credendum est, Spiritum sanctum Patris esse et Filii. Istum Spiritum sanctum dicimus Patri et Filio coaequalem et procedentem de Patre et Filio. Hoc credite, ne *colloquia mala corrumpant bonos mores* [9] ». Ecce a doctoribus Graecorum aperta habemus testimonia, quibus Spiritus sanctus a Patre et Filio procedere ostenditur. *Omnis* ergo *lingua confiteatur*, Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio.

---

[1] Gal. 1, 8. et 9. — Sed Vulgata cum Augustino in loco mox sequenti non legit *aliud*, sed v. 8. *praeter quam quod* et v. 9. *praeter id quod*; Augustinus *praeter quod*.

[2] Tract. 98. in Ev. Ioan. n. 7. — Respicitur in textu Augustini ad 1. Thess. 3, 10. — In fine textus Vat. et aliae edd., excepta 1, legunt *incedit* pro *accedit*, refragantibus omnibus codd. et textu Augustini; in nostra lectione subaudi: ad terminum.

[3] Gal. 4, 6, et mox Ioan. 16, 13. — Paulo supra ante *Patris* codd. et edd. 1, 2, 3, 7, 8 omittunt *et*; in fine sequentis propositionis codd. BCDE omittunt *in* ante *verbis*.

[4] Symbolum: *Quicumque*, sub nomine Athanasii notissimum. — Hic Vat. sola praetermittit *nec genitus* post *creatus*.

[5] Num. 34. Patrolog. Graec. tom. 39. col. 1063. — Vat. cum plerisque edd. contra mss. et originale ante *Veritas* legit *est* pro *et*. Adiunximus *dicit* post *Veritas*, auctoritate cod. B et originalis, ac postulante contextu. — Textus Scripturae est Ioan. 16, 13. — Immediate post Vat. et edd. 4, 9 *inseparabiliter* pro *inseparabilis*, quod etiam habet Didymus; tum prosequitur: inseparabilis a *mea* pro *me*.

[6] Loc. cit. n. 36. — In fine huius textus omnes mss. et edd. praeter Vat. legunt *consolatione* pro *consolatore*. Cum autem versio Hieronymi habeat *consolatore* et textus graecus perierit, nihil mutavimus.

[7] Epist. 17. — Immediate ante sola Vat. *Nam Cyrillus* pro *Item Cyrillus*.

[8] Hae homiliae in ed. Maurinorum Chrysostomi non inveniuntur. Eodem modo citantur et eadem verba utriusque textus referuntur ab Abaelardo, Theol. Christ. lib. V. (Ed. Migne) col. 1322. et 1323. — Impressae autem sunt istae homiliae in ed. latina omnium operum S. Ioan. Chrysostomi, Antwerpiae apud Ioan. Keebergium 1614. tom. V. p. 287: In Symbolum Apostolorum expositio. Homil. I. incipit: Universalis gaudet... p. 288. col. 1. sic legitur: « *Credo in Spiritum sanctum.* Iste Spiritus ubique totus est, ubi vult spirat. Ipse est qui dixit: Separate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumsi eos. Iste est Spiritus procedens de Patre et Filio, qui dividit propria dona singulis prout vult. Ergo iste Spiritus consecrat, sanctificat etc. » Ibid. Homil. II. incipit: Super fabricam totius etc.; ubi circa med. legitur: « *Natus de Spiritu sancto.* Istum Spiritum sanctum dicimus Patri et Filio esse coaequalem et procedentem de Patre et Filio. Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant mores vestros bonos. Sunt enim haeretici » etc. — In quo textu post *Spiritus* codd. ABDE addunt *sanctus*. — Locus sequens Scripturae est I. Cor. 12, 11; Vulgata: *dividens singulis prout vult*.

[9] Respicitur ad I. Cor. 15, 33, et mox in verbis *omnis lingua* etc. ad Philip. 2, 11.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XI.

De aeterna processione Spiritus sancti quantum ad principium, a quo procedit.

Hic dicendum est, Spiritum sanctum esse a Patre et Filio.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de processione Spiritus sancti in comparatione ad ipsum procedentem; haec est secunda pars, in qua agit[1] de eadem in comparatione ad principium *a quo*. Et dividitur haec pars in duas. In *prima* ostendit, quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. In *secunda* determinat, qualiter procedat ab eis, infra distinctione duodecima. *Item quaeritur, cum Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio.*

Prima iterum[2] pars habet quatuor. In prima ostendit Magister per multas auctoritates, quod procedit a Patre et Filio. In secunda vero e contra per rationes Graecorum ostendit, quod a solo Patre, ibi: *Graeci tamen dicunt, Spiritum sanctum tantum procedere a Patre.* In tertia auctoritates et rationes Graecorum solvit et determinat, ibi: *Nos autem illa verba ita determinamus.* In quarta ostendit, confessionem fidei Graecorum implicite continere nostram[3], ibi: *Sciendum tamen, quod Graeci confitentur.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de processione Spiritus sancti quantum ad principium, et quaeritur, utrum Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio.

Secundo, utrum procedat a Patre et Filio, in quantum sunt unum, aut in quantum sunt differentes.

ARTICULUS UNICUS.

De principio processionis Spiritus sancti.

QUAESTIO I.

Utrum Spiritus sanctus a Patre et a Filio procedat.

Quod autem solum a Patre procedat, probant Graeci *ratione* et *auctoritate*.

1. *Ratione* sic: emanatio Spiritus sancti est pro- Ad oppositum. cessio; sed processio est motus ab uno in alium: ergo si recte est processio in divinis, Spiritus sanctus aeterna processione procedit ab uno in alium. Si ergo procedit a Filio, aut procedit in Patrem, aut in aliam personam; non in Patrem, quia Pater nihil accipit a Filio, nec in aliam personam, cum non sit dare quartam: ergo non procedit a Filio.

2. Item, alia ratione sic: quia Spiritus sanctus procedit per modum spirationis, sicut Verbum per modum locutionis; sed ita videmus in creaturis, quod exitus locutionis non praecedit spirationem, nec egressus spiritus est a verbo: ergo nec in divinis Spiritus sanctus[4] a Filio.

3. Item, Spiritus sanctus, ut omnes dicunt, procedit per modum nexus, sed nexus tenet rationem medii; sed si procederet a Patre et[5] Filio, teneret rationem tertii et extremi, non medii: ergo non procedit a Patre et Filio, sed potius a Patre in Filium.

4. Item, Spiritus sanctus procedit a Patre aut sufficienter, aut non. Si non sufficienter et plene, ergo Pater imperfectus est[6] in spirando; si sufficienter,

---

[1] Sequimur plures codd. ut F H T W etc. cum ed. 1 ponendo *agit* loco *agitur*.

[2] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 omittit *iterum*.

[3] Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 *convenire cum nostra*.

[4] In cod. W additur *est*.

[5] Restituimus ex antiquis mss. et ed. 1 verba a Vat. minus bene omissa *Patre et*, ac paulo infra *potius*.

[6] In Vat. et cod. cc omittitur *est*, quod tamen habetur in aliis mss. et ed. 1.

ergo superfluum est fieri per duo quod potest fieri per unum sufficienter [1]: ergo si a Filio procedit, cum procedat plene a Patre, in illa summa Trinitate est superfluitas, quod absurdum est.

5. Item, hoc ipsum nituntur Graeci ostendere per *auctoritatem;* sed non possunt per sacrae Scripturae introductionem [2], ideo arguunt per privationem in Evangeliis, et maxime in Evangelio Ioannis et Epistolis, ubi integre traditur nostra fides, sed in nullo dicitur, quod Spiritus sanctus procedat nisi a Patre tantum; Ioannis decimo quinto [3]: *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit:* ergo aut Evangelia insufficienter fidem docent, aut Spiritus sanctus tantum procedit a Patre.

6. Item, in quatuor Conciliis apud Graecos celebratis, ubi a Patribus fides sufficienter est explicata, dicitur, quod Spiritus sanctus procedat a Patre, et nihil dicitur de Filio: ergo si Deus sufficienter illis fidem revelavit: ergo etc.

7. Item, hunc errorem munire [4] nituntur per Doctores, qui non solum apud eos, sed etiam apud nos celebres sunt.

Et primo per Gregorium Nazianzenum [5], qui dicitur Theologus: « Filius et Spiritus sanctus, geminus Patris radius, usque ad nos miserunt claritatem suam »: ergo exeunt a Patre, ut duo radii.

8. Et Dionysius etiam dicit in libro de Divinis Nominibus [6]: « Ex immateriali et impartibili bono cordialia exorta sunt lumina », — loquitur de Patre — ergo exeunt ut lumina; sed talia sic se habent, quod unum non est ab altero: ergo etc.

9. Item, Damascenus [7] expressius: « Spiritum sanctum ex Patre dicimus et Spiritum Patris nominamus; Spiritum vero sanctum ex Filio non dicimus, et tamen Spiritum Filii nominamus ».

10. Item, si Latini hoc cognoverunt, cum [8] Graeci non cognoverunt, aut fuit hoc *Scripturae auctoritate,* aut *praedicatione,* aut *ratione,* aut *revelatione. Scripturae auctoritate* non; quia eandem per omnia Scripturam habent Graeci; similiter nec *praedicatione,* quia idem doctor Graecorum, qui est et Latinorum, qui eis fidem perfecte tradidit, scilicet Paulus Apostolus; si *ratione,* sed ratione non sufficit aliquid affirmare in his quae sunt fidei. Unde Dionysius [9] et Damascenus dicunt, quod nihil est dicendum nec cogitandum de illa summa Trinitate praeter id quod nos sacra eloquia docuerunt, et Hieronymus [10]: « Nil credatur mihi, nisi confirmavero per novum et vetus Testamentum ». Si *revelatione,* quaeritur, cui fuerit revelatum et cum Deus velit omnes homines salvos fieri, quare hoc non revelavit [11] Graecis? *Et iterum,* quomodo constat quod hoc fuerit a Deo?

Contrarium [12] 1. arguitur *ratione ostensiva* sic: Fundamenta.
Spiritus sanctus secundum omnes fideles procedit ut donum, sicut ex multis locis Scripturae probatur; et *iterum,* omnes tam Graeci quam Latini dicunt, Spiritum sanctum a Filio nobis donari: ergo omnes concedunt, procedere ab utroque, cum non *detur,* nisi a quo procedit.

2. Item, Spiritus sanctus secundum omnes, et sicut supra ostensum est [13], procedit ut amor; sed amare non tantum est Patris, sed etiam Filii, unde et per omnia amat Filius, sicut et Pater: ergo si a Patre amante amor procedit, eadem ratione a Filio.

3. Item, Spiritus sanctus secundum omnes procedit ut nexus [14]; sed perfectior nexus est, qui ab extremo utroque procedit, quam qui ab altero: ergo si Spiritus sanctus est nexus perfectissimus, non solum a Patre procedit, sed etiam a Filio.

4. Item, hoc idem ostenditur *ratione ducente ad impossibile* sic: omnis distinctio personarum in divinis attenditur secundum relationem et originem: ergo si Spiritus sanctus non procedit a Filio, nec e converso, nulla est ibi origo: ergo nulla est ibi mutua relatio, ergo nec distinctio.

5. Item, maior germanitas est inter duos, quando unus procedit ab altero, et ambo a tertio, quam si unus nihil habeat ab altero; haec est per se nota: ergo si Spiritus sanctus non est a Filio, nec e converso, non [15] est perfecta unio: ergo nec summa nec perfecta beatitudo.

6. Item, perfectior est expressio, quando gene-

---

1 Aristot. verba vide supra d. 10. a. 1. q. 1. ad 4.

2 Postulantibus mss. et sex primis edd., substituimus *introductionem* loco *inductionem.* Mox verba *per privationem in Evangeliis* idem valent ac haec: ex silentio Evangeliorum.

3 Vers. 26.

4 Vat. contra vetustiores codd. et ed. 1 *tutari* loco *munire.*

5 Oratio 45. ad Evagrium Monach. de Divinitate (ed. Venet. 1753): Salvator quoque noster et Spiritus sanctus geminus ille Patris radius, simul et ad nos usque veritatis lucem ministrant et Patri uniti sunt.

6 S. Doctor respicere videtur haec Dionysii (c. 2.) verba, quae et a S. Thom. (hic a. 1.) et a Richard. (hic q. 1.) allegantur: « Rursum a Scripturis sacris accepimus, Patrem quidem esse originem in divinis, Iesum vero et Spiritum sanctum, quasi Dei prolem, vel, si dictu fas sit, quasi germina divina, floresve ac *lumina supersubstantialia* existere. » Sed textus noster in versionibus Scoti et Corderii verbotenus non legitur.

7 Libr. I. de Fide orthod. c. 8.

8 Fide multorum mss. ut A E G H I K M O T V Z posuimus *cum* loco *tamen.*

9 De Div. Nom. c. 1. circa princ. — Damasc., I. de Fide orthod. c. 2.

10 Haec verba a Scholasticis communiter attribuuntur S. Hieronymo, in quo tantum sententia similis in Epist. 41. ad Marcellam legitur. Sunt autem S. Cyrilli Hierosol. Cath. IV. de Decem Dogmat. n. 17. (Patrolog. Graec. tom. 33. col. 478.) dicentis: « Ne mihi quidem ista proferenti ultro credas, nisi de divinis Scripturis eorum quae tibi annuntio demonstrationem acceperis ».

11 Cod. Y *est revelatum.* Paulo infra cod. W loco *hoc* habet *haec,* scil. revelatio.

12 Aliqui codd. ut T V X *In contrarium.*

13 Dist. 10. a. 1. q. 2. — Paulo post cod. W *amor* loco *amare.*

14 Dist. 10. a. 2. q. 2.

15 Vat. cum cod. cc minus distincte et contra alios codd. et ed. 1 *nec* pro *non.* Paulo ante ed. 1 *hoc est per se notum* pro *haec est per se nota.*

rans communicat genito non tantum substantiam, sed etiam actum, qui naturae geniti non repugnat; sed actus spirandi non repugnat Filio, quia nullum ex hoc inconveniens sequitur, si spiret: ergo si Pater hunc actum [1] ei non communicat, Filius non est perfecta imago.

7. Item, hoc ipsum ostenditur *auctoritatibus*, et primo auctoritate Apostoli ad Galatas quarto [2]: *Misit Deus Spiritum Filii sui* etc.; ergo cum Pater non mittat Spiritum nisi Filii, idem est Spiritus Patris et Filii; sed eius est Spiritus, a quo procedit: ergo Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. *Si dicas*, quod non sequitur, quia non dicitur *Filii*, quia procedit *a* Filio, sed quia est *in* Filio: ergo eadem ratione, cum Filius sit in Spiritu sancto, potest dici Filius Filius Spiritus sancti [3].

8. Item, Ioannis decimo quinto [4]: «*Quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis*». Ex hoc arguitur sic: nullus mittit alium, nisi habeat auctoritatem super illum; nullus autem habet auctoritatem super alium, nisi aliquid tribuat ei; sed nulla persona tribuit alii [5], nisi ab ipsa procedat: ergo a primo, Spiritus sanctus procedit a Filio. *Si dicas*, quod a Filio mittitur ex tempore et ex tempore procedit; *contra*: Filius non ideo habet auctoritatem, quia mittit, sed ideo mittit, quia habet auctoritatem: ergo ante habet auctoritatem, quam mittat temporaliter: ergo antequam mittat temporaliter, necesse est Spiritum sanctum procedere a Filio: ergo etc.

9. Item, Ioannis decimo sexto [6]: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Ex hoc arguitur sic: quisquis est omne quod habet, est omne quod accipit; sed Spiritus sanctus, cum sit Deus summe simplex, est omne quod habet, ergo omne quod accipit: ergo si accipit aliquid ab aliquo, accipit esse [7]; sed a quo accipit esse, ab illo procedit: ergo si aliquid accipit a Filio, procedit a Filio. *Si dicas*, quod *accipere* illud est temporaliter; tunc obiicitur ex hoc, quia omne quod temporaliter accipit aliquid ab aliquo [8], mutatur, etc.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus procedit a Patre et a Filio.

RESPONDEO: Dicendum, quod, sicut ostensum est auctoritatibus et rationibus, fidei veritas est, quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. Conclusio.

Ad intelligentiam autem controversiae Latinorum et Graecorum et originem [9] eius notandum est, quod circa processionem Spiritus sancti de Filio est duo considerare, scilicet articuli *cognitionem* et eiusdem cogniti *professionem*. In primo orta [10] est differentia, in secundo controversia. Cognitio et professio huius articuli.

Cognitio autem huius articuli fundamentum habet a Scriptura, profectum vel incrementum a ratione, sed consummationem [11] a revelatione. In Scripturae auctoritate Graeci et Latini conveniunt, quae dicit, Spiritum sanctum *esse Filii* et *mitti a Filio;* sed in *ratione* et *revelatione* differunt.

In *ratione quidem intelligendi*. Nam cum Scriptura dicat [12], Spiritum sanctum *procedere*, Graeci ad intelligendum usi sunt alio modo et alia similitudine processionis, alio modo Latini. Nam cum processio dicatur in creaturis motus *localis* ab uno in alium et dicatur motus *causalis* unius ex [13] alio, Graeci intellexerunt processionem primo modo, *ab uno in alium;* Latini vero secundo modo. Et in hoc melius intellexerunt Latini quam Graeci, quia comparaverunt processionem aeternam processioni magis spirituali; et ideo magis simili [14] comparaverunt, et sic melius. Differentia in ratione intelligendi quoad procedere.

Similiter, Scriptura dicit [15], Spiritum sanctum *per spirationem* procedere. Et cum duplex sit spiratio, scilicet *flatus exterioris* et *amoris interioris*, Graeci comparaverunt Spiritum spirationi *flatus exterioris;* sed Latini spirationi *amoris interioris:* et ideo Latini melius, quia spiritualiori et similiori similitudini aptaverunt. Item quoad spirationem.

Similiter, cum Scriptura dicat, Spiritum sanctum procedere ut *nexum* et communionem, et duplex possit esse nexus, vel sicut *medium* iungens unum [16], Item quoad nexum.

---

[1] Aliqui codd. ut G X Z vel *habet actum quem*, vel ut K T *habet actum et*.

[2] Vers. 6.

[3] Vat. cum aliquibus mss. omittit semel *Filius*, sed contra alios codd. ut A F G H K M T V etc. cum ed. 1.

[4] Vers. 26, in quo textu contra Vulgatam et antiquiores codd. omittit Vat. *a Patre*, sicuti et paulo post bis habet *supra* loco *super*.

[5] E vetustioribus mss. et ed. 1 supplevimus male omissum *alii*.

[6] Vers. 14. — Mox, consentientibus antiquis mss. et ed. 1, posuimus *hoc* pro *quo*.

[7] Codd. aa bb adiiciunt *ab illo*.

[8] Unus alterve cod. ut S *alio*.

[9] Aliqui codd. ut H P Q Y *originis*.

[10] Reliquimus cum Vat. ac ed. 1 et aliquibus mss. *orta*, licet maior pars codd. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 habeant *tota*, quod minus contextui correspondet.

[11] Sequimur plures codd. ut F H I K P Q T etc. et ed. 1 loco *conservationem* ponendo *consummationem*, quod et gradationi membrorum divisionis et subnexis magis correspondet. Cod. X *confirmationem*. Paulo infra post *conveniunt* codd. inter se dissentiunt; maior pars eorum ut A C F G I L O R S V W X Z etc. pro *quae* habet *quia;* plures deinde ut C I L O R *dicunt* loco *dicit*.

[12] Nonnulli codd. ut A S T V X aa minus congrue *Nam Scriptura dicit*. Paulo infra multi codd. cum ed. 1 omittunt verba *et alia*.

[13] Codd. aa bb *ab*.

[14] Cod. K *secundum veritatem*, cod. V *secundum rationes* pro *simili*.

[15] Sacra Scriptura canonica hoc non dicit expressis verbis, sed implicite et ex Ss. Patrum interpretatione. Cfr. d. 10. a. 2. q. 3. et 2, et hic ad 5. — Mox fide multorum mss. ut A F G H K S T W X Y Z etc. et ed. 1 substituimus *Et cum* loco *Sed cum*, et paulo infra *comparaverunt* pro *comparant*. Propter repetitionem verborum *flatus exterioris et amoris interioris* aliqui codd. hic sive omittendo sive permutando erraverunt.

[16] Ex pluribus mss. ut H M N P Q aa (T ee ff in margine) adiecimus *unum*, pro quo ed. 1 habet *alterum*.

alteri, vel sicut extremum, in quo coniunguntur; Graeci comparaverunt primo modo, Latini secundo, et ideo spiritualiori modo [1] et similiori, quia ille nexus magis habet similitudinem personae.

Differunt in revelatione. Quia ergo differentiam habuerunt in ratione, et Latini spiritualius et convenientius comparaverunt; ideo ex ratione sua sunt elevati, et per hoc ad intelligentiam Scripturae dispositi, et ideo *manifesta revelatione* edocti sunt de Spiritus sancti processione. Graeci vero, quia similitudines differentes et minus proprias aptabant, ideo sunt sua ratione depressi; et non valentes intelligere, Spiritum a Verbo procedere, nec in alium ab aeterno procedere, arctaverunt Scripturam ad intelligendum de processione temporali, et ideo sibi viam revelationis clauserunt. Haec est ergo ratio diversitatis in huius articuli *cognitione.*

Controversia. *Controversia* vero venit ex huius articuli *professione. Professio* vero huius [2] articuli venit ab Ecclesia Latinorum ex triplici causa, videlicet ex *fidei veritate*, ex *periculi necessitate* et ex *Ecclesiae auctoritate.* Fides dictabat hoc, et periculi necessitas imminebat, ne forte aliquis hoc negaret [3], in quod periculum inciderunt Graeci; et Ecclesiae auctoritas aderat: et ideo sine mora exprimi debebat.

Professio ex triplici causa.

Negatio item ex triplici causa. *Negatio* vero huius articuli venit ex triplici causa, scilicet ex *ignorantia*, ex *superbia* et [4] *pertinacia.* Ex *ignorantia*, quia nec Scripturam intellexerunt nec habuerunt congruam rationem nec apertam revelationem. Ex *superbia*, quia, cum reputarent se sciolos et vocati non fuerunt [5], noluerunt profiteri quod non erat per eos inventum. Ex *pertinacia*, ne convincerentur et irrationabiliter moveri viderentur, invenerunt pro se rationes contra veritatem: et ideo suam sententiam defendere ausi sunt et auctoritati Ecclesiae Romanae obviare; et ideo facti sunt haeretici, quia denegant [6] fidei veritatem, et schismatici, quia recesserunt ab Ecclesiae unitate.

Graeci accusant Latinos. Sed quia mos est haereticorum et schismaticorum, cum se non possunt rationibus communire, adversam partem accusare; ideo nos accusant, et redarguunt tanquam *curiosos* et tanquam *excommunicatos* et *schismaticos. Curiosos* [7], quia sine huius articuli professione salus erat. Quare ergo intromiserunt se Latini hoc perquirere, quod non fuit necessarium?

Responsio ad has accusationes. Sed ad hoc patet responsio, quia [8] opportunum fuit propter periculum in quod ipsi inciderunt.

Similiter, dicunt nos *excommunicatos*, quia Symbola corrumpimus, in quibus per sanctos Patres sub excommunicationis poena hoc erat prohibitum.

Et ad hoc patet responsio per praedicta, quia non corrumpimus, sed perficimus [9]; nec sententia lata est contra perficientes, sed contra corrumpentes. Alia responsio. *Vel* potest dici, sicut dicit Anselmus [10], quod novum edidimus; et hoc quidem facere potuimus, quia Romana Ecclesia plenitudinem potestatis a Petro, Apostolorum principe, acceperat, in qua [11] nulla Patrum sententia nec interdictum potuit nec arctare nec ei praeiudicare nec ligare eam ad aliquid.

Similiter dicunt nos *schismaticos*, quia a nobis incepit [12] divisio; cum enim hoc vellemus asserere, noluimus eos vocare.

Et ad hoc responderi potest pro Latinis, quod eos vocare non fuit *opportunum* — quia Ecclesia sine eis hoc poterat — et hoc [13], quia erat *laboriosum* propter distantiam, erat *infructuosum*, quia iam non erat in Graecis sapientia tanta, sicut fuerat, immo ad Latinos transierat, erat nihilominus *periculosum*, quia quod pro certo habendum erat periculum erat ducere in dubium.

Et sic patet, quod frivolae sunt eorum *accusationes.* Ad *rationes* autem, intellectis quae dicta sunt, facile est respondere.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod *processio* est ab uno in alium; dicendum, quod verum est de processione *locali*, sed non est verum de processione *causali*, sicut infra melius patebit [14]; cum procedere in alium sit dupliciter, aut quia in alium tendit sicut [15] *obiectum;* et sic Spiritus sanctus est amor, quo Filius amat Patrem, sicut e converso; si autem sic dicatur procedere in aliquem, ut ab *eo recipiatur*, omnino stultus est intellectus. Est enim dicere, quod amor,

---

1 Multi codd. omittunt *modo*, quod Vat. transponit post *secundo.*

2 Fide mss. et ed. 1 supplevimus *huius.* Mox aliqui codd. ut IZ cum ed. 1 *Latina* pro *Latinorum*, et paulo infra multi codd. ut A F G H T etc. cum ed. 1 post *necessitate* addunt nobiscum particulam *et.*

3 Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 *aliqui hoc negarent.*

4 Ed. 1 addit *ex.*

5 Ed. 1 *defuerunt* loco *non fuerunt.* Paulo infra post *pertinacia* codd. P Q adiiciunt *quia.*

6 Vat. cum cod. cc *negant*, sed contra alios codd. et ed. 1.

7 Cod. V *Tanquam curiosos.*

8 Praeter fidem mss. et sex primarum edd. in Vat. omittitur *quia*, sicuti et paulo infra contra antiquiores codd. et edd. 1, 4, 5 praepositio *in.*

9 Aliqui codd. ut K X Z *corrupimus, sed perfecimus;* aliqui ut G H I S cum ed. 1 *corrumpimus, sed perfecimus;* alii exhibent cum Vat. lectionem nostram.

10 Libr. de Process. Spir. S. c. 22: Respondemus, nos illud non corrupisse, sed aliud novum edidisse. — Mox ex pluribus codd. ut X Y aa cum ed. 1 *et hoc quidem* loco *quod quidem* posuimus, quod confirmatur ex incongrua lectione aliorum codd. *et quod quidem.*

11 Vat. contra multos codd. ut A F G I L O T W etc. et ed. 1 *quam*, ac praeter fidem mss. et ed. 1 post *interdictum* addit *ponere.* Ed. 1 *interdicere* pro *interdictum.*

12 Praeferimus lectionem nonnullorum mss. ut H I W etc. *incepit* loco *incipit.*

13 Auctoritate plurimorum mss. et ed. 1 supplevimus ab ed. Vat. omissum *hoc*, sub quo intelligas: non fuit opportunum. Mox post *infructuosum* consensu mss. et ed. 1 expunximus verba *propter insipientiam.*

14 Dist. 14. a. 1. q. 1.

15 Unus alterve cod. ut H (a secunda manu) cum ed. 1 *in obiectum*, post quod cod. X addit *aut quia in alium tendit ita, quod ab eo recipiatur; si quia in alium tendit sicut obiectum.*

qui est Spiritus sanctus, oriatur a Patre et subsistat in Filio, sicut rivus oritur a fonte et requiescit in lacu profundo [1].

2. Ad illud quod obiicitur de *spiratione*, quod praecedit verbum; dicendum, quod verum est de exteriori verbo, et non de interiori: et exterius [2] non est simile.

3. Ad illud quod obiicitur de *nexu*, dicendum, quod nexus non habet rationem medii, sed rationem tertii, quidquid [3] aliqui voluerunt dicere, quod locum tenet et medii et tertii; et voluerunt sustinere opinionem Graecorum et Latinorum et distinguunt duplicem modum procedendi, scilicet *in alium*, et sic procedit a Patre; vel *ab alio*, et sic procedit a Patre et Filio. Istud [4] est exsufflandum hodie, quia non habet intellectum sanum; immo omnino eodem modo procedit ab utroque, et tamen utriusque nexus est, sicut ponitur exemplum de duobus lignis, ex quibus procederet una flamma.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ab altero sufficienter, ergo etc.; dicendum, quod istud verum esset, si essent diversa principia Spiritus sancti; quod non est verum, sicut infra patebit [5]. Unde sicut non valet hoc argumentum: Pater creat, et Filius similiter; et Pater est sufficiens in creando: ergo Filius superfluit; — quia sunt unum principium in creando — similiter solvendum est in proposito.

5. Ad illud quod obiicitur, quod non reperitur in *Scriptura*; dicendum, quod si verba non reperiantur, reperitur tamen sensus, sicut in obiiciendo monstratum est. Tamen argumentum non valet: non reperitur in Scriptura, ergo non est verum; quia Scripturae mos est, quaedam tacere propter insinuandam humilitatem: unde Dominus, volens nos erudire ad humilitatem, omne quod suum est Patri attribuit, sicut dicit Ioannis septimo [6]: *Mea doctrina non est mea.* Similiter dicit Ioannis decimo quinto [7]: *Qui a Patre procedit,* loquens de Spiritu sancto, et tamen ipse subiungit [8]: *omnia, quae Pater habet, mea sunt:* et ideo argumentum non valet.

6. Ad illud quod obiicitur de *Conciliis*, dicendum, quod nec in Conciliis illis sunt omnia instituta, quae spectant ad mores, nec etiam omnia dicta, quae ad fidem pertinent; sicut in Symbolo, quod cantatur in missa, nihil dicitur de descensu ad inferos. Sed nunquid [9] latuit sanctos Patres processio Spiritus sancti a Filio? et si non latuit, quare non dixerunt? Credo quod non latuit, sicut patet per antiquos Graecos, quorum Magister adducit auctoritatem in littera [10]; sed tamen non fuit expressum, quia non erat opus. Nullus enim negabat nec negare volebat. Sed haeretici multa, quae erant implicita fidei nostrae, sua importunitate compulerunt explicare; et sic patet illud.

7. 8. Ad illud quod obiicitur de auctoritate *Dionysii* et *Gregorii*, dicendum, quod non est omnimoda similitudo, sed maior dissimilitudo. Attenditur autem similitudo in hoc; scilicet quantum ad plenitudinem fontalitatis in Patre et in divisione [11] personarum emanantium ab eo, et in receptione influentiae in creatura: non tamen est omnimoda similitudo quantum ad modum emanandi; et sic patet illud.

9. Ad illud quod obiicitur de *Damasceno*, dicendum, quod non est in ista parte ei assentiendum, sicut enim intellexi, ipse fuit in tempore, quando orta est contentio. Unde non est in hoc sustinendus, quia simpliciter fuit Graecus, tamen ipse caute loquitur. Unde non dicit, quod Spiritus *non sit* a Filio, sed dicit, *non dicimus a Filio,* quia Graeci non confitebantur, nec tamen negabant; sed modo eorum maledicta progenies addidit ad paternam dementiam et dicit, quod non procedit a Filio nisi temporaliter. Et ideo tanquam haereticos et schismaticos eos damnat Romana Ecclesia.

---

[1] Quomodo ista similitudo intelligenda sit, apte explicat S. Anselmus, de Process. Spir. sancti, c. 17: Constat quia una eademque aqua est, quae et fons et rivus et lacus dicitur, non tres aquae, quamvis tres sint, fons, rivus et lacus. Discernamus itaque inter fontem, rivum et lacum, et videamus quid singula haec, cum tria sint, in una intelligantur aqua. In fonte quidem aqua de abysso ascendens ebullit; in rivo de fonte descendens fluit; in lacu colligitur et manet. Per fontem ergo intelligitur aqua de abysso ebulliens; per rivum, quia de fonte fluit; per lacum, quia simul ibi coadunatur. Videmus autem quia rivus non est de hoc, unde aqua fons dicitur, sed de hoc, quod est, id est de aqua; nec lacus est de hoc, unde aqua dicitur fons aut rivus, sed de ipsa aqua, quae una et eadem est in fonte et rivo. Non ergo de hoc, unde differunt fons et rivus, sed de hoc, in quo unum sunt, lacus existit. Si ergo non magis fons est hoc, unde lacus est quam rivus, nequit intelligi lacus magis esse de fonte quam de rivo. Sic itaque, cum dicitur Deus Pater aut Filius aut Spiritus sanctus, una in tribus intelligitur essentia et unus Deus... sed in Patre intelligitur gignens, in Filio genitus, et in Spiritu sancto singulari quodam et ineffabili modo procedens.

[2] Fide mss. et ed. 1 pro *ideo* substituimus *exterius* scil. verbum, deinde supple: processioni divinae; cod. R *non enim est simile de interiori et externis.* (exteriori); cod. Z post *exterius* addit *et interius.*

[3] Plurimis mss. et ed. 1 refragantibus, Vat. *quamquam.*

[4] Vat. contra mss. et ed. 1 *Sed istud.*

[5] Quaest. seq.

[6] Vers. 16.

[7] Vers. 26.

[8] Ibid. c. 16, 15, in quo textu Vulgata loco *quae* habet *quaecumque.*

[9] Lectio plurium codd. ut H I L O ee ff et ed. 1, in qua *nunquid* loco *nunquam* ponitur, a nobis electa est, quia subnexis magis correspondet.

[10] Cap. 2. — Paulo ante Vat. corrupte et praeter fidem antiquiorum mss. et ed. 1 post *sicut* omittit *patet.*

[11] Cod. Y *in distinctione*, quae lectio explicat, quo sensu vocabulum *divisione* sumendum sit.

SCHOLION.

I. Haec conclusio, quam schismatici Graeci reiiciunt, habetur in Symbolo Concilii XI. Toletani (a. 675) et definita est ut articulus fidei decretis plurium Conciliorum, scil. Barensis (1098), Lugdunensis II. et Florentini in decreto unionis. Ceterum etiam formula apud Graecos usitata, scil. Patrem per Filium spirare Spiritum sanctum, a Concilio Florentino (Decret. unionis) approbata et in hoc sensu explicata est: « ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium substantiae Spiritus sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, quae Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est ».

II. S. Doctor (in corp. ante med.) dicit, quod « Latini manifesta revelatione edocti sint »; hoc tamen non est intelligendum de aliqua nova revelatione, quae aliquid addat ad depositum fidei, sed uti patet ex contextu, de charismate veritatis, quo recte expositum est depositum fidei, in quo saltem implicite hoc dogma iam erat revelatum.

III. Respectu ad solut. ad 3. dicit Dionys. Carth. (hic q. I. in fine): « Distinctionem quoque Alexandri, in principio responsionis ad quaestionem hanc positam, dicit Bonaventura nunc exsufflandam, affirmantis, Spiritum sanctum eodem modo procedere a Patre et Filio, quemadmodum a duobus lignis una progreditur flamma ». Errat autem doctissimus et sanctissimus vir. S. Bonav. enim non exsufflat illam distinctionem *in se*, sed tantum *usum* eius, quem nonnulli fecerunt putantes, aliter procedere Spiritum sanctum a Patre, aliter a Filio. Seraphicum Doctorem plene consentire suo magistro, probat locus sequens Alexandri (S. p. I. q. 43. m. 4.), quem eo libentius hic describimus, quia in edd. gravi errore laborat. Desunt enim in eis verba italicis litteris a nobis distincta: *quia ex eo sequeretur, quod procederet a Filio*, et immediate post edd. habent *inconveniens* loco *conveniens*. Hac lectione sensus omnino perturbatur. Correximus hunc errorem ex cod. ms. biblioth. nation. Florentiae, in fol., membr., saec. XIV., sig. I. III. 9, fol. 75. recto; est ibi q. 15. m. 12. a. 5.

« Dicendum, quod procedere dicitur dupliciter: uno modo dicitur procedere in motu locali, qui motus est ab aliquo in aliquid. Alio modo dicitur procedere in exitu causati a causa vel motus a movente. Secundum primum modum procedere requirit duplicem terminum: *a quo* et *in quem*. Secundum modum secundum non requirit nisi unum, scilicet *a quo*. Unde et secundum hos duos modos potest transsumi ad processionem Spiritus sancti verbum procedendi. Graeci vero verbum procedendi transtulerunt a motu locali; unde processionem Spiritus sancti aeternam intellexerunt ab aliquo in aliquem; et ideo secundum hunc modum non concesserunt, quod procederet Spiritus sanctus a Filio, *quia ex eo sequeretur, quod procederet a Filio* in Patrem, quod non est conveniens (edd. inconveniens), cum in ipso Patre sit ratio primi principii, et nihil habeat Pater a Filio. Si autem diceretur, quod procederet a Filio in Patrem, videretur Pater aliquid habere a Filio. Sed concesserunt, quod procedat in Filium, in quo ostenditur, quod est amor Patris ad Filium, et etiam insinuatur, quod Filius habet esse a Patre. Latini vero transsumunt verbum procedendi ab exitu sive processu causati a causa. Unde dicunt, quod procedere est ab aliquo exire, quamvis non in aliquem, secundum quod dicitur a mente et notitia procedere amor, quamvis non intelligatur, in aliquid. Et secundum hunc modum dicunt Latini, quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, quia exit ab utroque, velut amor a notitia et mente. »

IV. S. Ioannes Damascenus, cuius doctrinam S. Bonav. (hic ad ultim.) asserit non esse in hac re sustinendam, etiam a S. Thom. (S. I. q. 36. a. 2. ad 3.) erroris accusatur; additur autem, quod a nonnullis excusetur. Sed iam Scot. (hic q. 1.) illum S. Doctorem melius explicat eiusque orthodoxiam in hac re vindicat, quod nunc a theologis communiter est receptum.

V. Argumentum 4. in fundam., quod, negata processione Spiritus sancti a Filio, etiam distinctio utriusque debeat negari, a plerisque theologis approbatur, ut ab Alex. Hal., B. Albert., S. Thom., Petr. a Tar., Durand. et fere communiter a sequentibus theologis extra scholam Scoti. Tamen contrarium docent Henr. Gand. (Quodl. 5. q. 9.), Scot. (hic q. unic., et Report., hic q. 2.), Dionys. Carth. (hic. q. 2.); sed Richard. a Med. (hic q. 2.) haerit anceps. Celebris est de hac re controversia inter scholam Scotisticam et Thomisticam aliosque theologos. De argumentis Scotistarum videsis Claud. Frassenium (Scotus academicus, tom. 3. tract. 3. disp. 3. a. 3. q. 2.), Ioan. de Rada (I. controv. 15.), et Franc. Macedo (Collationes doctrinae S. Thom. et Scot., coll. 6. diff. 4.).

VI. Quoad conclusionem: cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 43. m. 4, et q. 46. m. 5. — Scot., hic q. unic.; et Report. hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. q. 36. a. 2; S. c. Gent. IV c. 24. 25; Opusc. 6. contra Errores Graecorum. — — B. Albert., hic a. 6; S. p. I. tr. 7. q. 31. m. 1. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 1. 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 54. q. 6. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. 1. 2.

QUAESTIO II.

Utrum Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio tanquam ab uno principio.

Secundo quaeritur, utrum Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio, in quantum sunt unum, aut in quantum differentes.

1. Et quod in quantum unum, videtur per Anselmum in libro de Processione Spiritus sancti [1]: « Nullus intellectus capit, Spiritum sanctum esse Patris et Filii, secundum quod alter est Pater, alter Filius, sed secundum quod uterque est idem Deus ».

Fundamenta.

2. Item, *ratione* ostenditur sic: unitas effectus est ab unitate actus, et unitas actus ab unitate potentiae vel subiecti; ergo cum una sit persona producta a Patre et Filio, ergo per unum actum producitur et per unam potentiam: ergo spirant, in quantum sunt unum.

3. Item, quod est a duobus, in quantum duo, aut est insufficienter a quolibet, aut ab altero superflue; sed Spiritus sanctus a nulla persona est insufficienter nec superflue, quia neutrum convenit naturae perfectae: ergo etc.

4. Item, quod est a duobus in quantum duo, est compositum, si consubstantialiter [2] est ab illis; ergo

[1] Cap. 21: Nullus sensus capit, Spiritum sanctum esse Spiritum Patris aut Filii... uterque unus idemque Deus est.

[2] Plurimi codd. cum ed. 1 *consubstantialiter* loco *substantialiter*. In proxime sequenti propositione exhibemus lectionem,

si a duobus in quantum duo procedit unus, oportet quod illud unum habeat differentiam; sed Spiritus sanctus non est compositus: ergo etc.

5. Item, nihil unum procedit a duobus consimilibus [1] in natura in quantum duo, nisi alter sit sicut principium activum, alter sicut principium passivum, sive alter ut pater, alter ut mater; sed hoc non est in divinis: ergo etc.

Ad oppositum.

CONTRA: 1. Qui procedit a duobus, ita quod ab uno principalius quam ab alio, procedit [2] in quantum sunt duo; sed Spiritus sanctus principaliter procedit a Patre, sicut dicit Augustinus et habetur in sequenti distinctione [3]: ergo etc.

2. Item, qui procedit a duobus in quantum sunt distincti, procedit a duobus in quantum sunt duo; sed nexus non est nisi distinctorum: ergo qui procedit ut nexus, procedit ab eis ut a distinctis, et ita ut a differentibus.

3. Item, ab unitate subiecti est unitas actus, et a pluralitate subiectorum pluralitas actuum [4]; sed Pater et Filius sunt duo: ergo spirant duplici spiratione: ergo spiratur Spiritus sanctus ab eis, in quantum sunt duo: ergo etc.

4. Item, si spirant Spiritum sanctum in quantum sunt unum, aut [5] in quantum sunt unum in *substantia*, aut in *notione*, aut in *persona*. Si in quantum sunt unum in *substantia:* ergo cum Spiritus sanctus sit idem in substantia, Spiritus sanctus procedit a se. Si in quantum sunt idem in *notione;* hoc nihil est, quia non ideo spirant, quia sunt spiratores, sed e converso. Nec in quantum sunt unum in *persona*, quia in persona non uniuntur.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus procedit a Patre et a Filio, non quatenus sunt distinctae personae, sed quatenus in eis est una fecunditas voluntatis sive una spiratio activa.

RESPONDEO: Dicendum, quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, in quantum sunt unum in fecunditate voluntatis. Una autem est in Patre et Filio voluntas, quia Pater et Filius sunt una substantia; si ergo est in eis voluntatis fecunditas, una est fecunditas in eis. Voluntatis autem fecunditas est in Patre et in Filio, quia uterque [6] Deus improcessibilis. Sicut enim superius dictum fuit de numero personarum [7] et infra melius patebit [8], cum agetur de innascibilitate, quae idem est in Patre quod primitas; cum primum et principium sint idem [9]; ratio primitatis est ratio principiandi, sive fecunditatis. Quoniam igitur Pater prior est omni emanatione, scilicet processione et generatione, quia nec generatur nec procedit, hinc est, quod utroque modo est principium. Quia vero Filius prior est emanatione processionis, non generationis — quia generatur, tamen est inspirabilis — hinc est, quod est principium spirandi, non generandi. Quia vero Spiritus sanctus neutro modo se habet, neutro modo est principium. Inde est igitur, quod quamvis Spiritus sanctus a duobus procedat, quia tamen procedit non ut sunt differentes, sed ut est in eis una fecunditas voluntatis, quod [10] Spiritus sanctus procedit ab eis, in quantum sunt unum. (Conclusio. — Ratio explicatur.)

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod principaliter

---

quae in pluribus tantum codicibus ut AHPQW etc. invenitur. Maior quidem pars codd. cum ed. 1 legit *procedit unus* loco *procedit unum*, quod habet Vat., sed in reliquis convenit cum Vat. ponendo *quia* loco *ergo si* et praemittendo particulas *et ita* verbo *oportet*. Inspicienti tamen patet, in hac propositione non contineri rationem maioris, etiamsi cum cod. T legatur *quia a duobus in quantum duo non procedit unus;* unde in ipsa continetur applicatio maioris ad aliquod speciale, quod et satis clare indicatur per terminum *unus*, scil. persona Spiritus sancti, quae tanquam quid unum habere deberet in se compositionem seu differentiam. Aliqui codd. ut HM bb ee bene post *habeat* addunt *in se.*

[1] Ex mss. et ed. 1 substituimus *consimilibus* pro *similibus.*

[2] In cod. O additur *ab eis.*

[3] Vide ibid. lit. Magistri, c. 2. et q. 2.

[4] Supplevimus ex cod. T *et a pluralitate subiectorum pluralitas actuum,* quia et contextus ea verba requirit, et in principio solutionis huius obiectionis ipsa explicite recitantur. — Ratio haec fundatur in illo axiomate: actus sunt suppositorum; ergo duorum suppositorum non est unica actio.

[5] Cod. W non male addit *ergo.*

[6] Cod. Y addit *est;* cod. Z vero habet *est* loco *Deus.*

[7] Dist. 2. q. 2. et 4.

[8] Dist. 28. per totam.

[9] Aristot., I. Poster. c. 2: Idem enim dico primum et principium. — Vat., variata constructione, praeter fidem mss. et ed. 1 *et primum et principium sunt idem, et ratio*, sed minus distincte, quae et paulo infra cum cod. cc, antiquioribus autem codd. et ed. 1 refragantibus, post *prior est* perperam adiungit *in.*

[10] Auctoritate plurimorum mss. expunximus *patet*, quod Vat. minus apte praefigit verbo *quod;* ed. 1 loco *patet* habet *hinc est.* — Consentit Augustinus, V. de Trin. c. 14. n. 15: Si ergo et quod datur principium habet cum a quo datur... fatendum est, Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia; sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus Creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum sanctum unum principium etc.

procedit a Patre; dicendum, quod principaliter potest dici dupliciter: aut respectu secundarii; et sic importat ordinem prioris et posterioris, et sic ponit diversitatem, et hoc modo non accipitur hic; alio modo prout principalitas dicit quandam auctoritatem, sicut Pater dicitur operari per Filium. Unde unaquaeque [1] creatura producitur a Patre per Filium, in quantum sunt unum; et sic intelligendum est in proposito.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nexus procedit a pluribus etc.; dicendum, quod ratio nexus incipit a distinctione et tendit sive perducit [2] in unitatem: unde ultima et completiva ratio est unitas. Licet ergo nexus sit duorum et a duobus, si est perfectus nexus, est ab eis in quantum sunt unum, non in quantum sunt plures [3].

3. Ad illud quod obiicitur, quod ab unitate subiecti est unitas actus et a pluralitate pluralitas; dicendum, quod istud non habet instantiam secundum modum loquendi, quia si duo sunt termini copulati, actus numeratus debet eis [4] reddi; sed secundum rem distinguendum est, quia subiectum dicitur dupliciter: aut *per se* et *primo*, aut *non primo*; et illud verum est de subiecto *per se* et *primo*, non *de alio*; et sic accipiendo, Pater et Filius non sunt unum principium, seu [5] primum subiectum spirationis, quia non spirant secundum quod Pater et Filius, sed secundum quod in eis est una fecunditas voluntatis, et ita in quantum unum. — Vel aliter dicendum, quod est loqui de actu, ut est actus vel [6] origo, et de actu, ut est accidens. Si loquamur de actu, ut est *accidens*, de necessitate numeratur ad numerum subiecti, quia non est unum accidens in duobus subiectis. Si autem loquamur de actu, ut est *actus* [7], sic comparatur ad subiectum ut ad principium, et sic non numeratur ad numerum subiecti secundum quod subiectum, sed secundum quod principium. Quoniam igitur in divinis spiratio non est accidens, sed productio vel relatio: ideo sequitur unitatem subiecti, ut est principium, quia [8] Pater et Filius, quamvis duae sint personae, tamen sunt principium unum, quia per eandem virtutem spirant: ideo actus non numeratur in illis, ideo spirant una spiratione, quamvis sint duo,

Alia solutio.

4. Ad illud quod quaeritur ultimo, aut in quantum unum in substantia etc.; dicendum, quod in quantum unum in fecunditate voluntatis, prout illa voluntas tracta est ad notionem per *fecunditatem*, quae fecunditas est ratione *primitatis*, quae primitas significatur per hoc quod est *improcessibilis*. Et hoc est quod dicit Anselmus, quod Pater et Filius spirant, secundum quod uterque est *idem* Deus, non secundum quod *Deus simpliciter*, sed secundum quod Deus in utroque; hoc est considerare voluntatem in personis.

Duplex solutio quaestionis incidentis.

Si ergo *quaeras*, utrum in quantum unum in *substantia*, aut *notione*, aut *persona*; dicendum, quod responderi potest dupliciter, secundum duas opiniones prius positas de potentia generandi, distinctione septima [9]; quod quidam dicunt, quod potentia generandi non differt a generatione sive paternitate nisi modo loquendi, et ita dicit notionem, scilicet personalem proprietatem, ut generatio, licet alio modo. Similiter isti dicunt, quod fecunditas voluntatis sive vis spirativa dicit eandem notionem quam spiratio, licet alio modo, quia vis spirativa dicit ut in ratione aptitudinis, sed spiratio [10] in ratione actus; et ita secundum hos in quantum sunt unum notione. Alii dicunt, quod sicut potentia generandi dicit naturam in persona, ita essentiam personaliter, sic vis spirativa voluntatem dicit, ut voluntas est in personis, in quibus est fecunda [11]; et ita Pater et Filius spirant in quantum unum in essentia sive natura sive voluntate, ut dicatur proprius [12], voluntate considerata in personis. Quaelibet harum positionum mihi videtur satis probabilis.

SCHOLION.

I. Pro intelligentia huius quaestionis notandum, quod Pater et Filius conveniunt in aliqua re notionali scil. spiratione activa, in qua Spiritus sanctus non convenit cum eis; unde ipsa ad relationem aliquo modo spectare debet, cum constet, in essentia tres personas omnino convenire. Ad eandem quaestionem accuratius explicandam S. Doctor redit infra d. 29. a. 2. q. 1. 2.

II. In solut. ad 4. recurrit S. Doctor ad ea quae supra d.

---

[1] Praeferimus lectionem plurium mss. ut F G H P Q *unaquaeque* loco *una*.

[2] Ita plures codd. ut A D E G H I P Q R T etc. Vat. *procedit*, sed minus bene; alii cum ed. 1 falso *produxit*. Mox cod. Z post *ratio* addit *eius*.

[3] Vide d. 10. a. 2. q. 2. ad 3. — Richard. a Med., hic q. 3. eandem obiectionem ita solvit: Dico, quod istud argumentum non plus concludit, nisi quod procedit a pluribus; et hoc est verum. Ab eis tamen procedit in quantum in potentia spirativa sunt unum.

[4] Vat. *ei* loco *eis*, castigatur ope plurimorum mss. et edd. 1, 2, 3, loco cuius cod. X habet *sic*. Exemplum accipe in hoc: Petrus et Paulus currunt; ubi actus currendi redditur in plurali utrique subiecto.

[5] Codd. inter se non conveniunt; multi cum ed. 1 omittunt *seu*; cod. T. omittit *principium seu*, cod. H *principium seu primum*; codd. G Z substituunt *unum* pro *seu*.

[6] Ed. 1 *sive*.

[7] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 addit *vel origo*.

[8] Vat., fere omnibus antiquioribus mss. et ed. 1 reluctantibus, *quare*; cod. I *et quia*.

[9] Quaest. 1. — Fide mss. et edd. 1, 2, 3, 6 supplevimus verba *distinctione septima; quod quidam dicunt, quod*, loco quorum Vat. *quia ipsa*, quae et paulo infra, post *nisi*, multis mss. ut A F G I P Q S T V W X etc. obnitentibus, addit *in*.

[10] Cod. V repetit hic *ut*.

[11] Aliqui codd. ut H I Z *fecunditas*.

[12] Pauci codd. ut F M X perperam *prius*. Mox ex antiquis mss. et ed. 1 substituimus *harum* loco *illarum*.

7. q. 1. de duplici opinione circa potentiam generandi dixit; cfr. ibi Scholion, et infra d. 27. p. I. q. 2, et d. 28. per totam. Sibi constans Seraphicus, qui ibi utramque opinionem probabilem declaravit, etiam hoc loco secundum utramque positionem respondit.

III. Conclusio est, quod Pater et Filius producunt Spiritum sanctum, quatenus sunt unum in fecunditate voluntatis. Evidens enim est, quod non possint spirare, quatenus sunt unum in essentia, quia in essentia etiam cum Spiritu sancto unum sunt, quoad personam vero sunt duo, non unum; ergo producunt Spiritum sanctum, quatenus sunt unum in notione i. e. in spiratione activa.

IV. Cfr. infra d. 29. a. 2. q. 1. 2. — Alex. Hal., S. p. I. q. 70. m. 3. a. 3. seqq. — Scot., I. Sent. d. 12. q. 1; et Report. d. 12. q. 1. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. seqq.; S. 1. q. 36. a. 4; S. c. Gent. IV. c. 25. — B. Albert., hic a. 3. 4. 5; S. p. I. tr. 7. q. 31. m. 3. q. 1. incident. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. seq. — Richard. a Med., hic q. 3. seq. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. et 2. — Henr. Gand., S. a. 54. q. 6. n. 50. seqq. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 3. 4. — Biel, I. Sent. d. 12. q. 1. 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram et primo de hoc quod dicit: *In principalibus Conciliis, quae apud eos celebrata sunt.* Quaeritur ergo, quae sunt illa quatuor principalia Concilia?

Respondeo: Et dicendum, quod fuerunt quatuor principalia[1] Concilia Apostolorum in Ecclesia primitiva, ut dicit quaedam Glossa super Actus[2]. Primum fuit ad electionem Matthiae, Actuum primo[3]; secundum ad electionem septem diaconorum, Actuum sexto[4]; tertium fuit ad non imponenda legalia gentibus, Actuum decimo quinto[5]; quartum ad tolerandum legalia ad tempus, Actuum vigesimo primo[6]. *[Concilia Apostolorum.]*

Concilia vero Patrum principalia apud Graecos similiter fuerunt quatuor, scilicet Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense et Constantinopolitanum. *[Concilia Patrum principalia.]*

Dub. II.

Item quaeritur de expositione illa, quam ponit Magister super illud: *Qui aliud docuerit vel aliter praedicaverit* etc.; et exponit: *id est, contrarium docuerit vel contrario modo* etc.; quia non videtur ista expositio probabilis, eo quod ille qui contradicit articulis, excommunicatus est ipso iure: ergo non oportebat pro *contrario* dare sententiam: ergo videtur, quod pro *diverso* tulerunt sententiam. *Praeterea,* unde venit ista expositio? Pro Deo[7]! quare non dixerunt: quisquis contradixerit?

Respondeo: Dicendum, quod sicut dicit Anselmus[8]: Omnis veritas sacrae Scripturae potest dici, quae sacrae Scripturae non contradicit, propter suam generalitatem et dignitatem; et ideo praedicta expositio habet hic locum. Nec fuit inconveniens exprimere excommunicationem haereticorum, quia sancti Patres in Conciliis ordinabant quae *iuris* erant, et propterea[9] ad terrorem est dictum; et maluerunt dicere *aliud,* quamvis intellexerint *contrarium,* ut magis compescerent ora praesumptuosorum, ne adinvenirent novitates in fide. Secundum veritatem autem excommunicationis sententia non se extendit nisi ad contradicentes; quia non fuit eorum intentio, praecludendi viam ad explanationem fidei faciendam maiorem, si Deus alios magis illuminaret; et si hoc dixissent, constat quod non bene moti fuissent, et sententia eorum merito abolenda esset[10]. *[Ratio excommunicationis.]*

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, *quod non est aliud Spiritum sanctum esse Filii quam esse a Filio.* Sed contra: aliud est dicere *cappa Socratis* quam *cappa facta a Socrate:* ergo similiter videtur in proposito; aut si non, quaeritur ratio[11].

Et dicendum, quod genitivus, quamvis denominetur ab habitudine *principii,* tamen *aliam* habitudinem importat, immo *alias*[12], ut *possessionis;* sed cum in divinis non cadat diversitas nec habitudo nisi originis, ratione materiae in divinis determinatur ad habitudinem *principii;* et ideo in Deo idem est dicere *Spiritus Filii,* quod *Spiritus procedit a Filio.* *[Genitivi significatio in divinis.]*

---

[1] Ex vetustioribus mss. et ed. 1 supplevimus *principalia.*

[2] Cap. 21, 21. Vide apud Lyranum.

[3] Vers. 15. seqq.

[4] Vers. 2. seqq.

[5] Vers. 6. seqq.

[6] Vers. 18. seqq. — Paulo ante ed. 1 *toleranda* loco *tolerandum.*

[7] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 pro hac interiectione ponit *et quaeritur.*

[8] Libr. de Conc. praesc. Dei cum libr. arb. q. 3. c. 6: Quoniam ipsa (S. Scriptura), sicuti nulli adversatur veritati, ita nulli favet falsitati, hoc ipso quia non negat, quod ratione dicitur eius auctoritate suscipitur. — Et paulo post: Sic itaque sacra Scriptura omnis veritatis, quam ratio colligit, auctoritatem continet, cum illam aut aperte affirmat aut nullatenus negat.

[9] Vat. contra multos codd. ut AFGHITXZ etc. et ed. 1 *praeterea,* sed minus bene, quia verba *quae iuris erant* hic significant decretum ad disciplinam spectans, non stricte ad fidem. Vat. et paulo infra *intellexerunt* loco *intellexerint.* Mox aliqui codd. ut VWX *praesumptuosa* pro *praesumptuosorum.*

[10] S. Doctor loquitur tantum hypothetice et praecise de prohibitione explanationis, quatenus est res *disciplinaris;* minime autem supponit — quod innuit nota marginalis in Vaticana ed. — decreta Concilii vere generalis in *rebus fidei* esse reformabilia.

[11] Unus alterve cod. ut V bb *quare non* loco *quaeritur ratio.*

[12] In Vat. desunt verba *immo alias,* quae tamen habentur in mss. et ed. 1.

Praeterea, alia est ratio, quia *Spiritus*, secundum quod est nomen *absolutum*, sicut hoc nomen *Deus*, non habet proprie construi cum genitivo, quia tunc idem esset dicere *Spiritus Filii* quod *Deus Filii*: ergo oportet, quod accipiatur Spiritus, secundum quod dicitur a *spiratione*; et sic est nomen importans originem: ergo sicut sequitur: *Filius Patris*, ergo Filius qui est a Patre, et ita est dicere *Spiritus Filii*, id est, Spiritus qui est a Filio.

DUB. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non sine me et sine meo et Patris arbitrio* etc. Videtur male dicere, quia qui habet arbitrium super aliquem habet dominium super illum[1]: ergo videtur secundum hoc, quod Spiritus sanctus sit inferior Filio. *Si tu dicas*, quod arbitrium dicat voluntatem: hoc nihil est, quia[2] similiter cum una voluntas sit trium, similiter Filius non loquitur sine arbitrio Spiritus sancti, et Pater similiter; quod non dicitur proprie.

RESPONDEO: Dicendum, quod Spiritus sanctus est Patri et Filio consubstantialis, ita quod a Patre et Filio procedit; *operatio* ergo Spiritus sancti communis est Patri et Filio, et similiter aeque habet *esse*[3] a Patre et Filio; ita quod non est dicere, quod habeat locutionem propriam, nec quod habeat locutionem a se; et haec duo voluit excludere Dominus cum dixit: *Non loquetur a semetipso*[4], ut excludatur ratio *proprii* et ratio *primi principii*. Et hoc exponens Didymus contra *proprium* dicit: *Non sine me*, contra rationem *primi principii* dicit: *Sine meo et Patris arbitrio;* et arbitrium non importat dominium vel[5] causalitatem, sed solum auctoritatem in Patre et Filio respectu Spiritus sancti vel eius operationis.

DISTINCTIO XII.

CAP. I.

Utrum Spiritus sanctus prius vel plenius procedat a Patre quam a Filio.

Item quaeritur, cum Spiritus sanctus procedat a Patre et[1] Filio, utrum prius vel magis processerit a Patre quam a Filio; quod nititur haereticus ostendere ita dicens: si processit Spiritus sanctus a Patre, processit utique aut nato iam Filio, ante non nato Filio. Si vero iam nato Filio processit, ante natus est Filius, quam processerit Spiritus sanctus: praecessit igitur nativitas Filii processionem Spiritus sancti. Si autem processit a Patre non genito Filio, ante processit, quam Filius genitus fuerit.

Responsio Augustini. His et huiusmodi quaestionibus magis laboriosis quam fructuosis respondet Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate[2] dicens: «In illa summa Trinitate, quae Deus est, intervalla temporum nulla sunt, per quae possit ostendi aut saltem requiri, utrum prius de Patre natus sit Filius, et postea de ambobus processerit Spiritus sanctus». «Nunquid ergo possumus quaerere, utrum iam processerat de Patre Spiritus sanctus, quando natus est Filius, an nondum processerat et, illo nato, de utroque processit? Non possunt prorsus ista ibi quaeri, ubi nihil ex tempore inchoatur, ut consequenti[3] perficiatur in tempore. Ideo qui potest intelligere sine tempore generationem Filii de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus sancti de utroque». Ecce his verbis absoluta est quaestio illa, qua quaerebatur, utrum prius processerit Spiritus sanctus a Patre quam a Filio.

CAP. II.

Quod Spiritus sanctus principaliter et proprie dicitur procedere a Patre.

Nunc tractandum est quod secundo quaerebatur, scilicet an plenius vel[4] magis procedat Spiritus sanctus a Patre quam a Filio. Ad quod dicimus, quia sicut non ante procedit a Patre quam a Filio, ita non magis vel plenius procedit a Patre quam a Filio. Augustinus tamen in decimo quinto libro de Trinitate[5] dicit, quod Spiritus sanctus principaliter procedit de Patre. «Non frustra, inquit, in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec Donum Dei nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est Verbum, et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater». Ecce audistis, quia Spiritus sanctus principaliter procedit a Patre. Sed ne te hoc turbaret, ipse continuo ex quo sensu dixerit aperit, subdens[6]: «Ideo addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur, sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam existenti et nondum habenti. Sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo Donum commune procederet, et Spiritus sanctus Spiritus esset amborum». Ecce exposuit ipsemet,

---

[1] Vat. cum cod. cc *illud*, et paulo ante *aliquid* loco *aliquem*, sed obest auctoritas antiquiorum codd. et ed. 1.
[2] Cod. Z cum ed. 1 addit *tunc*.
[3] In cod. bb additur *et loqui*.
[4] Ioan. 16, 13.
[5] Ex antiquis mss. et ed. 1 substituimus *vel* loco *sive*.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Solummodo edd. omnes repetunt hic *a*. Infra post *Spiritus sanctus* codd. BCDE legunt *de* loco *a*.
[2] Cap. 26. n. 45; sequens locus ibid. n. 47. — Contra nostros codd. et textum Augustini omnes edd. in primo loco *posset ostendi* pro *possit ostendi*.
[3] Edd. praeter 1 ponunt *ex consequenti;* sed delendum *ex* auctoritate omnium codd. et textus Augustini. Paulo supra nonnulli codd. bis ponunt *processerit* pro *processerat*.
[4] Vat. cum paucis edd. *aut*. In principio propositionis post *tractandum est* cod. D adiicit *de eo*.
[5] Cap. 17. n. 29.
[6] Vat. cum nonnullis edd. *dicens*, et paulo ante, post *sensu* addit *hoc*.

quomodo Spiritus principaliter procedat a Patre, non quia prius vel magis procedat a Patre quam a Filio, sed quia, cum procedat a Filio, hoc ipsum habet Filius a Patre.

Proprie procedere similiter intelligendum.

Ex eodem sensu dicitur etiam proprie procedere de Patre. Unde Hieronymus in expositione catholicae fidei Nicaenique Symboli [1] ait: «Credimus in Spiritum sanctum, qui de Patre procedit proprie». Item: «Spiritum sanctum verum Deum invenimus in Scriptura, et de Patre proprie esse». Et item: «De Patre Filius, et Spiritus sanctus [2] proprie et vere de Patre procedit». Ecce aperte dicit, Spiritum sanctum proprie esse de Patre et proprie procedere a Patre. Quod non ita est intelligendum, tanquam prius vel plenius a Patre procedat quam a Filio, sed quia hoc habet Pater a se, non ab alio, ut de ipso sit et procedat Spiritus sanctus; Filius autem non a se, sed a Patre hoc habet, ut de ipso [3] sit et procedat Spiritus sanctus.

Similiter alia locutio.

Forte etiam iuxta hanc intelligentiam dicitur Spiritus sanctus [4] mitti per Filium et a Patre esse per Filium. Unde Hilarius ad Deum Patrem de Spiritu sancto et Filio loquens in duodecimo libro de Trinitate [5] ait: «In sancto Spiritu tuo ex te profecto et per eum misso». Item: «Ante tempora Unigenitus tuus ex te natus manet, ita quod ex te per eum Spiritus sanctus tuus est; quod etsi sensu non percipiam, tamen teneo conscientia. In spiritualibus enim rebus tuis hebes sum». Item in eodem: «Conserva hanc, oro, fidei meae religionem, ut quod in regenerationis meae Symbolo professus sum, semper obtineam: Patrem scilicet te [6] et Filium tuum una tecum adorem; sanctum Spiritum tuum, qui ex te per Unigenitum tuum est, promerear». Ecce aperte dicit, Spiritum sanctum a Patre per Filium et mitti et esse; quod non est intelligendum, quasi a Patre per Filium minorem mittatur vel sit, sed quia ex Patre et Filio est et mittitur ab utroque. Sed hoc ipsum habet Filius a Patre, ut ab ipso et sit [7] et mittatur Spiritus sanctus. Hoc ergo voluit significare Hilarius, distinctionem faciens in locutione, ut ostenderet in Patre esse auctoritatem. Inde est etiam, quod Veritas ostendens, Patrem esse auctorem processionis, qua procedit Spiritus sanctus a Filio, dixit in Evangelio [8]: *De Patre procedit*, cum de Patre et Filio procedat Spiritus sanctus. Unde Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate [9]: «Si de Patre et Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit: *De Patre procedit?* Cur putas, nisi quia solet ad eum referre etiam quod ipsius est, de quo et ipse est, sicut ait [10]: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me?* Si ergo hic intelligitur eius doctrina, quam tamen non dixit suam, sed Patris, quanto magis illic intelligendus est Spiritus sanctus de ipso procedere, ubi sic ait: *De Patre procedit*, ut non diceret: De me non procedit. A quo autem habet Filius, ut sit Deus — est enim Deus de Deo — ab illo utique habet, ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus. Et ideo Spiritus sanctus, ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre». «Quapropter, qui potest intelligere in eo, quod ait Filius [11]: *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*, non sine vita existenti iam Filio vitam Patrem dedisse, sed ita eum sine tempore genuisse, ut vita, quam Pater Filio gignendo dedit, coaeterna sit vitae Patris, qui dedit; intelligat etiam, sicut habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Spiritus sanctus, sic dedisse Filio, ut etiam de isto procedat idem Spiritus sanctus, et utrumque sine tempore. Ita ergo dictum est, Spiritum sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quod etiam procedit de Filio de Patre esse Filio [12]. Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet utique, ut et de illo procedat Spiritus sanctus. Sed nulla ibi tempora cogitentur, quae habeant prius et posterius, quia ibi omnino nulla sunt».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XII.

De aeterna processione Spiritus sancti, qualiter a Patre et Filio procedat.

Item quaeritur, cum Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est secunda pars, in qua Magister determinat, qualiter Spiritus sanctus procedit [1] a Patre et Filio; et haec pars habet quatuor capitula secundum quatuor, quae determinat in quatuor capitulis [2]. Nam *primo* quaerit et determinat, utrum Spiritus sanctus prius procedat a Patre, et determinat, quod

---

[1] Explan. ad Cyrillum c. 1. et 3.

[2] Omnes codd. omittunt *sanctus*.

[3] Codd. DE cum sola Vat. *de se ipso*, quod antea, ubi prima vice occurrit, habet cod. C.

[4] Omnes codd. bene addunt *a Patre*, sed cum hoc desit in omnibus nostris edd., nihil immutavimus in textu.

[5] Num. 55; sequens locus n. 56, tertius n. 57.

[6] Edd. omnes contra originale et codd. sic transponunt verba: *te Patrem scilicet*.

[7] Vat. cum paucis edd. omittit *et*.

[8] Ioan. 15, 26; Vulgata *a Patre*. — Mox multae edd. contra edd. 1, 7 et mss. addunt *et* post *cum*; insuper edd. pleraeque omittunt *sanctus* post *Spiritus*.

[9] Cap. 27. n. 48.

[10] Ioan. 7, 16. — Immediate antea Vat. cum paucis edd. contra originale et mss., addendo *sicut* et transponendo *et*, sic habet: *ipsius est, sicut et de quo*.

[11] Ioan. 5, 26.

[12] Vat. cum aliis edd., excepta 1, perperam et contradicentibus mss. et textu Augustini praemittit *et* ante *Filio*. Sensus est: intelligatur, a Patre datum esse Filio, quod Spiritus sanctus etiam de ipso procedit. — Paulo post Vat. cum nonnullis edd. omittit *et* ante *de illo procedat*. Denique edd. 2, 3 *cogitantur* loco *cogitentur*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Aliqui codd. ut AISTVY *procedat*.

[2] Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 paulo ante ponendo *partes* loco *capitula*, et omissis verbis *in quatuor capitulis* pro-

non. Secundo, utrum principalius et plenius, ibi: *Nunc tractandum est quod secundo quaerebatur. Tertio* vero determinat, utrum proprie a Patre procedat, et dicit quod *sic*, ibi: *Ex eodem sensu dicitur etiam proprie procedere de Patre. Quarto* determinat, utrum Spiritus sanctus proprie procedat a Patre per Filium, ibi: *Forte etiam iuxta hanc intelligentiam,* ubi confirmat auctoritate Hilarii, quod Spiritus sanctus mittitur a Patre per Filium et procedit.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Supposito ex praecedentibus, quod Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio, ad intelligentiam huius partis quatuor quaeruntur de processione Spiritus sancti in comparatione ad utrumque.

Primo quaeritur, utrum Spiritus sanctus prius procedat a Patre quam a Filio.

Secundo, utrum plenius a Patre quam a Filio.

Tertio, utrum procedat a Patre mediante Filio.

Quarto et ultimo, utrum processio Filii prior sit secundum ordinem intelligendi processione Spiritus sancti, vel e converso.

ARTICULUS UNICUS.

De processione Spiritus sancti in comparatione ad Patrem et Filium.

QUAESTIO I.

Utrum Spiritus sanctus a Patre prius quam a Filio procedat.

Circa primum, quod *prius* sit a Patre quam a Filio, sic ostenditur.

Ad oppositum. 1. Causa prima est, in qua est status, ergo et principium primum est, in quo est status; sed status est in Patre: ergo Pater est principium primum; sed primum supponit prius [1]: ergo prius procedit a Patre quam a Filio.

2. Item, causa prima est quae agit, alia non supposita [2]: si ergo Pater producit non per suppositionem alterius principii, Filius per suppositionem, prius producit Pater quam Filius.

3. Item, quod habet aliquis ex se per prius habet, quam quod habet ex alio; sed producere Spiritum sanctum habet Pater a se, et Filius a Patre: ergo per prius habet Pater quam Filius.

Fundamenta. Contra: 1. Ubi non est ponere posterius, nec prius, quia prius respectu posterioris dicitur; sed in Trinitate non est ponere posterius: ergo nec prius. Si ergo processio Spiritus sancti a Patre et Filio est aeterna, patet etc.

2. Item, ubi est ponere prius et posterius, est [3] ponere diversitatem principiorum; sed Pater et Filius producunt Spiritum sanctum in quantum unum, ut supra monstratum est [4]: ergo non est ibi ratio prioris.

3. Item, si per prius procedit a Patre quam a Filio, aut [5] a Filio non procedit, aut bis procedit; sed procedit a Filio et non procedit bis: ergo etc.

4. Item, contingit intelligere prius, non intellecto posteriori: ergo si per prius procedit a Patre, ergo contingit intelligere, quod procedit [6], non cointellecto Filio. *Sed contra:* Spiritus sanctus est amor uniens et amor nectens; sed non est accipere mutuum amorem ad minus quam inter duos, ergo nec Spiritum sanctum esse [7] nisi a duobus: ergo nec per prius procedit ab uno quam ab alio.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus auctoritate quidem prius procedit a Patre quam a Filio, non vero prius duratione, vel causalitate, vel etiam origine.

Respondeo: Dicendum, quod *prius* dicitur multipliciter. Dicitur enim prius *duratione,* dicitur prius *causalitate,* dicitur prius *origine,* dicitur prius *auctoritate* [8]. Et primis duobus modis *prius* nullo modo cadit in Deo; quia prius *duratione* contrarium est aeternitati, prius *causalitate* contrarium est essentiae unitati [9]. Sed prius *origine*, quo alter ex altero, Prius dicitur multipliciter.

sequitur *In prima quaerit, utrum,* et paulo infra *In secunda quaerit, utrum.* Dein post *Tertio* omittit *vero determinat,* moxque verba *et dicit quod sic.*

[1] Cod. K adiungit: *quia superlativum supponit comparativum.*

[2] Arist., IV. Phys. text. 7. (c. 1.) ait: Id enim, sine quo aliorum nihil aliud est, ipsum vero est sine aliis, necesse est esse primum. — Paulo infra post *Filius* in cod. O additur *vero.*

[3] Cod. I praemittit *ibi.*

[4] Dist. 11. q. 2.

[5] Cod. T cum ed. 1 bene addit *ergo.*

[6] In cod. T et ed. 1 adiungitur bene *a Patre.*

[7] Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 *Spiritus sanctus est.*

[8] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. de Priori, et V. Metaph. text. 16. (IV. c. 11.). — In hac propositione ex multis mss. ut AFGHIKTVWZ aa etc. et ed. 1 ter supplevimus *dicitur.*

[9] Cod. X *immutabilitati.*

et prius *auctoritate*, quo alter accipit ab altero[1], cadit ibi. Sed prius *origine* cadit respectu *producentis* et *producti*, cum alter oritur ex altero; cum vero *unus* oritur *a duobus*, non cadit ibi prius *origine*, quia tunc ambo sunt unum originale principium; tamen cadit ibi prius *auctoritate*, quia quamvis Pater et Filius sint unum in producendo, tamen hoc accipit Filius a Patre.

Si igitur quaeritur, utrum per prius procedat Conclusio 1. trimembris. Spiritus sanctus a Patre quam a Filio; si intelligatur prius[2] *duratione*, falsum est; similiter si prius *causalitate*; similiter si prius *origine*, sicut probant primae rationes ad hoc inductae. Si autem prius Conclusio 2. *auctoritate*, ut *prius* idem sit quod *principalius*, veritatem habet.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo[3] quod primo obiicitur, quod Pater est primum principium et causa; dicendum, quod illae rationes habent veritatem, ubi est pluralitas causarum vel principiorum; sed respectu Spiritus sancti nec est pluralitas causarum nec principiorum.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod per[4] prius habet quod habet ex se; dicendum, quod si intelligatur *prius*, id est *principalius*, verum est; si autem alio modo, falsum, quia unum et idem potest haberi a pluribus personis, ita quod ab una per aliam; nec talis est prioritas aliquo trium praedictorum modorum.

SCHOLION.

I. Posita quadruplici *prioritatis* distinctione, primo negatur, Spiritum sanctum procedere prius *duratione, causalitate, origine* a Patre quam a Filio. Prioritas enim *durationis* et *causalitatis* in Deo esse omnino non potest; prioritas autem *originis* dici quidem potest in divinis, sed tantum, quatenus una persona procedit ab uno, et altera a duabus. Ergo non est ponenda inter Patrem et Filium, quatenus producunt Spiritum sanctum. Deinde conceditur, quod Spiritus sanctus prius procedat *auctoritate*, vel etiam *principalius* a Patre quam a Filio. Hoc nulla alia ratione asseritur, nisi quia Pater a se ipso habet potentiam spirativam, Filius vero a Patre; unde Patri quaedam principalitas convenit, quae tamen nec subiectionem Filii nec distinctionem in principio spirativo importat. In re hoc idem est cum eo quod dicit Scot. (hic q. 2.): « Non est ergo ordo originis inter spirationem Patris et Filii, quasi spiret Pater in aliquo signo originis, in quo non spiret Filius, sed in eodem signo originis simul spirant. Est tamen ibi ordo spirantium in spirando, quia Pater (producto termino primae fecunditatis) in illo tertio signo originis spirat a se, Filius autem non a se ».

II. Pro maiore explicatione solutionis ad 3. serviunt quae dicit B. Albert., hic a. 3. ad 2: « Dicendum, quod hoc (quod una proprietas non est duorum subiectorum) verum est in illis suppositis, quae per essentiam et substantiam dividuntur ab invicem; in illis enim quod inest uni idem numero non inest alii. Sed duobus suppositis, quae in nulla diversa sunt, nisi (quod) inter ea est relationis oppositio, potest inesse idem, in quantum non relative opponuntur. Pater autem et Filius talia sunt supposita divinae naturae; et secundum quod comparantur ad virtutem spiralem et ad Spiritum sanctum, non habent oppositionem relativam inter se; ergo secundum hoc remanent idem, et sic unum numero erit quod in hac comparatione inest eis. Hoc autem est proprietas spirandi, et sic unum sunt principium spirandi Spiritus sancti ».

III. Cfr. infra d. 20. a. 2. q. 1. 2. — Scot., de hac et duabus seqq. qq. hic q. 2. — S. Thom., de hac et seq. hic q. 1. a. 2. — B. Albert., hic a. 2; de hac et seq. q.; S. p. I. tr. 7. m. 3. q. 2. incident. — Petr. a Tar., hic q. unic. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 1. — Ægid. R., hic. 1. princ. q. 2. — Henr. Gand., de hac et duab. seqq. qq. S. a. 54. q. 5. et 7; a. 60. q. 9. — Dionys Carth., de hac et duabus seqq. qq. hic q. 1. — Biel, de hac et duab. seqq. qq. hic q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum Spiritus sanctus a Patre plenius et principalius quam a Filio procedat.

Secundo quaeritur, utrum plenius procedat a Patre quam a Filio. Et quod sic, videtur:

1. Quia propter quod unumquodque, et illud Ad oppositum. magis[5]: ergo cum Filius spiret per Patrem, quia hoc habet a Patre, ergo Pater magis spirat.

2. Item, « omnis causa prima plus influit quam secunda[6] »; sed Pater est primum principium spirandi: ergo plus influit quam Filius.

3. Item, plenius procedit aliquid, a quo procedit proprie et principaliter, quam a quo nec principaliter nec proprie; sed Spiritus sanctus procedit a Patre proprie et principaliter, sicut dicitur in littera[7] et Augustinus dicit: ergo etc.

4. Item, plenius procedit aliquis ab eo, a quo habet quidquid habet, scilicet substantiam et proprietatem, quam a quo non habet; sed Spiritus san-

---

[1] Cod. R addit *bene*.

[2] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 adiecimus *prius*. Paulo infra sequimur codd. M Y et ed. 1 addendo: *similiter si prius origine*. — Consentit Anselm., de Proces. Spir. sanct. c. 23-25.

[3] Vat. omittit contra vetustiores codd. et ed. 1 *ergo*. Mox ed. 1 post *et* bene addit *prima*.

[4] Fide aliquorum mss. ut Y Z et ed. 1 supplevimus *per*, quod et supra in ipsa obiectione habetur. Paulo ante unus alterve codex *aliud* loco *illud*.

[5] Aristot., I. Poster. c. 2. Cfr. etiam II. Metaph. text. 4. (I. brev. c. 1.). — In quo textu plures codd. post *unumquodque* addunt *tale*. Mox circa finem argumenti ope mss. et primarum edd. restituimus *habet*.

[6] Libr. de Causis, prop. 1, in quo textu plures codd. ut B D E F G M X etc. cum edd. 2, 3 falso *prius* loco *plus*.

[7] Cap. 2; ubi et verba Augustini habentur. — Unus alterve codex ut Y Z *Magister dicit* pro *dicitur*.

ctus habet a Patre quod sit, et quod procedat a Patre et Filio[1]: a Filio autem non habet, quod procedat a Patre, quia tunc Filius daret aliquid Patri: ergo etc.

Contra: 1. Si *plenius* a Patre, ergo perfectius: Fundamenta. ergo a Filio non procedit perfectissime, ergo in Trinitate est aliquid imperfectionis.

2. Item, si plenius a Patre quam a Filio, plus accipit a Patre quam a Filio; sed ubi est ponere plus et minus, ibi est diversitas: ergo in persona Spiritus sancti est diversitas.

3. Item, videtur quod nec *principalius* a Patre, quia qui perfecte dat aliquid alicui, dat ei usum[2] et iurisdictionem sive auctoritatem; si ergo dat Pater Filio posse spirare, ergo dat ei auctoritatem spirandi: ergo aeque principaliter procedit a Filio ut a Patre[3].

CONCLUSIO.

In sano sensu dici potest, Spiritum sanctum procedere a Patre principaliter vel principalius et per se; non tamen procedit plenius nec perfectius.

Respondeo: Dicendum, quod Spiritus sanctus Conclusio 1. dicitur procedere[4] a Patre *principaliter* et *per se:* principaliter, quia auctoritas est in Patre; per se, quia non tantum mediante Filio, sed etiam imme- Conclusio 2. diate. Non tamen *plenius* procedit a Patre nec *perfectius*, quia *plenius* ponit gradum perfectionis, ponit etiam compositionem substantiae in producto, quorum neutrum est in divinis. Unde si proponatur haec: quod illud quod procedit ab aliquo principa- Conclusio 3. lius, procedit plenius, simpliciter est neganda[5].

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de causa prima et *propter quod* etc.; dicendum, quod sicut dictum est prius[6], illud solum habet locum, ubi pluralitas causarum est; hic autem non est pluralitas nec causarum nec principiorum: ideo non habet hic locum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non habet Spiritus sanctus a Filio, quod procedat a Patre; dicendum ad hoc, quod habere a se vel ab alio non ponit gradum plenitudinis. Unde quamvis Filius divinitatem habeat a Patre, ita[7] tamen est perfectus Deus ut Pater; et ideo non sequitur, quod *plenius* a Patre procedat, quia *principalius*. — Quod[8] obiicitur: plenius habet quod habet essentiam et proprietatem; responderi potest interimendo *minorem;* habet enim Spiritus sanctus a Filio proprietatem, licet non habeat secundum omnem respectum; habet enim processionem a Filio, sed non ut a Patre.

Explicatur fundam. 3. Ad illud quod obiicitur, quod Pater dat Filio auctoritatem; dicendum, quod dando auctoritatem super Spiritum sanctum, nihilominus ex ipso habet auctoritatem[9], quia ex hoc debet Filius eam referre ad Patrem, quia habet a Patre; et inde est, quod in Filio est auctoritas et subauctoritas. Unde etiam principaliter producit Spiritum sanctum[10], sed Pater principalius, quia in eo est tantum auctoritas, non subauctoritas. *Principalitas* autem dicitur *auctoritas* in divinis.

SCHOLION.

I. Quo sensu hic intelligenda sint vocabula *plenius*, *principaliter*, *auctoritas*, *subauctoritas*, satis apparet ex ipsis verbis S. Doctoris, hic et infra dub. 3. positis. Negatur, quod Spiritus sanctus *plenius* procedat a Patre quam a Filio, quia hic terminus significat gradus perfectionis, vel saltem connotat compositionem in aliquo; affirmatur vero, quod *principalius* Pater producat Spiritum sanctum, in sensu et ex ratione in q. 1. expressis. Filius autem *principaliter* Spiritum sanctum producere asseritur, quia dat ei quidquid habet; unde dicitur habere *auctoritatem* respectu eiusdem, *subauctoritatem* vero respectu Patris, a quo omnia habet. Habere igitur *auctoritatem* et *principalitatem* nostro Doctori idem est. Unde in fine solut. ad 4. respondet « interimendo » i. e. ut falsam negando minorem. — Hunc modum dicendi, quod Pater principalius producat Filium, S. Doctor, Magistrum aliosque antiquos theologos secutus, non reprobat. Immerito nonnulli moderni theologi cum

---

[1] Multi codd. cum edd. 2, 3 forte ex eo, quod eadem verba immediate post occurrant, indebite omittunt *et Filio*, e contra cod. R omittit *Patre et*, cum quo conveniunt codd. aa bb legendo *et procedat etiam a Filio;* lectio non spernenda. Mox post *non habet, quod* cod. Y bene addit *a Patre sit et.*

[2] Emendavimus lectionem Vat. et cod. cc ex aliis mss. et ed. 1 ponendo *usum* pro *vim.*

[3] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 ordinem argumentorum invertit, ponendo ultimum hoc argumentum quinto loco inter argumenta ad oppositum, licet in margine etiam respectu ipsius habeat: Fundamenta. Ratio huius inversionis videtur fuisse, quod hoc argumentum partem conclusionis neget, scil. quod Spiritus sanctus *principalius* a Patre procedat. Sed melius cum codd. hoc argumentum, licet sub aliquo respectu ad oppositum pertineat, ultimo loco ponitur, quia est argumentum speciale seu sui generis, scil. negans, quod Spiritus sanctus *principalius* a Patre procedat, dum cetera argumenta vel probant vel negant, quod Spiritus sanctus *plenius* a Patre procedat.

[4] Unus alterve codd. ut W Y *procedit* loco *dicitur procedere.*

[5] Multi codd., ordine inverso, *quod procedit ab aliquo plenius, procedit principalius.* Licet utraque lectio, attentis definitionibus terminorum, in se vera sit, attamen unus terminus verificatur in divinis, alter non, et attento ordine terminorum inter se, praeferenda videtur lectio in textum recepta, quae iam in pluribus antiquis mss. ut H L O et ed. 1 invenitur. Cfr. resp. ad 4. — Vat. contra mss. et ed. 1 *ponatur* loco *proponatur* et post *plenius* addit *aut si non plenius*, *neque principalius.* Codd. H Y post *haec* addunt *quaestio*, sed melius subintelligendum: propositio, quod procedat principalius.

[6] Quaest. praeced. ad 1.

[7] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus non bene omissum *ita.* Concordat Anselm., de Process. Spir. sanct. c. 24.

[8] Pauci codd. ut H S ee *Ad illud quod.*

[9] Codd. L O adiiciunt *super Spiritum sanctum.*

[10] Vat. absque auctoritate mss. et edd. 1, 2, 3, 6 *Filius* pro *Spiritum sanctum.*

Suarez hanc locutionem Seraphici tanquam erroneam reiiciunt. Attendere enim debuissent, ipsum S. Doctorem eam explicasse in sensu certe orthodoxo nec eam commendasse, sed sane explicatam solummodo tolerasse, uti apparet ex ultima propositione in corp.

Ad 3. oppositum non respondetur explicite, quia iam solutum est in corp. Quo sensu dici possit, quod Spiritus sanctus *proprie* a Patre procedit, cfr. infra dub. 3.

II. Quoad conclusionem cfr. S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. I. q. 36. a. 3. ad 2. — B. Albert., hic a. 3. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic q. 2. — Ægid. R., 2. princ. q. 1. — Durand., hic q. 2.

QUAESTIO III.

Utrum Spiritus sanctus mediante Filio a Patre procedat.

Tertio quaeritur, utrum Spiritus sanctus procedat a Patre mediante Filio.

Fundamenta. 1. Et quod sic, videtur per Hilarium duodecimo de Trinitate[1], qui loquens ad Patrem ait: «Spiritum sanctum, qui ex te per eum est, promerear»: ergo Spiritus sanctus est a Patre per Filium, ergo mediante Filio.

2. Item, Richardus[2] dicit, quod in divinis est processio immediata tantum, et mediata et immediata — mediata tantum esse non potest — et dicit, quod mediata et immediata est processio Spiritus sancti ex Patre: ergo cum non possit cadere medium nisi Filius, Spiritus sanctus procedit a Patre mediante Filio.

3. Item, similis est processus in illa Trinitate processui imaginis creatae[3]; sed amor procedit a mente mediante intelligentia: ergo Spiritus sanctus procedit a Patre mediante Filio. *Si dicas,* quod non est similitudo quantum ad hoc: ergo destruitur ratio imaginis, quia *imago* debet repraesentare ordinem et originem personarum, non tantum numerum in personis, quia hoc[4] etiam est in *vestigio.*

4. Item, si solus Filius spiraret,[5] ita quod non Pater, tunc Pater diceretur spirare, sed mediante Filio, ita quod esset processio mediata tantum: ergo cum spiratio conveniat Patri per se et conveniat ei per hoc, quod est principium Filii spirantis, ergo convenit ei et mediate et immediate; sed si hoc[6], Spiritus sanctus procedit a Patre mediante Filio.

Ad oppositum. Contra: 1. Nobilius est immediatum principium, quam mediatum; sed omne nobilius est Deo tribuendum[7]: ergo si Pater est nobilissimum principium Spiritus sancti, ergo tantum immediate, non mediate producit ipsum. *Si tu dicas,* quod producit simul mediate et immediate; *contra:* mediatum et immediatum sunt opposita; sed opposita non sunt simul vera de eodem et respectu eiusdem[8]: ergo impossibile est, quod simul producat mediate et immediate.

2. Item, sicut se habet *per se* ad *per accidens,* ita *mediatum* ad *immediatum;* sed Deus nullius, cuius est causa per se, est causa per accidens: ergo nullius, cuius est principium immediatum, est principium mediatum.

3. Item, magis est immediatum quod nullo modo recipit medium, quam quod recipit medium; sed Filius nullum medium recipit in spirando: ergo immediatius producit, quam producat Pater: non ergo uniformiter omnino producunt Pater et Filius Spiritum sanctum.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus procedit a Patre tum immediate, tum mediante Filio.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod, sicut vult Richardus, productio[9] Spiritus sancti est *mediata* simul et *immediata*: mediata, in quantum est a Filio, et Filius a Patre; sed immediata, in quantum ipse Spiritus sanctus ab ipso Patre spiratur.

Exemplum. Et huius exemplum ponitur in exitu Abel de Adam. Abel enim[10] immediate exiit de Adam, quia ipse ex lumbis suis genuit eum; nihilominus exiit mediate, quia exiit ab Eva, quae fuit ab Adam sive de Adam deducta. Et hunc modum oportuit esse in Deo propter summam germanitatem. Ratio. Si enim tantum mediata esset processio Spiritus sancti, ut tantum esset a Filio, non esset summa germanitas Spiritus sancti cum Patre. Similiter, si omnino immediata, ut esset a Patre tantum, non esset summa germanitas cum Filio. Et sic concedendum[11], quod mediante Filio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo[12] quod obiicitur in contrarium, quod nobilius est immediatum principium; dicendum, quod mediatio est tribus modis. Tres modi mediationis. *Quaedam* enim est mediatio, quae excludit immediationem tantum, ut quando effectus ultimus non continuatur influentiae

---

[1] In fine. Vide lit. Magistri, c. 2.
[2] Libr. V. de Trin. c. 7-9.
[3] De imagine creata vide supra d. 3. p. II. praesertim a. 2. q. 2. et 3.
[4] Fide mss. et ed. 1 substituimus *hoc* pro *haec*, quod Vat. perperam ponit. Sub *hoc* intellige: repraesentare numerum.
[5] Ex pluribus mss. ut I aa bb et ed. 1 mutavimus *spirat* in *spiraret*, quod subnexis magis congruit. Mox post *tunc Pater* ed. 1 addit *non.*
[6] In ed. 1 additur *ergo.*
[7] Unus alterve codex ut Y cc *attribuendum.*
[8] Vide Aristot., XI. Metaph. c. 4 (X. c. 5.), et de Praedicam. c. de Oppositis.
[9] Cod. E *processio.*
[10] Vat., plurimis mss. et ed. 1 refragantibus, omittit *enim.* — De hoc exemplo vide Richard. a S. Vict., V. de Trin. c. 6.
[11] Cod. V addit *est;* cod. O autem post *quod* adiungit *procedit.*
[12] Ope plurium mss. ut A F W etc. et ed. 1 supplevimus *ergo.*

causae prioris, sed per medium omnino producitur, priori non cooperante[1]; et haec dicit *ordinem* et *diversitatem* agentium et *separationem*. *Alio modo* dicitur mediatio, prout dicit *ordinem* causarum ad invicem, non *separationem* in agendo, sed solum *diversitatem* agentium[2] et ordinem. *Tertio modo*, prout dicit *ordinem*, non tamen *separationem* virtutum agentium nec *diversitatem*.

Conclusio 1. *Prima* mediatio non cadit in Deo, quia Deus est causa simpliciter prima, cuius influentia est tanta, quod nulla creatura aliquid agit, eius influentia remota; et ideo nihil a[3] Deo exit mediate tantum. Conclusio 2. *Secunda* mediatio cadit in Deo respectu effectus producti a causa creata, quia ibi est *ordo* causarum et *diversitas* virtutum; sed tamen non est *separatio*, quia Deus intime agit, quia per se ipsum; agit[4] nihilominus per virtutem creatam, quae ab ipso est. Conclusio 3. *Tertia* mediatio cadit in operatione divina, in qua sunt agentes personae, in quibus attenditur *ordo*, quia una habet ab alia quod agat, sed tamen nec est ibi virtutum *diversitas* nec *separatio* vel distantia aliqua, immo una virtute et aeque intime agunt. Et sic Pater mediante Filio producit Spiritum sanctum, non quia sit medium distantiae vel differentiae, sed quia, quod Filius producat, hoc habet a Patre, ita quod est ibi quidam ordo. Et sic patet responsio ad sequens, cum dicit, quod mediatum et immediatum sunt opposita; verum est enim primo modo, sed non secundo nec tertio[5]. Patet replica in 1. opposito.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Deus nullius est causa per accidens, ergo nec mediate; dicendum, quod *per accidens aliquid causare* derogat veritati[6] causae supremae. Illius enim dicitur aliquid causa esse per accidens, cuius est causa per aliquid aliud, quod non est ab ipso, sed aliunde; si ergo Deus alicuius esset causa per accidens, non esset causa universalissima et prima, et ita nec nobilissima. Sed[7] *mediatio* non repugnat nobilitati causae supremae. Causare enim aliquid[8] *per se* et per id quod ab *ipso est* non dicit indignitatem, immo dignitatem, quia dignitas est non tantum per se aliquid posse, sed posse alii communicare, ita tamen quod ille sine eo nihil possit. Solutio oppositorum. Causa per accidens.

3. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod Filius est immediatior causa; dicendum, quod non valet, quia ista mediatio, quae praedicta est, non repugnat immediationi, et ideo non diminuit eam.

SCHOLION.

I. Pro elucidatione huius quaestionis servire potest quod dicit Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 3.): «Respiciendo ad principium *quo* spirant, aeque immediate procedit Spiritus sanctus a Patre, sicut a Filio; respiciendo ad ipsos *spirantes*, similiter aeque immediate procedit a Patre, sicut a Filio, sed nihilominus etiam *mediate* procedit a Patre, quia non solum per se spirat, sed etiam mediante Filio».

II. Locutio: *procedere mediante Filio* in eodem sensu explicatur a S. Thom. (S. I. q. 36. a. 3. ad 1. 2.). — Tres modi mediationis, qui in solut. ad 1. occurrunt, exemplis magis illustrari possunt. Primi modi exemplum est avus, qui est causa tantum mediata filiorum sui filii; et sic *mediate* et *immediate* contradictorie opponuntur, nec talis mediatio Deo tribui potest. Secundi modi exemplum in ipso textu adducitur, scil. cooperatio Dei cum actibus creaturarum. Deus enim sic operatur mediantibus causis secundis, ut tamen ista mediatio non excludat immediatam operationem divinam, qua intime attingit et causam secundam et effectum eius; sic sumtum *mediatum* et *immediatum* non opponuntur. Tertius modus mediationis respicit tantum *ordinem* divinarum personarum ad invicem, sive attendatur in operibus divinis ad extra, quae sunt indivisa, et tamen operantes personae habent ordinem inter se, sive attendatur in spiratione Spiritus sancti, in qua est ordo spirantium.

III. Circa id quod dicit ad 2, Deum non esse causam per accidens, cfr. II. Sent. d. 37. q. 2. a. 2, ubi dicit: Causa per accidens dicitur respectu intentionis, non quatenus accidens est differentia entis.

IV. Quoad conclusionem: Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 46. m. 6. — S. Thom., hic q. 1. a. 3; S. I. q. 36. a. 3. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. unic. a. 3. — Richard. a Med., hic q. 3. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 2. — Durand., hic q. 3.

---

[1] Cod. A *operante*. Ed. 1 paulo infra post *Alio modo* habet *est* pro *dicitur*.

[2] Auctoritate mss. et edd. 1, 2, 3, 6 expunximus *virtutum*, quod Vat. praemittit verbo *agentium*. Mox post *Tertio modo* cod. X repetit *dicitur mediatio*.

[3] Fide mss. et ed. 1 substituimus *a* loco *ex*.

[4] Vat., interpunctione mutata, refert verbum *agit* ad *per se ipsum*, atque deinde adiungit *et*, sed mss. obnitentibus; ed. 1 loco *et* bene repetit *agit;* cod. F minus bene post *nihilominus* addit *est actio*, insuper *secundum* ponit pro *per*.

[5] Varii codd. varie legunt; cod. F loco *enim* ponit *sed;* cod. H post *enim* addit *aliquo modo scilicet;* multi codd. cum edd. 1, 2, 3 mendose *verum est enim, sed non primo modo, sed secundo vel tertio*; cod. T incomplete *verum est enim, sed non cadit mediatio in Deo primo modo, sed secundo vel tertio*, quae lectio a posteriore manu mutata est in eam quam habet Vaticana. Coniectamus, lectionem genuinam esse: *verum est enim primo modo; sed non cadit mediatio in Deo primo modo, sed secundo vel tertio*, qua lectione et codices reconciliantur.

[6] In cod. H additur *et nobilitati;* in cod. T a secunda manu nomen *veritati* mutatum est in *universalitati*. — De *causa per se* et *per accidens* cfr. Aristot., II. Phys. text. 50. (c. 5.), ubi ait: Ut enim et ens, aliud quidem per se est, aliud autem secundum accidens; sic et causam contingit esse, ut ipsius domus per se quidem causa est aedificativum, secundum accidens autem album aut musicum. Itaque per se causa, definita est; quae vero secundum accidens, indefinita; infinita enim uni accidunt. Sicut igitur dictum est, cum in iis, quae propter aliquid (finem) fiunt, hoc fiat, tunc dicitur a casu et a fortuna.

[7] Pauci codd. ut VXZ addunt *haec;* cod. Y melius post *mediatio* adiungit *quae in Deo ponitur*.

[8] Ex antiquioribus mss. et edd. 1, 6 substituimus *aliquid* loco *aliud*. Mox aliqui codd. ut BTX *illud* pro *id*, et paulo infra cod. Y cum ed. 1 *dignitatis* loco *dignitas*.

QUAESTIO IV.

Utrum generatio Filii sit prior spiratione Spiritus sancti secundum rationem intelligendi.

Quarto et ultimo quaeritur, quae istarum duarum emanationum, scilicet generationis et processiosonis, sit prior secundum rationem intelligendi. Et quod generatio Filii, ostenditur sic.

Fundamenta. 1. In imagine creata sic est, quod secundum ordinem intelligendi prior est emanatio notitiae a mente quam amoris, sicut vult Augustinus [1]; « quia incognita non possumus diligere », sicut dicit Augustinus in decimo de Trinitate [2]: ergo si ordo attenditur in imagine secundum conformitatem ad Trinitatem increatam, ergo secundum rationem intelligendi prior est processus Verbi quam Amoris in divinis, maxime cum per imaginem creatam intelligamus Trinitatem increatam.

2. Item, sicut vult Philosophus [3], « voluntas est, cuius principium est in ipso cognoscente singularia », ergo voluntas ut voluntas praesupponit cognitionem: ergo emanationem Verbi emanatio Amoris.

3. Item, omne principium secundum rationem intelligendi prius est quam principiatum; sed Filius est principium Spiritus sancti: ergo secundum rationem intelligendi oportet praeintelligere Filium Spiritui sancto [4]: ergo et generationem, quae est emanatio Filii, prius quam processionem, quae est Spiritus sancti.

4. Item, in omni natura [5] agente per modum naturae et voluntatis, productio per modum naturae intelligitur ante productionem voluntatis: ergo cum Pater sit natura intellectualis, producens Filium connaturalem et per modum naturae et Spiritum sanctum per modum voluntatis, ut supra tactum est: [6] ergo emanatio Filii prior est secundum rationem intelligendi emanatione Spiritus sancti.

Ad opposi-tum. Contra: 1. Augustinus nono de Trinitate [7]: « Partum mentis praecedit appetitus, quo id quod nosse volumus quaerendo, nascitur proles ipsa notitia »: ergo ante est in imagine creata appetitus, quam sit proles notitia, ergo ante amor quam verbum: ergo et processio ante generationem.

2. Item, nullus videns rem cognoscit eam [8], nisi intentio voluntatis applicet vim cognoscentem ipsi cognoscibili, ut patet de homine eunte per viam, qui cum ivit et alibi cogitavit, perfecte nescit, qua transierit, sicut dicit Augustinus in undecimo de Trinitate [9]. Ergo voluntas praecedit ipsam cognitionem, ergo amor verbum in creaturis: ergo pari ratione in Deo, saltem secundum intellectum.

3. Item, sicut vult Philosophus, primum et immediatum est idem. Unde ipse in libro Posteriorum [10], definiens propositionem immediatam, dicit, quod « immediata propositio est illa qua non est altera prior »; sed aeque immediate Spiritus sanctus procedit a Patre, ut Filius, ergo aeque primo: ergo nec secundum rem, nec secundum rationem intelligendi generatio Filii praecedit processionem Spiritus sancti.

4. Item, quanto aliquid communius, tanto prius est secundum rationem intelligendi [11]; sed communis spiratio est communior quam generatio, quia convenit Patri et Filio, sed generatio soli Patri: ergo prior est secundum rationem intelligendi spiratio quam generatio.

CONCLUSIO.

Secundum rationem intelligendi generatio Filii prior est spiratione Spiritus sancti, quod triplici ratione probatur.

Respondeo: Dicendum, quod, quidquid sit de ordine reali, de quo infra dicetur [12], tamen secundum rationem intelligendi prior est emanatio Verbi, tum quia Verbum est Spiritus sancti principium, tum etiam quia Verbum procedit per modum naturae, sed Spiritus sanctus per modum liberalis voluntatis, tum etiam quia intelligimus emanationes in personis per emanationes repertas in imagine. In imagine autem constat, quod cognitio et intelligentia praecedit amorem et voluntatem; non tamen volo dicere, quod in divinis sit emanatio ita [13] natura posterior emanatione, sicut reperimus in imagine creata. Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod appetitus praecedit partum mentis; dicendum, quod ille appetitus habet secundum duplicem sta- Solutio oppositorum.

[1] Libr. IX. de Trin. c. 12. n. 18.

[2] Cap. 1. n. 1. seqq.

[3] Libr. III. Ethic. c. 1, ubi voluntarium (spontaneum) definitur esse eius, cuius principium in ipso cognoscente singularia, in quibus est actio. — De voluntate ut voluntas seu deliberativa, cui opponitur voluntas ut natura, vide II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 3, et IV. d. 49. p. I. q. 2. ad 1.

[4] Plures codd. cum Vat. *quam Spiritum sanctum*, sed minus congrue et contra alios codd. ut G T Y etc. cum ed. 1; cod. X *intelligere Filium prius, quam Spiritum sanctum.*

[5] Auctoritate mss. et ed. 1 supplevimus *natura*, minus bene propter subnexa omissum a Vat.

[6] Dist. 6. q. 2, et d. 10. a. 1. q. 1; ac infra d. 13. q. 1. et 2.

[7] Cap. 12. n. 18, in quibus verbis Vat. cum ed. operum S. Augustini, sed contra nostros codd. et sex primas edd., post *appetitus* addunt *quidam* et post *quaerendo* adiiciunt *et inveniendo.*

[8] Vat., plurimis mss. et ed. 1 obnitentibus, *ipsam.*

[9] Cap. 8. n. 15.

[10] Libr. I. c. 2.

[11] Vide Aristot., III. Phys. text. 2; et V. Metaph. text. 16. (IV. c. 11.). — Mox in Vat. omittitur perperam *communis*, quod tamen in mss. et edd. 1, 2, 3 habetur.

[12] Hic, dub. 1, et infra d. 20. a. 2. q. 1. et 2. — Immediate post ex mss. antiquioribus et ed. 1 adiecimus *tamen.*

[13] Vat. cum cod. cc male et contra alios codd. et ed. 1 omittit *ita.*

Appetitus dupliciter consideratur. tum dupliciter considerari[1]: *uno* modo secundum rationem inhiantis ante habitam cognitionem; *alio* modo secundum rationem complectentis, et hoc est post habitam cognitionem; et secundum primum statum est imperfectionis, quantum vero ad secundum est perfectionis. Et ideo quia quod perfectionis est in Deo ponimus, non quod est imperfectionis, ideo appetitus secundo modo assimilatur Spiritui sancto, et hic tenet rationem tertii. Et quod primus sit imperfectionis, patet, quia est ignorantis et desiderantis scientiam acquirere, quod non convenit Deo.

2. Ad illud quod obiicitur, quod intentio praeexigitur ad cognitionem; dicendum, quod verum est ad cognitionem acquirendam; sed notitia, prout est in acquirendo, non habet similitudinem cum illo Verbo, ut vult Augustinus in decimo quinto de Trinitate[2].

3. Ad illud quod obiicitur, quod aeque immediate procedit Spiritus sanctus; dicendum, quod verum est; sed tamen Spiritus sanctus ita procedit immediate, quod etiam mediante Filio; et ita ex illa ratione oportet praeintelligi emanationem Filii.

4. Ad illud quod obiicitur, quod quanto aliquid communius, tanto prius; dicendum, quod verum est Solutio 1. in absolutis, sed non tenet in respectivis, ut patet[3] in generatione et creatione. — Potest tamen dici, quod Solutio 2. istud intelligitur de eo quod est commune[4] communitate praedicationis; sed communis spiratio est communis communitate non tantum praedicationis, quia dicitur de Patre et Filio, sed etiam[5] cuiusdam concordiae et connexionis; et tale commune secundum rationem concordiae et amicitiae praesupponit concordantes et connexos, non praeit; et sic patet illud.

SCHOLION.

In conclusione omnes Scholastici antiqui consentiunt: Alex. Hal., S. p. I. q. 46. m. 7. — Scot., I. Sent. d. 11. q. 1. — S. Thom., hic a. 1. — B. Albert., I. Sent. d. 28. a. 2. circa finem. — Richard. a Med., hic q. 4. — Ægid. R., hic I. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 54. q. 5. n. 12, et q. 6. n. 26. 34. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de argumento haeretici, quod facit ibi: *Aut nato iam Filio, aut non nato.* Videtur enim istud argumentum necessarium, quia cuiuslibet contradictionis necessarium est alteram partem esse veram[6]; sed *natum* et *non natum* opponuntur contradictorie: ergo necesse est alteram partem dare[7], quod Spiritus sanctus procedat aut nato iam Filio, aut non nato: cum igitur Magister[8] et Augustinus respondeant interimendo utramque partem, videntur male respondere.

Respondeo: Dicendum, quod haereticus in sua quaestione quaerebat de ordine generationis Filii ad processionem Spiritus sancti, et quaerebat de ordine secundum durationem et tempus, non secundum rationem intelligendi, et quaerebat, utrum prius natus est Filius, quam processit[9] Spiritus sanctus, aut e converso. Et utrumque falsum erat; ideo Magister et Augustinus considerantes intentionem haeretici sive interrogationem secundum sensum, in quo eam proponit, simpliciter et bene respondent eam interimendo.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod divisio haeretici est per contradictoria; dicendum, quod falsum est; quia propositio contradictoria accipitur negando De propositione contradictoria. compositionem principalem[10]; sed ipse fert negationem ad compositionem non principalem, sed intellectam in hoc quod est *nato*[11]; et ideo causa falsitatis semper remanet. Haec enim est falsa: Spiritus sanctus procedit, nato Filio; quia notatur, quod nativitas Filii praecedat processionem Spiritus sancti. Haec iterum est falsa: processit, non nato Filio; quia notatur, quod nativitas Filii non fuerit simul cum processione Spiritus sancti. Sed haec est vera: Spiritus sanctus non processit, nato prius Filio; quia simul fuit nativitas Filii et processio Spiritus sancti[12].

---

[1] Plurimi codd. cum ed. 1 omittunt *duplicem*, Vat. vero omittit *dupliciter;* occasio huius omissionis ex repetitione dictorum terminorum praestabatur; lectionem nostram, quae subnexis congruit, exhibetur in cod. T et a secunda manu in cod. ff. — Mox sub verbo *inhiantis* intelligas vehementer desiderantis, sicuti sub verbo *complectentis* intendas fruentis.

[2] Cap. 13. n. 22. Codices, capitulum in librum mutantes, falso legunt *in decimo tertio et decimo quinto.* — Paulo ante in Vat. et cod. cc *plenitudinem* loco *similitudinem*, sed incongrue et contra vetustiores codd. cum ed. 1.

[3] Ex mss. et ed. 1 restituimus verbum *patet.*

[4] Plures mss. ut I T Y Z cum ed. 1 *communius.*

[5] Vat. absque auctoritate codd. et edd. 1, 2, 3 repetit hic *communitate.*

[6] Aristot., I. Periher. c. 6. (c. 8.).

[7] In cod. Y additur *videlicet.*

[8] Hic, c. 1, ubi et verba Augustini habentur.

[9] Unus alterve codex ut I bb cum ed. 1 *natus esset Filius quam processisset.*

[10] Id est, copulam, quae hic fit verbo *procedit.*

[11] B. Albert., hic a. 2. ad ult. ait: Dicendum, quod licet natum et non natum habeant modum oppositionis contradictoriorum, tamen propositiones, in quibus ponuntur, non sunt contradictoriae, istae scilicet: aut processit iam nato, aut processit iam non nato, quia negatio non fertur ad compositionem (copulam), et ideo sunt ambae affirmativae. — Similia dicit Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. ad 1.

[12] Cfr. hic, q. 1; et Richard., hic q. 1. ad ult.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Quidquid Unigenito dedit, gignendo dedit.* Videtur male dicere, quia si hoc; sed [1] dedit ei spirationem, ergo dedit eam gignendo, ergo spiratio est genita. Sed quidquid dicitur in divinis concrete, dicitur et abstracte, sed non convertitur: ergo si spiratio est genita, spiratio est generatio, quod est contra omnes modo [2].

Respondeo: Dicendum, quod defectus est in utroque argumento. Nam illud non valet: dedit generando spirationem, ergo generavit spirationem; sicut non sequitur: generando dedit Filio essentiam, ergo essentia est genita. Aliqua enim per generationem dicuntur dari, quae non dicuntur generari. (Solvitur 1. argumentum.)

Et iterum alia ratio non valet: spiratio est genita, ergo spiratio est generatio. Sicut enim infra patebit de duabus notionibus unius personae [3], verum est, quod una praedicatur de altera denominative, non in abstractione; et ideo non valet illa ratio, immo est ibi accidens. Quod ergo dicitur: quidquid praedicatur denominative et abstracte, verum est de essentia; sed non est verum de proprietate personae; et haec infra melius patebunt [4]. (Solvitur 2. argumentum.)

Dub. III.

Item dubitatio est de hoc quod dicit Hieronymus: *Credimus in Spiritum sanctum, qui de Patre proprie procedit.* Videtur enim falsum dicere, quia «*proprium* est quod convenit uni soli [5]»: ergo si de Patre procedit *proprie,* non ergo de Filio. *Si tu dicas,* quod non dicit *proprie* contra communitatem, sed contra improprietatem: ergo videtur quod improprie procedat a Filio.

Respondeo: Dicendum, quod *proprie* non dicit proprietatem sive solitudinem, sed sonat in [6] auctoritatem, sicut *principaliter*. Sicut enim Pater *principaliter* dicitur spirare, quia hoc non habet ab alio; ita etiam *proprie,* quia hanc conditionem, *non habere ab alio,* nulli communicat; ita videtur dicere Magister. (Solutio 1.)

Potest tamen dici, quod uno modo proprium dicitur contra communitatem; alio modo contra improprietatem; tertio modo accipitur pro appropriatione [7]; et sic accipitur hic. Quamvis enim spiratio aeque vere et proprie conveniat Patri et Filio, tamen Hieronymus appropriat eam Patri propter auctoritatem [8]. (Solutio alia.)

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hilarius loquens ad Patrem: *Ex te per eum Spiritus sanctus tuus est.* Videtur enim male dicere dicendo *per eum,* quia, ut dicit Praepositivus [9], *per* cum verbis transitivis significat subauctoritatem, sed cum absolutis auctoritatem; ut patet, cum dicitur: ego sum sapiens per Deum, in Deo notatur auctoritas. Cum ergo dicitur, quod Spiritus sanctus est a Patre per Filium, in Filio notatur auctoritas.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt dicere, quod haec est impropria: Spiritus sanctus est a Patre per Filium sive procedit; et debet resolvi in hanc: Spiritus sanctus spiratur a Patre per Filium; et consentiunt rationi praedictae. — Sed cum ista sit vera: creatura procedit a Patre per Filium, et haec similiter: exit vel procedit: non video rationem, quare similiter illa verba Hilarii non possint proprie dici. (Solutio aliquorum.) (Non probatur.)

Et [10] propterea est dicendum, quod quamvis procedere non sit verbum transitivum quantum ad modum significandi, quia non construitur cum accusativo; quia tamen aequivalet [11] transitivo, ut cum dicitur: procedit a Patre per Filium, iudicandum est sicut de verbo transitivo; et ideo dicit subauctoritatem [12]. (Solutio vera.)

---

[1] Vat. absque auctoritate mss. et edd. 1, 2, 3, 6 *esset verum* loco *sed;* simili elliptica locutione S. Bonav. saepius utitur.

[2] Ita fere omnes codd. cum ed. 1; cod. cc omittit *modo,* pro quo Vat. *modernos.*

[3] Dist. 33. q. 3. et 4. — Mox post *verum est* Vat. cum cod. cc, aliis tamen codd. et ed. 1 refragantibus, addit *dicere.* Paulo infra post *denominative* in cod. T apponitur *sed.*

[4] Loco paulo supra citato. — Antiquiores codd. cum ed. 1 in eo conveniunt, quod in ultima propositione adiungant a Vat. et cod. cc omissum *melius,* sed in eo dissentiunt, quod alii ut A G H I T etc. cum ed. 1 exhibent lectionem nostram, alii modo singulari *et hoc infra melius patebit;* cod. Z *et hoc similiter melius patebit.* — De solutione huius dubii vide etiam B. Albert., hic a. 7.

[5] Aristot., I. Topic. c. 4. et Porphyr., de Praedicab. c. de Proprio. — Paulo infra fide antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *dicit,* scilicet Hieronymus, loco *dicitur.*

[6] Auctoritate fere omnium mss. et trium primarum edd. restituimus praepositionem *in;* familiaris siquidem est S. Doctori haec locutio *sonare in.*

[7] Plurimi codd. cum tribus primis edd. *per appropriationem.* Melius legeretur *pro appropriato.* Paulo infra mss. cum sex primis. edd. perperam *Filius* loco *Hieronymus.*

[8] Solutioni consentit S. Thom., S. I. q. 36. a. 3. ad 2. et Scot., hic q. 2.

[9] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *Priscianus.*

[10] In Vat. omittitur *Et,* refragantibus mss. et ed. 1.

[11] Ed. 1 *aequipollet.* Paulo infra post *Filium* codd. H Y addunt *tantum valet ac si diceretur, producitur.*

[12] Explicationem textus Hilarii et significationem praepositionis *per* vide etiam in S. Thom., S. I. q. 36 a. 3. in corp. et ad 4; B. Albert., hic a. 6; Scot., hic q. 2.

DISTINCTIO XIII.

Cap. I.

Quare Spiritus sanctus, cum sit de substantia Patris, non dicatur genitus, sed tantum procedens.

Post haec [1] considerandum est, quantum a talibus, quales nos sumus, intelligi potest, cum Spiritus sanctus procedat de Patre et sit de substantia Patris, cur non dicatur esse natus, sed potius procedere; et cur non dicatur filius. Quare autem Spiritus sanctus non dicatur vel sit natus, et ideo non sit filius, Augustinus ostendit in decimo quinto libro de Trinitate [2] ita dicens: « Si Spiritus sanctus filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum nisi patris et matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem et Deum Filium tale aliquid suspicemur ». Absurdissime ergo filius diceretur amborum, id est Patris et Filii. « Amborum enim filius diceretur, si eum ambo genuissent, quod abhorret omnium sanorum sensus. Non igitur ab utroque est genitus, sed procedit ab utroque amborum Spiritus [3] ». His verbis ostenditur, cur Spiritus sanctus, cum sit de Patre, non tamen dicatur genitus vel filius.

Cap. II.

Cur Filius dicatur procedere, cum Spiritus sanctus non dicatur gigni.

Cum autem Spiritus sanctus non dicatur genitus, sed tantum procedens, quaeri solet, cur Filius non dicitur tantum genitus, sed et procedens; sicut ipse in Evangelio Ioannis [4] ait: *Ego ex Deo processi vel exivi, et veni in mundum.* Non ergo tantum Spiritus sanctus procedit a Patre, sed etiam Filius. Ad quod dicimus, quod cum uterque procedat a Patre, dissimiliter tamen. Nam « Spiritus sanctus, ut ait Augustinus in quinto libro de Trinitate [5], procedit a Patre non quomodo natus, sed quomodo datus » vel Donum. Filius autem processit nascendo, exiit ut genitus. Ac per hoc illud elucescit, ut potest, scilicet cur Spiritus sanctus etiam non sit filius, cum et ipse a Patre exeat, « ideo scilicet [6] non dicitur filius, quia neque natus est, sicut Unigenitus, neque factus, ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicut nos ».

Cap. III.

Quod non potest mortalis distinguere inter generationem Filii et processionem Spiritus sancti.

Inter generationem vero Filii et processionem Spiritus sancti, dum hic vivimus, distinguere non sufficimus. Unde Augustinus Maximino praemissam quaestionem refricanti, scilicet quaerenti, cur Spiritus sanctus non diceretur filius, cum de Patris esset substantia, respondens sic ait [7]: « Quaeris a me, si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est etiam Spiritus sanctus, cur unus filius sit, et alius non sit filius. Ecce respondeo, sive capias sive non capias: de Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus, sed ille genitus est, iste procedens; ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus est utriusque, quoniam de utroque procedit. Sed ideo, cum de illo loqueretur, ait [8]: *De Patre procedit,* quoniam Pater processionis eius est auctor, qui talem Filium genuit et gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus sanctus. Nam nisi procederet etiam de ipso, non diceret discipulis [9]: *Accipite Spiritum sanctum,* eumque insufflando daret, ut, a se quoque procedere significans, aperte ostenderet flando, quod spirando dabat occulte. Quia ergo, si nasceretur, non tantum de Patre nec tantum de Filio, sed de ambobus utique nasceretur; sine dubio filius diceretur amborum. Ac per hoc, quia filius amborum nullo modo esset, non oportuit nasci eum de ambobus. Amborum est ergo Spiritus [10], procedendo de ambobus ».

« Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? Non [11] omne quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur; sicut non omne quod bipes est, homo est, quamvis bipes sit omnis, qui homo est. Hoc scio; distinguere autem inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. Ac per hoc, quia et illa et ista est ineffabilis, sicut Propheta de Filio loquens ait [12]: *Generationem eius quis enarrabit?* ita de Spiritu sancto verissime dicitur: processionem eius quis enarrabit? Satis sit ergo nobis, quia non est a se ipso Filius, sed ab illo de quo natus est, non est a se ipso Spiritus sanctus, sed ab illo de quo procedit, et quia de utroque procedit, sicut iam ostendimus [13] ». De Spiritu sancto, quomodo ipse de

Differentia inter nasci et procedere est occulta.

---

[1] Ed. 1 sola *hoc.*

[2] Cap. 27. n. 48; et Tract. 99. in Ioan. n. 9. — Etiam verba praecedentia secundum sensum ex eodem loco excerpta sunt. — Post *Trinitate* Vat. et edd. 4, 8 omittunt *ita;* in fine loci codd. A C D *suspicetur* pro *suspicemur.*

[3] August. ibid. c. 26. n. 47, in quo loco sola Vat. post *ambo* perperam addit *et.* Deinde cod. B cum Augustino habet *ab omnium sanorum sensibus.* Denique contra Augustinum et omnes mss. legunt edd. *Non ergo* pro *Non igitur.*

[4] Cap. 16, 27. et 28. Vulgata: *Ego a Deo exivi. Exivi a Patre et veni in mundum.* Sed Ioan. 8, 42. legitur: *ex Deo processi;* unde Magister dicit: *processi vel exivi.*

[5] Cap. 14. n. 15, unde et sumta sunt quae post interposita verba Magistri sequuntur.

[6] Vat. et edd. 4, 5, 6, 8 *Spiritus* pro *scilicet.* Mox cod. C verbo *natus est* praemittit *ipse.*

[7] Libr. II. c. 14. n. 1; in quo loco edd. 1, 8 indebite omittunt *sit* ante *et alius.* Mox ante *Spiritus sanctus* solummodo codd. A C addunt *etiam.*

[8] Ioan. 15, 26; Vulgata *a Patre procedit.* — Paulo ante sola ed. 1 cum originali omittit *est* ante *utriusque.*

[9] Ioan. 20, 22.

[10] Contradicentibus mss., ed. 1 et textu Augustini, Vat. cum aliis edd. addit *sanctus.*

[11] Ed. 1 adiungit *enim,* et paulo infra post *illam* addit *Verbi.*

[12] Isai. 53, 8.

[13] Loc. cit. — Paulo infra ed. 5 *ipse Deus sit de Deo* pro *ipse de Deo sit.*

Deo sit, nec tamen ipse filius sit, quoniam procedendo, non nascendo legitur esse de Deo, iam superius, quantum visum est, disputavimus.

Cap. IV.

Utrum Spiritus sanctus debeat dici ingenitus, cum non sit genitus.

Nunc considerandum est, cum Spiritus sanctus non sit genitus, utrum debeat dici ingenitus. Ad quod dicimus, Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum debere dici. Unde Augustinus ad Orosium [1] ait: « Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum fides certa declarat; quia si dixerimus ingenitum, duos patres affirmare videbimur; si autem genitum, duos filios credere culpamur. » Sicut enim solus Filius dicitur genitus, ita et solus Pater dicitur ingenitus, eo quod ab alio non sit. Unde Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate [2]: « Pater, inquit, solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium et de re tanta sermonem qualem valuerint proferentium. Filius autem de Patre natus est, et Spiritus sanctus de Patre principaliter et communiter de utroque procedit. Ideoque cum Spiritum sanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo vel duos patres in illa Trinitate, vel duos, qui non sunt de alio, quispiam suspicetur ». Ecce his verbis aperte ostendit, Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum debere dici.

Hieronymus aliter dicit.

Hieronymus tamen in Regulis definitionum [3] contra haereticos Spiritum sanctum dicit ingenitum esse, his verbis: « Spiritus sanctus Pater non est, sed ingenitus atque infectus. Pater non est, quia Patris est et in Patre est; processionem habet ex Patre, et non nativitatem; Filius autem non est, quia genitus non est ». Ecce his verbis dicitur Spiritus sanctus esse ingenitus; quod videtur adversari praemissis verbis Augustini.

Determinatur duplex sensus ingeniti.

Sed ut istam quae videtur repugnantiam de medio abigamus, dicimus, quod Hieronymus aliter accepit [4] nomen *ingeniti*, et aliter Augustinus. Accepit enim Augustinus *ingenitum*, qui vel quod ab [5] alio non est; et secundum hoc de solo Patre dicitur; Hieronymus vero *ingenitum* dicit *non genitum*; et secundum hoc de Spiritu sancto potest dici, cum Spiritus sanctus non sit genitus.

Probatur ex Hieronymo.

Quod autem Hieronymus ita acceperit, ostenditur ex verbis suis, quibus in eodem tractatu [6] utitur, faciens talem divisionem: « Omne quod est, aut ingenitum est, aut genitum, aut factum. Est ergo quod nec natum est nec factum; et est quod natum est et factum non est; et est quod nec natum est nec factum est; et est quod factum est et natum non est; et est quod factum est et natum est et renatum est; et est quod factum est et natum est et renatum non est. Nunc praepositorum singulis rebus subsistentiam destinemus. Quod ergo nec natum nec factum est, Pater est; non enim ab aliquo [7] est. Quod autem natum est et factum non est, Filius est, qui a Patre genitus est, non factus. Quod iterum nec natum nec factum est, Spiritus sanctus est, qui a Patre procedit. Quod etiam factum est et natum non est, caelum et terra [8] ceteraque, quae sunt insensibilia. Quod autem factum et natum et renatum est, homo est. Quod vero factum est et natum est et renatum non est, animalia sunt ». Ecce his verbis ostendit Hieronymus, se *ingenitum* accipere *non genitum*. Aliter enim non esset praemissa divisio vera, scilicet omne quod est aut ingenitum est, aut genitum, aut factum. Atque in divisionis huius prosecutione in assignatione *ingeniti*, ubique ponit *non natum*.

---

[1] In dialogo nempe quaestionum sub titulo ad Orosium, quaest. 2. Sed supposititium est hoc opus. In fine huius loci ed. 8 cum originali *culpabimur* pro *culpamur*.

[2] Cap. 26. n. 47. — In hoc textu post *sermonem* cod. D *qualemcumque* loco *qualem*. Ipse Augustinus post *principaliter* interserit: *ipso sine ullo temporis intervallo dante* etc. — In fine ed. 1 *non sint* pro *non sunt*, et edd. 5, 9 *de aliquo* pro *de alio*.

[3] Edd. 1, 8 titulo huius operis addunt: *vel distinctionum*. Hic liber non est S. Hieronymi, nec in appendicibus editionum eiusdem invenitur. In appendice ad opera S. Ambrosii (Patrolog. Migne, Lat. tom. 17. col. 510.) impressum est opusculum anonynum sub titulo: de Trinitate; alias, in Symbolum Apostolorum Tractatus, ex quo (c. 3. coll. 512.) textus secundus, paulo infra citatus, integre desumtus est, paucis tantum verbis deficientibus vel mutatis. Locus vero hic citatus tantum quoad *sensum* ibi exhibetur. Cum autem hoc opusculum, ut putant editores, sit mutilum et iam antiquitus interpolatum, fortasse Lombardus etiam primum textum ad verbum inde accepit. In praevia admonitione Benedictini editores huius libelli censent, ipsum contra Priscillianistas et ad vindicandam Toletanam fidei regulam esse editum atque Concilio, si minus Toletano, saltem Braccarensi secundo, quod a. 563 vulgo ponitur, supparem esse. — Locum infra a Magistro exhibitum Alcuinus (de Fide Ss. Trinitatis libr. II. c. 9. Patrolog. Lat. Migne, tom. 101. col. 28.) totum reportat, sed nonnullis additis vel mutatis.

[4] Codd. ACDE *acceperit*.

[5] Vat. et edd. 1, 2, 3, 4, 7, 9 *de*. Immediate ante ed. 1 omittit *vel quod*. Deinde codd. ABCD post *Spiritu* omittunt *sancto*. Denique ed. 1 omittit ultima verba: *cum Spiritus* etc.

[6] Cap. 3. — Vide notam paulo supra. — Immediate ante Vat. et edd. 4, 6, 8 *verbis eius* pro *verbis suis*; quod licet sit minus rectum, exhibent tamen omnes codd. et ceterae edd. Deinde ubi prima vice ponitur *nec natum* codd. omittunt *est* contra edd.

[7] Vat. et edd. 4, 5, 6, 9 verbo *aliquo* praemittunt *alio*.

[8] Supple cum ed. 6 *est*. — Immediate post edd. 2, 3, 5, 7, 9 omittunt *sunt*. Non multum infra ante *ostendit Hieronymus* cod. C addit *aperte*.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIII.

De aeterna processione Spiritus sancti, quatenus distinguitur a generatione.

Post haec considerandum etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de processione per comparationem ad illum, ad quem et a quo est. Hic tertio loco agit de ipsa secundum [1] comparationem ad generationem, a qua differt. Et haec pars habet duas partes. In prima Magister quaerit et determinat, utrum Spiritus sanctus debeat dici *genitus;* in secunda, utrum debeat dici *ingenitus,* ibi: *Nunc considerandum est, cum Spiritus sanctus non sit genitus.*

Item, *prima* pars habet quatuor. In *prima* ostendit, quod Spiritus sanctus non debeat dici natus [2]. In *secunda* ostendit, quod quamvis dicatur de Spiritu sancto procedere, dicitur tamen de Filio, ibi: *Cum autem Spiritus sanctus non dicatur genitus;* et ratio est, quod aliter dicitur Filius procedere quam Spiritus sanctus. In *tertia* vero tentat assignare differentiam inter generationem et processionem, ibi: *Inter generationem vero Filii et processionem* etc. In *quarta* vero et ultima ostendit humanam insufficientiam [3] ad illam differentiam indagandam, ibi: *Quid autem inter nasci et procedere intersit.*

Nunc considerandum est, cum Spiritus sanctus. Haec est [4] *secunda* pars, in qua Magister quaerit et determinat, utrum Spiritus sanctus debeat dici *ingenitus;* et haec pars habet quatuor partes. In *prima* ostendit Magister et probat auctoritate Augustini, quod Spiritus sanctus non debet dici ingenitus. In *secunda* vero ostendit contrarium auctoritate Hieronymi, quod debet dici ingenitus, et ponitur ibi: *Hieronymus tamen in Regulis distinctionum* etc. In *tertia* vero praedictam controversiam determinat per distinctionem, ibi: *Sed ut istam quae videtur esse repugnantiam.* In *quarta* auctoritate Hieronymi confirmat suam solutionem, ibi: *Quod autem Hieronymus ita accepit* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae dicuntur in littera, quatuor quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum in divinis sit ponere processionem.

Secundo, utrum processio Spiritus sancti sit generatio.

Tertio, utrum processio Spiritus sancti realiter differat a generatione.

Quarto, utrum Spiritus sanctus debeat dici *ingenitus* an [5], non.

ARTICULUS UNICUS.

De processione Spiritus sancti et de differentia processionis a generatione.

QUAESTIO I.

Utrum in divinis ponenda sit processio.

Circa primum, quod processio sit ponenda in divinis, ostenditur:

1. Primo auctoritate Domini, Ioannis decimo quinto [6], ubi dicit ipse Salvator: *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Si ergo Veritas non dicit nisi verum, et Verbum Dei non loquitur Fundamenta.

---

[1] Cod. M et ed. 1 *per.*

[2] Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 addit *vel genitus vel Filius,* sicut et mox prosequitur: *In secunda ostendit, quod cum Spiritus sanctus non dicatur genitus, cur Filius, qui dicitur genitus, etiam dicatur procedere; ibi.*

[3] Codd. L O *intelligentiam insufficientem esse* loco *insufficientiam.*

[4] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1, omissis verbis Magistri *Nunc considerandum* etc., loco *Haec est* ponit *Similiter,* et consequenter propter variatam constructionem paulo infra omittit *et haec pars.*

[5] Fide plurium mss. ut A F G H I T etc. et ed. 1 loco *aut* substituimus *an.*

[6] Vers. 26, ubi Vulgata: Cum autem venerit Paraclitus,

improprium, vere ergo et proprie[1] est processio in divinis.

2. Item, in divinis verissime est origo, ergo et productio; sed omni productioni activae respondet productio passiva; sed productio passiva est processio: ergo a primo[2] in divinis vere et proprie est processio.

3. Item, amor noster et est amor et[3] ab alio, et exitus eius ab alio vere et proprie exprimitur in verbo *procedendi:* cum igitur amor divinus, qui est Spiritus sanctus, vere et proprie amor sit et ab alio sit, sicut nomen *amoris* ei competit propriissime, ita videtur ei convenire et *processio.*

4. Item, ad completam rationem processionis ista duo requiruntur, quod sit ab alio et in alium tendat; sed amor, qui est Spiritus sanctus, non procedit a Patre, in quantum amat se, nec[4] a Filio, in quantum amat se, sed in quantum unus amat alterum, quia nexus est: ergo Spiritus sanctus est amor, quo amans tendit in alium: ergo est amor et ab alio et in alium[5], et ista duo complectuntur rationem processionis perfectae: ergo processio est in divinis.

Ad opposit um.

Contra: 1. Processio de ratione sui nominis dicit elongationem et recessionem; unde *processio* quasi *procul cessio,* sicut praecessio dicit antecessionem; sed sicut in divinis non est antecessio propter summam simultatem, ita non est elongatio propter summam unitatem: ergo sicut in divinis non ponitur nomen *praecessionis,* ita nec[6] debet poni nomen *processionis.*

2. Item, in creaturis processio de ratione sui generis dicit motum, et ita indigentiam et imperfectionem; sed nullum tale nomen debet transferri ad Deum: ergo nec processio.

3. Item, creatio dicit specialem differentiam processionis et differentiam addentem nobilitatem, quia dicit egressum rei a Creatore, qui est causa nobilissima; sed creatio passiva nullo modo reperitur in divinis; nulla enim persona dicitur creari: ergo pari ratione nec processio.

4. Item, processio in creaturis non dicitur nisi dupliciter, videlicet *localis* et *causalis:* localis, quae est in motu progressivo, causalis, quae est effectus a causa. Sed localis non potest transferri ad divina, quia nulla mutatio secundum locum nec in generali nec in speciali cadit in Deo. Et *praeterea*[7], cum talis sit ab uno in alium, oportet ponere, quod Spiritus sanctus aeternaliter non procederet a Patre et Filio; non ergo invenitur processio localis. Sed haec nobilior est quam causalis, quia ista est entis completi et a principio intrinseco: ergo per locum a maiori nec causalis invenitur in Deo; et ita nullus modus processionis reperitur[8].

CONCLUSIO.

Ratio processionis vere, proprie et perfecte invenitur in divinis.

Processio dicit duplicem respectum.

Respondeo: Dicendum, quod processio in creaturis dicit respectum ad *principium a quo,* ut radius dicitur procedere a sole, sive flos ab arbore; et quod dicat mutationem[9], hoc accidit ei. Et similiter ratione nominis dicit respectum ad *terminum ad quem;* et quod dicat elongationem, hoc accidit ei.

Quoniam igitur in divinis uterque respectus reperitur; nam persona procedens respectum habet ad principium a quo, amor procedens[10] respectum habet ad amatum, amor scilicet ille, qui est nexus et caritas: ideo vere et proprie et perfecte ratio processionis invenitur in divinis. Unde concedendae sunt rationes ad hoc adductae[11]. Conclusio.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod processio dicit elongationem; dicendum, quod hoc verum est in creaturis, in quibus per approximationem ad *terminum ad quem* fit elongatio a *termino a quo* propter sui finitatem et circumscriptionem et distantiam; et[12] sic non est in Deo.

2. Ad illud quod obiicitur, quod[13] dicit motum in creaturis; dicendum, quod non transfertur ratione motus, quem dicit, sed ratione duplicis respectus, qui, quamvis non possit esse in creaturis sine motu propter imperfectionem, nihilominus tamen est in Creatore.

---

quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit. — Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, *Ioannis, per quam dicit Salvator.*

[1] Corruptam lectionem Vat. *et verba Dei non loquitur nisi proprie vere: ergo proprie* emendavimus ope antiquiorum mss. et ed. 1.

[2] Vetustiores codd. cum ed. 1 omittunt hic in Vat. et cod. cc additum *ad ultimum.*

[3] Cod. K addit iterum *est.*

[4] Aliqui codd. ut IST cum ed. 1 *sed nec.*

[5] Ita antiquiores codd. cum ed. 1, quamvis plures falso *in aliis* pro *in alium;* Vat. autem cum cod. cc omittit verba *ergo est* usque *in alium.*

[6] Vat. cum pluribus mss. minus bene *non* pro *nec.*

[7] Ed. 1 *propterea.* Mox Vat. *oporteret* pro *oportet.*

[8] Codd. Y ee addunt *in divinis,* cod. F *in Deo.* — De eo, quod processio sive motus localis sit ceteris motibus nobilior cfr. Aristot., VIII. Phys. text. 54-60. (c. 7.).

[9] Vat. cum cod. cc *dicit motum;* plures tamen antiquiores codd. ut FHIMXY aa bb ee cum ed. 1 exhibent lectionem nostram, quae confirmatur lectione falsa multorum mss. *dicat unitatem.* Circa finem responsionis Vat. cum cod. cc, ceteris codd. tamen cum ed. 1 obnitentibus, *dicit* loco *dicat.* Dein multi codd. cum ed. 1 omittunt *ei.*

[10] Vat. contra omnes codd. et edd. 1, 2, 3 *ut amor procedens ab amante.* Mox cod. K post *habet* addit *ad amantem et,* sed perperam, quia in hoc divisionis membro attenditur solum secundus respectus, scil. terminus ad quem.

[11] Plures codd. ut GHIKPQ etc. *inductae.*

[12] Ed. 1 *sed* loco *et.*

[13] Vat. adiungit *processio.* Mox auctoritate vetustiorum mss. et ed. 1 supplevimus *quem dicit,* et circa finem solutionis *tamen.*

3. Ad illud quod obiicitur de creatione, dicendum, quod creatio de principali impositione dicit exitum de nihilo; et ideo nullo modo significatum eius potest in Deo salvari, nec proprie nec transsumtive; non sic autem est de generatione et processione.

Conveniunt et differunt processio causalis et localis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod nec causalis nec localis; dicendum, quod immo *ad modum causalis*. Et causalis uno modo convenientiam habet cum locali. Nam causalis processio *uno* modo terminatur in procedente, et ita [1], quod nihil ultra respicit, ut cum dicitur: filius procedit a patre; *alio* modo, prout effectus respicit aliquem ut terminum; et sic procedit amor ab amante in amatum, et [2] aliquo modo *convenit* cum processione locali, quia respicit terminum *ad quem*, aliquo modo *differt*, quia non respicit, tanquam in illo recipiatur, sed tanquam *obiectum*. Et quoniam respectus et emanatio vere reperiuntur in divinis, hinc est, quod illa emanatio dicitur ad similitudinem emanationis *causalis*. Sed similitudo *localis* processionis ibi non cadit nisi longinque; et ideo Graeci decepti sunt.

Et ad illud, quod processio localis est perfectior; dicendum, quod processio *localis* semper habet imperfectionem coniunctam de [3] ratione nominis; non sic *originalis*. Et verum est, quod perfectior est inter motus; sed processio in divinis non dicit motum, sed originem sine motu et mutatione, sicut supra dictum est de generatione [4].

SCHOLION.

I. Ratio *processionis* in creaturis continet essentialiter duplicem respectum, scil. ad terminum *a quo* et ad terminum *ad quem*. Hi respectus per se nullam important imperfectionem, unde etiam in divinis poni possunt. Secundario vero et per accidens (« hoc ei accidit, » ut dicit S. Doctor) processio in creaturis importat imperfectiones, nempe tum mutationem seu motum principii *a quo*, tum elongationem termini *ad quem*. Hae imperfectiones excludi debent a processione in divinis. Circa hanc distinctionem et aliam in solut. ad 4. positam cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 43. m. 4. in corp.

II. Conclusio pertinet ad fidem. Cfr. Alex. Hal., loc. cit. — Scot., pro hac et duabus seqq. in Oxon. et Report. hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. q. 27. a. 1. — B. Albert., I. Sent. d. 11. a. 1; S. p. I. tr. 7. q. 31. m. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 1. — Ægid. R., hic. 1. princ. q. 1. — Henr. Gand., de hac et seq. S. a. 61. q. 2. n. 6. seq. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, I. Sent. d. 14. q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum processio Spiritus sancti sit generatio.

Secundo quaeritur, utrum processio Spiritus sancti sit generatio. Et quod non, videtur.

Fundamenta.

1. Augustinus de Trinitate decimo quinto [5]: « Sicut Filio praestat essentiam sine ullo initio temporis et sine ulla mutatione generatio, ita Spiritui sancto processio »: ergo si non est idem quod praestat essentiam duabus personis etc.

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia generatio est emanatio secundum modum fecunditatis naturae; sed, sicut supra probatum est [6], Spiritus sanctus procedit per modum liberalitatis et amoris: ergo non generatur: ergo generatio non est processio.

3. Item, nihil unum exit a duobus similibus per viam generationis [7], nisi alter sit ut pater, alter ut mater, alter ut principium activum, alter ut principium passivum; sed Spiritus sanctus procedit a duobus similibus: ergo si per viam generationis, alter est ei ut pater, alter ut mater; quod omnino absurdum est.

4. Item, Filius est sua generatio et Spiritus sanctus est sua processio: ergo si procedere esset generari, Spiritus sanctus esset Filius [8]; sed Spiritus sanctus procedit a Filio et dicitur Spiritus Filii, sicut Filius dicitur Patris: ergo si Filius non est Pater, nec Spiritus sanctus est Filius: ergo nec processio est generatio.

Ad oppositum.

Contra: 1. In his inferioribus generatio est motus ad substantiam, unde generatio est substantiae productio [9]; sed processio Spiritus sancti est substantiae sive hypostasis productio: ergo est generatio.

2. Item, *generare* sic definitur a Damasceno [10]:

---

[1] Supple: terminatur; Vat. cum cod. cc ad hanc supplętionem tollendam omittit *et*, quod praefigitur particulae *ita*, sed contra antiquiores codd. et ed. 1.

[2] Aliqui codd. ut B T Y cum ed. 1 addunt *sic*.

[3] Restituimus ex mss. et ed. 1 *de*.

[4] Dist. 9. q. 1.

[5] Cap. 26. n. 47, in quo textu fide antiquiorum mss. et ed. 1, consentiente ed. operum Augustini, posuimus *ita* loco *sic*.

[6] Dist. 10. a. 1. q. 1. et 2.

[7] Multi codd. ut A C G H I L R S T U Y Z etc. cum ed. 1 perperam omittunt *per viam generationis*.

[8] Cod. O superflue addit: *sed Filius non est Spiritus sanctus nec e converso; ergo generatio non est processio nec e converso.*

[9] Cfr. Aristot., V. Phys. text. 7. seqq. (c. 1.) et I. de Gener. et corrupt. text. 11. seqq. (c. 3.). — Mox Vat. cum cod. cc contra alios codd. et ed. 1 *secundum hypostasim* loco *sive hypostasis*.

[10] Libr. I. de Fide orthod. c. 8: Generatio quidem in hoc consistit, ut ex gignentis substantia proles eiusdem cum gignente substantiae producatur. — Paulo infra ed. 1 post *Spiritus* addit *sanctus*.

generare est sibi similem in substantia producere; sed spiratione vel processione producitur Spiritus similis in natura: ergo et processio est generatio.

3. Item, actiones et mutationes denominantur a termino [1]: ergo quaecumque conveniunt in eo quod habetur per emanationem, conveniunt in modo emanandi; sed Filius et Spiritus sanctus conveniunt in substantia, quam habent per emanationem: ergo conveniunt in emanatione: ergo si modus emanandi Filii est generatio, et Spiritus sancti similiter.

4. Item, productio est superius ad generationem [2]; sed quaecumque producuntur, procedunt: ergo processio est superius ad generationem: ergo generatio est processio: ergo pari ratione processio est generatio.

Quaestio incidens. *Si dicas,* quod processio appropriatur Spiritui sancto; *quaero rationem;* et videtur, quod magis debeat appropriari Filio, quia, si ratio procedendi secundum rationem intelligendi per prius est in Filio, ergo processio magis debet ei appropriari.

5. Item, si generans est spirans, ergo genitus est spiratus, et e converso; sed spiratio passiva est processio: ergo etc.

CONCLUSIO.

Spiritus sancti processio non est generatio.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod sicut Spiritus sanctus non est Filius, ita nec processio Spiritus sancti est generatio.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod generatio est productio substantiae; dicendum, quod est producere substantiam *dissimilem,* Tres modi productionis. et est producere substantiam *similem* secundum *voluntatem* [3], et est producere substantiam *similem* per modum *naturae.* Isti tres modi distinguuntur et diversi et separabiles sunt, quantum est de se. Quod patet, quia in productione Adam [4] fuit substantiae productio, et tamen non fuit generatio; Deus enim non generavit Adam, sed creavit; in productione Evae de Adam fuit similis substantiae productio, non tamen generatio, quia Adam non genuit Evam; sed in productione Abel fuit substantiae productio secundum viam naturae, et ideo fuit ibi generatio. Secundum rem igitur isti tres modi distinguuntur [5], tamen in actione creaturae non distinguuntur, quia creatura non potest substantiam producere nisi similem, et hoc per virtutem naturalem. Et ratio huius est imperfectio potentiae et limitatio [6] in creatura; sed in Deo est summa potentia, et ideo in eius operatione isti tres modi habent distinctionem.

Definitio generationis. Ideo quamvis in istis inferioribus gratia materiae sit *completa ratio* generationis [7]: productio substantiae similis, vel productio substantiae, non tamen in divinis, immo oportet addi: per modum fecunditatis naturae. Et quia ista conditio deficit [8] in productione Spiritus sancti, patet, quod non sequitur.

Differt emanatio in Deo et in creatura. 3. Ad illud quod obiicitur, quod similem habet uterque emanationem; dicendum, quod differt emanatio in his inferioribus et in Deo; quia in his inferioribus terminatur ad *essentiam* vel substantiam, quae multiplicatur; sed in divinis terminatur ad *hypostases.* Quoniam igitur hypostasis, ad quam terminatur processio, est *amor,* hypostasis, ad quam terminatur generatio, est *imago* — et amoris et nexus est spirari, non generari, e converso imaginis generari, non spirari — cum non sit consimilis ratio propria hypostasum secundum se, nec erit consimilis emanatio. Ipse vero procedit, ac si ad substantiam proprie terminaretur.

4. Ad illud quod obiicitur, quod processio est commune generationi; dicendum, quod [9] est commune generationi et processioni proprie dictae; et nos hic loquimur de processione, prout tantum Spiritui sancto convenit; sic autem non est communis nec hoc modo praedicatur nec [10] subiicitur; nec est intelligenda ibi communitas rei, sed solum proportionis, sive modi loquendi.

Solutio 1. quaestionis incidentis. Quod ergo *quaeritur,* quare magis Spiritui sancto appropriatur, *quidam* voluerunt dicere, quod sicut nomen *proprii* [11] commune est definitioni et propriae passioni, tamen quia *definitio* addit supra nomen *proprii,* propria passio non [12]: ideo definitio habet nomen, propria passio non; sed nomen com-

---

[1] Aristot., V. Phys. text. 4: Magis autem ab eo in quod quam ex quo movetur, denominatur mutatio.

[2] Aliis verbis: productio est genus, cuius species est generatio.

[3] Corrupta lectio Vat., in qua haec duo priora distinctionis membra ita exhibentur: *est producere substantiam secundum voluntatem et est producere substantiam similem praeter naturam,* resarcitur ope mss. et ed. 1; cod. W post *dissimilem* addit *naturae*, cod. Z autem *per modum voluntatis;* ed. 1 tandem post *similem* adiicit *et hoc dupliciter*, *nam est producere substantiam similem.*

[4] Cod. Z *Adae.*

[5] Interpunctio huius loci et lectio in Vat. et cod. cc est prorsus perturbata *et ideo fuit ibi generatio secundum rem: ergo isti tres modi distinguuntur in Deo. Tamen;* obstat insuper auctoritas antiquiorum mss. et ed. 1 nec non contextus.

[6] Ed. 1 hic repetit *potentiae.*

[7] Id est, completa vel sufficiens definitio generationis.

[8] Vat. contra antiquiores codd. *defecit;* ed. 1 *defuit.*

[9] In cod. Y et ed. 1 additur *processio.*

[10] Cod. V addit *hoc modo.*

[11] Ita plurimi codd. cum ed. 1, dum Vat. legit *sicut hoc nomen proprium.*

[12] Petr. Hisp. Summula, tract. de Praedicab. de Proprio ait: Proprium est quod inest soli et semper et conversim praedicatur de re et non indicat, quid est esse (essentiam) rei, ut risibile. Unde *non indicat quid est esse rei* ponitur in definitione *proprii* ad differentiam *definitionis;* definitio enim conversim praedicatur de re et indicat, quid est esse rei. Exemplum: ut substantia animata sensibilis convertitur cum animali et indicat, quid est esse eius; quia omnis definitio datur per substantialia; omne enim superius est de essentia sui inferioris.

Reprobatur. mune retinuit; sic in proposito. — Sed hoc est absurdum dicere, quod Spiritus non habeat[1] proprium et singularem modum emanandi, sicut Filius.

Ideo voluerunt[2] *alii*, quod addit alium modum; Solutio 2. sed quia ille modus in creaturis non est, quia aut raro aut nunquam procedit aliqua hypostasis aliter quam per generationem, ideo sacri doctores noluerunt nomen proprium vel novum fingere, sed magis commune appropriare. — Sed illud adhuc non videtur verum, Item reprobatur. quia, sicut emanatio Filii recte exprimitur verbo generandi, ita emanatio Spiritus verbo spirandi[3].

Et propter hoc aliter dicendum, quod[4] sicut Solutio auctoris. Pater dicitur ingenitus, quia ab eo removetur omnino generatio; quia nec generatur nec est a generato; similiter e converso processio *proprie*[5] de eo dicitur, in quo est omnino ratio procedendi; et talis est Spiritus sanctus, quia procedit et est a procedente, non sic autem Filius: ideo Spiritui sancto attribuitur.

Aliter potest dici, quod completa ratio proces- Alia solutio. sionis consistit in comparatione ad principium *a quo* et ad terminum *ad quem;* et quia Spiritus in sua emanatione, quia nexus est, utrumque respicit, Filius alterum; ideo completissima ratio huius nominis reperitur in Spiritu sancto, quamvis aliquo modo reperiatur in Filio[6]; et ideo Spiritui sancto appropriatur.

5. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod generans est spirans; dicendum, quod illa praedicatio non est formalis, sed solum ratione suppositi[7]; et quia una persona sive unum suppositum potest generare et spirare, ideo haec est vera: generans est spirans; sed nulla persona unica potest simul pluribus modis emanare; ideo non sequitur, quod genitus sit spiratus.

SCHOLION.

I. Quod in Deo sint duae emanationes, scil. generatio et processio, iam supra d. 9. q. 1, et d. 10. q. 1. probatum est. Hic quaeritur, utrum hae duae emanationes differant, et in sequenti quaestione, cuius naturae sit haec differentia. Et agitur de generatione et processione, quatenus sunt actus notionales, sive in sensu activo. Generatio enim et processio in sensu passivo sunt secunda et tertia Trinitatis persona. — Conclusio est de fide, cum Symbolum Athanasianum de Spiritu sancto dicat: « Non factus, nec creatus, *nec genitus, sed procedens* ».

II. Ut solut. ad 4. facilius intelligatur, notandum est, quod in divinis vocabulum *processio* dupliciter accipitur, vel ut nomen commune, cuius species sunt generatio et spiratio, vel ut nomen speciale secundae emanationis. Nam « frequenter invenimus, quod aliquod proprium denominatur nomine communi » (S. Thom., hic q. 1. a. 3. ad 2.). Hinc oritur quaestio hic proposita, quare potius Spiritui sancto quam Filio nomen *processionis* approprietur. Primam solutionem S. Doctor reprobat, consentiente S. Thoma. Hanc tuetur Uldaricus, teste Dionysio Carth., et asserit, quod *processio* Spiritus sancti sit simpliciter processio, et quod *generatio* huic communi rationi addat differentiam specificam. Hanc assertionem eius defensores exemplo ipsius vocabuli *proprium* illustrant. Hoc enim nomen est commune tum definitioni, quae per genus et differentiam essentialiter speciem exprimit, tum « propriae passioni » i. e. illi *accidentali* conditioni alicuius entis, quae inseparabiliter subiecto inhaeret, ut *risibilitas* homini. Nam iuxta Aristotelem *proprium* definitur: « Id quod non indicat, quid est esse rei, soli autem inest et conversim praedicatur » (v. g. omnis homo est risibilis, et omne risibile est homo). Haec igitur species *proprii* retinuit nomen commune et iuxta Porphyrium (c. 5.) est quartum praedicabile, dum « genus, species, differentia sunt tria prima praedicabilia ». Hoc confirmat B. Albert. (I. Sent. d. 11. a. 2.): « *Proprium* dicitur praedicatum convertibile; tamen cum duplex sit praedicatum convertibile, scil. essentiale, ut definitio, et accidentale convertibile, accidentale nomen *proprii* retinet, et sic in multis fit ». Similia docet S. Thom. (hic q. 1. a. 3.). De multiplici sensu *proprii* cfr. S. Bonav. II. Sent. d. 16. a. 1. q. 3. — Secunda opinio docens, quod propter defectum nominis, hanc specialem processionem exprimentis, nomen commune secundae emanationi appropriatum sit, iterum Seraphico non placet, propter hanc rationem, quod revera habeatur tale nomen, scil. *spirare* et *spiratio*. Nihilominus S. Thomas in Summa (I. q. 27. a. 4. ad 3.) dictam opinionem retinet dicendo: « Unde *processio*, quae non est generatio, remansit sine speciali nomine, sed potest nominari *spiratio*, quia est processio spiritus ». Sed in Comment. (loc. cit.) praeter hanc rationem, de qua dicit, « et credo quod melior est », etiam alias duas affert rationes, hic a S. Bonaventura approbatas.

III. De conclusione: cfr. Alex. Hal., S. p. 1. q. 42. m. 2. § 1, et q. 43. m. 2. — S. Thom., loc. cit. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2, et q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic q. 2. et 3. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. hic q. 1. — Biel, de hac et seq. hic q. unic.

Definitio enim sic describitur ab Aristotele: definitio est oratio quid est esse rei significans; proprium autem non indicat quid est esse rei. — Mox cod. I *nomen proprium* pro *nomen, propria*. Deinde Vat. post *sic* addit *etiam dicunt*, quod tamen abest a mss. et ed. 1; aliqui codd. falso *sicut* loco *sic*.

[1] Vat. praeter fidem plurimorum mss. et ed. 1 *habet*.

[2] Vat. contra codd. et ed. 1. *volunt* loco *voluerunt*, deinde *nolunt* pro *noluerunt*.

[3] Ed. 1 addendo *vel procedendi* elidit vim argumenti, scil. quod detur nomen proprium respectu emanationis Spiritus sancti.

[4] Ex plurimis codd. et ed. 1 substituimus *quod* loco *quia* et paulo infra *omnino* pro *omnis*.

[5] In multis mss. deest *proprie*.

[6] Ed. 1 brevius: *ratio huius nominis non reperitur in Filio*.

[7] In cod. X adiicitur: *sicut si diceres, grammaticus est musicus*.

QUAESTIO III.

Utrum processio Spiritus sancti differat a generatione Filii realiter, vel solum secundum rationem intelligendi.

Tertio quaeritur, utrum processio Spiritus sancti realiter differat a generatione Filii, an solum secundum rationem intelligendi. Et quod realiter, videtur:

Fundamenta. 1. Quia personae differunt secundum suas emanationes; ergo [1] cum personae realiter differant, non tantum intellectualiter, quia, omni intellectu circumscripto, adhuc remanet trinitas: ergo emanationes, quae sunt processio et generatio, differunt realiter.

2. Item, quae sunt a diversis principiis, realiter differunt; sed generatio est ab uno in divinis, processio Spiritus sancti a duobus, quia a Patre et Filio: ergo realiter differunt.

3. Item, secundum rem [2] et veritatem aliquorum est principium divina substantia ut *voluntas*, quorum non est principium ut *natura*, sicut patet, quia creaturae sunt a Deo agente per modum *voluntatis*, non per modum *naturae:* si ergo processio est voluntatis per modum voluntatis, generatio per modum naturae ut naturae, processio et generatio realiter differunt.

4. Item, in imagine creata egressus verbi et egressus amoris distinguuntur, quia differunt *realiter;* hoc [3] perfectionis est, quia ex hoc faciunt imaginis trinitatem, sed quod differunt *essentialiter*, hoc est imperfectionis; sed omne quod perfectionis est, ponendum est in divinis: ergo processio et generatio *realiter* differunt, quamvis non *essentialiter*.

Ad oppositum. Contra: 1. Pater spirat et generat, aut ergo in quantum unus, aut in quantum plures vel plura. Si in quantum *plures* vel plura, Pater [4] est compositus; si in quantum *unus;* sed quia Pater et Filius spirant in quantum unum, non sunt duae spirationes, sed una: ergo similiter, si Pater spirat et generat in quantum unum, spiratio et generatio est una productio.

2. Item, secundum omnes verum est, quod Pater ratione fecunditatis naturae [5] generat, ratione fecunditatis voluntatis spirat; sed in Deo idem est voluntas et natura: ergo etc.

3. Item, emanationes [6] penes terminos distinguuntur; sed Pater omnino idem et totum, quod dat Filio per generationem, dat Spiritui sancto per processionem: ergo spiratio et generatio sunt omnino una emanatio.

4. Item, hoc ipsum ostenditur *per impossibile.* Si differunt, aut se ipsis, aut aliis: *non se ipsis*, quia emanationes nec sunt *a se* nec *ad se:* ergo si unumquodque distinguitur per illud quod est, vel a quo [7], emanationes huiusmodi se ipsis non distinguuntur; si *aliis:* aut *essentia*, aut *notione*, aut *persona. Non essentia;* constat, quia illa non distinguit nec distinguitur; *non persona*, quia eius est distingui, non distinguere: ergo si differunt, hoc erit *aliis notionibus;* et similiter erit quaerere de illis aliis, et sic in infinitum: ergo etc.

5. Item, si differunt, aut differentia *substantiali*, aut *accidentali:* non *substantiali*, quia talis differentia non est in divinis; non *accidentali*, quia in Deo non est accidens: ergo etc.

6. Item, plus differt Filius a creatura quam a Spiritu sancto: ergo plus differt generatio a creatione quam a processione; sed generatio non distinguitur a creatione: ergo nec a processione. Probatio *mediae:* creatio est divina essentia [8]; sed persona et essentia non distinguuntur ab invicem: ergo nec generatio et creatio.

CONCLUSIO.

Generatio et spiratio non tantum secundum modum dicendi differunt, sed etiam secundum differentiam tum originis, tum habitudinis, et etiam se ipsis.

Respondeo: Dicendum, quod generatio et spiratio sive processio differunt non tantum secundum rationem dicendi, sed etiam secundum differentiam [9] originis et habitudinis, quia diversus est modus se habendi et differens modus originis; talis autem differentia unitati essentiae non repugnat. Conclusio.

Si autem quaeratur ratio differentiae harum emanationum, dicendum, quod *prima* ratio differendi non potest assignari a *parte terminorum*. Termini enim sunt personae, quae non important rationem differendi active, sed passive [10]. Si ergo personae Ratio prima differentiae non est ex parte terminorum.

---

[1] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus hic *ergo* et paulo ante *Quia*.

[2] Ed. 1 *rationem* loco *rem*.

[3] Fide mss. et ed. 1 expunximus hic a Vat. additum *enim*, sicuti mox post *sed* adiunctum *secundum*.

[4] Vat. nomini *Pater* praefigit *sic*, cod. cc *quia sic*, cod. Y *ergo;* sed plurimi codd. cum ed. 1 quamlibet particulam omittunt.

[5] Auctoritate fere omnium mss. et ed. 1 removimus hic a Vat. additum *intellectualis*.

[6] Vat. praeter fidem vetustiorum mss. et ed. 1 addit *Patris*, et paulo infra post *idem* contra mss. et edd. 1, 2, 3, 6 omittit *et*.

[7] Pauci codd. ut MZ addunt *est*.

[8] In codd. OZ satis bene adiicitur *generatio vero est divina persona*.

[9] Codd. PQ addunt *et rationem*.

[10] Sensus est: non important ipsam rationem, quae facit differentiam, sed sunt subiecta, inter quae habetur differentia. — Paulo ante cod. X post *enim* adiungit *proprie*.

differunt, quaeritur: quibus? et necesse est redire ad emanationes et relationes, quae sunt generatio et processio [1]; et ita in hac assignatione erit circulus.

Similiter *ex parte principiorum*. Si enim dicatur, quod differunt hae duae emanationes secundum fecunditatem duplicem naturae et voluntatis, quaeritur [2], quo modo differat fecunditas a fecunditate. Si dicas, quod fecunditas *naturae* est in solo Patre, *voluntatis* in Patre et Filio; hoc ulteriorem habet quaestionem, unde veniat haec differentia, et oportet ad hoc venire, quod fecunditas *naturae* est in *uno*, quia imago procedens per illam nata est esse solum ab uno, fecunditas *voluntatis* in *duobus*, quia nexus sive processio per modum nexus est in duobus; et ita redit differentia in primum, et est ibi ratio circularis. Ergo patet secundum hoc, quod harum emanationum differentia prima nec est sumenda a parte termini, nec a parte principii.

Nec ex parte principiorum.

Et ideo notandum, quod est loqui [3] de huiusmodi emanationibus quantum *ad esse* et quantum *ad distingui*.

Vera ratio et notabilis distinctio.

Si quantum *ad esse*, sic habent rationem essendi a suis perfectis principiis et fecundis. Quia enim in Deo est perfectissima *natura* et natura vera, ideo perfecta et vera fecunditas [4] in hypostasi, quae habet rationem principii. Et quia vera et perfecta et propria est fecunditas naturae, ideo veram et propriam habet emanationem; et haec est generatio. Similiter intelligendum est de spiratione quantum ad *voluntatem*. Unde *ratio*, quare huiusmodi vere sunt [5] in Deo, est vera fecunditas naturae et voluntatis.

Quoad esse.

Si autem loquamur quantum ad *differre*, dicendum, quod se ipsis differunt, sicut ostensum est [6], quia omnis distinctio in divinis venit a modis *originis* et *relationis*. Unde sicut duae differentiae se ipsis differunt, ut rationale et irrationale, similiter [7] in divinis hae duae emanationes. Et sicut differentiae differentiarum innotescunt nobis per alias differentias, quae ab illis oriuntur, sic et in divinis. Quia enim se ipsis distinguuntur generatio et spiratio, ad eas consequitur secundum rationem intelligendi differentia duplex: *una*, quia generatio est ab uno, sed spiratio a duobus. Quia enim generatio est emanatio per modum perfectae assimilationis, ideo ad unum principium respicit; quia vero spiratio est emanatio per modum connexionis, ideo est a duobus. *Alia* differentia est in comparatione ad nos. Quia enim Spiritus sanctus spiratur ut nectens et ita in alterum tendens, ideo Spiritus sanctus procedit ut donabilis; Filius vero generatur, et generatio non respicit tertium.

Quoad differre.

Per has differentias necessario elicitur harum emanationum *concomitantia*. Quia spiratio dat praeintelligere generationem — non enim nectuntur nisi distincti et similes, et ita illi quorum unus est ab alio per generationem — similiter generatio dat consequenter intelligere spirationem; necesse est enim, distinctos et omnino similes per deliciosum amorem coniungi.

Concomitantia harum emanationum.

Concedendae igitur sunt rationes probantes, quod differunt, sicut est manifestatum in rationibus; sed illae rationes non sunt sumtae a priori.

Aliqui tamen voluerunt assignare alias differentias: et *quidam* per vim spirativam et generativam dicunt differre; sed haec differentia declarat ignotum per ignotius; *alii* etiam dixerunt, quod Filius procedit per modum *esse*, Spiritus sanctus per modum *bene esse;* sed haec verba non sunt sana nec tali materiae convenientia.

Aliorum opiniones.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, utrum Pater spiret in quantum unus etc.; dicendum, quod nec in quantum unus, nec in quantum plures, sed in quantum alio et alio modo se habens; quia alio modo se habet ad Filium, alio modo ad Spiritum sanctum. Iste autem alius et alius modus se habendi non repugnat unitati substantiae vel personae; sed Pater et Filius spirant in eo, quod unum uno modo se habens. Inde est, quod duplex est processio [8] Filii et Spiritus sancti a Patre, sed una est spiratio sive processio Spiritus sancti a Patre et Filio.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod natura et voluntas in Deo sunt idem; dicendum, quod etsi natura et voluntas in Deo considerata absolute sint idem, tamen aliquid respicit *voluntas* ut voluntas in ratione principii, quod non respicit *natura* ut natura. Et inde est, quod, sicut non sequitur: creatura est a Deo per modum voluntatis, quod ideo sit etiam per modum naturae; similiter, quia natura et voluntas comparantur ad has emanationes sub ratione *principii*, ideo nihil prohibet, has emanationes differre, quamvis idem sint in *substantia* natura et voluntas.

3. Ad illud quod obiicitur, quod emanationes differunt penes terminos; dicendum, quod in his inferioribus est verum, ubi emanatio dicit ens in potentia et ita imperfectum; non autem est verum in Deo, quia ibi non dicunt ens in potentia nec imperfectum [9]; unde in divinis sunt *ratio* distinguendi. Tamen si velimus dicere, quod differunt penes terminum.

---

[1] Ita mss. cum ed. 1, dum Vat. initium huius propositionis variis adiectis ita exhibet: *Si ergo personae differunt, quare et in quibus differant, si ostendere voluerimus necesse est* etc. Mox ed. 1 *esset* loco *erit*.

[2] Sequimur vetustiores codd. cum ed. 1 ponendo *quaeritur* pro *quaero*.

[3] In cod. Y additur *dupliciter*.

[4] Cfr. supra d. 9. q. 1; de voluntate d. 10. a. 1. q. 1.

[5] Vat., plurimis mss. et ed. 1 obnitentibus, *sint*.

[6] In hac ipsa quaestione; cfr. etiam q. praec. praesertim ad 1. et 2.

[7] Cod. V loco *similiter* habet *sic*, cod. X *sic etiam*. Mox aliqui codd. cum edd. 1, 2, 3 prave *tunc* loco *sicut*.

[8] In cod. bb additur *scilicet*.

[9] Vat. sibi non constans et contra plurimos codd. nec non ed. 1 *imperfectionem*, dum cod. I et hic et paulo supra legit *imperfectionem*. Mox post *divinis* Vat. addit *non*, quod codd. cum sex primis edd. omittunt, et bene, quia subiectum huius

non accipiemus terminum pro substantia vel essentia, sed pro hypostasi, ut prius habitum est [1].

4. Ad illud quod quaeritur, utrum se ipsis vel aliis; patet, quod *se ipsis.* Et ad id [2] quod obiicitur, quod non habent *esse a se,* ergo nec *distingui;* dicendum, quod illud non tenet in esse originali. Quamvis enim differentiae habeant ortum a genere, tamen non distinguuntur a genere, sed se ipsis [3].

5. Ad illud quod obiicitur, quo modo differunt, aut substantiali aut accidentali differentia; dicendum, quod insufficienter dividit, quia in divinis est *relationum* differentia, ut dicit Augustinus in quinto de Trinitate [4], quae nec *accidentalis* nec *substantialis* est, sed magis dicitur *originalis.*

6. Ad illud quod obiicitur de creatione, dicendum, quod ratione connotati magis differt creatio; sed ratione principalis significati non tantum differunt, quia non tantum differt *essentia* a persona, quantum *persona* a persona. Unde praedicatur essentia [5] de persona nec facit aliquo modo aliquem numerum; persona vero distinguitur ab alia persona; et ideo non valet argumentum.

SCHOLION.

I. In solutione huius subtilis quaestionis antiqui Scholastici diversis viis incedunt. Ut status quaestionis accurate discernatur, attendendum est, quod hic agitur de generatione et spiratione activa, non de passiva. Unde haec quaestio differt tum a quaestione de differentia inter secundam et tertiam divinam personam (de qua supra d. 9. q. 2.), tum ab illa, quid sit *potentia* generandi (d. 7. q. 1.), cum qua tamen cohaeret.

Quaeritur igitur primo, cuius naturae sit distinctio inter generationem et spirationem activam. Primo cum sententia communi resolvitur, quod non sit distinctio mere *rationis* sive secundum modum dicendi; insuper in fundam. asseritur, has emanationes *realiter differre.* Sensus huius distinctionis *realis* a Brulifero et Barth. de Barberiis (Cursus Theol. disp. 12. q. 7. conclus. 3.) explicatur, ut idem dicat ac distinctio *formalis* Scoti. Alii eam intelligunt in sensu distinctionis *virtualis.* Plura de hoc vide infra d. 26. q. 1, ubi in Scholio mens Seraphici, collatis variis eiusdem locis, explicabitur. Sufficiat hic notare, non intelligi sub hoc nomine distinctionem stricte realem *absolutam,* sed « secundum differentiam originis et habitudinis », i. e. « distincta est una ab alia non re essentiali, sed notionali », ut dicit Richard. (hic q. 3.). Insuper constat, S. Doctorem interdum omnem distinctionem maiorem, quam quae est rationis ratiocinantis, nominare realem.

Deinde supposita hac duarum emanationum differentia, iterum quaeritur, quae sit *ratio* huius differentiae, et cum plures assignari possint rationes, quae sit *prima* eiusdem ratio. In hac secunda quaestione stat praecipua difficultas, quae tanta est, ut Aureolus cum Nominalibus temeritatis arguat eos qui hoc indagare praesumant. Etiam Augustinus cum Magistro (hic in textu) propriam circa hoc ignorantiam confitetur. Quid alii Scholastici circa hanc difficultatem doceant, paucis dicamus.

II. Praecipui doctores et antiqui et moderni conveniunt in nonnullis assertionibus, in aliis dissident. *Conveniunt* (praeter Durand.) 1. in hoc, quod *radicalis* ratio diversitatis huius ponenda sit in differenti ratione utriusque productionis, cum Filius producatur per modum *intellectus* et *naturae,* Spiritus sanctus per modum *voluntatis* et *liberalitatis.* Hoc docet S. Bonav., supra d. 6. a. 1. q. 2, d. 10. a. 1. q. 1, hic et in fundam. et in corp. — Communiter theologi, praesertim post Conc. Florentinum, docent, harum emanationum principium *quod* esse personas producentes, principium vero *quo* proximum primae emanationis esse essentiam divinam cum *intellectu,* sive *memoriam fecundam* (uti multi cum Seraphico loquuntur); secundae vero principium *quo* esse eandem essentiam cum *voluntate* sive *voluntatem fecundam.*

2. Natura divina aeque formaliter et per se communicatur Spiritui sancto ac Filio. Licet huic positioni nonnulli contradicant, videtur esse certa doctrina, quam docet S. Bonav. praesertim d. 10. a. 1. q. 1. ad 3. Unde sequitur, radicem illius differentiae quaerendam esse in proprietate duplicis huius fecunditatis (cfr. hic q. 2. ad 1. et 2.).

3. Plures possunt et debent assignari differentiae harum emanationum: nempe differentia *terminorum,* sive personarum emanatarum, quae certe realiter distinguuntur; differentia *principiorum,* tum quia generatio est ab uno, et spiratio a duobus (hic in 2. fundam. et corp.), tum quia principium *quo* proximum est aliud et aliud (3. fundam.); denique est differentia in *comparatione ad nos* (in corp.), quia in secunda emanatione est aliquis specialis respectus ad creaturam secundum *aptitudinem donabilitatis,* de quo cfr. infra d. 18. q. 2. et 5. Nec est controversia, utrum hae differentiae *subsistant,* sed quae earum sit *prima* ratio et quasi a priori.

III. *Dissident* vero theologi circa aliquas determinationes specialiores.

1. Durandus cum nonnullis nullam aliam differentiam admittere videtur nisi hanc, quod generatio procedat ab uno, spiratio a duobus, quam sententiam merito S. Doctor cum communi impugnat.

2. Disputatur, utrum praeter differentias petitas quasi *extrinsecus* (sive *originaliter* a suis principiis, i. e. personis producentibus, sive *consequenter* a suis terminis) emanationes hae etiam intrinsecus et *formaliter* (a priori) differant *se ipsis* i. e. propriis ipsarum rationibus, analogo modo, sicut ultimae differentiae (v. g. rationale et irrationale) differunt. Si hoc affirmatur, haec differentia dici debet prima et quasi formalis. Illud affirmat S. Doctor in corp. et ad 4. Consentiunt praeter alios Petr. a Tar. et Richard. a Med. et praecipue Scot., qui etiam addit: « differunt *se totis* ». Haec ultima particula explicatur a Scotistis in hoc sensu, quod duabus emanationibus non sit communis aliqua realitas per differentias contrahibilis, licet conveniant in conceptu communi entis et relationis (Rada, Controv. 14. a. 2; Macedo, Coll. 7. diff. 2, qui acriter Scotum contra interpretationem ipsius, quam facit Caietanus, defendit). — S. Thomas in Summa (I. q. 27. a. 4. ad 1.) concordat cum S. Bonaventura docendo, quod *propriis ipsarum rationibus differant,* quod idem est ac *se ipsis differre,* uti concedit Caietanus (ad hunc locum). Sed idem, de Potentia q. 10. a. 2. hanc sententiam non admittit; de alia vero, quod penes *principia* distinguantur, sic iudicat: « Non sufficit, nisi aliud addatur »; denique tertiam ponit, quod « *solus ordo* processionum, qui attenditur secun-

---

propositionis non sunt *termini,* sed *emanationes,* quae, uti supra dictum est, in Deo se ipsis differunt et sunt ratio distinguendi. Unus alterve codex ut B O cum ed. 1 modo singulari *in divinis est ratio,* sed non ita bene propter subiecti mutationem; simile dicas de lectione cod. bb *in divinis sunt rationes.*

[1] Quaest. praeced. ad 3.

[2] Plures codd. ut F H K T etc. *illud.*

[3] Vat. cum ed. 1 *sed a se ipsis,* obstant autem mss.

[4] Cap. 5. n. 6. — Mox cod. Z *differentia* loco *dicitur.*

[5] Vat. et cod. cc *essentialiter* pro *essentia,* sed emendatur ex ceteris mss. et ed. 1.

dum originem, processiones multiplicat in divinis ». In Comment. (hic q. 1. a. 2. ad ult.) idem contra rationem S. Bonaventurae de circulo vitioso dicit: « Quod ergo obiicitur, quod relationes consequuntur processiones, unde magis videtur, quod processiones diversae causent diversitatem relationum, quam e converso, vel ad minus erit ibi circulatio; dicendum, quod relatio in divinis non tantum habet, quod sit *relatio*, sed etiam quod sit *personalis*, id est constituens personam, et ex hoc habet quasi actum differentiae constitutivae et formae propriae ipsius personae, cuius est operatio generationis et spirationis; et ideo non est inconveniens, quod secundum relationis rationem relationes consequantur ipsas processiones et recipiant differentiam ab eis; secundum autem quod sunt formae propriae ipsarum personarum, causent differentiam processionum ». Quomodo varia Angelici dicta concilianda sint, disputatur, et conferri potest Caietanus (ad q. 27. a. 4; q. 36. a. 2.). Porro aliquae rationes S. Thomae impugnantur a Scoto, de quo cfr. Rada et Macedo locis citatis. Ceterum eadem difficultas et quaedam differentia opinionis inter Seraphicum et Angelicum redit infra d. 27. p. I. q. 2. ubi plura dicentur in Scholio de hac subtilissima materia.

3. Diversus modus loquendi est circa *rationem propriam*, cur processio per modum *naturae* differat ab alia per modum *voluntatis*. In prima secundum Bonaventuram (hic in corp.) est « emanatio per modum perfectae assimilationis », et antea dicit, quod per illam procedat *imago*. Quae verba, si conferantur cum explicatione imaginis, quam dat d. 31. p. II. a. 1. q. 2, et cum dictis d. 10. a. 1. q. 1. ad 2. 3, clare probant, Seraphicum consentire sententiae S. Thomae, qui (S. I. q. 27. a 4.) docet, in prima emanatione esse rationem *similitudinis* vi *ipsius processionis*, non in secunda. Hinc sequitur, falso attribui Seraphico sententiam, cui Richardus (hic q. 3.), favere videtur, quod ista ratio quaerenda sit in hoc, quod Filius accipiat solummodo *voluntatem* fecundam, non *naturam* fecundam.

4. Disputatur, utrum dici queat, Spiritum sanctum procedere necessario quidem, sed tamen *libere*, quod cum aliis dicit Scotus et etiam S. Thomas de Potent. q. 10. a. 2. ad 5, qui tamen aliis in locis docet, procedere *naturaliter*, quamvis per modum voluntatis. Certe hoc vocabulum *libere* sumitur hic non in sensu stricto et nunc communiter recepto, sed pro *voluntarie*, quatenus non excludit necessarium, ut apud plurimos antiquos Patres et doctores et etiam apud S. Bonav., II. Sent. d. 25. p. II. q. 2. Unde Rada (Contr. 13.) et Macedo (Coll. 7.) recte probant, esse hic potius litem de nomine.

5. Disputatur, utrum Verbum procedat per actum *dicendi*, ut vult Scotus, cui favet Bonaventura, an per actum *intelligendi*, uti docet S. Thomas cum suis. De hac controversia cfr. infra d. 27. p. II. q. 1. et 3. et Scholion.

IV. Sensus solutionis ad 4. hic est. Licet hi actus notionales non habeant esse a se et extrinsecus distinctionem a suis principiis originalibus, tamen intrinsece distinguuntur se ipsis. Neganda enim est ista illatio (« non tenet illud »), quod in esse ab alio orto non possit intrinsecus esse distinctio. Sic albedo et nigredo, licet sint ab aliis causis, differunt *se ipsis*. Ipse S. Doctor exemplum ponit ultimarum differentiarum, quae se ipsis distinguuntur, « quamvis a genere ortum habent ». Genus enim, quod iuxta Aristotelicos in se *potentia* continet species et differentias, aliquo modo est principium differentiarum. In obiectione igitur commissa est fallacia figurae dictionis, quia mutatum est genus unius causae, scil. *efficientis*, in aliud genus, scil. *formalis*.

V. Praeter iam laudatos auctores cfr. Scot., in utroque scripto hic q. unica. — B. Albert., hic a. 1, et d. 11. a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 3. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2. — Henr. Gand., S. a. 60. q. I. n. 36. et seq.

QUAESTIO IV.

Utrum Spiritus sanctus sit ingenitus.

Supposita differentia generationis et processionis, quaeritur hic quarto, utrum Spiritus sanctus sit ingenitus. Et quod sic, videtur:

1. *Auctoritate* Hieronymi, quam Magister ponit in littera [1]. Argg. pro parte affirmativa.

2. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione* Hieronymi [2]: « Quia omne quod est, aut est ingenitum, aut genitum, aut factum »; sed Spiritus sanctus non est genitus, aut factus: ergo est ingenitus.

3. Item, negatio privativa cum constantia subiecti aequipollet termino privativo. Unde *non par* circa numerum idem est quod *impar* [3]; et sic, cum Spiritus sanctus genitus non sit, ergo est ingenitus.

4. Item, plus distat a ratione generationis Spiritus sanctus quam Pater; quia Pater generat, quamvis non generetur, Spiritus vero sanctus nec generat nec generatur: ergo aeque vere privatur generatio a Spiritu sancto ut a Patre: ergo, sicut Pater dicitur ingenitus, sic et Spiritus sanctus.

Contra: 1. Augustinus ad Orosium [4] dicit, quod « solus Pater est ingenitus »: ergo secundum hoc non convenit Spiritui sancto. Argg. pro parte negativa.

2. Item, *ingenitus* aut dicitur secundum *substantiam*, aut secundum *relationem*. Si secundum *relationem*, ergo est notio: ergo Spiritus sanctus habet duas notiones, et ita essent sex; quod est contra communem opinionem. Si secundum *substantiam*: ergo pari ratione diceretur de Filio, cum illud quod secundum substantiam dicitur, conveniat tribus.

3. Item, cum divina essentia non sit genita, nec Spiritus sanctus sit genitus, nec Pater sit genitus, nec etiam aliquod istorum sit factum: ergo ratio *ingeniti* secundum Hieronymum omnibus convenit; quaeritur ergo, quo modo *differenter* [5]. Quaestio incidens.

---

[1] Hic, c. 4.

[2] Vide lit. Magistri, c. 4. — Mox aliqui codd. ut A W X Y *Quod* loco *Quia*.

[3] Cfr. Aristot., II. Periher. c. 1. (c. 10.) et Comment. Boethii in hunc locum, ubi ait: Idem enim valet ad intelligentiam quod dicitur iniustus, tanquam si dicatur non iustus. — Paulo infra ope mss. et ed. 1 adiecimus *sanctus*.

[4] Quaest. 2. et 8. Vide lit. Magistri, c. 4.

[5] Sequimur multos codd. loco *differunt* ponendo *differenter*, supple: singulis conveniat.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus dici potest ingenitus in sensu privativo, non autem, quatenus ingenitus est notio Patris.

Solutio quorundam. Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt [1] distinguere de hoc nomine *ingenitum,* quod potest scribi per unum *n*, et sic tantum valet quantum *increatum;* vel per duo, et sic opponitur ei quod est *genitum* proprie dictum. Sed haec distinctio, etsi valeat apud Graecos, non tamen valet apud Latinos, quia *ingenitum* per duo *n* est vox non significativa apud nos. Damascenus [2] autem assignat hanc differentiam in lingua sua, quia Graecus erat. *Praeterea,* non valet ad propositum; quia nihil quaeritur hic de ingenito, prout tantum valet quantum *increatum,* sed prout tantum valet quantum *non genitum* sive innascibile. (Reprobatur.)

Distinctio. Et propterea aliter dicendum est, et breviter, quod *ingenitum,* uno modo *pure* accipitur *privative,* scilicet quod non generatur [3]; et hoc modo dicitur de Spiritu sancto et de essentia; alio modo, prout ingenitum tantum valet quantum *non ens ab alio,* et [4] *a quo alii;* et hoc modo dicit notionem solius Patris, quia dicit proprietatem et dignitatem in Patre. Et secundum primum sensum loquitur Hieronymus, secundum alium loquitur Augustinus. Unde autem habeant ortum isti sensus, et quare *innascibilis* sit notio et non *improcessibilis*, infra dicetur [5]. (Conclusio 1. Conclusio 2.)

Ex his patet solutio *contrarietatis;* patent etiam obiecta. (Patent obiecta.)

Quod ergo obiicitur, quod negatio cum constantia subiecti aequipollet termino privativo, verum est, si sit *mere* [6] privativum; sed illa ratio concludit solum de hoc nomine secundum quod *privat,* non secundum quod aliquid *ponit.* (Solvitur arg. 3. pro parte affirmativa.)

Ad illud quod obiicitur, aut praedicat [7] essentiam, aut relationem; dicendum, quod, secundum quod dicitur de essentia, solum privative sive negative tenetur. Et ideo non praedicat aliquid, sicut quando dicitur: essentia non generat. Cetera alia [8] manifesta sunt. (Item arg. 2. pro negat.)

SCHOLION.

I. Haec quaestio orta esse videtur ex diverso modo loquendi, quo in hac re SS. Doctores Augustinus et Hieronymus usi sunt. S. Bonav. duas istorum sententias apte conciliat. Plurima de ratione innascibilitatis habentur infra d. 28. per totam.

II. Quoad ordinem solutionum ad opposita notandum, quod verba in fine corporis: « patent obiecta » referuntur ad 1. 2. 4. pro parte affirmativa. Deinde explicite solvit argum. 3. pro affirm.; et ultimo respondet ad distinctionem in 2. pro parte negativa.

III. Cfr. Alex. Hal., S. p. 1. q. 69. m. 3. — Scot., hic q. unic., et d. 28. q. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 4; S. I. q. 33. a. 4. — B. Albert., hic a. 8. seq. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 4. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 2. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 3.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In praesenti distinctione sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de ratione Augustini, quam ponit ibi: *Si Spiritus sanctus Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur;* et videtur sua ratio magis ad oppositum quam ad propositum: ex hoc enim similior esset generationi in creaturis, quae est ex duobus.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis similior sit quantum ad dualitatem producentium, non tamen quantum ad modum producendi posset esse similitudo, quia sic oporteret, quod altera personarum esset principium passivum; quantum autem ad hoc nulla [9] potest esse similitudo.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Idem Spiritus sanctus procedit quomodo datus vel donum;* quia videtur male dicere, quia cum non sit datus nisi ex tempore, videtur quod non procedat nisi ex tempore.

Respondeo: Sicut infra patebit [10], si intelligitur de processione temporali, *datus* dicit actum; si autem de aeterna, *datus* dicit aptitudinem.

---

[1] In cod. V additur *dicere sive.*

[2] Libr. I. de Fide orthod. c. 8: Sciendum enim vocem ἀγένητον, cum scribitur cum unico ν, increatum significare seu quod minime factum est; ἀγέννητον autem, cum scribitur cum duplici νν, id indicare quod non est genitum.

[3] Vat. minus distincte, et mss. cum ed. 1 refragantibus, *quod ingenitum dicitur uno modo, prout accipitur privative, scilicet pro eo quod non generatur.*

[4] Cod. K *quantum ens non ab alio, sed.*

[5] Dist. 28. per totam.

[6] Multi codd. ut AGHISTUVWX etc. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 minus bene *vere* loco *mere*, ed. 1 autem *pure.*

[7] Plurimi codd. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 incongrue *privat* loco *praedicat.*

[8] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *alia.*

[9] Fide plurimorum mss. et ed. 1 substituimus *nulla* loco *non.*

[10] Dist. 14. a. 1. q. 1.

Dub. III.

Unde Augustinus Maximino praemissam quaestionem refricanti [1]. Maximinus refricabat dictam quaestionem sic: Spiritus sanctus est Deus, et non est Deus nascendo: ergo non Deus naturaliter: ergo adoptive. Et quod hoc argumentum sit bonum, videtur, quia quod inest alicui naturaliter, inest ei a nativitate: ergo quod non inest a nativitate, non inest naturaliter: ergo cum Spiritus sanctus non procedat ut natus, non inest ei esse Deum a nativitate: ergo non est Deus naturaliter.

Et est responsio Augustini ad hoc [2], quod argumentum istud non valet, nisi in eis quae generantur, in aliis non. Et hoc patet, quia Adam erat homo natura, sicut unusquisque nostrum, et tamen ipse habuit per creationem, quod nos habemus per generationem; sic Deus Pater communicat naturam suam Spiritui sancto per spirationem, sicut Filio per generationem.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Pater processionis eius est auctor.* Videtur enim male dicere, quia aut hoc quod est *auctor* dicit *essentiam*, aut *notionem:* non *essentiam,* quia tunc diceretur de Spiritu sancto; si *notionem,* quaero, *quam?* non innascibilitatem, quia illa non dicit respectum ad processionem; item, non generationem nec spirationem, quia nihil esset dictum, ut videtur. — Item quaeritur, utrum Pater possit dici *auctor* generationis? Et quod *non*, videtur, quia Pater dicitur auctor Filii, ergo, sicut supra dixit Hilarius et habetur distinctione nona [3], sensus est: id est *genitor Filii,* ergo tunc idem esset dicere, *est auctor generationis,* quod *genitor.*

Respondeo: Dicendum, quod *auctor* dicit in Patre fontalem plenitudinem, quia ipse non est ab alio, sed alii ab ipso; et inde dicit, ut credo, eandem notionem, quam dicit innascibilis, sed differenti modo: quia *innascibilis* dicit [4] per privationem prioris, sed *auctor* dicit fecunditatem et plenitudinem respectu procedentium ab ipso, quam habet non aliunde; et ideo dicitur *auctor* ab *auctoritate.* Auctoritas autem est in Patre, quia quod habet, ab alio non habet, et hoc est, quod est [5] *innascibilis;* et ita patet, quod potest dici auctor omnium personarum, quae sunt ab ipso. Ex his patet responsio. Dico enim, quod dicit eandem notionem quam innascibilitas, sed alio modo. Ex hoc patet, quod nunquam dicitur Filius auctor spirationis, quamvis spiret, quia non habet a se, sed ab alio; unde *auctor* proprie dicitur principium alterius non ab alio [6]. Quid sit auctor.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Distinguere inter illam generationem et istam processionem nescio.* Videtur enim talis ignorantia esse peccatum, quia distinctio personarum de necessitate est fidei et salutis; sed qui ignorat ea quae sunt de necessitate fidei, damnabiliter ignorat: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod duplex [7] est *scire,* scilicet *si est* et *sicuti est. Scire si est;* hoc modo certitudinaliter credere distinctionem de necessitate salutis est, large sumto *scire. Scire* autem *sicuti est* non pertinet ad statum meriti, sed praemii; et de hac scientia loquitur hic Magister et Augustinus. Et nota, quod tria dicit: *nescio* quantum ad habitum scientiae; *non valeo,* quantum ad ingenium; *non sufficio,* quantum ad utrumque [8].

Dub. VI.

Item obiicitur de hoc quod dicit: *Appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium. Contra:* Dionysius [9]: «Non

---

[1] Scil. denuo vel instanter *quaerenti, cur Spiritus sanctus non diceretur Filius, cum de Patris esset substantia.* Verba ex lit. Magistri, c. 3. Cfr. August., II. contra Maximin. c. 14. et 15. — Mss. et ed. 1 perperam *refutanti* pro *refricanti,* sicuti et mox *refutabat* loco *refricabat;* Vat. omittit verba *Maximinus* usque *sic.*

[2] Vat. absque mss. et ed. 1 auctoritate *Resp. Dicendum ad hoc secundum Augustinum.* Plures codd. inepte *ratio* loco *responsio.*

[3] In lit. Magistri, c. 4. circa finem. — Vat., mss. cum ed. 1 obnitentibus, *et* loco *ergo*, deinde omittit *et habetur distinctione nona.*

[4] Supple: notionem; quam suppletionem non attendendo Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 omittit *per.*

[5] Aliqui codd. ut A T X Z aa bb omittunt *est*, qui et cum ed. 1 *quia* loco *quod* substituunt.

[6] In ultimis hisce verbis summa solutionis continetur. Quia enim *auctor* non dicit quodlibet principium emanationis, sed tale principium, quod quidquid habet, ab alio non habet, et quia hoc solum Patri convenit; ideo Pater dici potest auctor generationis et processionis. Idem infra d. 27. p. 1. q. 2. ad 3. fusius exponitur, ubi inter alia S. Doctor haec dicit: Quoniam igitur ratio primitatis in aliquo genere est ratio principiati in illo, ideo quia Pater est primum respectu emanationis, generationis et processionis, generat et spirat. Cfr. etiam d. 2. q. 2, d. 9. dub. 11, et d. 15. p. 2. dub. 6. — Quomodo Pater possit dici *auctor* explicatur et a S. Fulgentio, Fragment. 35. (ed. Migne; Patrol. Lat. tom. 65. col. 822.), ubi ait: Deus quippe Pater non est auctor Trinitatis, sed auctor est Filii et Spiritus sancti, in eo quod de illo natus est Filius et de illo procedit Spiritus sanctus. Nam quisquis recte intelligit auctoris vocabulum, relationis nomen inveniet, non naturae. Auctor enim nemo esse dicitur sibi, sed alteri: unde non ad se ipsum, sed ad alterum auctor veraciter nuncupatur. Nemo autem quolibet relativo nomine sic potest ad suam sicut ad alterius referri personam... Deum itaque Patrem non totius Trinitatis, sed Filii et Spiritus sancti fatemur auctorem: de quo habet et unigenitus Filius aeternae nativitatis, et Spiritus sanctus aeternae processionis originem.

[7] Ed. 1 *dupliciter.*

[8] De hac ultima divisione vide supra d. 1. a. 1. q. 1. fundam. 3.

[9] De Div. Nom. c. 1, in quo textu Vat. contra multos codd. et ed. 1 necnon ed. oper. Dionysii *Trinitate* loco *divinitate.*

est audendum aliquid dicere de illa supersubstantiali et sancta divinitate praeter ea quae divinitus nobis ex sacris eloquiis claruerunt»: ergo male fecerunt qui hoc nomen invenerunt.

Respondeo: Quamvis istud verbum non dicatur in Scripturis, dicitur tamen verbi huius intellectus. Et quia verbum non est profanum nec errori coniunctum, cum intellectus verbi ex Scriptura et fide habeatur, non fuit contra fas illud Deo attribuere, ut ipsam Trinitatem conferendo [1] apertius possimus intelligere.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Magister: *Et aliter Augustinus accipit ingenitum, qui vel quod non est ab alio, quod dicit convenire soli Patri.* Sed hoc non videtur verum, quia hoc modo *ingenitum* convenit essentiae: ergo non est Patris proprium.

Respondeo: Dicendum, quod licet Magister dicat intellectum Augustini, tamen non totum [2]. *Ingenitum* enim, secundum quod dicitur proprietas Patris, privat *esse ab alio,* nec hoc sufficit ad hoc, ut sit notio, nisi etiam consequenter dicat, quod alius sit ab ipso; quia, sicut obiectum est, *non esse ab alio* sive *non generari* convenit essentiae [3].

Dub. VIII.

Item contra hoc quod dicit Hieronymus: *Est quod natum est, et factum non est,* obiicit Arius, quod duodecim sint modi generationis, quorum quolibet dato, sequitur, quod Filius non tantum natus, sed etiam factus est; et hos modos ponit disputans contra Victorinum [4]. *Primus* modus est per defluxum lineae a puncto. *Secundus* est penes emissionem radii a sole vel ab alio luminoso corpore. *Tertius* est penes sigillationem characteris, sicut figura fit in cera a sigillo. *Quartus* est penes immissionem, ut quando a Deo datur bona voluntas. *Quintus* est penes exitum proprietatis vel accidentis a principiis subiecti, quae sunt materia et forma. *Sextus* est penes intentionis sive speciei abstractionem, sicut species rerum generatur in anima. *Septimus* est penes excitationem, sicut liberum arbitrium excitatum a gratia procedit in bona opera. *Octavus* est penes transfigurationem, sicut ex aere fit statua, vel sicut in figura incisionis. *Nonus* est penes productionem, sicut a primo movente immobili producitur motus. *Decimus* est penes exitum specierum de [5] genere per differentias dividentes genus et constituentes speciem. *Undecimus* est penes ideationem, sicut arca exterior ab arca, quae est in mente artificis. *Duodecimus* est penes nascentiam, ut homo generatur ab homine. Quocumque autem praedictorum modorum generetur Filius, non tantum genitus [6], sed etiam factus est.

Ad hoc est responsio, quia aut Arius accipit generationem *communiter* ad creatam et divinam, aut *specialiter* in creatura. Si *communiter,* dico, quod insufficienter dividit, quia ultra istos modos est generatio Filii a Patre secundum modum singularem, qui [7] est de tota substantia generantis — sicut supra dictum fuit nona distinctione [8] — ubi, quia non potest esse mutatio, nullo modo potest esse factio. Si autem dividat generationem, ut est in creaturis, dicendum, quod divisio illa insufficiens est adhuc, quia omittit generationem aequivocam, quae est secundum [9] putrefactionem. Sed esto quod comprehendat eam sub generatione, quae est secundum nascentiam, tamen adhuc non valet ad propositum, quod, si non generatur, sicut creatura dicitur generari, nullo modo generatur. Quamvis enim creatura sit Deo similis, tamen plus est dissimilis quam similis, sicut dicit Augustinus decimo quinto de Trinitate [10], et Hilarius [11] similiter: «Omnis comparatio inferiorum plus habeatur hominibus utilis quam Deo apta»; et ideo haeretici erraverunt, quia [12] credebant, omnino esse in Deo, sicut videbant in creatura. Et hoc bene tangitur in Glossa super primum ad Hebraeos [13], ubi dicitur: «Non possunt temporalia comparari aeternis integra collatione, sed aliqua tenui similitudine»; et ideo, sicut supra ostensum est [14], secundum diversas conditiones diversae generationes illam repraesentant. Ratione enim *conformitatis* est similis generationi verbi a mente; ratione *coaevitatis* similis generationi splendoris de sole sive de luce; ratione *aequalitatis* generationi viventis de vivente [15].

---

[1] Cod. Y *confitendo.*

[2] Aliqui codd. ut H M ff cum ed. 1 satis bene addunt *dicit.* Mox codd. aa bb *est* loco *dicitur*; ed. 1 *dicit proprietatem.*

[3] De significatione *ingeniti* vide infra d. 28. q. 1, et hic q. 4.

[4] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 falso *Victorianum.* Marius Victorinus Rhetor (cfr. supra d. 1. a. 1. q. 1. in corp.) scripsit libros quatuor contra Arium et disputabat cum Candido, Arii defensore, qui in libro de Generatione divina, n. 4. duodecim istos modos generationis proponebat.

[5] Fide mss. et trium primarum edd. substituimus *de* loco *in.*

[6] In Vat. additur *est,* quod tamen nec in mss. nec in 1, 2, 3, 6 edd. habetur.

[7] Multi mss. ut A F G H K T V W etc. loco *qui* habent *quae,* quod refertur ad *generatio.* Ed. 1 *significatum* pro *singularem.*

[8] Quaest. 1. — Mox ed. 1 transponit verba legendo *quia ubi.*

[9] Ed. 1 *per.*

[10] Cap. 20. n. 39.

[11] Libr. I. de Trin. n. 19. — Vat. praeter fidem mss. et ed. 1, interpunctione mutata, confundit omnia legens *et Hilarius. Similiter cum omnis* etc.

[12] Praeferimus lectionem antiquiorum mss. et ed. 1 ponendo *quia* loco *qui.* Mox cod. E post *omnino* addit *simile.*

[13] Vers. 3. Glossam vide apud Lyranum, super locum cit., in qua post *tenui* additur *et parvo.*

[14] Dist. 9. q. 1. et dub. 10.

[15] Cfr. Hex. Serm. 11. Fere idem invenies in Alex. Hal., S. p. I. q. 42. m. 5. a 3; B. Albert., hic a. 5; Richard., hic circa lit.

DISTINCTIO XIV.

Cap. I.

De gemina processione Spiritus sancti, temporali et aeterna.

Praeterea diligenter adnotandum [1] est, quod gemina est processio Spiritus sancti, aeterna videlicet, quae ineffabilis est, qua a Patre et Filio aeternaliter et sine tempore processit, et temporalis, qua a Patre et Filio ad sanctificandam creaturam procedit. Et sicut ab aeterno communiter ac simul procedit a Patre et Filio, ita et in tempore communiter et simul ab utroque procedit ad creaturam, non divisim a Patre in Filium et a Filio ad creaturam. Unde Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate [2] ait: « Spiritus sanctus non de Patre procedit in Filium et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit; quamvis hoc Filio Pater dederit, ut sicut de se, ita etiam de illo procedat ».

De temporali processione in specie. De temporali autem processione Beda in homilia Dominicae primae post Ascensionem [3] ita loquitur: « Cum Spiritus sancti gratia datur hominibus, profecto mittitur Spiritus a Patre, mittitur et a Filio; procedit a Patre, procedit et a Filio, quia et eius missio est ipsa processio ». His verbis aperte ostendit, donationem gratiae Spiritus sancti dici processionem vel missionem eiusdem. Sed cum donatio vel [4] datio non sit nisi temporalis, constat, quia et haec processio sive missio temporalis est. Hanc quoque temporalem Spiritus sancti processionem Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate [5] insinuat dicens, Spiritum sanctum processisse a Christo, quando post resurrectionem insufflavit in discipulos, his verbis: « Cum resurrexisset Christus a mortuis et apparuisset discipulis, insufflavit et ait [6]: *Accipite Spiritum sanctum*, ut eum etiam de se procedere ostenderet. Et ipse est *virtus*, quae *de illo exibat*, ut legitur in Evangelio, *et sanabat omnes* ». Et ut ostenderet, hanc processionem Spiritus sancti non esse aliud quam donationem vel dationem ipsius Spiritus sancti, addidit [7]: « Post resurrectionem Dominus Iesus bis dedit Spiritum sanctum: semel in terra propter dilectionem proximi, et iterum de caelo propter dilectionem Dei; quia per ipsum Donum *diffunditur caritas in cordibus nostris*, qua diligimus Deum et proximum ».

Cap. II.

Quod non solum dona Spiritus sancti, sed etiam ipse Spiritus sanctus datur hominibus et mittitur.

Opinio quorundam. Sunt autem aliqui [8], qui dicunt, Spiritum sanctum ipsum Deum non dari, sed dona eius, quae non sunt ipse Spiritus. Et ut aiunt, Spiritus sanctus dicitur dari, cum eius gratia, quae tamen non est ipse [9], datur hominibus. Et hoc dicunt, Bedam sensisse in superioribus verbis, quibus dicit, Spiritum sanctum procedere, cum ipsius gratia datur hominibus, tanquam non ipsemet detur, sed gratia eius. Refutatur. Sed quod ipse Spiritus sanctus, qui Deus est et tertia in Trinitate persona, detur, aperte ostendit Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate [10] ita dicens: « Eundem Spiritum sanctum datum, cum insufflasset Iesus, de quo mox ait: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, ambigere non debemus. Ipse est igitur, qui etiam de caelo datus est die Pentecostes [11]. Quomodo ergo Deus non est qui dat Spiritum sanctum? immo quantus est Deus qui dat Deum »? Ecce his verbis aperte dicit, Spiritum sanctum, ipsum scilicet Deum, dari hominibus a Patre et [12] Filio. Et quod ipse Spiritus sanctus, qui Deus est ac tertia in Trinitate persona, nobis detur nostrisque infundatur atque illabatur mentibus, aperte ostendit Ambrosius in primo libro de Spiritu sancto [13] dicens: « Licet multi dicantur spiritus, quia legitur: *Qui facit angelos suos spiritus*, unus tamen est Dei Spiritus. Ipsum igitur unum Spiritum et Apostoli et Prophetae sunt consecuti; sicut etiam vas electionis dicit [14], quia *unum Spiritum potavimus*, quasi eum, qui non queat scindi, sed infundatur animis et sensibus illabatur, ut saecularis sitis restringat ardorem; qui Spiritus sanctus non est de substantia [15] corporalium nec de substantia invisibilium creaturarum ». His verbis aperte dicit, Spiritum sanctum ipsum, qui creatura non est, infundi mentibus nostris. Item in eodem [16]: « Omnis mutabilis est creatura, sed non mutabilis Spiritus sanctus ». « Quid

---

[1] Ed. 2 *notandum*.

[2] Cap. 27. n. 48. — Paulo ante cod. D post *Filio ad creaturam* addit *sanctificandam*.

[3] Libr. II. homil. 10.

[4] Edd. 1, 8 *sive*, et mox post *constat* ed. 2 *quod* loco *quia*.

[5] Cap. 26. n. 45. — Vat. et edd. 4, 6 post *dicens* habent: *Spiritus sanctus processit* pro *Spiritum sanctum processisse*.

[6] Ioan. 20, 22. — Textus sequens sacrae Scripturae est Luc. 6, 19.

[7] Loc. cit. n. 46; sed non paucis transpositis vel omissis. — Edd. 1, 3, 7, 8 *addit* pro *addidit*; et immediate ante codd. omittunt *sancti*. Quae omissio, quia saepe in nostris mss. occurrit, deinceps non notatur.

[8] Codd. ACDE *alii*; cod. B nec unum nec alterum vocabulum ponit. Mox codd. AD omittunt *sanctum ipsum Deum*.

[9] Solummodo Vat. et ed. 4 addunt *qui* et sic constructionem mutant. Deinde codd. AD et ed. 8 *homini* pro *hominibus*. — In sequenti propositione Vat. et edd. 4, 6, 9 *ipse* pro *ipsemet*.

[10] Cap. 26. n. 46. — Immediate ante, contra codd. et edd. 1, 8, Vat. cum aliis edd. *dicit* pro *ostendit*. — Textus Scripturae est Matth. 28, 19. Vulgata: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes* etc.

[11] Act. 2.

[12] Vat. cum nonnullis edd. et codd. CD repetit *a*.

[13] Cap. 4. n. 60-62. — Locus proximus Scripturae est Psalm. 103, 4.

[14] I. Cor. 12, 13: *Et omnes in uno Spiritu potati sumus*. — Paulo post pro *restringat* in originali legitur *restinguat* contra nostros mss. et edd.

[15] Vat. et aliae edd. contra codd. et originale addunt *rerum*; edd. 1, 8 pro *substantia* habent *natura*.

[16] Ibid. n. 64; secundus locus Ambrosii est ibid. n. 66; tertius n. 72; quartus c. 7. n. 82. et 84.

autem dubitem dicere, quia datus est et Spiritus sanctus, cum scriptum sit[1]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis?* « Qui cum sit inaccessibilis natura, receptibilis tamen propter bonitatem suam nobis est, complens virtute omnia, sed qui solis participetur iustis, simplex substantia, opulens virtutibus, unicuique praesens, *dividens* de suo *singulis*[2] et ubique totus ». « Incircumscriptus igitur et infinitus[3] Spiritus sanctus, qui discipulorum sensus separatorum infundit, quem nihil potest fallere. Angeli ad paucos mittebantur, Spiritus autem sanctus populis infundebatur. Quis ergo dubitet, quin divinum sit quod infunditur simul pluribus nec videtur? Unus est Spiritus sanctus, qui datus est omnibus licet separatis Apostolis ». Et hic aperte dicit Ambrosius, quod Spiritus sanctus, qui est substantia simplex, cum sit unus, datur pluribus. Alia quoque auctoritate hoc idem astruitur, scilicet quod Spiritus sanctus, qui est aequalis Filio, hominibus detur. Ait enim Augustinus[4] de verbis Apostoli: « Si *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis;* a quo datur? Ab illo, qui *dedit dona hominibus.* Quae dona? Spiritum sanctum, qui tale dat donum, qualis est ipse. Magna est misericordia eius: donum dat aequale sibi, quia donum eius Spiritus sanctus est ». Praemissis[5] et aliis pluribus auctoritatibus aperte monstratur, quod Spiritus sanctus aequalis Patri et Filio nobis datur; nec ideo tamen minor est Patre et Filio. Unde Augustinus in quarto libro de Trinitate[6]: « Non ideo, inquit, minorem Spiritum sanctum, quia et eum Pater misit et Filius, arbitrandum est ».

Cap. III.

An viri sancti possint dare Spiritum sanctum.

Hic quaeritur, utrum et viri sancti dent vel dare possint aliis Spiritum sanctum. Quem si aliis dant, cum eius donatio supra sit dicta processio, videtur ab eis procedere Spiritus sanctus vel mitti; sed Creator a creatura non procedit vel mittitur. Restat ergo, ut ipsi non dent Spiritum sanctum nec dare possint. Unde Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate[7]: « Non aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum sanctum. *Orabant* quippe, *ut veniret in eos,* quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia. Denique et Simon magus, offerens Apostolis pecuniam, non ait: *Date et mihi hanc potestatem, ut* dem Spiritum sanctum; sed, *cuicumque,* inquit, *imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum;* quia nec Scriptura superius dixerat: videns autem Simon, quia Apostoli darent Spiritum sanctum, sed dixerat: *videns autem Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus».* Ecce his verbis ostendit Augustinus, nec Apostolos nec alios Ecclesiae praelatos dedisse vel dare Spiritum sanctum.

(Negative respondetur.)

Et quod plus est, non posse etiam dare, dicit in eodem libro[8] subdens: « De Christo scriptum est, quod *acceperit a Patre promissionem Spiritus sancti et effuderit;* in quo utraque natura monstrata est, humana scilicet et divina. *Accepit* quippe ut homo, *effudit* ut Deus. Nos autem *accipere* quidem hoc Donum possumus pro modulo nostro, *effundere* vero super alios non utique possumus, sed ut hoc fiat, Deum super eos, a quo id efficitur, invocamus ». His verbis expresse dicit[9], nos Spiritum sanctum non posse super alios effundere, id est aliis dare.

(Impossibile hoc esse dicitur.)

Sed huic videtur contrarium quod Apostolus ad Galatas[10] de se loquens ait: *Qui tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis.* Ecce evidenter dicit, se tribuisse Spiritum. Sed intelligendum est, Apostolum dixisse hoc, non quia haberet potestatem et auctoritatem dandi Spiritum sanctum, sed quia ministerium habuerit, in quo dabatur a Deo Spiritus sanctus. Ut enim ait Augustinus super eundem locum, exponens illud Apostoli verbum[11]: « Ab Apostolo praedicata est eis fides, in qua praedicatione adventum et praesentiam sancti Spiritus senserant, sicut illo tempore in novitate invitationis ad fidem etiam sensibilibus miraculis praesentia Spiritus sancti apparebat, ut in Actibus Apostolorum legitur ». Aperte hic ostendit, quomodo illis Spiritum sanctum Apostolus tribuerit, non utique ipsum mittendo in eos, sed praedicando eis fidem Christi, quam illis recipientibus, quod Spiritus sanctus in eis esset, aliquibus signis visibilibus monstrabatur. Non ergo homines quantumcumque sancti dare possunt Spiritum sanctum.

(Obiectio.) (Solutio.)

---

[1] Rom. 5, 5. — Paulo ante Vat. et edd. 8, 9 omittunt *et* ante *Spiritus.*

[2] Respicitur illud I. Cor. 12, 11. — In principio huius loci Ambrosiani codd. et ed. 6 legunt *receptabilis* pro *receptibilis.* Paulo post Vat. sola *complectens* pro *complens.* Deinde ed. 8 pro *opulens* habet *opulentus.*

[3] Vat. et edd. 1, 4, 5, 6, 9 addunt *est.* — Circa finem huius loci cod. D *dividitur* pro *videtur,* quae lectio, licet in se bona sit, tamen est contra litteram et contextum Ambrosii et contra edd. et alios codd. — Immediate post cod. D, Vat. et edd. 3, 4, 5, 6, 9 verbis *unus est* addunt *ergo.*

[4] Serm. 128. n. 4. (olim 43.); sed Magister varia transponit et omittit. — Vat. et edd. 1, 5, 6, 8, 9 male et contra codd. in textu pro *verbis Apostoli* posuerunt *verbis Domini,* cum Magister hic non citet librum Augustini, sed verba Apostoli indicet; insuper contra edd. 1, 8 Vat. aliaeque edd. pro *si* legunt *sic.* Verba Scripturae sunt Rom. 5, 5, et Eph. 4, 8: *dedit dona hominibus.*

[5] Vat. et edd. 4, 5, 6, 8, 9 addunt *his.*

[6] Cap. 21. n. 32. — Mox Vat. et edd. 2, 3, 4, 6, 7, 9 superflue adiiciunt *ait* post *Trinitate.* Deinde post *minorem* solummodo edd. 1, 8 addunt *esse.*

[7] Cap. 26. n. 46. — Ab Augustino respicitur ad Act. 8, 15-19.

[8] Ibid. parum infra. Citatur ab Augustino Act. 2, 33.

[9] Cod. D addit *Augustinus.*

[10] Cap. 3, 5.

[11] Exposit. Epist. ad Gal. n. 20. — Sola Vat. hic addit reliqua verba Apostoli ex eodem versu 5: *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* ad quae verba Augustini immediate sequentia referuntur. — De visibili missione Spiritus sancti legitur Act. 2.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIV.

De temporali processione Spiritus sancti quantum ad principium a quo.

Praeterea diligenter notandum est, quod gemina est Spiritus sancti processio.

DIVISIO TEXTUS.

Terminata parte, quae est de processione aeterna, hic incipit secunda pars, quae est de processione temporali. Et quoniam in hac processione est tria considerare, scilicet *principium a quo* procedit Spiritus sanctus, et *modus secundum quem*, et *proprietas per* [1] *quam* aptus natus est procedere: ideo haec pars habet tres partes, in quarum *prima* agit Magister de processione temporali per comparationem *ad principium a quo;* in *secunda* agit de ipsa in comparatione ad *modum secundum quem,* infra, distinctione decima quinta circa medium, ibi: *Hic quaeritur, utrum semel tantum missus sit* [2]*;* in *tertia* per comparationem ad *proprietatem per quam* natus est temporaliter procedere, et hoc est donum sive donabilitas, infra, distinctione decima octava in principio: *Hic quaeritur, cum Spiritus sanctus, per quem dividuntur dona.*

Prima pars iterum habet duas: in *prima* parte ostendit [3], quod Spiritus sanctus temporaliter mittatur sive procedat a Patre et Filio; *secundo* quaeritur, utrum mittatur sive procedat a se, infra, distinctione decima quinta in principio: *Hic considerandum est, cum Spiritus sanctus detur hominibus a Patre et Filio.*

Prima pars est praesentis distinctionis et habet duas partes: in prima ostendit, quod procedit temporaliter a Patre et Filio; in secunda quaerit [4], utrum Spiritus sanctus detur a sanctis hominibus, ibi: *Hic quaeritur, utrum et sancti viri dent vel possint dare* etc.

In *prima* iterum parte tria facit secundum tria capitula [5]. In prima ostendit, quod gemina est processio Spiritus sancti; in secunda, quod utraque processio est a Patre et Filio, ibi: *De temporali autem processione Beda in homilia* etc.; in tertia, quia Spiritus sancti temporalis processio eius est donatio, ostendit, quod ipse Spiritus sanctus in propria persona donetur, non tantum in effectu, ibi: *Sunt autem aliqui, qui dicunt, Spiritum sanctum.*

Hic quaeritur, utrum et sancti viri dent vel possint dare. Haec est *secunda* pars praesentis distinctionis [6], in qua, ostenso quod Spiritus sanctus procedat temporaliter sive donetur a Patre et Filio, quaerit Magister, utrum detur ab aliquo sancto viro. Et haec pars habet tres partes secundum tria quae ostendit. Primo namque declarat et probat, quod Spiritus sanctus non *detur* ab aliquo sancto viro. Secundo vero ostendit auctoritate Augustini, quod non *potest dari,* ibi: *Et quod plus est, non posse etiam dare dicit* etc. In tertia opponit ad contrarium, quia videtur datus a Paulo, ibi: *Sed huic videtur contrarium quod Apostolus* etc., ubi solvit, quod non est datus ab ipso, sed ab eius ministerio [7].

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum, quae dicuntur in praesenti distinctione, duo pricipaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de processione temporali Spiritus sancti.

Secundo de eius donatione.

Quantum ad primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur [8], utrum sit ponere processionem temporalem Spiritus sancti.

Secundo, utrum processio temporalis ponat in numerum cum aeterna.

---

[1] Aliqui codd. ut W X Z *secundum.*

[2] Vat., mss. et ed. 1 obnitentibus, ponit falso principium d. 16. scil. *Nunc de Spiritu sancto videndum est* etc.

[3] Ed. 1 *ostenditur.*

[4] Vat. *quaeritur,* sed contra mss. et ed. 1.

[5] Ex mss. et ed. 1 substituimus *tria capitula* loco *tres partes.*

[6] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 praecedentem propositionem ita exhibet: *Similiter secunda pars, quae incipit ibi: Hic quaeritur utrum et sancti viri dent* etc.

[7] Cod. K *per eius ministerium;* cod. Y *in* loco *ab.*

[8] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *Primo quaeritur;* aliqui codd. tamen omittunt *quaeritur.*

ARTICULUS I.

De processione temporali Spiritus sancti.

QUAESTIO I.

Utrum processio temporalis Spiritus sancti ponenda sit.

Quod sit ponenda processio temporalis, videtur:

1. Per Bedam, qui dicit in homilia, et habetur in littera[1]: «Spiritus sancti missio est eius processio»; sed missio est temporalis: ergo est ponere processionem Spiritus sancti temporalem.

Fundamenta.

2. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione* sic: procedere est ab uno in alium; cum ergo Spiritus sanctus sit a Deo et sit in creatura et in creatura sit a Deo[2], a Deo procedit in creaturam; hoc autem non est, antequam creatura sit, sed hoc est ex tempore: ergo etc.

3. Item, donum sive datum a dante procedit in accipientem, cum datur; sed Spiritus sanctus ex tempore datur: ergo ex tempore procedit a dante in recipientem[3]: ergo est ponere processionem temporalem.

Contra: 1. Spiritus sancti processio idem est quod eius spiratio; sed non dicitur eius spiratio aliqua temporalis: ergo nec processio.

Ad oppositum.

2. Item, sicut processio se habet ad Spiritum sanctum, sic generatio ad Filium, et quemadmodum Spiritus sanctus mittitur in mentem, ita[4] Filius, et utrumque ex tempore; sed generatio Filii ratione talis missionis nullo modo dicitur temporalis: ergo nec processio Spiritus sancti.

3. Item, processio Spiritus sancti non dicitur temporalis, nisi secundum quod est processio ab aliquo in aliquid, utpote in creaturam; sed processio ab aliquo in aliquid non est nisi dupliciter: aut secundum processum ab agente in suscipiens, aut secundum processum a loco in locum. Sed primo modo *non* est temporalis processio, quia Spiritus sanctus est persona in se fixa et stans: ergo non producitur in suscipiente[5]. Secundo modo *non*, quia quod tali modo procedit, a principio recedit et ad terminum accedit; hoc autem non convenit Spiritui sancto.

4. Item, omne quod temporaliter procedit ab alio, habet initium essendi ex tempore; si ergo Spiritus sanctus temporaliter procedit, ergo eius[6] *esse* incipit.

5. Item, processio temporalis aut dicitur temporalis ratione *Spiritus sancti* aut[7] *gratiae:* non ratione *Spiritus sancti,* quia persona aeterna est; similiter videtur, quod nec ratione *gratiae,* quia Augustinus dicit quarto de Trinitate[8]: «Secundum quod aliquid aeternum mente capimus, non sumus in hoc mundo»: ergo si gratia elevat ad capiendum aeternum *esse* eius, et processio non est temporalis, ergo nec processio Spiritus sancti ratione *gratiae.*

6. Item, in processione Spiritus sancti in creaturam est processio Doni increati, quod est Spiritus sanctus et doni creati, quod est gratia; sed Donum increatum est nobilius; ergo cum *a nobiliori* debeat fieri *denominatio*[9], processio Spiritus sancti in creaturam debet dici processio increata; sed omnis talis est aeterna, non temporalis: ergo etc.

CONCLUSIO.

Ponenda est processio Spiritus sancti temporalis non ratione eius, a quo procedit, sed ratione eius, in quod procedit sicut in susceptivum, in quo recipitur.

Respondeo: Dicendum, quod processio, secundum quod *communiter* accipitur de Filio et de Spiritu sancto, dicitur emanatio ab hoc, scilicet a Patre; secundum quod dicitur de *Spiritu sancto,* dicitur processio ab uno in alium. Sed procedere ab uno in alium est dupliciter: aut sicut in *obiectum,* in quod *protenditur,* aut sicut in *susceptivum,* in quo *recipitur.* Et *primus* quidem modus est in processione aeterna; quia enim Spiritus sanctus procedit ut amor mutuus, ideo procedit a duobus, ita quod ab uno in alium. «Spiritus enim sanctus, ut dicit Hieronymus[10] et Augustinus, amor est, quo Pater amat Filium et Filius amat Patrem». *Secundus* mo-

Distinctio.

Subdistinctio.

---

[1] Hic, c. 1, in quo textu fide mss. et ed. 1 adiunximus *eius.*

[2] Ita codd. cum ed. 1, dum Vat. perperam omittit *et in creatura sit a Deo.* Paulo ante cod. K post *alium* addit *tendere vel ab uno in alio esse.*

[3] Plures codd. ut FGH cum ed. 1 *accipientem.*

[4] In nonnullis mss. ut K bb ff et ed. 1 adiungitur *et.*

[5] Auctoritate mss. et edd. 1, 2, 3 expunximus hic in Vat. additum *sed in se.* Paulo ante cod. W post *processio* legit *respectu Spiritus sancti; est enim persona;* cod. Y autem nomini *persona* praemittit *tali modo,* quod refertur ad *primo modo.*

[6] In Vat. et cod. cc desideratur *eius,* quod tamen in aliis mss. et ed. 1 habetur.

[7] Cod. M hic repetit *ratione.*

[8] Cap. 20. n. 28.

[9] Cfr. supra Prooem. q. 4. arg. 2. ad opp.

[10] Comment. in Psalm. 17. — August., VI. de Trin. c. 5. n. 7. Vide supra d. X. lit. Magistri, c. 2. — Verba praecedentia: ab uno in alium procedit, intelligenda sunt secundum ea quae dicta sunt d. 13. a. 1. q. 1. ad 4.

dus in illa[1] esse non potuit, quamvis ita intellexerint Graeci, quod in Filio recipitur Spiritus sanctus et a Patre producitur. Sed penes secundum modum — cum receptio Spiritus sancti sit per influentiam doni[2] gratuiti, quod ex tempore est — attenditur processio *temporalis,* secundum quam Spiritus sanctus dicitur procedere ab aliquo in aliquem non tantum sicut in obiectum, sed sicut in habitaculum. Et sic concedendum est, quod est processio temporalis Spiritus sancti, non ratione eius *a quo,* sed ratione eius *in quod* procedit.

Conclusio.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de spiratione et generatione, iam patet responsio, quia neutrum horum nominum respectum dicit ad[3] terminum, in quem fit processio.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod processio Spiritus sancti non potest esse ab aliquo in aliquid[4] ut in susceptivum; dicendum, quod verum est ratione ipsius personae; sed tamen ratione connotati, quod est gratia, in qua datur Spiritus sanctus, suscipitur, quia gratia est in aliquo sicut in susceptivo.

4. Ad illud quod obiicitur: quod temporaliter procedit incipit esse; dicendum, quod hoc est dupliciter[5], quia haec determinatio *temporaliter* potest poni circa actum procedendi per comparationem ad *principium a quo,* vel in comparatione ad *terminum in quem. Primo* modo vera est propositio; sed sic non dicitur Spiritus sanctus[6] procedere temporaliter, eo quod ex tempore producatur. *Alio* modo per comparationem ad *terminum in quem;* sic[7] non habet veritatem, si procedit in hoc ex tempore, quod habeat initium, sed solum, quod incipiat esse in hoc.

Temporaliter procedere est dupliciter.

5. Ad illud quod obiicitur, quod gratia non procedit temporaliter, quia elevat ad aeternum; dicendum, quod *temporale* dicitur tripliciter. *Uno* modo dicitur temporale quod habet initium et variationem et actum in tempore; et hoc modo dicitur temporale quod subiacet tempori et est corruptibile et variabile. *Secundo* modo dicitur temporale quod habet initium essendi in tempore[8], sed non variationem, ut anima. *Tertio* modo dicitur temporale quod habet initium in tempore, sed actum extra tempus et supra tempus elevatum; et hoc tertio modo dicitur temporalis processio vel gratiae donatio.

Temporale dicitur tripliciter.

Potest tamen dici, quod gratia habet esse temporale ratione eius in quo est, scilicet liberi arbitrii[9], quod mutatur et variatur; et verbum Augustini, quod dicit, quod non sumus in hoc mundo, est intelligendum quantum ad conformitatem.

Alia solutio.

6. Ad illud quod obiicitur, quod denominatio debet esse a digniori; dicendum, quod totum copulatum, quia destruitur destructione cuiuslibet partis, habet denominationem a parte imperfectiori. Unde si una pars copulationis est *falsa,* totum copulatum dicitur esse falsum; si una *contingens,* totum iudicatur contingens; si una temporalis, et totum temporale[10]. Quia ergo processio temporalis includit emanationem aeternam personae et emanationem gratiae, quae temporalis est, ideo dicitur temporalis et non aeterna.

Et quod[11] dicitur, quod denominatio debet fieri a digniori; dicendum, quod non est verum nisi in eo, in quo illud quod minus dignum est, conformatur digniori.

SCHOLION.

I. Posito hoc principio, quod in processione amoris praeter principium *a quo* sit etiam terminus *ad quem,* quia amor tendit in alium, unde est in amante ut in subiecto, in amato vero ut in obiecto seu termino, ipse terminus processionis iterum distinguitur. Aut enim est simpliciter obiectum sive terminus, aut est aliquod susceptivum, i. e. tale subiectum, quod aliquid recipit. Hic secundus modus propter suam imperfectionem non convenit divinis personis in se spectatis, invenitur tamen in missione temporali, quatenus creatura rationalis per gratiam fit habitaculum Spiritus sancti. Tunc enim Spiritus sanctus in hac creatura de novo incipit esse vel alio modo esse, quam antea erat; per quod, ut dicit Richard. a Med. (hic q. 1.), « impor-

---

[1] In ed. 1 explicative additur *aeterna emanatione,* in qua et paulo infra cum aliquibus mss. ut aa bb *recipiatur* pro *recipitur* et *producatur* loco *producitur* habetur. In fine huius propositionis Vat., omisso puncto, prosequitur propositionem.

[2] Sequimur plures codd. ut H I aa bb ee cum ed. 1 loco *boni* ponendo *doni,* quod tertio argumento in princ. huius quaestionis respondet. Paulo infra ex mss. antiquioribus et ed. 1 substituimus *secundum quam* loco *secundum quod.*

[3] Ex cod. Z et ed. 1 substituimus *ad* pro minus apta praepositione *in,* quae et immediate post recurrens forte occasionem praebuit unum pro altero ponendi.

[4] Supplevimus *in aliquid,* quod et contextu exigitur et ipsa obiectione supra posita nec non auctoritate cod. Z comprobatur. Mox fide antiquiorum mss. et ed. 1 *susceptivum* posuimus pro *receptivum.*

[5] Lectio Vat. *haec est duplex* emendatur ope mss. et ed. 1.

[6] Vetustiores codd. cum ed. 1 exhibent *sanctus,* omissum a Vat. et cod. cc.

[7] Ed. 1 *et sic,* quae et paulo post cum aliquibus mss. ut A aa cc ponit *procedat* loco *procedit.*

[8] Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 minus bene, verbis transpositis, *in tempore essendi.*

[9] Substituimus fide mss. (propter abbreviationem plures sunt dubiae lectionis) et ed. 1, nec non constructione grammaticali exigente, *liberi arbitrii* pro *liberum arbitrium.* — Explicationem verborum Augustini vide etiam infra d. 15. p. II. dub. 5.

[10] Pro syllogismo exprimitur hoc idem sequenti regula: Peiorem sequitur semper conclusio partem i. e. si una praemissarum fuerit particularis aut negativa, conclusio erit particularis aut negativa. — Paulo ante post *dicitur* exhibemus lectionem plurimorum mss. addendo *esse,* quod Vat. omittit cum ed. 1 et uno alterove codice. Ed. 1 cum cod. aa *iudicatur* loco *dicitur,* pro quo cod. V *erit* et cod. Y *est.*

[11] Cod. Y *si* pro *quod.*

tatur nova realis habitudo ipsius termini ad Spiritum sanctum, cui respondet nova habitudo secundum dici in Spiritu sancto ad ipsum terminum. Sic cum talis habitudo sit ex tempore, dico, quod secundum hanc habitudinem vel ratione huius habitudinis Spiritus sanctus procedit ex tempore ».

II. Ut solut. ad 2. melius intelligatur, supponendum est, quod idem Richard. (loc cit. ad 1.) dicit: « Non est simile de generatione et processione, quia generatio importat tantum habitudinem ad principium *a quo*, sed processio Spiritus sancti non tantum importat habitudinem ad principium *a quo*, sed etiam ad terminum *ad quem*. Divina autem persona non potest importare habitudinem ad aliquid temporale sicut ad principium *a quo;* ergo non potest esse aliqua generatio divinae personae nisi ratione humanae naturae, quae non sit aeterna etc. ».

III. Pro ampliore huius quaestionis dilucidatione serviunt quae sequuntur in hac et duabus seqq. qq. Cfr. etiam Breviloq. p. I. c. 5; Comment. in S. Ioan. c. 1. 34. (in Suppl. Bonelli tom. I.). Alex. Hal., S. p. I. q. 71. m. 2; et q. 73. m. 1. — Scot., de hac et seq. in utroque scripto hic q. unic. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. 2; S. I. q. 43. a. 1. 2. 6. 7. — B. Albert., hic a. 1. 10; S. I. tr. 7. q. 32. m. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. — Henr. Gand., de hac et seq. S. a. 61. q. 2. n. 6; et q. 10. n. 6. seq. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, de hac et seq. hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum processio Spiritus sancti aeterna et temporalis numerentur ut duae processiones.

Secundo quaeritur, utrum processio temporalis ponat in numerum cum aeterna. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Per hoc, quod dicit Magister[1], « quod *gemina* est processio Spiritus sancti, aeterna et temporalis ».

2. Item, *ratione* videtur similiter, quia plus distat[2] temporale ab aeterno quam aeternum ab aeterno; illud constat; sed processio aeterna facit numerum cum aeterna, quia processio Filii et processio Spiritus sancti sunt duae: ergo etc.

3. Item, quaecumque habent ordinem, habent numerum et distinctionem; sed processio aeterna et temporalis habent ordinem, quia aeterna[3] ante temporalem: ergo habent distinctionem; ergo faciunt numerum: ergo processio temporalis et aeterna sunt duae.

Ad oppositum. Contra: 1. Numerata processione, numeratur procedens, quia unum et idem non procedit bis; ergo si sunt duae processiones, sunt duo procedentes: ergo Spiritus sancti sunt duo[4]; sed hoc est falsum, quia unus est Spiritus sanctus procedens: ergo et primum.

2. Item, processio temporalis et aeterna si differunt, aut hoc est ex hoc, quod sunt diversae emanationes, aut quia diversus modus emanandi. Non quia diversae emanationes, quia tunc essent diversi emanantes; nec quia diversus modus, quia Pater et Filius semper uno modo spirant: ergo Spiritus sanctus semper[5] uno modo procedit: ergo etc.

3. Item, homo pictus et homo verus non sunt duo homines; non enim numerantur nisi univoca, et quod dicitur de duobus secundum unam naturam[6]; sed temporale et aeternum minus communicant quam homo pictus et homo verus: ergo processio temporalis et aeterna non est dicenda *gemina*.

4. Item, processio temporalis non addit super aeternam nisi respectum vel effectum in creatura[7]; sed respectus vel effectus, causae additus, ipsam non numerat: unde sol lucens et sol illustrans sive illuminans non sunt duo, similiter Deus ens et Deus creans: ergo nec processio aeterna et temporalis erit duplex[8].

CONCLUSIO.

Secundum modum dicendi analogum non inconvenienter processio Spiritus sancti aeterna et temporalis dicitur duplex processio.

Respondeo: Dicendum, quod ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod processio dicitur geminari aut ratione *procedentium*, ut puta, cum procedunt duo filii; aut ratione *modi procedendi*[9], ut amor et verbum dupliciter procedunt; vel ratione *modi dicendi*, ut dicatur processio gemina, id est dupliciter dicta. Triplex geminatio.

Sed attendendum, quod modus dicendi est triplex, scilicet *aequivocus, univocus* et *analogus*[10]. Triplex modus dicendi. Cum est modus dicendi *aequivocus*, ibi est geminatio circa *dici* et non circa *esse*. Unde homo pictus et homo verus *dupliciter* dicitur homo, sed non est duplex homo vel duo homines. Cum est modus dicendi *univocus*, est geminatio circa *esse* et non

---

[1] Hic, c. 1.
[2] Cod. M *differt*.
[3] In cod. Y additur *est*.
[4] Ed. 1 *ergo duo Spiritus*.
[5] Ex mss. et ed. 1 restituimus male omissum *semper*. Paulo ante ed. Veneta cum Lugdunensi post *modus* adiungit *emanandi*.
[6] Vide Aristot., IV. Phys. text. 133. (c. ult.) et V. Metaph. text. 11. et 20. (IV. c. 6. et 15.).
[7] Plurimi codd. cum ed. 1 *creaturam*, quod refertur ad *respectum*.
[8] Consentientibus antiquioribus mss. et ed. 1, substituimus *duplex* loco *dupliciter*.
[9] In Vat. et cod. cc perperam deest *procedendi*, quod tamen habetur in aliis codd. et ed. 1.
[10] Cfr. Aristot., de Praedicam. in princ. — Mox post *modus* fide vetustiorum mss. et ed. 1 adiecimus incongrue omissum *dicendi*. Dein ed. 1 *Ut* loco *Unde*.

circa *dici*[1]. Unde homo verus in Socrate et Platone numeratur, quia sunt duo homines, sed non multipliciter dicitur. Ubi est modus dicendi *analogus*, quia partem tenet de natura univoci, partem de natura aequivoci, ibi est numeratio et[2] in essendo et in dicendo.

Secundum hunc igitur modum dicendum, quod *processio*, secundum quod dicta est de processione temporali et aeterna, non est dicta[3] univoce nec Conclusio 1. aequivoce, sed *analogice*, quia unus modus clauditur in alio. *Procedere* enim ab hoc in hoc ut in *obiectum* est aeternum, sed *procedere* ab hoc in hoc ut in *habitaculum* est temporale. Quoniam igitur analogum est sic dictum et sic[4], ideo est ibi Conclusio 2. dupliciter dici, et una processio dicitur dupliciter, et ita per consequens duplex esse, ut non inconvenienter dicatur processio Spiritus sancti esse duplex.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, Solutio oppositorum. quod, multiplicata processione, multiplicatur procedens; dicendum, quod verum est, si accipiatur de multiplicatione secundum unum modum dicendi. Unde si gemina esset processio, secundum quod processio dicitur exitus ab aliquo, utique duo essent procedentes, nunc autem[5] non sic; sed est *gemina*, quia uno modo est ab aliquo in aliquem ut in *obiectum*, alio modo ab aliquo in aliquem ut in *habitaculum*.

2. 3. Ad illud quod obiicitur secundo: *aut* est duplex processio, quia duplex emanatio *vel* duplex modus[6]; dicendum, quod non sufficienter dividit; debet enim tertium membrum addere, scilicet, *aut* quia duplex modus dicendi, non aequivocus. Et per hoc patet sequens de homine picto et vero, quia ibi non est analogia, sed aequivocatio pura.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod respectus additus non numerat etc.; dicendum, quod respectus additus *subiecto* non numerat subiectum; unde non dicitur Spiritus sanctus duplex[7], quia spiratur et inspiratur. Sed quando respectus additur *significationi termini*, tunc necesse est, illum aliter et aliter dici; et si sit respectus non distrahens — ita quod non faciat omnino diversam significationem — sed ad illam ordinatus, facit analogiam in termino[8] et numerum secundum *dici* et etiam numerum secundum *esse*. Unde si hoc nomen *illuminatio* significaret actum lucendi *absolutum* et actum lucendi *comparatum*, sol dupliciter diceretur illuminare, et esset illuminatio solis gemina; sed tamen magis proprie ibi esset geminatio in *dicendo* quam in *essendo*. Unde Magister[9] magis proprie loqueretur, si diceret: processio Spiritus sancti dicitur dupliciter, quam cum dicit, quod est gemina, quia non cadit ibi proprie geminatio.

SCHOLION.

I. Ponere in numerum cum alio idem est ac distingui ut res a re. Notandum autem, quod haec utriusque processionis distinctio sane est intelligenda. Nam temporalis processio includit aeternam et addit super eam in Spiritu sancto novam habitudinem (secundum rationem intelligendi) ad creaturam, connotando aliquem realem effectum in ipsa, per quem est nova relatio realis in creatura ad Spiritum sanctum. Inde sequitur, quod *termini* istarum processionum essentialiter differunt, quia aeterna processio non respicit nisi terminum aeternum, temporalis vero importat respectum ad terminum temporalem. Sed in *essentia* istarum processionum non alia est differentia nisi secundum rationem intelligendi, ut bene explicat Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — De triplici modo dicendi: univoco, aequivoco et analogo cfr. supra d. 1. a. 3. q. 1. et Scholion. — Ad intelligentiam conclusionis multum iuvat solut. ad 4; cfr. etiam infra d. 15. p. II, et d. 16.

II. Omnes antiqui Scholastici in conclusione concordant, excepto Ægid. R., qui negat, dici posse processionem esse geminam vel duplicem. S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. I. q. 43. a. 2. ad. 3. — B. Albert., hic a. 7. 9; S. p. I. tr. 7. q. 32. m. 2. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1. post med.

---

[1] Lectio Vat. *dicere* pro *dici* castigatur ope mss. et ed. 1. Paulo ante cod. W *sed non* loco *et non*.

[2] Vat. contra mss. et ed. 1 omittit *et*. Codd. L O *geminatio* locu *numeratio*.

[3] Vat. cum cod. cc praeter fidem antiquiorum mss. et ed. 1 male omittit *dicta*.

[4] Ita cum ed. 1 omnes codd., licet aliqui ut K O V X falso prima vice pro *sic* legant *sicut*, sed Vat. omnino perturbate *sicut dictum est* pro *sic dictum et sic* i. e. procedere uno modo dictum et altero modo. Mox codd. et edd. non conveniunt inter se ponendo *duplex* loco *dupliciter* et vice versa.

[5] In Vat. et cod. cc minus apte omittitur *autem*, quod in aliis codd. et ed. 1 habetur. Mox in plurimis codd. et sex primis edd. post *sed* desideratur verbum *est*.

[6] Praecedens propositio clarius exhiberetur sic: *obiicitur secundo: est duplex processio, quia aut duplex emanatio aut duplex modus;* consentientibus tamen cum Vat. editionibus et codicibus (excepto cod. H, qui post *vel* repetit *quia)* nihil mutavimus.

[7] Vat. contra plures codd. ut F T X Y *dupliciter*. Paulo infra in margine cod. T a posteriore manu post *termini* glossando ponitur *ut videlicet quia terminus in una sui significatione est absolutus, in alia respectivus.*

[8] Multi codd. ut A B C D E F G I P Q R S T U etc. cum edd. 1, 2, 3 loco *in termino* ponunt *in tertio*, de quo cfr. supra d. 1. a. 3. q. 1. ad 1, et infra d. 35. q. 1. in corp. Paulo ante ed. 1 *illum* pro *illam*.

[9] Cfr. lit. Magistri, hic c. 1. in initio.

ARTICULUS II.

De datione Spiritus sancti.

Consequenter est secundo loco quaestio principalis de datione Spiritus sancti. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum Spiritus sanctus detur in propria persona hominibus, an tantum dicatur ideo dari, quia datur eius effectus.

Secundo, utrum Spiritus sanctus detur ab aliquo viro sancto.

QUAESTIO I.

Utrum Spiritus sanctus detur in propria persona, an tantum in effectu.

Quod detur in propria persona, sic ostenditur.

Fundamenta. 1. Ad Romanos quinto[1]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis;* sed nihil diffundit caritatem nisi Spiritus increatus: ergo etc.

2. Item, Augustinus quinto de Trinitate[2] dicit, quod Spiritus sanctus est donum, et eo dicitur donum, quia datur: ergo si personaliter est donum, personaliter datur.

3. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione*. Spiritus sanctus est amor et primus amor; sed amor est donum primum, in quo omnia[3] alia dona donantur: ergo si non est ponere posterius sine priori, non est ponere dona Spiritus sancti dari, quin detur ipse Spiritus sanctus.

4. Item, Spiritus sanctus datur ad uniendum[4] et colligandum membra corporis mystici; sed membra corporis mystici sunt membra invicem unita, sicut ipse Dominus petit, Ioannis decimo septimo[5]: *Ut sint consummati in unum;* sed perfecta unio non est nisi in uno simplici: ergo membra uniuntur per aliquid, quod est unum et idem in omnibus; hoc autem non potest esse donum creatum, sed increatum: ergo necesse est cum dono creato dari increatum.

Ad oppositum. Contra: 1. Virtus[6] est ars recte vivendi, et gratia est donum sufficienter dirigens animam in finem: ergo videtur, quod aliud donum quam donum gratiae creatae non sit animae opportunum: ergo si non est in operibus Dei ponendum superfluum[7], patet quod non est necesse dari Spiritum sanctum.

2. Item, cum aliquis sanctificatur per gratiam, nihil est in eo praeter gratiam[8], quod non esset prius: ergo cum dare sit facere, quod aliquid sit in isto, quod non erat prius, non datur nisi gratia. *Si dicas*, quod Spiritus sanctus est in eo ut sanctus, prius erat ut Spiritus: ergo nihil aliud est quam Spiritum sanctum facere[9] gratiam sanctificantem in hoc.

3. Item, quod datur post donationem est in potestate accipientis; sed Spiritus sanctus sub nullius[10] potest redigi potestate: ergo non potest dari.

4. Item, quod datur alicui differenti per essentiam aut de novo creatur, aut multiplicatur, aut eius possessio transfertur, ut patet, cum do alicui cappam; sed persona Spiritus sancti nec creatur nec multiplicatur nec possessio eius transfertur, quia Deus semper habet Spiritum sanctum: ergo Spiritus sanctus non datur.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus datur tum in propria persona, tum in dono creato, quod est gratia.

Explicatio terminorum. Respondeo: Dicendum, quod *dare* est ad aliquid habendum vel possidendum; *habere* autem aliquid vel possidere est, cum aliquid est in facultate habentis vel possidentis. *Esse* autem *in facultate habentis* vel possidentis est esse praesto ad fruendum vel utendum. Perfecta autem possessio est, cum homo habet illud, quo possit uti et quo possit frui[11]. Sed recte frui non est nisi Deo, et recte uti non contingit nisi per gratiam gratum facientem:

---

[1] Vers. 5.

[2] Cap. 15 n. 16: Spiritus sanctus eo quo datur, habet non tantum ut donum sit, sed omnino ut sit. Cfr. etiam infra d. XVIII. lit. Magistri. — Mox post *ergo si* cod. bb *persona haec* loco *personaliter*.

[3] Fide antiquiorum mss. et ed. I supplevimus hic *omnia* et paulo post *ponere*. Circa finem argumenti ex antiquioribus mss. et ed. I loco *proprie* substituimus *ipse*. Plura de hoc argumento vide infra d. 18. q. 1.

[4] Codd. L O *vivificandum* pro *uniendum*.

[5] Vers. 23.

[6] Ita recte omnes codd. cum ed. 1, dum Vat. habet *Gratia*.

[7] Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4.): Deus autem et natura nihil frustra faciunt.

[8] Sequimur cod. T ponendo *praeter gratiam* loco *nisi gratia*, quod multi codd. cum edd. 1, 2, 3 male omittunt.

[9] Sequimur plures Codd., licet aliqui ut A S T V etc. minus bene *facientem;* Vat. *Spiritus sanctus faciens.*

[10] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 restituimus *nullius* pro *nulla*. Mox cod. bb *nec* loco *non*.

[11] Praeter fidem vetustiorum mss. et ed. 1 minus bene Vat. bis *posset* loco *possit*. Mox cod. K *alio quam* et cod. T *in alio a* pro primo *nisi*.

ergo perfecta possessio est, in qua Deus habetur et eius gratia. Sed perfectum donum est ad perfectam possessionem: ergo non est *datum optimum et donum perfectum* [1], nisi detur Donum increatum, quod est Spiritus sanctus, et donum creatum, quod est gratia. Concedendum ergo est [2], utrumque dari.

Conclusio.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de gratia, quod est ars bene vivendi [3]; patet responsio: quamvis enim sit ars, qua utimur, non tamen est possessio, qua fruimur ut obiecto; et ideo non est perfectum donum sine illo.

2. Ad illud quod obiicitur: nihil plus est in isto quam prius; dicendum, quod dari non ordinatur ad *esse*, sed ad *habere*. Licet enim Spiritus sanctus esset prius in peccatore, non tamen habebatur ab eo, quia peccator non habebat facultatem fruendi ipso.

3. Ad illud quod obiicitur, quod datum est in potestate accipientis; dicendum, quod aliquid datur alicui ut *finiens*, sicut praemium merenti; aliquid ut *perficiens*, ut gratia consentienti; aliquid ut *subserviens*, ut equus militi. Quod autem dicitur, quod datum est in potestate accipientis, verum est de datione [4] tertio modo dicta, non primo et secundo, quia illi sunt duo modi habendi, in quibus habens habetur. Unde homo habetur a gratia et habetur a Dono, quo fruitur.

Datum est triplex.

4. Ex hoc patet ultimum: quia [5] illud verum est de eo quod datur ut possessio *limitata;* sed de eo quod datur ut *finiens*, non, quia tale simul potest dari multis et haberi a multis, quia ad idem tendunt: et ideo, cum datur, non transfertur [6].

SCHOLION.

I. Mira brevitate et claritate haec quaestio sex propositionibus solvitur et probatur. — In quarta propositione dicitur: «Recte uti non contingit nisi per gratiam»; hic vocabulum *recte* significat *meritorie*. Non enim negat S. Doctor, quod etiam peccator aliqua re possit recte uti, i. e. *honesto* modo, immo contrarium asserit II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3.

II. In solutione ad 2. recte dicitur, quod «licet Spiritus sanctus esset prius in peccatore, non tamen habebatur ab eo». Solummodo enim per caritatem creatura intellectualis et habetur speciali modo a Spiritu sancto et habet ipsum ad fruendum. Hoc explicat Richard. a Med. (hic a. 2. q. 1.) hac similitudine: «Si homo pauper haberet alicuius divitis pecuniam in sua domo, non propter hoc diceremus, quod haberet illam pecuniam sicut rem suam. Unde non obstante, quod illa pecunia praesens erat in domo pauperis, posset sibi dari de novo a divite; quo facto non tantummodo haberet eam per solam pecuniae praesentiam in domo, sed haberet eam sicut rem suam. A simili aliqualiter dico, quod quamvis Spiritus sanctus sit per essentiam praesens omni rei, quia tamen peccator non habet facultatem ad fruendum eo, ideo, non obstante illa praesentia, potest a Deo vere dari persona Spiritus sancti etc.» — Attentione digna est etiam doctrina in solut. ad 3, qua declaratur, nec donum increatum ullatenus transferri in potestatem accipientis ut aliquid ipsi subiectum, nec ipsam animam corpori datam per hoc proprie subiici eiusdem potestati.

III. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 73. m. 4. a. 1. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. I. q. 42. a. 3. — B. Albert., hic a. 13; et d. 15. a. 2. ad 1; de hac et seq. q. S. p. I. tr. 7. q. 32. m. 1. q. 1. et 2. incidens. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 5. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic quaestiunc. 2. — Biel, hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum Spiritus sanctus detur ab aliquo viro sancto.

Secundo quaeritur, utrum Spiritus sanctus detur ab aliquo viro sancto. Et quod sic, probatur hoc modo:

Ad oppositum.

Spiritum sanctum dari non est aliud quam gratiam gratum facientem dari; sed ostenditur, quod gratiam gratum facientem ab homine dari sive infundi est *possibile* et *conveniens* et *verum.*

Quod sit possibile.

1. Et quod sit *possibile*, videtur a minori: quia maioris virtutis est producere formam substantialem quam accidentalem; sed [7] gratia est forma accidentalis: cum ergo creatura habeat virtutem producendi formam substantialem, multo fortius videtur de gratia, quae est forma accidentalis.

2. Item, hoc ipsum videtur posse ostendi [8] *a simili:* quia gratia est lumen spirituale; sed ita videmus in lumine corporali, quod aliquid est luminis *dativum*, aliquid *receptivum*, aliquid *dativum* et *receptivum:* ergo si lumen spirituale est aeque potens, pari ratione videtur de ipso. Sed dativum, cum sit Deus, non potest esse receptivum, quia nihil recipit ab aliquo: ergo hoc est reperiri in creatura, quod *recipiat* lumen spirituale, quod est gratia, et *det* ipsum; et sic etc. [9]

3. Item, duo sunt, quae faciunt creaturam habere posse producendi sibi simile, scilicet *corrupti-*

---

[1] Iac. 1, 17.

[2] Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, omittit *est.*

[3] Hoc enim eruitur ex propositione prima obiectionis.

[4] Vat. contra mss. et ed. 1 *donatione* loco *datione*, et paulo infra contra antiquiores codd. et ed. 1 omittit *duo*, deinde post *habens* absque auctoritate mss. et edd. 1, 2, 3 addit *et habet et.* Codd. TW *habens dicitur haberi*, plures codd. ut ACGL RSUY corrupte *habens dicitur*, alii tamen codd. cum edd. 1, 2, 3 exhibent lectionem nostram.

[5] Ex plurimis mss. et ed. 1 substituimus *quia* pro ambiguo *quod.*

[6] Multi codd. ut ABCDFGILORSTUW etc. omittunt ultima verba *quia ad idem* usque *transfertur.*

[7] Vat. cum cod. cc minus distincte et contra ceteros codd. cum ed. 1 *et* pro *sed.*

[8] Pauci scripti ut T aa addunt *ratione.*

[9] Vat. et cod. cc, aliis tamen codd. cum ed. 1 refragantibus, perperam *de aliis* loco *etc.*

bilitas, ob quam indiget conservari in alio, et *perfectio* in natura, ob quam potest in actum perfectum, qui est producere sibi similem [1]. « Perfectum enim dicitur unumquodque. cum potest generare tale, quale ipsum est [2] ». Si ergo gratia est forma, quae citissime corrumpitur, et forma magnae perfectionis: ergo debet habere virtutem producendi sibi similem; sed non in subiecto in quo est: ergo in alio.

4. Item, quod potest perfecte expellere contrarium potest perfecte aggenerare [3] habitum contrarium, quia contrarium non expellitur perfecte nisi per contrarium; sed gratia potest perfecte expellere culpam: ergo gratia in homine potest ex se generare gratiam; sed non in habente, ergo in alio.

5. Ostenditur etiam [4], quod sit *congruum*, quod gratia procedat ab uno homine in alium. Et sic ostenditur: ratio superbiendi fuit ratio amittendi gratiam, ergo ab oppositis, humiliatio est ratio recuperandi [5]; sed si gratia datur ab homine, plus humiliatur homo, quam si tantum a Deo; quia si datur ab homine, humiliatur homo sub Deo et sub homine, non autem, si a solo Deo datur, humiliatur sub utroque: ergo videtur, quod iste modus magis congruat [6]. (Quod sit congruum.)

6. Item, si in [7] actu *iustitiae*, qui est punitio, subiicitur anima peccatrix creaturae corporali, ut ordinetur in universo: ergo in actu *misericordiae* debet subiici alicui creaturae, ut reordinetur: ergo sicut ab aliqua creatura recipit poenam, ita videtur congruum, quod recipiat et gratiam.

7. Item, perfectum agens non tantum dat suscipienti formam, sed etiam dat potentiam consimilem [8]; et hoc est in manifestationem suae potentiae: ergo si Deus est agens nobilissimum et qui maxime debet laudari in sua actione, congruum est, ut non tantum det formam gratiae, sed etiam potentiam dandi.

8. Item, sicut a Deo est *esse*, ita et *bene esse*; sed in nullo derogatur Deo, cum dat potentiam creaturae dandi *esse*: ergo in nullo derogatur, cum dat potentiam dandi *bene esse*, ergo et esse gratuitum.

9. Ostenditur autem quod sit *verum*, quia Ioannis vigesimo [9] dixit Dominus: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc. (Quod sit verum.)

10 Item, in Actibus [10] dicitur, quod per impositionem manuum Apostolorum dabatur Spiritus sanctus, non per impositionem manuum aliorum, ut dicit Glossa de Philippo discipulo, Actuum octavo: ergo aliqua virtus erat in Apostolis, quae non erat in aliis; sed per illam dabatur Spiritus sanctus: ergo ab homine dabatur Spiritus sanctus.

E converso ostenditur, quod donum Spiritus sancti dari ab homine sit *falsum*, sit *incongruum*, sit etiam *impossibile*. (Fundamenta.)

1. Quod sit *falsum*, videtur per Augustinum, decimo quinto de Trinitate [11]: « Non aliquis discipulorum dabat Spiritum sanctum, sed orabant, ut veniret in hominem ». (Quod sit falsum.)

2. Item, quicumque dat vel donat aliquid, habet posse [12] activum super illud; sed super donum Spiritus sancti nullus homo habet posse: ergo etc.

3. Item, quod sit *inconveniens*, videtur, quia si anima ab alio quam a Deo gratificatur, alius quam Deus cadit medium inter animam et Deum. Sed quandocumque aliquid cadit medium [13] inter animam et Deum, anima hominis est perversa: ergo secundum hoc, dum daretur animae gratia, perverteretur. (Quod sit inconveniens.)

4. Item, gratia potest super liberum arbitrium, ergo si posset homo dare gratiam, homo haberet posse super alterius arbitrium; sed arbitrium, quod est alii subiectum, non est liberum: ergo talis donatio tolleret [14] libertatem.

5. Item, maxima est gloria Deo [15] de impii iustificatione; sed maxima gloria Dei non debet alii communicari: ergo si communicatur, divinae gloriae derogatur; sed si alius quam Deus dat gratiam, alius quam Deus iustificat: ergo talis donatio minuit Dei gloriam.

6. Item, iustum est in eo sperare, qui potest dare meritum salutis; sed si homo posset dare gratiam, posset dare meritum salutis: ergo iustum esset

---

[1] Fide mss. et ed. 1 hic et circa finem argumenti loco *simile* substituimus *similem*, quod et plures codd. cum ed. 1 circa principium argumenti exhibent. — De duplici ratione, ob quam creaturis convenit potentia producendi sibi simile, vide supra d. 7. q. 2. in corp.

[2] Aristot., II. de Anima, text. 34. (c. 4.) et IV. Meteor. text. 19. (c. 3.). Cfr. supra d. 9. q. 1. — In quo textu, postulantibus antiquioribus mss. et ed. 1, posuimus *cum* loco *quod*. Mox Vat. cum cod. cc, aliis tamen codd. et ed. 1 obnitentibus, minus bene *autem* pro *ergo*. Paulo infra cod. O *maximae* loco *magnae*.

[3] Sequimur codd. A C H I R S T U etc. cum ed. 1 ponendo *aggenerare* loco *generare*, quod Vat. habet.

[4] Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 *autem*.

[5] Unus alterque codex ut I V repetit hic *gratiam*. Mox plures codd. ut A I S T W Y etc. incongrue *ergo* pro *sed*.

[6] Fide plurimorum mss. et ed. 1 substituimus *iste* loco *ille*, et *congruat* pro *conveniat*.

[7] Vat. contra mss. et edd. 1, 2, 3 *cum*, sed minus bene. In fine argumenti ope mss. et ed. 1 posuimus *ita* et *quod* loco *sic* et *ut*.

[8] Averroes, Comment. in VIII. Phys. text. 32: Generans enim est illud quod dat corpori simplici generato formam suam et omnia accidentia contingentia formae. — In fine argumenti cod. B addit *gratiam*.

[9] Vers. 22, 23.

[10] Cap. 8, 17. — Verba glossae ordinariae mox citatae sunt: Philippus, qui Samariae evangelizabat, unus de septem (diaconis) fuit. Si enim Apostolus esset, manus imponere posset, ut Spiritum acciperent, quod solis episcopis licet.

[11] Cap. 26. n. 46. Vide in lit. Magistri, c. 3.

[12] Auctoritate plurimorum mss. et ed. 1 expunximus hic minus apte additum *aliquod;* mox bis substituimus *super* loco *supra*.

[13] In Vat. et cod. cc perperam deest *medium*, quod in aliis mss. et ed. 1 habetur. Paulo infra unus alterque codex ut T ee *cum* pro *dum*.

[14] Vat. contra vetustiores codd. et ed. 1 *tollit*, deinde contra omnes codd. et ed. 1 addit *arbitrii*.

[15] Ita antiquiores codd. cum ed. 1, dum Vat. *Dei*, quod edd. 2, 3 omittunt.

sperare in homine; sed homo est vanitas[1]: ergo donatio talis daret fiduciam vanitatis.

Ex his quatuor mediis patet, quod donatio Spiritus sancti ab homine tollit *ordinem* ipsius animae[2], tollit *libertatem*, minuit *gloriam* Dei et inducit in *vanam confidentiam*, quae omnia sunt inconvenientia.

Quod sit impossibile. 7. Ostenditur etiam, quod *impossibile* sit, dari talem potentiam creaturae: quia, sicut dicit Augustinus[3], «maius est de impio facere pium quam creare caelum et terram». Sed potentia creandi non potuit a creatura recipi: ergo nec potentia dandi gratiam.

8. Item, productio gratiae per praesentiam agentis ab anima suscipitur; sed solus Deus potest animae illabi: ergo solus Deus potest gratiam infundere in animam.

9. Item, gratia est forma simplex et deiformis et spiritualis, non habens ortum a principiis subiecti: ergo cum anima rationalis ratione deiformitatis et spiritualitatis non possit[4] esse nisi a Deo, patet quod nec gratia, quae aeque spiritualis, immo spiritualior est ipsa anima.

10. Item, gratia immediate unit Deo: ergo non potest esse a Deo nisi immediate, ergo nullo cooperante: ergo creatura non potest producere gratiam.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus non potest dari ab homine sicut a principio effectivo, potest tamen dari ab ipso sicut a praeparante vel impetrante.

Conclusio 1. RESPONDEO: Dicendum, quod, sicut istae ultimae rationes ostendunt, gratiam sive Spiritum sanctum dari ab homine sicut a principio *effectivo* sive productivo, omnino est *falsum* et *impossibile*.

Gratia datur tripliciter. Tamen propter intelligentiam obiectorum in contrarium est notandum, quod gratiam dari ab aliquo est tripliciter: vel sicut a *praeparante*, sive administrante[5] Sacramenta sive annuntiante salutaria documenta; vel sicut ab *impetrante*, sive per orationem sive per bona opera; vel sicut a *producente*.

Conclusio 2. trimembris. Primo modo datur gratia a bonis et a malis; secundo modo tantum a bonis; tertio modo tantum a Deo.

Et per hoc manifesta est responsio ad duo ultima[6], quae probant, Spiritum sanctum dari, quia ibi datio nihil aliud est quam praeparatio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur *primo*, quod agens creatum possit in formam substantialem; dico, quod non potest in omnem substantialem, ut puta in eam quae est deiformis, sicut est anima rationalis. Et quia gratia est deiformis[7], ideo non potest ab agente tali produci. Si autem de aliis formis naturalibus arguat, non est *locus a minori*.

2. Ad illud quod obiicitur de lumine corporali, dicendum, quod non est simile. Lumen enim corporale diffunditur per medium deferens, et per idem medium potest iterum aggenerari[8] quod defertur; gratia autem non est per delationem, sed per illapsum agentis et omnimodam indistantiam.

3. Ad illud quod obiicitur, quod creatura corruptibilis debet habere potentiam generandi; dicendum, quod verum est de illa quae corruptibilis est *de se;* sed gratia de se nunquam corrumpitur vel senescit.

Alia solutio. Vel dic, quod illa non est tota causa, maxime in his quae non dicunt substantiam completam, sed magis dispositionem.

Distinctio. 4. Ad illud quod obiicitur, quod gratia potest expellere culpam: dicendum, quod expellere culpam est dupliciter: vel *effective*, vel *formaliter*. Quod potest expellere *effective*, potest efficere gratiam; sed non oportet, quod illud quod *formaliter*, quia illud se ipso expellit. Quoniam igitur gratia expellit formaliter et se ipsa, ideo non sequitur, quod possit generare aliam gratiam.

5. Ad illud quod obiicitur, quod in iustificatione debet peccator humiliari; dicendum, quod verum est, quia humiliari debet et sub homine et etiam sub visibilibus signis; tamen aliter quam sub Deo, quia alius honor debetur Deo quam homini; et ideo, quia sub Deo humiliatur ut sub principio salutis et a quo salvatur, non[9] debet sub creatura humiliari, ut a qua salus detur ei, sed ut a qua salus administratur.

6. Et sic patet etiam sequens de humiliatione in poena. Non enim est simile de humiliatione illa, quia ibi anima perversa, *manens* in sua perversitate, ratione illius subiicitur inferiori per naturam, *vel* quia habet reliquias perversitatis; sed in gratiae donatione anima perversa a perversitate mutatur et ad Deum immediate ordinatur.

---

[1] Psalm. 38, 6: Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. — Mox cod. aa cum ed. 1 *datio* pro *donatio*.

[2] Vat., omisso *ipsius*, hic addit *ad Deum* et post *tollit* adiungit *arbitrii*, sed obstant codd. cum ed. 1. — In principio huius propositionis post *his* cod. M et ed. 1 satis bene addunt *igitur*.

[3] Expositio in Evang. Ioan. tract. 72. n. 3.

[4] Multi codd. cum tribus primis edd. *potest*.

[5] Ex plurimis mss. et ed. 1 substituimus *administrante* pro *ministrante*, et post *Sacramenta* particulam *sive* pro ambiguo *seu sicut ab;* deinde post *impetrante* adiecimus non bene omissum *sive*. Mox codd. aa bb post *producente* addunt *et infundente*.

[6] Vat. praeter fidem vetustiorum mss. et edd. 1, 2, 3 addit *obiecta*.

[7] Vat. cum paucis codd. hic superflue repetit *sicut est anima rationalis*. Mox ex codd. cum sex primis edd. posuimus *arguat* loco *arguatur*.

[8] Ex plurimis codd. substituimus *aggenerari* pro *generari*, loco cuius codd. L O habent *aliud generari* et ed. 1 *aggregari*. Omnes codd. cum ed. 1 post *aggenerari* omittunt *per*, quod Vat. falso adiungit.

[9] Fide mss. et ed. 1 expunximus *sic*, quod Vat. particulae *non* praefigit.

7. Ad illud quod obiicitur, quod agens perfectum dat potentiam agendi simile; dicendum, quod verum est, si patiens congruenter [1] posset suscipere; sed, sicut ostensum est, ex parte hominis non est possibile, ut talis potentia ab eo recipiatur, propter talis formae nobilitatem, quae non potest esse nisi a nobilissimo agente.

8. Ad illud quod obiicitur, quod dare potentiam ad [2] esse non derogat Deo; dicendum, quod *ordo* est in essentiis; quia aliquae creaturae sunt ita nobiles, quod non decet eas nisi a nobilissimo agente produci, ut sunt illae quae sunt ad imaginem [3]. Quoniam igitur gratia est de nobilissimis, patet, quod non potest produci ab homine, sicut nec esse animae.

9. 10. Quae ultimo obiiciuntur soluta sunt supra per distinctionem dationis secundum differentiam [4] trimembrem.

SCHOLION.

I. Haec quaestio non parum luminis affert ad solvendas difficultates, quae contra doctrinam catholicam de sacerdotio visibili ab adversariis Ecclesiae proferuntur. — Vocabulum *deiformis* (in solut. ad 1.) duplici sensu sumitur, scil. improprie de ea similitudine, quae naturaliter inest *imagini* Dei, et proprie de supernaturali similitudine, quae est per gratiam quaeque nos immediate Deo coniungit. Cfr. supra d. 3. p. 1. q. 2. ad ult.; et II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.

II. Alex. Hal., S. p. I. q. 72. m. 4. — S. Thom., hic q. 3. — B. Albert., hic a. 16.° — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 7. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Ægid. R., hic 3. princ. q. unic. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 2. quaestiunc. 1.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de *situ* huius partis, quia non videtur, quod hic deberet agere de processione temporali, quia in hac parte agit de his quae aeternaliter Deo conveniunt. *Praeterea,* cum generatio Filii aeterna et temporalis in alio et alio libro determinetur, quia aeterna in primo, sed temporalis in tertio, quare non similiter facit de processione Spiritus sancti?

Respondeo: Dicendum, quod quia [5] processio temporalis et aeterna ab eodem principio sunt, sicut dicit Magister [6], et iterum est ibi quodam modo modus procedendi conformis, ideo una facit ad declarationem alterius; et ideo incidenter ponitur hic tractatus de processione temporali ad manifestationem [7] processionis aeternae. Sed non sic est de generatione Filii temporali, quia non est ab eodem principio, immo a Matre tantum, et respicit duas naturas, scilicet divinam et humanam. Ideo debuit de ea determinari post divinam, de qua agitur in primo, et post humanam naturam, de qua in secundo.

Dub. II.

Item quaeritur de ratione processionis temporalis, de qua dicit Magister, quod *a Patre et Filio procedit Spiritus sanctus, cum ad sanctificandam creaturam procedit.* Videtur enim dicere falsum, quia processio temporalis est eius missio: sed Spiritus sanctus est missus in columba et in linguis igneis, quas non sanctificavit. *Si tu dicas,* quod non est missus *ad linguas*, sed *in linguis* missus *ad Apostolos,* quos sanctificavit; *contra:* missus est in columba super Christum, nec sanctificavit columbam nec Christum.

Respondeo: Potest ad hoc dici, quod Magister non *generaliter* definit hic processionem temporalem, sed *specialiter,* prout est idem quod missio invisibilis, in qua datur Spiritus sanctus et sanctificatur creatura. Vel potest dici, quod *generaliter* accipit *sanctificationem.* Tripliciter enim accipitur sanctificare: *uno* modo, secundum quod est de non sancto sanctum facere; *secundo* modo, iam sanctum in sanctitate confirmare; *tertio* modo, iam sanctum et confirmatum manifestare. Et secundum aliquem trium [8] istorum modorum reperitur sanctificatio in omni Spiritus sancti missione ratione *termini ad quem;* et sic accipit Magister [9]. Alia responsio. Sanctificare est tripliciter.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Magister de

[1] Vat. cum cod. cc *convenienter*, alii codd. vero cum ed. 1 *congruenter*.

[2] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 addit *bene*. Mox plurimi codd. cum ed. 1 omittunt *Deo*. [3] Supple cum cod. V: *Dei*.

[4] Lectionem Vat. et cod. cc *naturam* loco *differentiam* emendavimus ope ceterorum mss. et ed. 1.

[5] In Vat. et cod. cc male deest *quia*, quod tamen exstat in aliis codd. et ed. 1.

[6] Hic, c. 1. — Mox ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *procedendi* pro minus apto *producendi*, deinde post *conformis* delevimus particulam *et*, ac paulo infra loco *incidentaliter* posuimus *incidenter*.

[7] Cod. dd *declarationem*.

[8] Fide mss. et ed. 1 supplevimus *trium*.

[9] Cod. dd solutionem huius dubii ita exhibet: *Respondeo, dicendum, quod sanctificare est tripliciter intelligere: primo modo est de non sancto sanctum facere, taliter fit in iustificatione impii; secundo modo sanctificare hoc est sanctum in sanctitate confirmare, et hoc factum fuit in Apostolis; tertio modo iam sanctum et confirmatum manifestare, et sic est intelligendum de Christo; et sic accipit Magister. Et secundum aliquem trium* etc. usque *ad quem*.

Spiritu sancto: *Et ipse est virtus, quae de illo exibat.* Videtur enim male dicere, quia aut *virtus* accipitur proprie, aut appropriate. Primo modo *non*, constat; secundo modo *non*, videtur, quia primae ad Corinthios primo[1] dicimus *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* etc.

Solutio 1. Ad hoc potest dici, quod Spiritui sancto non appropriatur *virtus* simpliciter, sed *virtus sanativa*, et hoc, quia gratia sanitatum est donum Spiritus sancti[2], et gratia eius est medicina ipsius animae; sed Filio appropriatur *virtus operandi*, quia *omnia per ipsum facta sunt*[3].

Solutio 2. Aliter potest dici, quod *virtus* habet comparationem ad illud *ad*[4] *quod* est, et sic tenet rationem principii; vel ad id *cuius* est, et sic tenet rationem complementi; vel ad *utrumque*, et sic tenet rationem medii. Sicut ergo *ex ipso* appropriatur Patri, *per ipsum* Filio, *in ipso* Spiritui sancto: ita *virtus*, in quantum tenet rationem *principii*, appropriatur Patri, in quantum[5] rationem *medii*, Filio, in quantum rationem *completionis*, Spiritui sancto; quia completio est in bonitate et delectatione Spiritus sancti; sed hoc infra melius dicetur[6].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod post *resurrectionem Dominus Iesus bis dedit Spiritum sanctum.* Videtur enim, quod *ter* dederit: quia *primo* dedit eis ante passionem, cum dedit eis potestatem eiiciendi daemonia et curare languores, Matthaei decimo[7]. *Item* post resurrectionem, Ioannis vigesimo[8]: *Accipite Spiritum sanctum. Item* post ascensionem, Actuum secundo[9]. Ergo insufficienter enumerat Augustinus.

Respondeo: Ad praesens dicendum, quod possunt numerari dationes Spiritus sancti quantum ad *actum et effectum;* et sic enumerat Rabanus[10], et fuerunt tres, quia ter dedit et quia ad tria dedit: *primo* ad miraculorum operationem; *secundo* ad peccatorum absolutionem; *tertio* ad infidelium conversionem. Possunt etiam alio modo numerari quantum ad *locum et significatum;* et sic dedit bis, scilicet in terra et in caelo; item[11] in *terra* ad commendandum praeceptum dilectionis ad proximum, in *caelo* ad commendandum affectum dilectionis ad Deum; et sic patet controversia[12].

Dub. V.

Item quaeritur de illo verbo Apostoli: *Unum Spiritum potavimus;* quo tropo dictum est hoc? Et videtur, quod conveniat magis Filio, quia Ecclesiastici decimo quinto[13] dicitur: *Aqua sapientiae salutaris*, et Proverbiorum nono[14]: *Venite, bibite vinum;* et hoc dicit ipsa Sapientia, scilicet Dei Filius: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod Spiritus sanctus dicitur *potus*, in quantum saecularis sitis restringit[15] ardorem. Hoc autem appropriatur Spiritui sancto, quia, sicut dicit Gregorius[16], « gustato Spiritu, desipit omnis caro ». In quantum autem per potum est delegatio nutrimenti ad singula membra, sic appropriatur Filio, cuius est prudentia et sapientia appropriatum, quae quodam modo habent vim regitivam et ordinativam pastus omnibus viribus animae[17].

Dub. VI.

Item quaeritur de alio verbo[18]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Videtur enim impro-

---

[1] Vers. 24.

[2] I. Cor. 12, 9.

[3] Ioan. 1, 3.

[4] Ex plurimis mss. et ed. 1 restituimus *ad*, quod male omittit Vat., quae et paulo ante post *virtus* addit *vel.*

[5] Codd. cum ed. 1 omittunt *tenet*, quod Vat. hic repetit, et paulo infra unus alterque codex ut OV cum ed. 1 ponit *dilectione* pro *delectatione.*

[6] Dist. 34. q. 3, ubi de nominum appropriatione in communi, et d. 32. a. 2. q. 2. ad ult., ubi de huius nominis *virtutis* appropriatione in speciali. — Plura de appropriatione verbi Apostoli *ex ipso* etc. vide infra d. 36. dub. 4. et Alex. Hal., S. p. I. q. 67. m. 4.

[7] Vers. 1.

[8] Vers. 22.

[9] Vers. 2-4. — Verba Augustini vide hic in lit. Magistri, c. 1.

[10] In Glossa ordinaria ad Act. 2, 2. haec leguntur: « Ante passionem datus est Apostolis Spiritus ad gratiam doctrinae et sanitatum; post resurrectionem insufflavit Iesus Spiritum et ait: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc.... In Pentecoste de caelo missus est Spiritus, ut qui in proximo debebant dividi acciperent linguarum notitiam, ne per mundum euntes interpretibus indigerent. Et quia Deus simplex est natura, semel de caelo datur Spiritus; propter homines vero, qui duplici constant substantia, corpore scil. et anima, dupliciter est diligendus. In terra bis datur, prius in efficacia signorum ad sanitates corporum, postea indulgentia peccatorum ad remedia animarum ». Haec verba in ed. operum Lyrani (Venet. 1588.), loc. cit., Rabano attribuuntur. — Idem textus Rabani occurrit infra d. 15. p. II. q. 1. et Comment. in Ioan. c. 20, 25. (Supplem. Bonelli, t. I.).

[11] Aliqui codd. ut H aa bb ff cum ed. 1 omittunt *Item*, pro quo cod. K ponit *ratio significationis.* Mox ed. 1 pro *in caelo* ponit *de caelo*, quod magis correspondet verbis Augustini a Magistro hic c. 1. relatis; et Glossae ordinariae, Act. 2, 2: « *De caelo* datur Spiritus, ut diligatur Deus; *in terra*, ut diligatur proximus. Bis enim post resurrectionem est datus ad duo praecepta caritatis commendanda »; (cfr. paulo supra alium textum Glossae citatum).

[12] Hoc dubium solvit B. Albert., hic a. 12.

[13] Vers. 3.

[14] Vers. 5.

[15] Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 *restinguit*, mox falso *Hic* loco *Hoc.*

[16] Verba ista non sunt *Gregorii*, sed *Bernardi*, qui Epistol. 111. ad parentes suos ait: Gustato spiritu necesse est desipere carnem.

[17] De hoc dubio vide B. Albert., hic a. 14.

[18] Supple cum cod. dd *Apostoli.*

prie dictum, quia quod *diffusum* est, dispersum est, et virtus dispersa minor est: si ergo caritas potens est, non ergo debet dici *diffusa.*

Respondeo: Dicendum, quod *infundi* et *diffundi* proprie dicitur humoris. Ipsa autem caritas humori comparatur, quia sicut arbor fomentum et vitam et viriditatem habet ab humore, sic tota spiritualis machina ab amore. Iste autem amor *infunditur,* in quantum intra [1] recipitur; *diffunditur* vero, in quantum ex intimis procedens dilatat affectum ad dilectionem multorum et movet omnes animae vires ad bonas operationes. « Operatur enim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est », sicut dicit Gregorius [2]. Et ideo Dominus dicit Ioannis septimo [3]: *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* — Quod ergo dicitur quod minuitur; dicendum, quod verum est in his quae habent ortum ab origine deficiente [4], sicut est in puteis, in quibus non vivit aqua. Sed caritas habet originem indeficientem, sicut fluvius [5].

Notandum.

DISTINCTIO XV.

Pars I.

Cap. I.

Quod Spiritus sanctus a se ipso datur, et Filius a se ipso mittitur.

Hic considerandum est, cum Spiritus sanctus detur hominibus a Patre et Filio, quod est ipsum temporaliter procedere ab utroque vel mitti, utrum etiam a se ipso detur. Si datur a se, et procedit vel mittitur a se. Ad quod dicimus, quia Spiritus sanctus et Deus est et donum sive datum: et ideo [1] dat et datur. Dat quidem in quantum Deus, et datur in quantum donum. Cum autem donatio sive datio Spiritus sancti sit operatio Dei et communis sit et indivisa operatio trium personarum, donatur [2] itaque Spiritus sanctus non tantum a Patre et Filio, sed etiam a se ipso. Unde Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate [3] dicit, quod se ipsum dat. « Sicut, inquit, corpus carnis nihil est aliud quam caro, sic donum Spiritus sancti nihil est aliud quam Spiritus sanctus. In tantum ergo donum Dei est, in quantum datur eis quibus datur. Apud se autem Deus est, etsi nemini datur, quia Deus erat Patri et Filio coaeternus, antequam cuiquam daretur. Nec quia illi dant et ipse datur, ideo minor est illis. Ita enim datur, sicut Dei donum, ut etiam se ipsum det, sicut Deus. Non enim dici potest, non esse suae potestatis, de quo dictum est [4]: *Spiritus ubi vult spirat* ». Ecce aperte dicit, quod Spiritus sanctus se ipsum dat. Si enim Spiritus sanctus se ipsum dare non potest, et eum Pater dare potest et Filius, potest itaque [5] Pater dare aliquid et Filius, quod non potest Spiritus sanctus. Item, si Pater et Filius dant Spiritum sanctum, nec ipse dat: aliquid ergo Pater operatur et Filius, quod non operatur Spiritus sanctus. Dat ergo Spiritus sanctus se ipsum. Si autem se ipsum dat, tunc et [6] a se ipso procedit et mittitur; quod utique verum est. Nam processio temporalis Spiritus sancti vel missio ipsius est donatio, et ipsa est Dei operatio. Procedit ergo Spiritus sanctus temporaliter a se et mittitur a se, quia datur a se.

Ne autem mireris, quod Spiritus sanctus dicitur mitti vel procedere a se. Nam et de Filio Dei dicit Augustinus in secundo libro de Trinitate [7], quod non tantum a Patre missus est, sed etiam a se ipso et a Spiritu sancto, quaerens, quo modo Filius vel Spiritus sanctus sit missus, cum uterque sit ubique tanquam Deus. Nam uterque, inquit Augustinus, legitur missus. De Spiritu enim sancto legitur [8]: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et iterum: *Si abiero, mittam eum ad vos.* Et Filius de se dicit: *Exivi a Patre et veni in mundum.* Et Apostolus dicit [9]: *Misit Deus Filium suum.* In Propheta autem scriptum est ex persona Dei: *Caelum et terram ego impleo.* Itaque ubique Deus est, ubique ergo est Filius, ubique etiam est Spiritus sanctus. Illuc ergo missus est Filius et Spiritus sanctus, ubi erant.

Cap. II.

Quomodo intelligenda sit missio utriusque.

« Quocirca quaerendum est, quomodo intelligatur missio Filii vel Spiritus sancti. Pater enim solus, inquit Augustinus in eodem [10], nusquam legitur missus »,

---

[1] Nonnulli codd. ut T V W X *intus.*

[2] Homil. 30. in Evang. n. 2.

[3] Vers. 38.

[4] Praeferimus lectionem codd. L O *deficiente* loco *deficiendi,* quia et in se verior est et cum subnexis conformior.

[5] Egregie de hoc loquitur S. Doctor in Comment. in Ioan. c. 8, 39 (Supplem. Bonelli, tom. I. col. 735.).

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Codd. ABCE addunt *et.* Paulo post Vat. et edd. 4, 5, 6, 9 adiiciunt *sive datum* post *donum.*

[2] Vat. et ed. 8 *datur.* Immediate post cod. D *utique* pro *itaque.*

[3] Cap. 19. n. 36.

[4] Ioan. 3, 8.

[5] Vat. et edd. 3, 4, 6, 8 cum cod. D *utique;* cod. A *igitur;* cod. C *et itaque;* codd. BE et ceterae edd. *itaque.* Statim edd. 1, 2, 7, 8 omittunt *dare* post *Pater.*

[6] Vat. et edd. 2, 5, 9 cum cod. D omittunt *et.* In sequenti propositione post *ipsa* Vat. cum aliis edd., excepta 6, omittit *est,* contradicentibus omnibus codd.

[7] Cap. 5. n. 7; sed Magister diffusam doctrinam S. Augustini valde contrahit, verba transponit et de suo addit. — Paulo ante post *Filio* Vat. cum pluribus edd. omittit *Dei.*

[8] Ioan. 14, 26; postea ibid. 16, 7. Vulgata: *Si autem abiero;* ed. 1: *Et ita: si abiero;* ed. 8: *Et si abiero* omittendo *iterum.* — Deinde ibid. v. 28.

[9] Gal. 4, 4. — Deinde Ierem. 23, 24. Vulgata: *Nunquid non caelum et terram ego impleo, dicit Dominus?* — Edd. 1, 8 pro *scriptum* habent *dictum est.* Mox Vat. et edd. 5, 6, 9 addunt *si* post *Itaque.*

[10] Loc. cit. n. 8, ubi etiam quae sequuntur. — Paulo ante edd. 5, 9 praemittunt *ut* ante *inquit.*

sed Filius et Spiritus sanctus. Et de Filio primum videamus, quomodo missus? « Apostolus dicit [1]: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, ubi satis ostendit, eo ipso missum Filium, quo factum ex muliere. Proinde mitti a Patre sine Spiritu sancto non potuit, quia Pater intelligitur misisse eum, cum fecit ex femina; quod utique non fecit sine Spiritu sancto ». Ecce hic dicit, Filium missum a Patre et Spiritu sancto.

Cap. III.

Quod a Spiritu sancto etiam Filius sit missus.

Et quod a Spiritu sancto Filius sit missus, ut ait Augustinus in eodem [2], auctoritatibus confirmatur. Ipse Christus dicit per Isaiam: *Nunc misit me Dominus et Spiritus eius*. De hoc Ambrosius in libro tertio de Spiritu sancto [3] ita ait: « Quis est, qui dicit: *Misit me Dominus et Spiritus eius*, nisi qui venit a Patre, ut salvos faceret peccatores », id est Christus? « ergo et Pater Filium misit et Spiritus ». Idem in eodem: « Datus est a Patre, ut Isaias dicit [4]: *Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis*. Datus est, audeo dicere, et a Spiritu, quia et a Spiritu missus est ». « Dicit enim Filius Dei [5]: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me: evangelizare pauperibus misit me, praedicare captivis remissionem* etc. Quod cum de libro Isaiae legeret, ait in Evangelio: *Hodie completa est haec Scriptura in auribus vestris*, ut de se dictum esse significaret. Bene autem dixit, *super me;* quia quasi filius hominis et unctus est et missus ad praedicandum. Nam secundum divinitatem non super Christum est Spiritus, sed in Christo ». Ecce his verbis ostendit Ambrosius, Filium esse missum et datum nobis non tantum a Patre, sed etiam a Spiritu sancto.

Cap. IV.

Quod Filius etiam sit datus a se ipso.

Deinde ostendit, esse datum etiam a se ipso, ita dicens in eodem libro [6]: « Cum non definitum fuerit per Prophetam, a quo datus sit Filius, ostenditur datus gratia Trinitatis, ut etiam ipse Filius se dederit ». Ecce hic dicit, quod Filius se dedit, quia Trinitas [7] eum dedit. Si autem Filius a se datus est, a se ergo missus est et a se processit. Et hoc utique verum est et concedi oportet, cum eius missio sit divina operatio.

Quod autem a se mittatur Augustinus astruit in libro secundo de Trinitate [8] dicens: « Forte aliquis cogat, ut dicamus, etiam a se ipso missum esse Filium; quia Mariae conceptus et partus operatio Trinitatis est. Sed, inquit aliquis, quomodo Pater eum misit, si ipse se misit? Cui respondeo quaerens, ut dicat, quomodo eum Pater sanctificavit, si ipse se sanctificavit? Utrumque enim Dominus ait [9]: *Quem Pater*, inquit, *sanctificavit et misit in hunc mundum*. Et alibi: *Ego pro eis sanctifico me ipsum*. Item quaero, quomodo Pater eum tradidit, si ipse se tradidit? Utrumque enim legitur [10]. Credo, respondebit, si probe sapit, quia una voluntas est Patris et Filii et inseparabilis operatio. Sic ergo intelligat, illam incarnationem et ex Virgine nativitatem, in qua Filius intelligitur missus, una eademque operatione Patris et Filii inseparabiliter esse factam, non inde separato Spiritu sancto. Ergo a Patre et Filio missus est idem Filius, quia a Patre et [11] Verbo eius factum est, ut mitteretur, id est, incarnatus hominibus appareret. Non enim missus est mutando locum, quia in mundo erat. Quapropter Pater invisibilis una cum Filio secum invisibili, eundem Filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est: qui si ita visibilis fieret, ut cum Patre invisibilis esse desisteret, id est, si substantia [12] invisibilis Verbi in creaturam visibilem mutata et transiens verteretur, ita missus a Patre intelligeretur Filius, ut tantum missus, non etiam cum Patre mittens inveniretur. Cum vero sic accepta est *forma servi*, ut maneret incommutabilis *forma Dei* [13], manifestum est, quod a Patre et Filio non apparentibus factum sit, quod appareret in Filio, id est, ab invisibili Patre cum invisibili Filio idem ipse Filius visibilis mitteretur ». Confirmatur.

Ex praedictis aperte monstratur, quod Filius missus est a Patre et a [14] Spiritu sancto et a se ipso, et quae sit ipsa missio, scilicet incarnatio, id est, quod factus est homo, per quod visibilis apparuit, quod est opus commune Patris et Filii et Spiritus sancti. Epilogus.

---

[1] Gal. 4, 4. — Paulo ante Vat. contra codd. ABCD et edd. 1, 8 *primo* pro *primum*, et immediate post cum omnibus edd., excepta 2, mutata interpunctione, male legit: *missum eum Apostolus dicat.*

[2] Loc. cit. n. 8, secundum sensum. — Locus Isaiae est 48, 16. Vulgata: *Nunc Dominus Deus misit me* etc.

[3] Cap. 1. n. 7. et 8. — Secundus locus ibid. c. 2. n. 9; tertius a verbis: *Dicit enim* sumtus est passim ibid. c. 1. n. 1. 2. 6.

[4] Isai. 9, 6. Vulgata: *Parvulus enim natus* etc.

[5] Luc. 4, 18, ubi Christus in synagoga legit verba Isaiae 61, 1-2. et deinde v. 21. dicit: *Quia hodie impleta est.* etc. — Mox pro *significaret* Vat. cum plerisque edd. *signaret*, sed contradicentibus codd. ACD et edd. 1, 8.

[6] Cap. 2. n. 9. — In principio huius loci post *Cum* Vat. et edd. 4, 6, 8, 9 addunt *enim*. Mox post *a quo datus* loco *est* posuimus *sit* auctoritate omnium codd. et edd. 1, 5, 6, 8.

[7] Cod. D praemittit *tota;* ed. 1 adiungit *aeque*.

[8] Cap. 5. n. 9. — In hoc textu pro *cogat* ed. 6 *rogat;* et edd. 8, 9 *cogitat*. — Ante *Mariae* Vat. et pleraeque edd. addunt *et* contra codd. et ed. 1, 6; Augustinus *ille* pro *et*. — Paulo infra ante *ipse se sanctificavit* iterum removimus *et* auctoritate codd. et edd. 1, 6, 8.

[9] Ioan. 10, 36, ubi Vulgata omittit *hunc* ante *mundum*. — Secundus locus est Ioan. 17, 19.

[10] Rom. 8, 32, et Gal. 2, 20. — Mox pleraeque edd. post *Credo* adiiciunt *quod*.

[11] Codd. AB et edd. 1, 8 repetunt *a*.

[12] Solummodo Vat. et edd. 4, 8, 9 male praemittunt *in*, legendo: *in substantia*.

[13] Respicitur Phil. 2, 6. 7.

[14] Vat. et ed. 6 omittunt *a;* paulo ante edd. 1, 8 *supra dictis* loco *praedictis*.

Cap. V.

Quomodo intelligendum sit illud: a me ipso non veni.

Sed ad hoc opponitur: si Filius a se ipso missus est, cur ergo ait[1]: *A me ipso non veni?* Ad hoc Augustinus respondet in secundo libro de Trinitate[2] dicens: « Hoc dictum esse secundum formam servi, secundum quam non fecit, ut mitteretur », id est, non est operatus incarnationem, sed secundum formam Dei.

Pars II.

Cap. VI.

Utrum semel tantum sit missus Filius, an saepe.

Hic quaeritur, utrum semel tantum missus sit Filius, an saepe mittatur. Si enim missio Filii ipsius tantum incarnatio est, cum semel tantum incarnatus sit, et semel tantum videtur missus. At si saepe mittitur, est et alia eius missio quam incarnatio. Sed quae est illa? Nunquid aeterna genitura missio eius dicenda est, an etiam alia missio[3] quaerenda est?

Cap. VII.

De duobus modis missionis Filii.

Ad quod dicimus, quod duobus modis dicitur Filius mitti[4] praeter illam aeternam genituram, quae ineffabilis est, secundum quam etiam missus posset dici, ut videtur quibusdam, sed melius ac verius secundum eam dicitur genitus. Praeter eam igitur duobus modis dicitur mitti, scilicet vel cum visibiliter mundo apparuit carne indutus, vel cum *se in animas pias sic transfert*[5], ut ab eis percipiatur ac cognoscatur. Hos duos missionis modos Augustinus aperte distinguit in quarto libro de Trinitate[6] dicens: « Non eo ipso quod de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum; unde dicit[7]: *A Patre exivi et veni in mundum;* vel eo quod ex tempore cuiusquam mente percipitur, sicut dictum est de Sapientia[8]: *Emitte illam de caelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret*, id est, doceat me laborare. Et tunc unicuique mittitur, cum a quoquam cognoscitur atque percipitur, quantum cognosci et percipi potest pro captu vel proficientis in Deum, vel perfectae in Deo animae rationalis. »

Cap. VIII.

Quod secundum alterum modum semel sit missus, secundum alterum saepe; et secundum alterum modum dicitur missus in mundum, secundum alterum non.

Ecce distincti sunt duo modi missionis Filii[9], et secundum alterum semel tantum missus est Dei Filius, secundum alterum saepe missus est et mittitur quotidie. Nam secundum alterum missus est, ut sit homo, quod semel tantum factum est; secundum alterum vero mittitur, ut sit cum homine, quo modo[10] quotidie mittitur ad Sanctos et missus est etiam ante incarnationem et ad omnes Sanctos, qui ante fuerunt, et etiam ad Angelos. Unde Augustinus de Filio, id est de Sapientia Patris loquens in quarto libro de Trinitate[11] ait: « Aliter mittitur Sapientia, ut sit cum homine; aliter missa est, ut sit homo. *In animas enim sanctas se transfert, et amicos Dei et Prophetas constituit;* sicut etiam implet sanctos Angelos. Sed cum venit plenitudo temporis, missa est, non ut impleret Angelos nec ut esset Angelus nec ut esset cum hominibus vel in hominibus[12], ut antea in Patribus erat et in Prophetis, sed ut ipsum Verbum fieret caro, id est homo ».

Praeterea notandum est, quod cum his duobus modis mittatur Filius, secundum alterum dicitur missus in mundum, secundum alterum vero non. Eo enim modo missus in mundum dicitur, quo visibilis mundo apparuit. Unde Augustinus in eodem libro[13] ait: « Cum ex tempore cuiusquam mente percipitur, mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum. Non enim sensibiliter apparet, id est, corporeis sensibus praesto est. Nam et nos, secundum quod mente aliquid aeternum capimus, non in hoc mundo sumus, et omnium iustorum spiritus etiam in carne viventium, in quantum di- *Missus in mundum Filius dicitur primo modo.*

---

[1] Ioan. 7, 28. et 8, 42. — Paulo ante edd. 1, 2, 8 *Sed adhuc* pro *Sed ad hoc.*

[2] Cap. 5. n. 9.

[3] Cod. D repetit *eius* post *missio;* in fine propositionis ed. 3 omittit *est.*

[4] Cod. C *missus.*

[5] Alludit ad Sap. 7, 27, ubi Vulgata: *Et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.*

[6] Cap. 20. n. 28. et aliqua verba n. 27. — In hoc loco August. et codd. A D legunt *eo ipso quo* loco *eo ipso quod;* deinde Vat. et ed. 4 omittunt *vel* post *sed.*

[7] Ioan. 16, 28.

[8] Sap. 9, 10. Vulgata: *Mitte illam* etc.

[9] Ed. 6 addit hic *Dei* et deinde omittit *Dei Filius;* post haec verba ultima edd. 2, 3, 5, 9 adiiciunt *et.*

[10] Cod. C addit *per gratiam.* Infra edd. 1, 8 omittunt *et* post *incarnationem.*

[11] Cap. 20. n. 27. — Rursus citatur Sap. 7, 27. In Vulgata deest *enim,* quod posuimus ex August., codd. omnibus et edd., exceptis Vat. et 3, 5.

[12] Edd. 1, 8 addunt *tantum*, et immediate ante ed. 1 legit *nec* pro *vel.*

[13] Cap. 20. n. 28. — In hoc textu codd. ACD addunt *etiam* post *Nam et nos.*

vina sapiunt, non sunt in hoc mundo ». Ex praedictis liquet, quod praeter ineffabilem genituram duobus modis mittitur Filius, scilicet cum visibiliter apparuit, vel invisibiliter percipitur mente.

Cap. IX.

Quare Pater non dicitur missus.

Hic quaeritur, cur Pater non dicitur missus, cum ex tempore a quoquam cognoscitur, sicut Filius. Ad quod dicimus, quia in eo est principii auctoritas, qui[1] non habet, de quo sit, a quo Filius est et Spiritus sanctus. « Pater enim est, ut ait Augustinus in eodem libro[2], principium totius divinitatis, vel si melius dicitur, deitatis », quia principium est Filii et Spiritus sancti. Nam, ut ait Augustinus in eodem[3], « si voluisset etiam Deus Pater per subiectam creaturam visibiliter apparere, absurdissime tamen aut a Filio, quem genuit, aut a Spiritu sancto, qui de illo procedit, missus diceretur ». Congruenter autem ille *missus* dicitur, qui in carne apparuit; *misisse* autem ille, qui in ea non apparuit.

Cap. X.

Quod Filius et Spiritus sanctus non sunt quasi minores Patre, quia missi.

Ideoque putaverunt quidam haeretici, cum Pater non sit missus, sed Filius et Spiritus sanctus, Patrem esse maiorem ac Filium minorem[4] et Spiritum sanctum; atque Patrem quasi maiorem misisse utrumque quasi minorem. Quod Augustinus improbat in quarto libro de Trinitate[5], illis contradicens: « Non ideo, inquit, arbitrandum est, minorem esse Filium, quod missus est a Patre, nec ideo minorem Spiritum sanctum, quia et Pater eum misit et Filius; sive enim propter visibilem creaturam, sive potius propter principii commendationem, non propter inaequalitatem vel imparilitatem vel dissimilitudinem substantiae in Scripturis haec posita intelliguntur. » Non ergo ideo dicitur Pater misisse Filium vel Spiritum sanctum, quod ille esset maior et illi minores, sed maxime propter auctoritatem principii commendandam, et quia in visibili creatura non, sicut illi[6], apparuit. Ecce ostensum est, quae sit missio Filii, et quibus modis mittatur. Error occasione dictorum.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XV.

De missione quantum ad principium et modum.

Pars I.

De missione sive temporali processione quantum ad principium.

Hic considerandum est, cum ipse Spiritus sanctus detur hominibus a Patre et Filio.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de processione temporali ipsius Spiritus sancti, secundum quod est a Patre et Filio; hic *secundo* ostendit, quod temporaliter procedit a se ipso; et hoc intendit in tota ista parte usque ibi: *Hic quaeritur, utrum semel tantum sit missus Filius,* ubi incipit agere quantum ad *modum* processionis [1].

Habet autem haec pars quatuor partes. In *prima* ostendit, quod Spiritus sanctus temporaliter a se mittitur, datur et procedit, et hoc *deducendo ad impossibile,* quia aliter non essent indivisa opera Trinitatis. In *secunda* ostendit *a minori* per auctoritatem, quod Pater misit Filium una cum Spiritu sancto, ita quod Spiritus sanctus misit Filium, in

---

[1] Contra omnes codd. et ed. 6 perperam legit Vat. cum aliis edd. *quae*, cum relativum secundum contextum referendum sit ad *in eo*. Paulo ante codd .DE *quod* pro *quia*. Deinde post *Filius* Vat. sola omittit *est*.

[2] Libr. IV. c. 20. n. 29.

[3] Cap. 21. n. 32. — Vat. sola: *Quia etiam si voluisset* pro *Si voluisset etiam*. Deinde omnes edd., demptis Vat. et ed. 8, male legunt *appareret* pro *apparere*. Pro nostra lectione faciunt codd. et originale. Denique ante *procedit* codd. A C D bene legunt *ipso* pro *illo*.

[4] Vat. et aliae edd., excepta 1, contra codd., excepto E, addunt *esse*.

[5] Cap. 21. n. 32. — In hoc loco auctoritate codd., edd. 1, 8 et originalis post *Spiritum sanctum* posuimus *quia* loco *quod*, et post *principii* expunximus *auctoritatem vel*.

[6] Vat. cum omnibus edd., excepta 1, mendose *ille*, contradicentibus omnibus codd.; *illi* refertur ad Filium et Spiritum sanctum.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *de modo* loco *quantum ad modum*, deinde post *processionis* addit *seu missionis Filii, qui est visibilis et invisibilis. Et hoc quodam modo accidentaliter, cum ista missio et Filio conveniat et Spiritui sancto.*

quem nullo modo[1] habet auctoritatem, ergo multo fortius mittit se; et hoc facit ibi: *Ne autem mireris, quod Spiritus sanctus dicitur mitti vel procedere a se.* In *tertia* vero parte ostendit hoc a *simili:* si enim Filius misit se, pari ratione et Spiritus sanctus se; et hoc facit ibi: *Deinde ostendit datum esse etiam a se ipso.* In *quarta* vero et ultima opponit contra praedicta, et hoc ibi: *Sed ad hoc opponitur: Si Filius a se ipso* etc., ubi etiam solvit et breviter epilogat praedeterminata.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quatuor quaeruntur:

Primo quaeritur, utrum missio sit in divinis.

Secundo, dato quod sic[2], utrum missio sit ex tempore vel aeterna.

Tertio quaeritur, cuius sit missio ut missi.

Quarto, cuius sit missio ut mittentis.

ARTICULUS UNICUS.

De missione in divinis.

QUAESTIO I.

Utrum in divinis sit missio.

Circa primum, quod missio sit in divinis, ostenditur:

Fundamenta. 1. Primo per scripturam veteris Testamenti, Sapientiae nono[3]: *Mitte illam de caelis*, et loquitur de Sapientia, quae est Dei Filius.

2. Item, per scripturam novi Testamenti, ad Galatas quarto[4]: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Et post[5]: *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.*

3. Item, hoc ostenditur per testimonium Veritatis, Ioannis decimo sexto[6]: *Cum autem abiero, mittam vobis Spiritum veritatis.*

4. Item, *ratione* videtur[7] istud idem: quia mittere non est aliud quam ex se aliquem producere in alium, sicut sol radium mittit in aëra; sed Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit in creaturam: ergo ab eis mittitur.

5. Item, quandocumque datur aliquid alicui ut absenti, convenienter dicitur mitti; sed tota Trinitas est absens peccatoribus quantum ad gratiam inhabitantem: ergo quandocumque datur Spiritus sanctus quantum ad gratiam inhabitantem, non incongrue dicitur mitti; si ergo *dari* est in divinis hoc modo, ut dictum est[8], ergo et *missio.*

Ad oppositum. CONTRA: 1. Ubicumque est missio, ibi est *separatio;* unde Hieronymus super Ezechielem[9]: « Quod coniunctum est et in uno corpore copulatum mitti non potest, sed quod extra est »; unde non mittitur manus, sed iaculum. Sed in divinis est omnimoda indivisio et nulla separatio: ergo etc.

2. Item, ubicumque est missio, ibi[10] est missi ad mittentem *subiectio;* quod patet: dominus enim mittit servum, et non servus dominum. Sed in divinis est omnimoda aequalitas et nulla subiectio: ergo ibi non est missio.

3. Item, ubicumque est missio, ibi est *mutatio,* quia non dicitur aliquid mitti, ubi est; sed in divinis nulla omnino cadit mutatio: ergo etc.

4. Item, missio, passive dicta, in quantum talis est opus ministerii; sed in nobilissima natura in quantum talis non cadit ministerium: ergo etc.

CONCLUSIO.

Missio est in divinis; tamen a triplici respectu missionis ad principium, ad terminum, ad missum removenda est omnis imperfectio, qualis inest missioni in creaturis.

RESPONDEO: Dicendum, quod missio est in divinis, sicut ostendunt praedictae auctoritates et rationes; et transfertur a creaturis ad Deum. Conclusio 1. principalis.

---

[1] Ed. 1 *nullam* pro *nullo modo.* Mox cod. V *misit* pro *mittit.*

[2] Cod. T repetit hic *quaeritur*, ed. 1 vero omittit *dato quod sic.*

[3] Vers. 10.

[4] Vers. 4, in quo textu fide mss. et Vulgatae substituimus *At ubi* loco *Cum.*

[5] Ibid. vers. 6.

[6] Vers. 7, ubi Vulgata: Si autem abiero, mittam eum (Paraclitum) ad vos; c. 15, 26: Quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis. — Paulo ante unus alterve codex ut S post *hoc* addit *ipsum.*

[7] Cod. S *ostenditur.* Dein ed. 1 *illud* pro *istud.* Paulo infra codices et edd. 1, 2, 3, 6 secuti posuimus *aëra* pro *aërem.*

[8] Dist. 14. a. 1 q. 1, et a. 2 q. 1.

[9] Cap. 16. vers. 54, in quibus verbis originalia post *extra* exhibent *corpus.*

[10] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *ibi.*

Triplex respectus.

Secundum autem quod missio in his inferioribus consideratur, habet respectum ad tria, scilicet ad *principium* et ad *terminum* et ad *missum*.

Respectus ad principium iterum triplex.

Ad *principium* sive ad mittentem sub triplici habitudine comparari contingit: ut ad dantem *esse*, et sic mittitur radius a sole; ut ad dantem *virtutem*, et sic mittitur iaculum a proiectore; ut ad dantem *iurisdictionem* sive auctoritatem, et sic mittitur nuntius a praetore [1]. Secundum omnem hanc

Conclusio 2.

comparationem est in divinis missio; quia Spiritus mittitur a Patre et Filio tanquam habens *esse* et *virtutem* et *auctoritatem* in operando ab eis; et ideo missio secundum hunc respectum est completissime [2] in divinis. Non enim est ponere, quod una persona recipiat auctoritatem, nisi a quo recipit virtutem, nec virtutem, nisi a quo recipit esse.

Item respectus ad terminum triplex.

Similiter ad *terminum* sub triplici habitudine comparatur. Mittitur enim aliquid alicubi [3], ubi videlicet *quietatur*, ut lapis mittitur deorsum; mittitur etiam alicui, ut a quo *habeatur*, sicut aliquis mittit alicui donum; mittitur etiam ut *ad aliquid*, quod scilicet operetur. Secundum hanc triplicem

Conclusio 3.

comparationem est missio in divinis. Mittitur enim Filius vel Spiritus sanctus ut alicubi ad *inhabitandum*, ut alicui ad *possidendum* ut donum, ut ad *aliquid*, scilicet ad effectum conferendum [4]. Et ideo missio per comparationem ad terminum reperitur completissime in divinis, multo magis quam in creaturis.

Respectu ad missum triplex est imperfectio in creaturis.

Si autem loquimur de missione in comparatione ad *missum*, sic in his inferioribus ponit triplicem conditionem *imperfectionis*, scilicet *separationem*, *subiectionem* et *mutationem;* quae quidem non sunt in divinis. Est tamen aliquid perfectionis ibi istis correspondens; et ratio huius patet sic.

Imperfectio 1.

In istis inferioribus separatur missus a mittente propter distantiam termini a mittente [5]; ut patet, cum mitto aliquem Romam; quia Roma distat a me, si ille debet esse Romae, oportet quod separetur a

Conclusio 4.

me. In divinis vero, quia Deus mittens est ubique, nulla est distantia, et ideo nulla est separatio; loco tamen huius est missi a mittente egressio [6], sive emanatio.

1. Et sic patet responsio ad illud quod obiicitur de conditione *separationis*.

Imperfectio 2.

Similiter in his inferioribus est in misso *subiectio* propter differentiam mittentis ad missum. Quia enim missus recipit a mittente vel esse, vel virtutem, vel operationem, et est separatus ab eo in substantia — quia substantia omnino eadem non participatur a pluribus — necesse est, quod aliam virtutem recipiat ab eo et aliam iurisdictionem illa inferiorem.

Conclusio 5.

Sed in divinis non est substantialis differentia, et ideo omnia sunt aequalis nobilitatis in mittente et misso. Sed tamen loco huius est *subauctoritatis* emanatio [7].

2. Et sic patet secunda obiectio.

Imperfectio 3.

Similiter in his inferioribus est in misso *mutatio* propter distantiam missi a termino. Quia [8] enim non est in termino, ad quem mittitur, ideo oportet quod mutet locum, et ita quod sit in eo mutatio.

Conclusio 6.

Quia vero in divinis missus nulli loco abest, non oportet, quod personaliter accedat; et ideo *non* est ibi *mutatio*. Sed tamen loco eius est alicuius effectus de novo productio.

3. Et sic patet tertia obiectio. Quamvis enim in divinis non sit separatio, subiectio et mutatio, tamen loco horum est emanatio [9], subauctoritatis origo et novi effectus productio.

Solvitur ultimum oppositum.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod pertinet ad ministerium; dicendum, quod hoc verum est, ubi missio dicit subiectionem; sed hoc non est in divina natura, sed in creaturis.

SCHOLION.

I. Quomodo differant *temporalis processio*, *missio*, *datio* Spiritus sancti non eodem modo ab antiquis Scholasticis determinatur. Audiamus Richard. a Med. (I. Sent. d. 14. a. 1. q. 3.): « Quidam volunt, quod non differunt realiter, sed secundum rationem tantum. Nam processio temporalis principalius importat respectum ad *terminum ad quem*, missio ad *principium a quo*, donatio vero *ad effectum*. Alii autem maiorem differentiam conantur assignare inter haec tria. Dicunt enim, quod *processio temporalis* de principali significato non significat nisi processionem aeternam cum quodam respectu secundum rationem vel secundum dici ad creaturam, et actu connotat novum effectum in creatura et novam realem relationem in creatura ad Spiritum sanctum. *Donatio* vero de suo principali significato non dicit aliquam emanationem, quia tota Trinitas dat se ipsam, loquendo de emanatione secundum rem, qua emanat ipsamet persona, sed dicit emanationem doni ap-

---

[1] Multi codd. cum edd. 1, 2, 3, 6 perperam *praeceptore*.

[2] Cod. M addit *etiam*.

[3] Vat. in huius et sequentis propositionis membris semper exhibet *alicui;* codd. inter se sunt divisi, alii enim ter *alicubi* ponunt, alii ut FHT etc. cum ed. 1 exhibent lectionem nostram, quae et contextui magis correspondet.

[4] Consentientibus antiquis mss. cum ed. 1, substituimus *conferendum* pro *operandum*. Mox aliqui codd. ut AN *secundum* loco *per*.

[5] Vat. cum cod. cc *ad mittentem*, sed minus bene et contra alios codd. cum ed. 1. — Paulo infra post *quod* cod. I addit *distet et*.

[6] Cod. K, interpunctione mutata, *separatio loci; tamen huiusmodi missio est a mittente* etc.

[7] Vat. absque auctoritate mss. et edd. 1, 2, 3 *origo*. De subauctoritate vide infra q. 4. in corp., et supra d. 12. q. 2, dein d. 20. a. 1. q. 2. ad 4. — Paulo ante cod. W pro *omnia* ponit *omnino*, quod refertur ad *virtutem* et *iurisdictionem*.

[8] Ex mss. et edd. 1, 2, 3 substituimus *quia* loco *cum*, et paulo infra ex antiquioribus codd. cum ed. 1 supplevimus perperam omissum *ita*.

[9] Cod. I *tamen loco harum est personae emanatio*.

propriati personae, in quo dono etiam ipsamet persona vera datur recipienti illud donum. *Missio* vero dicit respectum personae emanantis per emanationem alicuius rei visibilis vel invisibilis appropriatae illi personae. Et ita de principali significato missionis non est emanatio personae, sed est de cointellectu significati missionis, sicut nasus non est de principali significato simitatis, quamvis simitas nasi nasum includat de cointellectu ». Ipse Richard. a Med. praefert secundam opinionem, infra d. 15. p. I a. 3. q. 1.

His verbis iam manifestatur, aliquos putasse, missionem *principaliter* significare processionem unius personae ab alia, sed *connotare* manifestationem eiusdem. Ita Alex. Hal., S. p. I. q. 71. m. 2. et 4, et nonnulli moderni, ut Suarez. Sed S. Bonav. infra (q. 4. in corp. et clarius ibi ad 3.) dicit: « Missio de se duo importat, scil. emanationem et manifestationem, et *principaliter* de ratione suae significationis *importat manifestationem* ». Eandem sententiam profitentur S. Thom. (hic q. 1. a. 2; d. 16. q. 1. a. 1; S. I. q. 43. a. 2. praesertim ad 3.), Scot. (I. Sent. d. 16. q. unic.), B. Albert., Petr. a Tar., Richard. a Med., locis infra citatis.

II. In responsione S. Bonav. docet, triplicem in missione includi respectum, et haec tria membra iterum tripliciter comparat. Secundum hos multiplices respectus resolvit, quae sint a divinis missionibus removenda, quaeve in iis ponenda.

III. Alex. Hal., S. p. I. q. 71. m. 1. — Scot., de hac et seqq. hic et in Report. q. unic. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. q. 43. a. 1. — B. Albert., I. Sent. d. 14. a. 3. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. — Durand., de hac et seq. hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. hic q. unic.

QUAESTIO II.

Utrum missio in divinis sit tantum ex tempore, an etiam ab aeterno.

Secundo quaeritur, utrum missio in divinis sit ex tempore tantum, an etiam ab aeterno. Et quod ab aeterno, ostenditur *auctoritate* et *ratione*.

Ad oppositum. 1. *Auctoritate* sic: Gregorius[1]: « Eo ipso mittitur Filius, quo generatur »; sed generatur ab aeterno: ergo mittitur ab aeterno: ergo missio in divinis est ab aeterno.

2. Item, Beda in homilia[2]: « Spiritus sancti missio est eius processio »; sed procedit ab aeterno: ergo mittitur ab aeterno.

3. Item, *ratione* sic: missio, sive active sive passive dicta, est Deus; sed omnis actio, quae active et passive est Deus, est ab aeterno: ergo etc.

4. Item, omnis actio, quae habet Deum ut terminum et ut principium, est ab aeterno, ut patet, cum dicitur: Deus intelligit Deum[3], Deus generat Deum; sed missio est huiusmodi, quia Deus mittit Deum: ergo missio est aeterna. *Si dicas,* quod missio requirit duplicem terminum, scilicet eum qui mittitur, et eum ad quem mittitur, et ille ad quem fit missio, est temporalis; *contra:* Deus potest esse qui mittit, Deus, qui mittitur: ergo pari ratione Deus, ad quem mittitur; et videtur, quod istae comparationes principii et termini maxime Deo conveniant. Deus enim est *alpha et omega, principium et finis*[4]: ergo magis proprie dicitur Deus, ad quem mittitur, quam Deus, qui mittitur.

5. Item, quidquid est Deus, est aeternum; missio est Deus: ergo est aeterna; sed praemissae sunt verae: ergo et conclusio.

Fundamenta. CONTRA: 1. Ioannis decimo sexto[5]: *Si non abiero Paraclitus non veniet ad vos; cum autem abiero, mittam vobis eum.* Ergo Spiritus sanctus potest mitti et promitti; sed quod est aeternum non potest promitti: ergo etc.

2. Item, Augustinus quarto de Trinitate[6]: « Mittitur Filius vel Spiritus sanctus, cum ex tempore cuiusquam mente percipitur ».

3. Item, omnis missio est ad[7] aliquid posterius mittente; sed ubi cadit posterius necessario intervenit ratio principii et temporis: ergo etc. Prima propositio per se est vera, quia mittens per prius habet ipsum quod[8] mittit, quam habet ille, ad quem mittit.

4. Item omnis missio vel est ratione mutationis, vel ratione operationis; sed in divinis non est mutatio: ergo ad hoc, quod missio sit, necesse est quod interveniat operatio; et si operatio, et effectus; et si effectus, et[9] tempus: ergo omnis missio est ex tempore.

CONCLUSIO.

Missio propter comparationem ad terminum creatum dicenda est temporalis.

Conclusio. RESPONDEO: Dicendum ad praedicta, quod missio in divinis nullo modo dicitur nisi ex tempore. Et ratio huius est, quia dicit comparationem non tantum ad principium nec tantum ad missum, sed

---

[1] Homil. 26. n. 2. in Evang.: Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur. In quo textu plurimi codd. et ed. 1 omittunt *ipso*.

[2] Vide d. XIV. lit. Magistri, c. 1.

[3] Reliquimus *Deum*, quod in fere omnibus codd. et sex primis edd. non bene decidit (forte propter immediate sequentem repetitionem nominis *Deus*); idem recurrit mox post *generat*.

[4] Apoc. 1, 8.

[5] Vers. 7; ultimam huius textus partem Vulgata ita exhibet: *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* — Mox post *eum* fide plurium mss. ut F H I T X aa bb ff et ed. 1 expunximus *Cum*, quod propter formam argumenti melius deest.

[6] Cap. 20. n. 28. Vide hic lit. Magistri, c. 7. et 8. — In principio verborum Augustini nonnulli codd. ut I bb ff cum ed. 1 ponunt *Tunc mittitur* etc.

[7] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *ad*, quod Vat., ut ex subnexis patet, male omittit. Cod. Z particulae *ad* praemittit *ab aliquo*, loco cuius cod. O habet *aliquo modo*.

[8] Unus alterque codex ut T cc *quem*.

[9] Plures codd. ut F G I K T V Y aa bb ee ff cum ed. 1 omittunt *et*.

etiam ad terminum. Terminus [1] ille de necessitate creatus est, quia missio in Deo, cum non dicat mutationem, dicit aliquam circa terminum operationem, et ita aliquem effectum; et quia omne quod recipit effectum, est creatum et temporale: ideo missio de necessitate est temporalis.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod dicit Gregorius: « Eo mittitur Filius, quo generatur »; dicendum, quod ipse loquitur, praesupposita manifestatione in creatura [2]. Pater enim manifestatur in creatura, sed non mittitur, sed Filius mittitur. Et Gregorius reddit rationem, quia nulla alia causa est, nisi quod iste [3] generatur, ille non, id est Pater.

2. Ad illud quod obiicitur de Beda, dicendum, quod Beda loquitur de processione Spiritus sancti, prout est in creatura, et ita semper est temporalis ut missio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omne quod active et passive ponitur, in Deo est aeternum; dicendum, quod verum est, nisi habeat ulteriorem respectum ad creaturam; sed missio praeter respectum, qui est mittentis ad missum, importat aliquem effectum in creatura [4].

Ad illud quod obiicitur, quod missio active et passive est Deus; dicendum, quod est quaedam actio, quae solum respicit passum, ut « percutio te »; quaedam, quae passum et alium terminum, ut « doceo te grammaticam », similiter et « mitto te ad illum ». Et quod obiicit [5] verum est in actione et passione, quae nihil aliud respiciunt nisi principium et obiectum; sed non in aliis, quae requirunt alium terminum, et ideo habet instantiam in proposito.

4. Similiter solvendum est ad sequens, quod verum est, si actio illa omnino terminaretur [6] in Deum. *Sed quod obiicit*, quod missio respicit Deum ut terminum ad quem; dicendum, quod si terminus, ad quem est missio, esset solum in ratione *finientis*, verum [7] esset; nunc autem non est sic, sed magis in ratione *suscipientis*.

5. Ad ultimum obiectum dicendum, quod ibi est paralogismus *accidentis*, sicut hic: omne aes est naturale, statua est aes: ergo etc.; quia quod erat materiae attribuitur statuae ratione artificii. Similiter hic, quod erat divinae essentiae attribuitur missioni ratione connotati.

SCHOLION.

I. In conclusione omnes conveniunt, etiam ii, qui cum Alex. Hal. statuunt, missionem in suo principali significato dicere quid aeternum, nempe processionem aeternam. Ipse Alex. Hal. (loc. cit.) obiectum hic ultimo loco positum sic solvit: « De missione est loqui quantum ad principale significatum et quantum ad connotatum: ratione principalis significati est quid aeternum; ratione connotati est ex tempore. Cum autem aeternum coniungitur temporali in eodem termino, proprie loquendo, debet iudicari temporale, sicut, quando necessarium coniungitur contingenti, totum iudicatur contingens. Ideo in argumento isto est fallacia accidentis: missio est Deus; et Deus est aeternus: ergo missio est aeterna; quia aeternitas, quae est in principali significato missionis, infertur de connotato. Hoc enim nomen *aeternus*, cum sit adiectivum, determinat ipsum terminum et ponit rem suam ratione totalis significati ».

II. Quoad ipsam quaestionem: Alex. Hal., S. p. I. q. 71. m. 4. — S. Thom., hic q. 4. a. 3; S. I. q. 43. a. 2. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic d. 15. p. II. prima princ. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO III.

Utrum missio, passive accepta, sit totius Trinitatis, in specie Patris.

Tertio quaeritur, cuius sit missio *ut missi*. Et videtur, quod sit totius Trinitatis.

Ad oppositum.

1. Augustinus quarto de Trinitate [8]: « Mittitur Filius, cum ex tempore cuiusquam mente percipitur ». Sed tota Trinitas ex tempore mente percipitur: ergo tota Trinitas mittitur: ergo et Pater.

2. Item, *mitti* personam est ipsam de novo venire ad habitandum [9]; sed tota Trinitas de novo

---

[1] Sequimur lectionem maioris partis codd. ut A F G K S T V X Y cc ee ff et ed. 1, dum Vat. nomini *Terminus* praefigit *sed*, aliqui vero codd. ut I Z bb *et*, nonnulli demum ut H W post *Terminus* addunt *autem*. Mox post *dicat* cod. B adiungit *missi*, sed nimis arcte videtur.

[2] Postulantibus antiquioribus mss. et ed. 1, substituimus *creatura* loco *creaturis*.

[3] Nempe: Filius. — Vat. cum cod. cc minus congrue et contra alios codd. et ed. 1 *ille* pro *iste*. Paulo ante plures codd. ut A I T bb cum ed. 1 *quod* loco *quia*, quorum aliqui ut bb et ed. 1 dein post *nisi* ponunt *quia* pro *quod*. — Aliam expositionem verborum Gregorii vide in secunda parte huius distinctionis, dub. 2.

[4] Haec solutio respicit minorem tertiae et etiam maiorem quartae obiectionis; sed quod sequitur solvit maiorem tertiae obiectionis.

[5] Vat. *obiicitur*.

[6] Plures codd. ut A I S T cum ed. 1 *terminetur*. Paulo ante cod. W omittit *illa*.

[7] Fide mss. et ed. 1 delevimus *sic*, quod Vat. vocabulo *verum* praefigit. — Nota, quod haec solutio respicit illam obiectionem, quae sub *Contra* in quarta principali continetur.

[8] Cap. 20. n. 28. — In fine argumenti post *ergo* ex aliquibus mss. ut H Q X adiecimus particulam *et*.

[9] Codd. aa bb melius *inhabitandum*.

venit ad habitandum in peccatore, cum gratia datur ei: ergo etc. *Minor* patet, Ioannis decimo quarto[1]: *Ad eum veniemus* etc.

3. Item, missio connotat effectum in creatura; sed regula[2] est, quod omne nomen connotans effectum dicitur essentialiter: ergo missio, passive dicta, dicitur essentialiter; sed quod essentialiter dicitur convenit toti Trinitati: ergo etc.

4. Item, quando aliquid mittitur, mittitur cum eo omne quod ei[3] inseparabiliter est coniunctum; sed Pater est inseparabiliter coniunctus Filio: ergo quando mittitur Filius, mittitur et Pater.

5. Item, *mittere* et *mitti* aut sunt aequalis nobilitatis, aut non. Si *aequalis:* ergo qua ratione dicitur *mittere* de Patre, eadem ratione et *mitti;* si[4] *inaequalis:* ergo mittens est maior misso: ergo Filius est inaequalis Patri.

Fundamenta. Contra: 1. Augustinus secundo de Trinitate[5]: « Pater nusquam legitur missus »; sed non debemus aliquid asserere de Deo, quod non habemus ex Scriptura: ergo mitti non convenit toti Trinitati.

2. Item, Augustinus[6] dicit, quod Pater absurdissime dicitur missus; sed sermones veri non sunt absurdissimi, sed potius falsi: ergo mitti non vere dicitur de Patre.

3. Item, Augustinus[7] dicit, quod mitti est cognosci esse ab alio; sed Pater non cognoscitur esse ab alio: ergo Pater non mittitur.

4. Item, omne mobile reducitur ad immobile[8], ergo missibile ad immissibile: ergo in divinis est aliqua persona immissibilis, sed non nisi Pater: ergo etc.

CONCLUSIO.

Missio, passive accepta, nullatenus dici potest de Patre.

Respondeo: Dicendum, quod missio, sicut patet ex ratione Augustini et melius infra patebit[9], semper duo habet ex suo intellectu, scilicet emanationem et manifestationem per effectum. Quia ergo importat semper[10] emanationem passive missio passive dicta, hinc est, quod cum Pater omnino careat principio, quod de ipso nullo modo potest dici missio passiva; unde non invenitur, et si inveniretur, esset tanquam falsa et velut impropria exponenda[11]. Missio complectitur duo. Conclusio.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur primo et secundo[12], quod missio est perceptio ab intellectu, vel inhabitatio de novo; dicendum, quod non dicit totam rationem missionis, sed solum a parte *termini in*[13] *quem;* unde debet addi cum illis *emanatio ab alio;* et tunc non valet.

3. Ad illud quod obiicitur tertio, quod connotat[14] effectum, ergo est essentiale; dicendum, quod nomen connotans effectum aut dicit solum respectum ad effectum, et tunc est pure essentiale, ut *creare;* aut dicit etiam cum hoc respectum ad personam, et sic potest esse notionale, sicut *creare per Filium* solius est Patris. Sic est de hoc quod est *mitti,* quia non dicit tantum comparationem missi ad suscipientem[15] effectum, sed etiam ad principium. Significat enim, ipsum esse ab alio et in alium; et sic patet illud.

4. Ad illud quod obiicitur, quod inseparabilia simul mittuntur; dicendum, quod illud est verum de illa missione, quae est per separationem; sed de illa missione, quae est per distinctionem, non est dicere, quod simul[16] mittantur necessario illi qui distinguuntur, sicut nec in alia missione illa quae separantur. Et quoniam Pater distinguitur a Filio, et missio in divinis dicit distinctionem; ideo non oportet, quod cum mittitur[17] Filius, mittatur Pater.

5. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod aequalis nobilitatis est *mitti* ut[18] *mittere;* dicendum, quod *mitti* non removetur a Patre, quia dicit ignobilitatem, sed quia dicit emanationem et subauctoritatem, quae quamvis non sit ignobilitatis, tamen non convenit Patri[19].

---

1 Vers. 23.

2 Vat. cum cod. cc *ita* loco *regula*, sed obstat auctoritas aliorum codd. et ed. 1. Mox post *omne* ex pluribus codd. ut H M Y aa bb ff cum ed. 1 adiecimus *nomen*, quod et infra in responsione habetur ab omnibus mss. Dein ed. 1 *notans* loco *connotans*.

3 Ex mss. et ed. 1 supplevimus indebite omissum *ei*, et paulo infra post *coniunctus* expunximus *cum*, loco cuius cod. W ponit *ipsi*.

4 Vat., plurimis mss. et ed. 1 refragantibus, addit *est*.

5 Cap. 5. n. 8. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

6 Libr. IV. de Trin. c. 21. n. 32; vide hic in lit. Magistri, c. 9.

7 Libr. IV. de Trin. c. 20. n. 28; vide hic in lit. Magistri, c. 7-9.

8 Cfr. Aristot., VIII. Phys. text. 34. seqq. (c. 5.). — Mox post primum *ergo* cod. M cum ed. 1 adiicit *et*. Paulo infra fide plurimorum mss. et edd. 1, 4, 5 substituimus *aliqua* pro minus apto *alia*.

9 Quaest. seq. in corp. et ad 3. — Mox nonnulli codd. ut aa bb ff cum ed. 1 *de* loco *ex*, et dein cod. Y post *emanationem* explicative addit *passive*.

10 Ex antiquioribus mss. et ed. 1 adiecimus *semper*, et mox post *missio* ope plurium mss. ut A H I M T V aa bb ff supplevimus *passive*, qua lectione omnis ambiguitas tollitur. Ed. 1 omittit primum *passive*.

11 Praeferenda videtur lectio cod. T, in qua post *esset* addita particula *tanquam* deest, utpote quae verbo *exponenda* non bene adaptatur, pro qua unus alterve codex habet *inquam*. Cod. X *valde* loco *velut*. Cod. K *velut haeretica reprobanda* pro *velut impropria exponenda*.

12 Licet mss. cum ed. 1 omittant *et secundo*, retinuimus tamen, quia revera ad duo prima obiecta respondetur.

13 Cod. T *ad*. In fine solutionis codd. L O loco *non valet* legunt *vera est*.

14 Plurimi codd. cum ed. 1 *notat*.

15 Cod. R *susceptionem seu*. In fine responsionis fide plurimorum mss. et ed. 1 post *patet* adiecimus *illud*.

16 Auctoritate antiquiorum codd. et ed. 1 substituimus *simul* pro *sic*. Paulo ante codd. N R *verum* loco *dicere*. Cod. X praecedentem propositionem ita exhibet: *missione non est verum, quae est per distinctionem, non enim est dicere.* Paulo infra sub *alia missione* intellige illam, *quae est per separationem*, in qua *inseparabilia simul* mittuntur, *separata* vero non.

17 Vat. cum aliquibus mss. *mittatur*, sed minus apte. Cod. T *si* loco *cum*. Mox post *mittatur* cod. Z addit *et*.

18 Ed. 1 *et* loco *ut*.

19 In cod. K additur *imo repugnat proprietati eius, quia Pater est non ab alio.*

SCHOLION.

Conclusio est sententia communis; communiter etiam conceditur, Patri convenire *manifestationem* factam in aliquo effectu ipsi appropriato v. g. in aliqua apparitione. Sed quia *missio* praeter hoc connotat in persona missa emanationem, et Pater non emanat, ideo haec eius manifestatio non est missio.

Ita Richard., hic a. 2. q. 1. — Alex. Hal., S. p. I q. 73. m. 2. a. 1. — S. Thom., hic q. 2; S. I. q. 43. a. 4. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. — Durand., de hac et seq. hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO IV.

Utrum missio, active accepta, sit totius Trinitatis.

Quarto et ultimo quaeritur, cuius sit missio ut mittentis. Et quod sit totius Trinitatis, ostenditur sic.

1. Missio idem est quod temporalis donatio; Fondamenta. sed temporaliter dare convenit toti Trinitati, quia tota Trinitas dat Spiritum sanctum, ut dicit Augustinus [1]: ergo etc.

2. Item, Augustinus secundo de Trinitate [2]: « Mitti a Patre Filius sine Spiritu sancto non potuit », ergo missio Filii convenit Spiritui sancto: ergo eadem ratione missio sui. *Si dicas*, sicut dicunt quidam, quod illud intelligitur de missione secundum humanam naturam, qua missus est ad praedicandum, secundum illud Isaiae sexagesimo primo [3]: *Ad annuntiandum mansuetis misit me;* non autem de missione secundum divinam naturam; *contra:* missio secundum divinam naturam est missio in mentem, vel in carnem; sed Augustinus intelligit de missione in carnem, unde statim subditur: « Quia Pater intelligitur eum misisse, cum fecit ex femina »: ergo constat, quod loquitur de missione secundum divinam naturam.

3. Item, Magister [4] facit tale argumentum: si Pater potest dare vel mittere Spiritum sanctum, et Spiritus sanctus non potest, ergo aliquid potest Pater, quod non potest Spiritus sanctus. Item si Pater dat et mittit Spiritum sanctum, et hoc non facit Spiritus sanctus, aliquid facit Pater, quod non facit Spiritus sanctus: ergo divisa sunt opera Trinitatis.

Contra: 1. Datum dicitur relative ad dantem, Ad oppositum. sicut dicit Augustinus quinto de Trinitate [5]: ergo Spiritus sanctus non datur nisi ab his, ad quos relative dicitur; sed non dicitur relative ad se: ergo non dat se, ergo nec mittit se.

2. Item, sicut Pater est prima persona in Trinitate, ante quam non est alia, ita Spiritus sanctus, post quam [6] non est alia; sed Pater, quia non habet personam, ex qua sit, nullo modo dicitur missus: ergo cum Spiritus sanctus non habeat personam ex se emanantem, nullo modo dicitur mittere.

3. Item, ubicumque est missio passiva, ibi est subauctoritas respectu alicuius principii in misso, sicut dicitur ab Augustino et Magistro [7]: ergo ubi est missio activa, ibi notatur auctoritas respectu personae; sed Spiritus sanctus non habet auctoritatem respectu sui nec alterius personae: ergo etc.

4. Item, ubicumque est missio, ibi vere notatur distinctio, sicut in creaturis separatio; sed persona Spiritus sancti non distinguitur a se: ergo a se non mittitur nec Filium mittit, cum non habeat auctoritatem in ipsum: ergo non mittit.

5. Item, omnis actus, secundum quem persona reflectitur super se, est essentialis et essentialiter dictus; si ergo Filius mittit se, vel Spiritus sanctus [8] se: ergo mittere vel mitti essentialiter dicitur; sed omnis talis actus dicitur de tribus: ergo Pater mittit se.

CONCLUSIO.

Impropria est locutio, quod sive Pater sive Trinitas mittat se; omnino propria, quod persona producens mittat productam; denique minus propria, sed tamen sustinenda, quod personae procedentes mittant se.

Respondeo: Dicendum, quod in hac quaestione sapientes opinantur contrarie sapientibus. Nam Magister dicit expresse et nititur probare auctoritate et ratione, quod Spiritus sanctus mittit se et dat se [9]; nec oportet secundum ipsum, quod inter mittentem et missum cadat personalis distinctio, sed solum quantum ad rationem intelligendi, ut idem [10] ipse sit mittens in quantum Deus, et idem ipse sit missus in quantum donum. Opinio Magistri.

---

[1] Libr. XV. de Trin. c. 19. n. 36; vide hic in lit. Magistri, c. 1.

[2] Cap. 5. n. 8.

[3] Vers. 1.

[4] Hic, c. 1. — Argumentum hoc Vat. cum cod. cc, sed contra ceteros codd. et ed. 1 nec non lit. Magistri, corrupte exhibet omittendo verba *et Spiritus sanctus* usque *et hoc non facit.*

[5] Cap. 14. n. 15: Quod autem datum est, et ad eum qui dedit refertur etc. Vide infra d. XVIII. lit. Magistri, c. 4.

[6] Subaudi: personam. Ex mss. et ed. 1 substituimus *quam* loco *quem*, quod Vat. minus bene habet.

[7] Hic, c. 9, ubi et verba Augustini reperies. — Paulo infra post *personae* in cod. O explicative additur *missae.*

[8] Cod. I hic repetit *mittit.*

[9] Vat. cum cod. cc *mittat se et det se.*

[10] Vat. cum cod. cc minus bene et contra alios codd. ac ed. 1 omittit *idem.*

Aliorum opinio contraria.

Aliorum magistrorum et antiquorum fuit positio, quod mittere et mitti de ratione sui nominis important subauctoritatem et auctoritatem [1] et distinctionem; et ideo nullo modo potest dici, quod una persona mittat se vel mittatur a se. Unde locutiones istae sunt impropriae et exponendae, quae hoc dicere videntur. Et positionem suam confirmant per Augustinum [2], qui dicit, quod Pater nullo modo mittitur nec legitur missus; hoc non est ob aliud, nisi quia hoc quod est *missus* importat subauctoritatem: ergo per oppositum *mittere* importat auctoritatem, et una persona non habet auctoritatem super se. Et respondent rationibus Magistri, quod non est simile de hoc quod est *dare* et de hoc quod est *mittere*. Quia *dare uno* modo est ex liberalitate sive amore communicare; et sic est *essentiale* omnino et nullam connotat distinctionem, et sic conceditur, quod tota Trinitas dat se ipsam, et Pater similiter. *Alio* modo *dare* est alicui donum communicare, non tantum ex liberalitate, sed etiam ex auctoritate; et sic *dare* dicit notionem sive tenetur *notionaliter*, et hoc modo non valent illae rationes: si Pater dat Spiritum sanctum, et Spiritus sanctus non dat se: ergo aliquid facit Pater, quod non [3] Spiritus sanctus; quia dicit notionem, et in hoc sensu aequipollet ei quod est *mittere*, et similiter donatio passiva ei quod est *procedere*. — Similiter ad *simile*, quod inducit Magister de Filio, dicunt, quod non est simile, quia in Filio duplex est natura, scilicet divina et humana; et quantum ad *humanam* potest mitti et mittitur a tota Trinitate, quia minor est Deo et inferior, et non tantum subauctoritatem habet, sed etiam servitutem, quia est servus Dei, quamvis per unionem sit Deus. Quantum ad *divinam* autem mittitur a solo Patre, quia a solo Patre producitur. Quia ergo Spiritus sanctus producitur et a Patre et a Filio, et non a se ipso, hinc est, quod non mittitur nisi a Patre et a Filio. Et propter hoc rationes Magistri non valent, quia omnes auctoritates, quae dicunt, Filium mitti a Spiritu sancto vel a se, secundum humanam naturam intelliguntur.

Respondent rationibus Magistri.

Iudicium de hac positione.

Sed licet haec positio rationabilior videatur et facilior ad sustinendum, tamen — quia non debemus auctoritates Sanctorum trahere ad nostram rationem, sed magis e converso rationem nostram auctoritatibus Sanctorum subiicere, ubi non continent expressam absurditatem; et Sancti dicunt, et Magister dicit, et maxime Augustinus, qui plus super hac materia locutus est, Filium mitti a Spiritu sancto et etiam [4] a se, quod non possunt exponere secundum humanam naturam — *ideo* alia positio tum ob reverentiam Sanctorum, tum ob reverentiam Magistri videtur magis esse tenenda. Illud enim [5] verbum Augustini, quod dicit, quod Filius est missus in carnem a Spiritu sancto, secundum humanam naturam nullo modo potest intelligi, ut videtur, quia missio haec fuit ad humanitatis sive carnis assumtionem: ergo secundum rationem intelligendi praecedit humanam naturam ut iam unitam: ergo si Filius hoc modo dicitur missus, oportet quod attribuatur divinae naturae, et ita ratione divinae naturae missus est a Spiritu sancto; multo fortius igitur et [6] *a se*, ac per hoc et Spiritus sanctus *a se*.

Praefertur opinio Magistri.

Quae magis explicatur.

Et propterea ad intelligentiam obiectorum in contrarium notandum est, quod *missio* de se duo importat, scilicet *emanationem* et *manifestationem*, et principaliter [7] de ratione suae significationis importat manifestationem. Et hoc patet per Augustinum in quarto de Trinitate, qui dicit, quod *mitti* est *cognosci esse ab alio*, et habetur in praesenti distinctione [8], quod « tunc Filius mittitur, cum ex tempore cuiusquam mente percipitur ». Quia ergo principaliter importat manifestationem et connotat in misso emanationem, ideo *manifestatio* significatur per hoc quod est *mittere* per modum actionis, et per hoc quod est *mitti* per modum passionis; sed *emanatio* utrobique uniformiter. Unde sensus est: Pater mittit Filium, id est, declarat sive manifestat Filii emanationem, sive Filium emanare. In passiva vero sensus est: Filius sive Spiritus sanctus mittitur, id est, manifestatur ab alio emanare.

Et quoniam ablativus respectu passivi, et nominativus respectu verbi [9] activi important rationem principii, et significatio huius verbi *mittere* et *mitti* est *manifestatio* et *emanatio*; ideo illa est *propriissima*, quando ablativus vel nominativus importat habitudinem principii respectu utriusque, ut cum dicitur: Pater mittit Filium, et Filius mittitur a Patre, quia Filius emanat a Patre et manifestatur a Patre.

Conclusio 1.

Quia vero principale significatum horum verborum est manifestatio, non emanatio, quando [10] nominativus vel ablativus est principium *manifestationis*, quamvis non *emanationis*, *propria* est, sed *minus* quam praedicta; et in hoc sensu concedun-

Conclusio 2.

---

[1] Ed. 1, transpositis verbis, *auctoritatem et subauctoritatem*.

[2] Libr. II. de Trin. c. 5. n. 8. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[3] In cod. T hic repetitur *facit*. Mox post *mittere* adiecimus ex antiquioribus mss. et ed. 1 particulam *et*.

[4] In Vat. et cod. cc perperam deest *etiam*, quod tamen in aliis codd. et ed. 1 habetur. Paulo ante ed. 1 *hanc materiam* pro *hac materia*.

[5] In cod. T pro particula *enim* a secunda manu positum est *tamen*.

[6] Ex multis mss. ut A G I K P Q T V X Y aa ee ff et ed. 1 adiunximus non bene omissum *et*. [7] Cod. Y *principalius*.

[8] Cap. 7-9. — Mox fide vetustiorum mss. et ed. 1 substituimus *quod* pro *quia*.

[9] Vat., antiquioribus mss. et ed. 1 obnitentibus, omittit *verbi*, quod et ed. 1 paulo ante voci *passivi* praefigit. Paulo infra cod. O *ista locutio* loco *illa*.

[10] Vat. cum aliquibus codd. perperam *quoniam* loco *quando*. Paulo infra post *minus* ex aliquibus tantum codd. ut G H Z et ed. 1 adiecimus *quam* ambiguitatis tollendae gratia.

tur istae: Filius mittit se. et Spiritus sanctus mittit se.

Quia vero tam *mittere* quam *mitti* important emanationem circa missum, et persona Patris non emanat ab aliquo, similiter nec Trinitas: ideo persona Patris nusquam legitur missa nec ipsa Trinitas.

Conclusio 3.

Ex hoc patet, quod haec est simpliciter et *omnino propria:* Pater mittit Filium; haec est *minus propria,* tamen a proprietate non recedit: Filius mittit se; haec autem *omnino impropria:* Pater mittit se sive ipsa Trinitas [1].

Epilogus.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium de dato, quod dicitur relative; dicendum, quod verum est, secundum quod *dare* dicit per quandam auctoritatem communicare; hoc modo non accipit Magister, sed in quantum *dare* idem est quod liberaliter et voluntarie communicare.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Pater non mittitur, quia non est [2] ab alio; dicendum, quod non est simile, quia tam *mittere* quam *mitti* important emanationem in misso, ut patet exponenti. Sensus enim est: haec persona mittit illam, id est, manifestat eius emanationem; et: haec mittitur ab illa, id est, eius emanatio manifestatur ab illa. Sed haec emanatio non semper importatur respectu [3] omnis personae mittentis, quia ab aliquo potest esse manifestatio emanationis, a quo tamen non est ipsa emanatio; et ideo sic non ponitur *productio* in *mittente,* sicut *emanatio* in *misso;* et ideo non sequitur, quodsi Pater non mittitur, quod Spiritus sanctus non mittat [4].

3. Ad illud quod obiicitur: ubi est missio passiva, ibi est subauctoritas; dicendum, quod verum est, non ratione, qua passivum, sed ea ratione, qua tam passivum quam activum notat emanationem in misso, sicut patuit in expositione [5]. Et quia emanatio non semper est respectu mittentis, ideo non oportet, quod semper importetur auctoritas in mittente; sed ratio ista valeret bene, si ita esset, ut principale significatum eius quod est *missio* esset emanatio sive productio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod *mittere* importat distinctionem; dicendum, quod *mittere uno* modo importat *differentiam substantialem,* ut cum importat dominium, ut cum dicitur: Deus mittit Angelum; *alio* modo *distinctionem personalem,* ut cum importat auctoritatem in mittente et subauctoritatem in misso respectu mittentis, ut cum dicitur: Pater mittit Filium. *Tertio* modo importat distinctionem solum quantum ad *modum intelligendi;* sicut cum dicitur: voluntas est instrumentum se ipsum movens — quia idem est movens et motum — sic [6], cum dicitur: Spiritus sanctus mittit se, idem est mittens et missum, ratione differens: *mittens,* inquam, secundum quod Deus, sed *missum* secundum quod donum, sicut praedictum est [7].

Tres modi mittendi.

5. Ad illud quod obiicitur ultimo de reflexione actus, dicendum, quod verum est quoad principale significatum, sed non oportet quantum ad connotatum; et ratione principalis significati est reflexio personae mittentis supra se, ut dicatur: mittens est missus.

SCHOLION.

I. Secunda opinio in corp. recensita est Gulielmi Antissiodorensis. Solutio huius quaestionis, ut bene observat S. Doctor (hic ad 3.), dependet a solutione alterius quaestionis, (supra q. 1. in Scholio), scilicet quid sit principale significatum missionis divinae, utrum *processio*, an processionis *manifestatio.* Haec enim manifestatio est actio tribus personis communis, et si hoc, tunc consequenter *mittere* secundum principale significatum est aliquid essentiale, non notionale, sicut e contra est *mitti.* Ex his principiis sequuntur alia corollaria.

II. Notabile est principium Seraphici in corp. expressum, quod tanquam inviolabilem regulam semper observat, scilicet: « Non debemus auctoritates Sanctorum ad nostram trahere rationem, sed magis e converso rationem nostram auctoritatibus Sanctorum subiicere, ubi non continent expressam absurditatem ».

III. S. Thomas et in Comment. et in Summa concordat; item Petr. a Tar. « etiam in verbis », ut dicit Dionys. Carth. Ceteri magistri saltem in principali conclusione consentiunt; tamen Ægid. R. *rationes* S. Thomae impugnat. — Alex. Hal., S. p. I. q. 72. m. 1. a. 1. 2. 3. — S. Thom., hic q. 3. a. 1. 2; S. I. q. 43. a. 8. — B. Albert., hic a. 5. 9. 11. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1; q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. 2. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1. 2.

---

[1] Vat. ultimas propositiones corrupte et praeter fidem mss. ita exhibet: *patet, quod haec est simpliciter et omnino impropria: Pater mittit se sive ipsa Trinitas: quia receditur a proprietate personarum et Trinitatis. Illa vero est simpliciter et omnino propria: Pater mittit Filium, cum a nullius proprietate recedatur.* Ed. 1 in eo a codd. discordat, quod post *Filium* ita prosequitur: *et ista similiter: Pater et Filius mittunt Spiritum sanctum; et haec est minus propria: Filius vel Spiritus sanctus mittit se, vel Spiritus sanctus mittit Filium; haec autem omnino impropria* etc.

[2] Multis mss. ut AGHIKNTVXYZ aa ee ff et ed. 1 postulantibus, adiunximus *est.*

[3] Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 non ita distincte *importat respectum.* Paulo infra post *manifestatio* loco *emanationis* plurimi codd. cum edd. 1, 2, 3 ponunt *missionis,* quod tamen contextui minus respondet.

[4] Vat. cum ed. 1 et uno alterove codice *mittatur,* sed male, utpote non correspondens obiectioni.

[5] Hic circa finem responsionis.

[6] Praeferimus lectionem nonnullorum mss. ut RTXY et ed. 1 pro *similiter* ponendo *sic,* loco cuius multi codd. ut ACFGHIKLOSUWZ etc. minus apte habent *sicut.*

[7] Hic, in corp.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit, quod *Spiritus sanctus donatur non tantum a Patre et Filio, sed etiam datur a se ipso.* Videtur dicere falsum, quia supra [1] fecit argumentum, quod non potest dari a sanctis viris, quia non potest ab ipsis procedere; sed non potest a se ipso procedere: ergo pari ratione non potest dari a se.

Respondeo: Dicendum, quod Magister [2] arguebat de processione temporali, et de hac bene concedit ipse, quod procedit a se, eo quod propriae potestatis est, ut *spiret* in eum, in quem vult; sed sancti viri non habent posse in eum. [3]

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *donum Spiritus sancti nihil aliud est quam ipse Spiritus sanctus, sicut corpus carnis nihil aliud est quam caro.* Videtur enim, si similitudo bona est, ut omne quod est donum Spiritus sancti, sit Spiritus sanctus. *Sed contra:* timor [4] est donum Spiritus sancti, et non est Spiritus sanctus.

Respondeo: Dicendum, quod donum, cum dicat [5] relationem ac per hoc quodam modo distinctionem, potest illam importare tripliciter: aut secundum modum *intelligendi,* aut secundum modum *essendi,* aut secundum *essentiam. Primo* modo *idem* est dans et datum, sicut « idem intelligens et intellectum [6] », et *differens* ratione modi dicendi, quia datur idem a se; et sic intelligit Augustinus. *Alio* modo secundum modum *essendi* sive se habendi, qui alius est et alius in personis; et sic dicit relationem personae ad personam. *Tertio* modo importat distinctionem secundum *essentiam,* prout dicit effectum [7] et respectum creaturae ad essentiam increatam; et hoc modo timor dicitur donum Spiritus sancti; sed hoc infra melius patebit [8].

Donum importat triplicem distinctionem.

Dub. III.

Item quaeritur de ratione Magistri, qua dicit: *Si Pater et Filius dant Spiritum sanctum, et Spiritus sanctus non dat se, aliquid potest Pater et Filius, quod non potest Spiritus sanctus;* quia ista ratio, ut supra dictum est [9], non valet: Pater potest generare Filium, et Filius non potest: ergo Pater potest aliquid quod non potest Filius: ergo pari ratione, cum Spiritus sanctus dicat [10] personam ut Filius, non valet. *Si tu dicas,* quod non est simile propter actum donandi [11], qui est operatio in creatura; *contra:* sicut dicit Magister in littera [12], Spiritus sancti donatio est eius processio; sed illud argumentum nihil valet: Spiritus sanctus procedit, et Pater non: ergo aliquid facit Spiritus sanctus, quod non Pater: ergo similiter nec in proposito. *Si tu dicas* mihi, quod non est simile de activa et passiva; *contra*: inflexio nominis per casus non variat significationem: ergo similiter videtur, quod nec ibi sit variatio per activum et passivum. *Et si tu dicas,* quod non est simile; *ostenditur,* quod *sic;* quia omnis activa infert passivam: ergo videtur, quod si in voce activa tenetur [13] essentialiter, quod similiter in passiva.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut praedeterminatum est [14], rationes Magistri bonae sunt, quia ipse accipit *dare,* secundum quod dicit effectum in creatura; et secundum hoc commune est tribus personis necessario, et hoc in activa significatione. Dare enim Spiritum sanctum alicui est facere, quod inhabitet in eo; et ideo non est simile de potentia generandi.

Ad illud ergo [15] quod obiicitur, quod Magister dicit, quod donatio idem est quod processio; dicendum, quod loquitur de donatione passiva, secundum quod arctatur ad Spiritum sanctum; et argumentum suum bonum est, quia ab eodem principio est actio, et passio: ergo si donatio activa est a Patre, similiter et donatio passiva; similiter si donatio activa est a Spiritu sancto, et passiva.

Ad replicam.

Ad illud quod obiicitur, quod in activa tenetur

---

[1] Dist. XIV. c. 3.

[2] Unus alterque codex ut ff cum ed. 1 addit *supra.*

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. et q. 4.

[4] Cod. A *amor.*

[5] Ex antiquioribus mss. et edd. 1, 4, 5 substituimus *dicat* loco *dicit.*

[6] Aristot., III. de Anima, text. 15. (c. 4.). — Mox cod. dd *a se ipso* pro *a se.*

[7] Lectio mutila Vat., in qua omittitur *prout dicit effectum*, resarcitur ope mss. et ed. 1. Paulo infra, licet in nonnullis tantum mss. ut F T X dd habeatur, pro *amor* substituimus *timor*, utpote quod obiectioni magis respondet.

[8] Dist. 18. q. 2. et 5.

[9] Dist. 7. q. 2, et ibid. dub. 1.

[10] Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 *dicit.*

[11] Fide vetustiorum mss. et ed. 1 posuimus *donandi* loco *dandi.*

[12] Hic, c. 1. — Mox ex plurimis mss. et ed. 1 substituimus *nihil* pro *non.*

[13] Aliqui codd. ut S X Z *teneatur.*

[14] Hic, q. 4, quae totam huius dubii solutionem magis explicat.

[15] Ex mss. et ed. 1 restituimus particulam *ergo.*

essentialiter, ergo et in passiva, similiter ergo potest dici, quod Pater procedat; dicendum, quod argumentum istud non valet, quia spirare in voce activa convenit duobus, in voce passiva convenit uni soli; sic mittere potest convenire tribus, procedere vero sive mitti duobus tantum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Spiritus sanctus procedit a se.* Videtur enim falsum, quia *procedere* est *produci:* ergo si Spiritus sanctus procedit a se, producitur a se. *Si tu dicas,* quod non dicitur sine determinatione, videlicet *temporaliter;* contra: *temporaliter* est determinatio non diminuens: ergo sequitur de necessitate, si *temporaliter* procedit a se, quod *procedat* a se.

Respondeo: Dicendum, quod sicut dictum est supra [1], processio ratione comparationis ad terminum, in quo suscipitur, creatura scilicet quae sanctificatur, de ratione nominis connotat temporale, et ideo dicitur temporalis. Et quoniam ille effectus temporalis est a Spiritu sancto, ideo et processio, licet non ita proprie sicut de Patre. Nec [2] valet *de productione,* quia *productio* solum dicit comparationem ad *principium a quo* et non connotat effectum. Unde sicut non valet: procedit temporaliter, ergo producitur temporaliter, sic et in proposito.

Dub. V.

Item quaeritur de probatione Magistri, qua probat missionem Spiritus sancti per missionem Filii, ibi: *Ne autem mireris, quod Spiritus sanctus dicitur mitti vel procedere a se. Nam et de Filio* etc. Videtur enim, quod male probet, quia missio dicit subauctoritatem in misso; sed plus est de subauctoritate in Spiritu sancto quam in Filio: ergo plus de ratione missionis: ergo videtur, quod potius deberet procedere e contrario.

Item, missio dicit manifestationem; sed missio Filii manifestata est per missionem Spiritus sancti: ergo manifestior est missio Spiritus sancti: ergo videtur, quod probet ignotum per ignotius [3].

Iuxta hoc quaeritur, de quo proprius dicitur mitti, utrum [4] scilicet de Filio, an de Spiritu sancto? Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod Magister probat missionem Spiritus sancti per missionem Filii, quia magis expressas habet auctoritates ad hoc [5]. Potest tamen nihilominus dici, quod etiam ratiocinando bene procedit. Alia solutio. In missione enim personae est duo considerare: scilicet *emanationem,* ratione cuius est subauctoritas in misso; et quantum ad hoc magis competit Spiritui sancto mitti [6], et quantum ad hoc arguit Magister *a minori:* quod si Filius mittitur a Spiritu sancto et a se, multo fortius et Spiritus sanctus. Est etiam considerare *manifestationem;* et ratione huius magis convenit Filio, quia magis evidenter apparuit mundo, et quantum ad hoc arguit Magister *a manifestiori* [7]*;* et ita peroptime procedit.

Ad illud quod obiicitur, quod Spiritus sanctus manifestat Filium et eius missionem; dicendum, quod hoc non est propter defectum evidentiae a parte missionis Filii, sed propter caecitatem a parte videntium, quam removet gratia Spiritus sancti.

Et sic patet, de quo proprius [8]. Uno enim modo magis competit Filio, alio modo magis Spiritui sancto secundum duas praedictas conditiones. Solutio quaestionis incidentis.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ostendit eo Filium missum, quo factum ex muliere;* quia secundum hoc, cum Spiritus sanctus non sit factus ex muliere, videtur quod non sit missus. *Praeterea,* si Filius [9] est *factus ex muliere,* ergo est factus. *Contra:* in Symbolo [10]: *Non factus.*

Respondeo: Ista non est communis ratio missionis, sed solum missionis visibilis ipsius Filii; et ideo non valet de Spiritu sancto [11].

---

[1] Dist. 14. a. 1. q. 1, et hic q. 2. — Mox ed. 1 *creaturam* pro *creatura.*

[2] Vat. cum cod. cc *Et non* loco *Nec.* Mox post *quo* aliqui codd. ut A G T W Z bb cc cum ed. 1 omittunt *et,* aliqui vero ut F H I dd ponunt *nec* pro *et non.*

[3] Vat. absque auctoritate mss. et sex primarum edd. et minus bene *ignotum.*

[4] In Vat. et cod. cc omittitur *utrum,* quod tamen in aliis codd. et ed. 1 habetur. Nonnulla scripta ut U Y cum ed. 1 paulo ante *per prius* loco *proprius,* sed falso, sicut ex responsione patet.

[5] Exhibemus lectionem maioris partis codd. ut A G H I M O T V W X aa bb etc. et ed. 1, dum Vat. cum aliquibus codd., interpunctione mutata, male habet *auctoritates. Adhuc potest.* Mox post *nihilominus* lectiones codd. variant; alii codd. ut H O T Y Z ff cum ed. 1 exhibent nostram, alii addunt cum Vat. *alio modo,* alii ut A S W perperam *nullo modo,* cod. 1 *nonnullo modo.*

[6] Vat. contra multos codd. et ed. 1 *convenit* pro *competit,* quae et dein, mutata interpunctione, ponit *Spiritum sanctum mitti,* sed nostram lectionem exhibent explicite multi codd. cum ed. 1; aliqui propter abbreviationem dubiae sunt lectionis. Paulo infra post *multo fortius et* cod. 1 addit *a se,* dum cod. dd habet *multo fortius Spiritus sanctus mittitur a se.*

[7] In mss. et edd. 1, 2, 3 *minori* pro *manifestiori,* sed falso. Cod. dd ultimas propositiones ita exhibet: *Est etiam considerare manifestationem apparentis, et ratione huius magis convenit Filio, quia apparuit benignitas Filii evidenter mundo in unione carnis, et quantum ad hoc arguit Magister a manifestiori et taliter peroptime procedit. Et per hoc patet ad primum obiectum. Ad illud quod secundo obiicitur* etc.

[8] Vat. sibi non constans et contra plurimos codd. nec non ed. 1 *prius;* pauci codd. *per prius,* quod tamen cum subnexis minus convenit. Cod. dd: *Sic etiam patet, de quo proprius dicatur missio.* Mox post *alio modo* ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *magis.*

[9] In cod. W additur *Dei.*

[10] Vat., obnitentibus mss. et sex primis edd., *per Symbolum.*

[11] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *se* pro *Spiritu sancto.*

Ad illud quod obiicitur, quod est *factus*[1]; dicendum, quod illud est intelligendum secundum humanam naturam; et ideo oportet addere determinationem, ut dicatur factus *ex muliere*, vel *secundum humanam naturam*, quia simpliciter propter errorem Arii vitandum non recipit eam[2] eloquium ecclesiasticum.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XV.

Pars II.

De missione Filii et Spiritus sancti quantum ad modum, qui duplex est, visibilis scilicet et invisibilis.

Hic quaeritur, utrum semel tantum sit missus Filius.

HUIUS PARTIS TEXTUM VIDE SUPRA P. 257.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de missione quantum ad *principium*, hic agit de ea quantum ad *modum*, qui duplex est, scilicet visibilis et invisibilis. Et quoniam isti modi conveniunt missioni Filii et Spiritus sancti, ideo Magister *primo* assignat eos circa missionem Filii; *secundo* circa missionem Spiritus sancti, infra in principio decimae sextae distinctionis: *Nunc de Spiritu sancto videndum est* etc.

Prima pars habet quatuor partes. In prima[3] ostendit auctoritate Augustini, quod Filius duobus modis missus est, scilicet visibiliter et invisibiliter. In secunda assignat duplicem differentiam istorum duorum modorum[4], ibi: *Ecce distincti sunt duo modi missionis Filii.* In tertia vero movet dubium quoddam, quod habet ortum ex praedeterminatis, ibi: *Hic quaeritur, cur Pater non dicitur missus.* In quarta vero removet sive docet errorem cavere, procedentem ex illius dubii solutione, ibi: *Ideoque putaverunt quidam haeretici.* Ex hoc enim, quod dixerat, Patrem non mitti, posset quis credere, in divinis non esse aequalitatem. Ad hoc respondens Magister dicit, quod hoc non est propter inaequalitatem, sed propter principii auctoritatem sive connotationem.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae dicuntur in parte ista, tria quaeruntur de missione Filii invisibili, quia de visibili agetur in tertio. Et quia missio invisibilis Filii similis est missioni invisibili Spiritus sancti, ideo simul quaeritur de utraque.

Primo quaeritur, utrum haec missio sit secundum dona gratiae gratum facientis, vel gratiae gratis datae.

Secundo quaeritur, utrum secundum eadem dona gratiae dicatur mitti Filius et Spiritus sanctus.

Tertio, utrum utraque missio sit secundum eadem dona gratiae augmentata.

---

[1] Errorem, qui in mss. et edd. irrepsit, scil. post *quod* addendo *non*, quique ortus esse videtur ex permutatione ultimae obiectionis cum propositione post *Contra*, emendavimus eliminando particulam *non*, quae etiam in cod. H expuncta conspicitur. Idem dubium recurrit III. Sent. d. 1. dub. 2, ex quo emendatio a nobis facta comprobatur. Cod. I legendo *non factus* paulo infra ponit *divinam* pro *humanam*, sed cum subnexis incohaerenter. Vat. *non est intelligendum nisi* loco *est intelligendum*, sed absque fide mss. et ed. 1. — Cod. cc cum ed. 2 retinet *non*, sed omittit *nisi*, at contra subnexa.

[2] Nempe propositionem, quae est: *Filius est factus.*

[3] Fide mss. et ed. 1 removimus verba *praemissa quaestione*, quae Vat. hic addit.

[4] In Vat. hic additur *unam*, et mox post *Filii* adiungitur *Aliam ibi: Praeterea notandum;* sed obstant mss. cum ed. 1.

ARTICULUS UNICUS.

De missione invisibili tum Filii tum Spiritus sancti.

QUAESTIO I.

Utrum missio invisibilis sit secundum dona gratiae gratis datae, vel gratum facientis.

Circa primum, quod haec missio sit secundum dona gratiae gratis datae, ostenditur sic.

Ad opposi-tum. 1. Rabanus[1] dicit de Spiritu sancto, quod ter datus est Spiritus sanctus. Et primo dicit, ipsum esse datum ad miraculorum operationem; constat autem, quod miraculorum operatio est gratia gratis data: ergo etc.

2. Item, Spiritus sanctus datur, cum datur donum prophetiae. Unde primo Regum decimo[2]: *Factus est spiritus Domini super Saul, et prophetabat;* sed donum prophetiae datur frequenter his qui non habent gratiam gratum facientem, sicut patet de Saul per textum: ergo etc.

3. Item, quod Filius mittatur secundum dona gratiae gratis datae, videtur. Tunc enim Filius dicitur mitti, quando fit revelatio occultorum; sed revelatio occultorum potest fieri sine dono gratiae gratum facientis: ergo etc.

4. Item, Augustinus dicit et habetur in praesenti distinctione[3], quod «tunc Sapientia mittitur, cum a cuiusquam mente percipitur», sive cum alicui innotescit; si ergo percipitur et innotescit per dona gratiae gratis datae, ut per fidem informem: ergo videtur in illis dari: ergo etc.

Contra: 1. Augustinus[4] dicit, quod tunc datur

Fundamenta. Spiritus sanctus alicui, cum sic datur, ut eum faciat Dei et proximi dilectorem, hoc est dicere, quando datur homini caritas; sed caritas non est nisi gratiae gratum facientis: ergo etc.

2. Item, hoc ipsum videtur de Filio, quia dicitur Sapientiae septimo[5]: *In animas sanctas se transfert, et amicos Dei constituit;* sed amici Dei non dicuntur sine gratia gratum faciente: ergo etc.

3. Item, *ratione* ostenditur sic[6]: tunc datur vel mittitur Spiritus sanctus, quando habitat in homine; sed non dicitur habitare in homine sine gratia gratum faciente: ergo etc.

4. Item, cum mittitur Filius vel Spiritus sanctus ad aliquem, non mittitur, ut sit[7] ubi prius non erat, sed ut sit in eo aliter quam prius; sed novus modus essendi, addens supra esse per naturam, non est nisi per gratiam gratum facientem: ergo etc.

CONCLUSIO.

In missione invisibili utraque persona non datur simpliciter, nisi dono gratiae gratum facientis, secundum quid vero datur etiam per gratiam gratis datam.

Respondeo: Ad hoc distinguunt aliqui, quod Spiritum sanctum dari vel mitti invisibiliter, hoc[8] potest esse vel in quantum *Spiritus,* vel in quantum *sanctus.* In quantum *Spiritus,* datur per donum gratiae gratis datae; in quantum *sanctus* vel[9] sanctificans, datur per dona gratiae gratum facientis. Similiter Sapientia vel Filius potest mitti vel prout *faciens sapere,* et sic per dona gratiae gratis datae; vel prout *sapientia* dicta est a *sapore,* et sic per dona gratiae gratum facientis. Sed istud non videtur solvere, quia dantem oppositum istius solutionis est possibile adhuc solvere[10] et quaerere de Spiritu et Verbo, quomodo dicatur dari et non inhabitare. Solutio quorundam. Non probatur.

Propter hoc aliter dicendum tam de Filio quam de Spiritu sancto, quod[11] *dari* vel *mitti* est dupliciter: vel *simpliciter,* vel *ad hoc.* Tunc datur *simpliciter,* quando simpliciter habetur, videlicet non tantum ad usum, sed ad fructum; hoc autem est solum per dona gratiae gratum facientis, et ideo solum in illa datur simpliciter vel Filius vel Spiritus sanctus. Alio modo dicitur dari *ad hoc,* quando non ad fructum, sed ad auxilium sive ad aliquem usum aliqua dona donantur; et hoc quidem[12], cum dantur aliqua dona gratiae gratis datae, in quibus ma- Vera solutio. Conclusio 1. Conclusio 2.

[1] Vide supra d. 14. dub. 4.

[2] Vers. 10, ubi Vulgata habet: Et insiluit super eum spiritus Domini et prophetavit in medio eorum.

[3] Cap. 7. — Paulo infra post *ergo percipitur* unus alterque codex ut I T *sive* loco *et.*

[4] Libr. XV. de Trin. c. 17. n. 31: Spiritus sanctus... cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem Dei et proximi, et ipse dilectio est. — Vat., obnitentibus mss. et sex primis edd., *per Augustinum dicitur,* et mox, refragantibus antiquioribus mss. et ed. 1, *hominibus* pro *homini.*

[5] Vers. 27, ubi Vulgata post *transfert,* omissa particula *et,* prosequitur: amicos Dei et Prophetas constituit.

[6] Supplevimus ex vetustioribus codd. et ed. 1 *sic.*

[7] Fide mss. et edd. 1, 2, 3 removimus in Vat. additum *ibi.* Mox ed. 1 *sed ut insit* loco *sed ut sit.*

[8] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 adiecimus *hoc.* Mox post *esse* cod. A addit *dupliciter.*

[9] Fide multorum codd. ut F G H I M P Q X Z aa ee ff et ed. 1 adiunximus *sanctus vel;* aliqui codd. ut F P Q loco *vel* habent *id est.* Paulo ante plures codd. ut H M P Q T X Z aa ee cum ed. 1 post *datae* addunt *sed.*

[10] Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.), cuius verba vide supra d. 4. dub. 3.

[11] Cod. A satis bene *scilicet quod.*

[12] Ita plurimi antiquiorum mss. cum ed. 1, sed Vat. cum cod. cc loco *quidem* habet *fit;* cod. X *quando* pro *quidem cum.*

nifestatur Filius vel Spiritus sanctus; et sic procedunt rationes ad primam partem.

Solutio oppositorum. 1. Nam[1] sic intelligendum est verbum Rabani; ipse enim *communiter* loquitur de missione; unde dicit, Spiritum sanctum ter datum. Augustinus autem solum loquitur de datione vel missione, quae est ad habitandum vel simpliciter habendum.

2. Ad illud quod obiicitur de prophetia, dicendum, quod *uno* modo datur in ea Spiritus sanctus simpliciter, prout ipsa dicit cognitionem secundum idoneitatem suscipientis et secundum pietatem[2] exsequentis. *Alio* modo, prout est revelatio[3], non datur in ea Spiritus *simpliciter* sive non mittitur nisi *ad hoc*. Notandum. Unde non dicitur in libro Regum, quod Spiritus sanctus sit missus *ad* Saul, vel factus *in* Saul, sed *super* Saul.

3. Ad illud quod obiicitur, quod mittitur Filius, cum est[4] revelatio occultorum; dicendum, quod hoc non est in quacumque revelatione; nam aliqua fit revelatio, non per missionem Filii, sed per missionem Angeli; — multa enim revelantur ab Angelis[5]; — sed intelligitur de illa revelatione, in qua est animae illustratio per gratiam; et si per gratis datam, non simpliciter mittitur, sed si per gratum facientem, tunc simpliciter mittitur et habetur.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod tunc mittitur, quando percipitur; dicendum, quod non sufficit cognoscere Filium, quod sit ab alio, immo oportet, quod cognoscat, quod sit in ipso ut in suo habitaculo. Hoc autem dico non cognitione necessitatis, sed coniecturae[6], nec de cognitione actuali, sed de habituali.

SCHOLION.

I. Antiquiores Scholastici gratiam *gratis datam* accipiebant in sensu largiore, quam moderni theologi, ita ut omnem gratiam *actualem*, quatenus distinguitur a gratia *sanctificante*, sub hoc nomine complecterentur (cfr. II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in *corp.* et alibi passim). — Distinctio in corp. posita inter *dari simpliciter* et *ad hoc* eadem est ac *simpliciter* et *secundum quid*.

II. Primam opinionem, quae etiam attribuitur B. Alberto (I. Sent. d. 17. a. 9.), S. Doctor non approbat. B. Albert. sic dicit: « Dicendum, quod, ut puto, non dicetur mitti, nisi in caritate simpliciter, sed secundum quid in aliis, ut mittatur videlicet in aliis ut *Spiritus* est, et non ut *sanctus* est ». Sed haec sententia Alberti in re non videtur esse alia a communi. S. Bonav. suam opinionem iuxta distinctionem ibi factam duplici conclusione proponit, scil. quod proprie et simpliciter Spiritus sanctus non mittitur nec datur nisi per donum gratiae sanctificantis. Ratio est, quia sine hoc dono et caritate non habemus facultatem fruendi Spiritu sancto. Quod explicat S. Thom. (S. I. q. 43. a. 3.) his verbis: « Super modum communem (quo Deus est in rebus) est unus specialis, qui convenit naturae rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante. Et quia cognoscendo et amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo ». *Improprie* tamen, sive « extenso nomine missionis » (ut loquitur Alex. Hal.), aliquando dicitur mitti Spiritus sanctus ad aliquem actum gratiae actualis vel gratis datae. In hac doctrina consentiunt Alex. Hal., S. Thom., Scot., Richard. aliique innumeri.

III. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 73. m. 4. a. 2. — S. Thom., hic q. 4. a. 1; S. I. q. 43. a. 3. — B. Albert., de hac et seq. hic a. 16. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., I. Sent. d. 14. a. 2. q. 2. — Ægid. R., d. 14. secunda princ. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 3. — Biel, de hac et seq. I. Sent. d. 14. q. 1. 2.

QUAESTIO II.

Utrum Filius et Spiritus sanctus secundum eadem dona gratiae mitti dicantur.

Secundo quaeritur, utrum secundum eadem dona gratiae dicantur mitti Filius et Spiritus sanctus. Et quod non, videtur hoc modo.

Ad oppositum. 1. Missio Spiritus sancti est eius donatio, et similiter Filii[7]; sed alia est missio Filii et Spiritus sancti: ergo alia donatio: ergo secundum aliud donum.

2. Item, hoc ipsum videtur *per simile*, quia sicut se habet missio visibilis Filii ad missionem visibilem Spiritus sancti, ita etiam et invisibilis; sed missio visibilis Filii et Spiritus sancti est secundum alium et alium effectum et signum in creatura: ergo invisibilis secundum aliud et aliud donum.

3. Item, missio est ad cognoscendam emanationem et discernendam[8]; si ergo Filius discernitur ab effectu, in quo mittitur, et Spiritus sanctus; et huius-

---

[1] In Vat. desideratur *Nam*, quod tamen in mss. et tribus primis edd. habetur. Paulo infra maiorem partem codd. ut CG HIRSTUVW aa bb cc ee ff cum ed. 1 secuti, substituimus *Spiritum sanctum ter datum* pro *Spiritus sanctus ter datur*. Mox post *autem* ope plurimorum mss. et ed. 1 supplevimus *solum*, pro quo aliqui codd. ut AVX *solummodo*. Dein plures codd. ut AGIKT etc. *inhabitandum* pro *habitandum*.

[2] In cod. K adiicitur *exponentis vel*.

[3] Fide mss. et edd. 1 delevimus hic in Vat. non bene additum *et sic*. — Cfr. August., II. ed Divers. QQ. ad Simpl. q. 1.

[4] Mss. cum ed. 1 *est* loco *fit*. Paulo infra cod. X *aliquando* pro *aliqua*.

[5] Quia lectio antiquiorum mss. et ed. 1 *multa enim revelant* est incompleta, probabiliter siquidem excidit verbum *Angeli*, reliquimus lectionem Vat.; cod. cc et ed. 2 *revelantur Angelis*, sed perperam. Paulo infra pauci codd. ut AIS cc cum ed. 1 male *et sic* loco *et si*.

[6] Cod. X *convenientiae*, cod. Z *congruentiae*.

[7] Cfr. supra q. 1.

[8] Vide supra p. I. q. 1. 3. 4. huius dist. — Mox cod. H *per effectum*, cod. T *in effectu* pro *effectu*. Circa finem argumenti post *Filius* in cod. bb additur *et*.

modi sunt dona gratiae: ergo quantum ad aliud donum mittitur Filius, quantum ad aliud Spiritus sanctus.

4. Item, non est idem appropriatum Filio et Spiritui sancto, sed aliud in creaturis [1]: ergo cum Filius dicatur mitti in effectu sibi appropriato, in alio effectu vel dono mittitur Filius quam Spiritus sanctus.

Fundamenta. CONTRA: 1. Omnis donorum distributio tam gratiae gratis datae quam gratiae gratum facientis attribuitur Spiritui sancto, maxime dona gratiae gratum facientis, sicut patet primae ad Corinthios duodecimo [2]: ergo cum Spiritus sanctus mittatur in donis sibi appropriatis, in omnibus donis mittitur: ergo in eisdem, in quibus Filius.

2. Item, Filius mittitur, cum sapientia datur, et similiter Spiritus sanctus, quia praecipuum donum Spiritus sancti est sapientia: ergo etc.

3. Item, quandocumque datur cognitio, dicitur mitti Filius: sed in hoc eodem dono datur vel mittitur Spiritus sanctus, Ioannis decimo sexto [3]: *Cum venerit ille, docebit vos omnem veritatem:* ergo etc.

4. Item, quandocumque caritas datur, mittitur Spiritus sanctus; sed in hoc dono datur Filius, Sapientiae septimo [4]: *In animas sanctas se transfert et amicos Dei constituit;* et Augustinus in quarto de Trinitate [5] exponit illud de missione Filii: ergo etc.

CONCLUSIO.

Missiones Filii et Spiritus sancti in se et quoad radicem donorum sunt indivisae; distinguuntur tantum quoad habitus et actus consequentes.

RESPONDEO: Dicendum, quod in missione invisibili est donorum collatio, in quibus est *manifestatio* et *inhabitatio.* Et secundum hoc intelligendum est, quod est loqui de donis Dei quantum ad *radicem,* vel quantum ad *habitum,* vel quantum ad *actum consequentem.* Distinctio.

Loquendo autem quantum ad *radicem,* sic quia una est gratia gratum faciens, per quam inhabitat Filius et Spiritus sanctus, quae est radix donorum gratuitorum, sic dantur vel mittuntur eodem dono. Conclusio 1.

Loquendo autem quantum ad *habitum,* sic distinguendum, quia [6] quidam habitus sunt *pure affectivi,* quidam *pure cognitivi,* quidam *medii.* In habitibus *pure affectivis* datur sive mittitur Spiritus sanctus, quia ei appropriantur. Conclusio 2. In habitibus *pure cognitivis* nec Filius nec Spiritus sanctus proprie, sicut dictum est [7], mittitur. Conclusio 3. In habitibus autem *partim* cognitivis *partim* affectivis, secundum quod diversa in se continent, et Filius mittitur et Spiritus sanctus. Conclusio 4. Nam cognitivi ducunt in manifestationem Verbi, affectivi in manifestationem Amoris.

Si autem loquamur quantum ad *actus consequentes,* qui sunt illuminatio intellectus et affectus inflammatio, sic vocando donum, in aliis et aliis donis mittuntur. Conclusio 5.

Sed quoniam ista [8] coniuncta sunt, ideo missio Filii et Spiritus sancti invisibilis sunt indivisae, et secundum hoc procedunt rationes ad oppositas partes. Conclusio 6. Tamen illud quod adducit *pro simili* in missione sensibili, nequaquam est simile, quia non est tanta unio et connexio in signis exterioribus, quanta est in habitibus interioribus. Solutio ad 2. oppositum.

SCHOLION.

I. Quoad missionem *simpliciter* dictam, quae est secundum gratiam sanctificantem, omnes concorditer asserunt, missiones utriusque personae esse indivisas; sed quoad missionem improprie dictam sive *secundum quid* aliqui cum Alex. Hal. (S. p. I. q. 73. m. 2. a. 3.) dicunt, utramque personam aliquando simul mitti vel dari, non tamen semper. Hoc explicat Alex. Hal. (loc. cit.) sic: « Cum missio passive dicta sit processio manifestata in effectu appropriato personae vel manifestatio processionis; cum processio Filii non sit processio Spiritus sancti, nec idem effectus, in quo manifestatur utraque processio, ratione cuius dicitur mitti Filius vel Spiritus sanctus, immo unus effectus possit esse sine alio, et manifestatio unius processionis sine manifestatione alterius: ideo potest esse una missio sine alia. Non sic autem est de missione active dicta » etc. Cui sententiae etiam Richard. a Med. adhaeret. Petr. a Tar. vero, Ægid. R. aliique plures hoc non admittunt, nec SS. Bonav. et Thom. sic loquuntur. Dicunt enim, quod quoad actum consequentem, sive effectus gratiae, qui sunt illuminatio intellectus et inflammatio affectus, hae duae missiones differunt, quin tamen una possit esse sine alia.

II. Alex. Hal., l. c. et m. 4. a. 2. — S. Thom., hic q. 4. a. 2; S. I. q. 43. a. 5. praesertim ad 3., ubi fere iisdem verbis ac S. Bonav. utitur. — B. Albert., d. 17. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2; q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1. 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 3.

---

[1] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *creaturis* pro *creatura.*

[2] Vers. 4. seqq.

[3] Vers. 13, ubi Vulgata: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit etc. — Paulo ante Vat. cum cod. cc, antiquioribus tamen mss. et ed. 1 reluctantibus, omittit *eodem.*

[4] Vers. 27. Lectionem Vulgatae vide q. praec. fundam. 2.

[5] Cap. 20. n. 27.: In animas enim sanctas se transfert (Sapientia) atque amicos Dei et Prophetas constituit, sicut etiam implet sanctos Angelos et omnia talibus ministeriis congrua per eos operatur. Cum autem venit plenitudo temporis, missa est, non ut impleret Angelos nec ut esset Angelus, nisi in quantum consilium Patris annuntiabat, quod et ipsius erat; nec ut esset cum hominibus aut in hominibus; hoc enim et antea in Patribus et Prophetis; sed ut ipsum Verbum caro fieret, id est, homo fieret etc.

[6] Ed. 1 *quod* loco *quia.*

[7] Hic q. praecedenti, praesertim ad 2. et 3.

[8] Scil. radix, habitus et actus consequentes donorum. — Paulo infra fide plurium mss. ut C F S Y substituimus *invisibilis* pro *invisibiles.*

QUAESTIO III.

Utrum Filius et Spiritus sanctus mittantur, quando dona gratiae augmentantur.

Tertio quaeritur, utrum missio Filii et Spiritus sancti sit secundum eadem dona gratiae augmentata. Et quod sic, videtur *exemplo, auctoritate* et *ratione.*

Fundamenta. 1. Exemplo sic: constat, in die Pentecostes Apostolis esse Spiritum sanctum missum, non tantum visibiliter, sed etiam invisibiliter, quia missio visibilis sine invisibili non confert; sed ipsi prius habebant gratiam: ergo etc.

2. Item, hoc videtur auctoritate Rabani[1]: « In baptismo datur Spiritus sanctus ad habitationem Deo consecrandam, sed in confirmatione cum omni plenitudine sanctitatis venit in hominem » : ergo datur in confirmatione post baptismum: ergo etc.

3. Item, augmentum gratiae est per gratiae additionem; sed ubi est gratiae additio, ibi est[2] gratiae donatio; sed « Spiritus sanctus mittitur vel datur, cum datur eius gratia », ut dicit Beda[3]: ergo in augmento gratiae datur vel mittitur Spiritus sanctus.

4. Item, non minus donum est caritatem consummare[4] quam inchoare: ergo si mittitur Filius vel Spiritus sanctus, cum gratia inchoatur, multo fortius cum consummatur; sed consummatur per augmentum: ergo mittitur in augmento.

Ad oppositum. Contra: 1. Spiritus sanctus non mittitur in hominem, ut de novo sit in eo, sed ut aliter sit in ipso; sed in eo, in quo augetur gratia, non est aliter quam prius: ergo ad illum[5] non mittitur.

2. Item, si mittitur in augmento gratiae, aut ergo quia de novo mittitur, aut quia abundantius mittitur; *non* quia de novo: ergo quia abundantius. *Sed contra:* mitti est procedere, ergo abundantius mitti est abundantius procedere; sed semper aequaliter procedit: ergo etc.

3. Item, si mittitur in gratiae augmento; cum ergo gratia in nobis quotidie augeatur, etiam homine nesciente, videtur quod Spiritus sanctus vel Filius mittatur, homine nesciente, et[6] quod quotidie mittatur homini; quod non est dicendum.

4. Item, contingit gratiam caritatis in aliquo per negligentiam remitti: ergo si Spiritus sanctus mittitur in augmento, et recedit in remissione: ergo quando aliquis peccat venialiter, perdit Spiritum sanctum: quod falsum est.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus non dicitur mitti, quando solummodo fit profectus in gratia prius habita, sed in collatione novi usus vel novi doni gratuiti dicitur mitti.

Solutio quorundam. Respondeo: Ad hoc dicunt aliqui, quod gratiam augeri est dupliciter, scilicet *perceptibiliter* et *imperceptibiliter.* Si *perceptibiliter,* tunc dicunt, in tali augmento dari vel mitti Filium et Spiritum sanctum; si autem *imperceptibiliter,* tunc dicunt, ipsum non mitti. Et ratio huius est, quia tunc dicitur dari vel mitti, cum mente percipitur.

Solutio auctoris. Sed aliter potest dici, quod augmentum gratiae est dupliciter: aut secundum *profectum* in gratia prius habita et[7] eius usu, aut per *collationem novi usus* vel etiam *doni* gratuiti. Si solum per *profectum,* sicut ostendunt ultimae rationes, non dicitur mitti Spiritus sanctus. Si autem per *collationem novi doni,* sicut fuit in[8] Apostolis in die Pentecostes, vel *novi usus,* sicut est in confirmatione; tunc potest dici mitti vel dari Spiritus sanctus, quia aliquo modo est ibi de novo quantum ad illud donum vel usum doni, et quia abundantius est.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod non est ibi alio modo essendi; dicendum, quod etsi hoc[9] non sit alio modo essendi, est tamen perfectiori modo inhabitandi et alio modo utendi, et ideo novo modo.

2. Ad illud quod obiicitur[10], si abundantius mittitur, abundantius procedit; dicendum, quod mitti abundantius vel procedere est dupliciter: vel *ab hoc,* vel *in hoc;* primo modo uniformiter est mitti, secundo modo non.

---

[1] Libr. I. de Cleric. instit. c. 30: Signatur enim baptizatus cum chrismate per sacerdotem in capitis summitate, per pontificem vero in fronte, ut priori unctione significetur Spiritus sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam, in secunda quoque, ut eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis et scientiae et virtutis venire in hominem declaretur.

[2] A Vat. et cod. cc abest verbum *est,* quod tamen in ceteris mss. et ed. 1 invenitur.

[3] Libr. II. Homil. 10: Cum enim eiusdem Spiritus gratia datur hominibus, mittitur profecto Spiritus a Patre. Cfr. supra p. 242, nota 3.

[4] Praeferendo ed. 1 lectionem, utpote quae ex ipso contextu vera comprobatur, posuimus in hoc argumento ter *consummare* loco *conservare,* quod Vat. cum mss. exhibet.

[5] Ex antiquis mss. et ed. 1 substituimus *illum* pro minus apto *illud,* et paulo ante *quam* loco *ut.*

[6] Plurimi codd. cum ed. 1 loco *et* ponunt *eo,* quae tamen lectio et vim obiectionis elidere et responsioni infra positae minus congruere videtur. — Paulo supra post *etiam* codd. L O adiungunt praepositionem *in.*

[7] Vat. cum cod. cc, aliis autem codd. cum ed. 1 obnitentibus, pro *et* ponit *aut,* quo membra disiunctionis confunduntur.

[8] Supplevimus ex mss. et ed. 1 *in.*

[9] In codd. variae exstant lectiones; nam aliqui codd. ut gg legunt *ibi* pro *hoc,* alii vero ut ff *in hoc,* ed. 1 autem omittit *hoc;* multi tandem *quod si* loco *quod etsi,* licet minus bene.

[10] Nonnulla scripta ut I K P Q V X addunt *quod.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod quotidie augetur; dicendum, quod quotidie augetur quantum ad fervorem, sed non quantum ad novorum donorum vel usuum collationem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod gratia remissa debet recedere; dicendum, quod, sicut infra patebit [1], gratia augetur quantum ad substantiam, sed non remittitur nisi solum quantum ad fervorem; Spiritus autem sanctus [2] *mitti* non dicitur in augmento fervoris, sed solum substantiae caritatis.

SCHOLION.

I. Sensus quaestionis est, utrum semper mittantur Filius et Spiritus sanctus, quotiescumque dona vel gratia augentur. — Prima opinio, quam S. Doctor nec approbat nec reprobat, est B. Alberti, Richardi aliorumque. Ipse vero respondet sub alia distinctione et bimembri conclusione, ut patet ex textu. — Verba in solut. ad 1. et ad ult., quae videntur insinuare, quod in omni augmento gratiae sanctificantis sit missio, intelligi debent secundum doctrinam in corp. positam. Sententiam Seraphici sequitur S. Thomas, qui tamen in Comment. addit: « Quidam dicunt, quod in omni augmento gratiae gratum facientis sit missio divinae personae, quod et sustineri faciliter potest ».

II. Alex. Hal., S., p. I. q. 73. m. 4. a. 3. — S. Thom., hic q. 5. quaestiunc. 2; S. I. q. 43. a. 6. ad 2. — B. Albert., hic a. 19; d. 17. a. 9. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. coll. 1. — Dionys. Carth., hic q. 3. in fine.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de *situ* primi capituli huius partis. Videtur enim, quod Magister non debeat hic ponere tractatum de missione Filii, quia missio Filii est incarnatio; sed de eius incarnatione agetur [3] in tertio: ergo ibi deberet agere de missione, non hic.

Respondeo: Dicendum [4], quod Magister incidenter introducit hic tractatum de missione Filii propter explicationem missionis Spiritus sancti. Posset tamen dici, quod Magister hic agit de missione Filii in mentem principaliter, sed de missione Filii in carnem per accidens, ut distinguat a missione Filii in mentem. De illa autem missione, quae est in carnem, specialiter et principaliter agit in tertio, et ideo [5] aliter ibi quam hic. *Aliter.*

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non eo ipso, quod de Patre natus est, missus dicitur Filius.* Videtur enim dicere falsum et contra Gregorium [6], qui dicit: « Eo modo mittitur Filius, quo generatur ».

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus loquitur cum praecisione, ut intelligatur: *non eo ipso tantum;* Gregorius autem cum praesuppositione manifestationis. *Alia solutio.* *Vel aliter:* Augustinus loquitur de generatione aeterna, Gregorius de temporali; unde nulla ibi [7] est omnino contradictio.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *ante incarnationem missus est ad omnes Sanctos, qui ante fuerunt.* Quaeritur ergo, utrum post incarnationem plenius sit datus Filius et Spiritus sanctus. Et quod sic, videtur, quia status Legis fuit status imperfectionis, status Evangelii status perfectionis. Lex enim neminem duxit ad perfectionem [8], sed Evangelium dicit: *Estote perfecti*, Matthaei quinto [9]: ergo etc.

Item, de Spiritu sancto videtur hoc specialiter, quia scribitur Ioannis septimo [10]: *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus;* hoc non dicitur, quod nullo modo ante fuerit datus, sed quia non ita abundanter: ergo etc.

Item, maior cognitio et dilectio est tempore Legis gratiae, quam tempore Legis scriptae: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod *plenius dari* potest dupliciter intelligi: aut *intensive*, aut *extensive*. *Distinctio 1.* Si *extensive*, sic pluribus datus est Spiritus sanctus tempore Legis gratiae, quia *in omnem terram exivit sonus eorum* [11] etc., non tantum ad unam gentem. Si *intensive*, hoc est quantum ad *generalem statum*, aut quantum ad *speciales personas;* *Subdistinctio.* quantum ad generalem statum in novo Testamento,

---

[1] Dist. 17. p. II. q. 1. et 3.

[2] Vat, contra codd. et ed. 1 et aliter quam supra in corp. hic legit *Spiritum autem sanctum.* Mox post *fervoris* cod. Y addit *nec in aliquo alio augmento.*

[3] Adstipulantibus vetustioribus mss. et ed. 1, posuimus *agetur* pro *agitur.* Paulo infra post *non* cod. V satis bene addit *autem.*

[4] Supplevimus ex antiquis codd. et ed. 1 *Dicendum,* et mox substituimus *hic* loco *hunc.*

[5] Ed. 1 *ita* pro *ideo.*

[6] Hom. 26. in Evang. Cfr. p. I. huius d. q. 2. arg. 1. ad opp.

[7] Ad fidem antiquiorum mss. et ed. 1 adiecimus *ibi.*

[8] Epist. ad Hebr. 7, 19: Nihil enim ad perfectum adduxit lex.

[9] Vers. 48.

[10] Vers. 39. — Mox unus alterque codex ut A cum ed. 1 *quia* loco *quod,* sed minus bene.

[11] Psalm. 18, 5. — Mox post *hoc est* Vat. addit *dupliciter aut,* quod deest in mss., licet aliqui eorum ut V X Y habeant cum ed. 1 *aut hoc est quantum.*

quantum ad speciales personas in veteri Testamento; et sic se habent ut excedentia et excessa, quia in veteri Testamento fuerunt aliqui viri Evangelici; et sic procedunt rationes ad utramque partem. In veteri enim [1] Testamento fuerunt aliqui abundantes in sapientia, ut Salomon, aliqui in patientia, ut Iob, aliqui in mansuetudine, ut Moyses, aliqui in fide, ut Abraham, aliqui in devotione, ut David, aliqui in miraculorum operatione [2], ut Elias.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, *quod missus est ad Angelos.* Videtur enim falsum, quia Angelus dicitur nuntius seu missus: sed ad missum non est missio: ergo etc. *Si tu dicas,* quod alio modo mittitur; *contra:* qui semper est praesens non indiget missione; sed Angelus semper contemplatur Deum ut praesentem: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod missio Sapientiae sive Filii est ad creaturam illustrandam, sicut missio Spiritus sancti ad creaturam sanctificandam. Et quoniam Angeli nec ex se fuerunt sapientes nec ex se fuerunt sancti, ideo oportuit, quod a principio mitteretur eis Sapientia, quae est Filius, et etiam [3] Spiritus sanctus. Unde Augustinus [4] loquitur pro statu glorificationis; proprie autem non dicitur mitti nunc, nisi dicatur large mitti ad manifestationem alicuius occulti [5].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Secundum quod aliquid aeternum mente capimus, non in hoc mundo sumus.* Videtur enim falsum dicere, quia aut hoc [6] dicit secundum *animam,* aut secundum *carnem.* Non secundum *carnem,* hoc constat: ergo secundum *animam:* ergo videtur, quod anima, quando Deum cognoscit, sit in caelo sive extra mundum. Item hoc videtur ratione, quia capere aeternum, est magis capi: ergo si quod capitur a capiente locatur, ergo anima locatur in aeternitate, ergo extra tempus. *Praeterea,* quod cognoscitur et amatur, aut trahitur ad cognoscentem et amantem, aut e converso [7]; sed dum Deum amamus et cognoscimus, non trahimus Deum ad nos, sed nos ad Deum, sicut dicitur in quarto de Divinis Nominibus [8]: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod locus habet naturam continentis et quietantis [9]. Esse ergo in hoc mundo est dupliciter: aut quantum ad *veritatem* et continentiam, aut quantum ad *quietem.* Augustinus autem loquitur non primo [10] modo, quod anima et corpus *vere* egrediantur hunc mundum, dum mente capit Deum, sed intelligit quantum ad *quietem,* quia affectus animae non requiescit in temporalibus, quibus superfertur, sed in aeternis [11], et quantum ad hoc intelligit Dionysius. — Et secunda ratio intelligitur, quod amatum trahit, non localiter mutando, sed sibi conformando, quia amans transformatur in amatum, et cognoscens conformatur cognito [12]. *Duplex effectus loci.*

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus: *Pater est principium totius Divinitatis, vel si melius dicitur, Deitatis.* Videtur enim male dicere, quia aut hoc est per generationem, aut per spirationem. Sed si hoc: ergo Pater generat vel spirat Deitatem, quod est contra Magistrum, supra distinctione quinta [13], ubi dicit, quod essentia nec generat nec generatur. — *Praeterea* quaeritur, quare dicit: «Vel si melius dicitur Deitatis»? *Quaestio incidens.*

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus non

---

[1] Vat. cum cod. cc minus bene omittit *enim*, quod tamen exstat in aliis codd. et ed. 1.

[2] Vat. *opere* pro *operatione*, sed castigatur ope mss. et ed. 1. — Quaestionem hic propositam invenies fusius pertractatam apud Alex. Hal., S. p. I. q. 73. m. 2. a. 4. — S. Thom., hic q. 5. a. 2. — B. Albert., hic a. 18. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 5.

[3] In Vat. et cod. cc incongrue deest *etiam*, quod in ceteris codd. et ed. 1 invenitur.

[4] Libr. IV. de Trin. c. 20. n. 27, ex quo textus huius dubii sumtus est; vide lit. Magistri, c. 8.

[5] De hoc specialiter agunt Alex. Hal., S. p. I. q. 73. m. 3. a. 2. — S. Thom., hic q. 5. a. 1. quaestiunc. 3. — B. Albert., hic a. 19. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. quaestiunc. 2. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1. collat. 2. — Dionys. Carth., hic a. 5. q. 1.

[6] Supplevimus fide vetustiorum mss. et ed. 1 *hoc*.

[7] Quoad primam partem huius propositionis sequimur lectionem multorum mss. ut F G H I K N T X Y Z dd ee ff, dum Vat. falso habet *quod cognoscit et amat*, et ed. 1 *quod cognoscitur et amat*. Quoad secundam vero partem exhibemus lectionem cod. Y, quae et in se distinctior est et cum subnexis concordat, a qua non multum dissidet lectio cod. M *trahitur ad cognoscentem et in amantem;* pro quo maior pars mss. cum ed. 1 *trahitur a cognoscente in amantem*, Vat. autem cum aliquibus codd. *trahitur a cognoscente et amante.* — Mox ed. 1 *cum* loco *dum*, et paulo infra post *sed nos* in cod. dd additur *trahimur*.

[8] Cap. 3. § 1: Non ut trahentes ubique praesentem, et nusquam virtutem, sed ut memoriis et invocationibus nosmetipsos iniungentes ei et adunantes.

[9] Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 41. et 48. (c. 4. et 5.).

[10] Vat. praeter fidem mss. et edd. 1, 2, 3, 6 *proprio* loco *primo*, sicuti et mox contra plures vetustiores codd. ut A G T Z dd. *egrediatur* pro *egrediantur*.

[11] Mss. cum quinque primis edd. transponunt verba *sed aeternis* post *in temporalibus*, sed minus bene, eo quod verba immediate sequentia *quibus superfertur* tunc in sensu parum usitato accipienda essent, scil. in hoc: *per quae affectus fertur super temporalia*, qui non concordat cum modo loquendi alias a S. Doctore usurpato respectu huius verbi *superferri*, cfr. infra d. 17. p. I. dub. 5, ubi habetur *superferri passionibus.* — Mox Vat. absque auctoritate codd. et ed. 1 *intelligitur* pro *intelligit.*

[12] Eadem Augustini verba exponunt S. Thom., hic q. 5. a. 3. — B. Albert., hic a. 20. — Petr. a Tar. et Richard., hic circa lit. — Dionys. Carth., hic q. 5. in fine.

[13] Cap. 1. — Paulo ante ed. 1 *et* loco *vel.*

simpliciter dicit, quod sit principium Divinitatis, sed cum hac determinatione, *totius*. Et quoniam in simplicissimo non cadit aliqua totalitas, nisi extenso nomine totalitatis ad personarum pluralitatem, ideo Deitas sive Divinitas stat ut in personis; tamen quia non potest trahi ad personas, cum sit nomen abstractum, praedictus sermo exponendus est, sicut supra [1] exponit Magister locutiones consimiles.

Solvitur quaestio incidens.

Quod quaeritur: quare dicitur *Deitatis* melius? dicendum, quod *divinum* potest dici de creaturis, secundum quod dicitur homo *divinus;* sed *Deus* solius Dei est proprium; ideo *Deitas* magis proprie dicit formam Dei quam *Divinitas;* ideo melius dicitur *Deitatis* quam *Divinitatis.*

DISTINCTIO XVI.

Cap. I.

De missione Spiritus sancti, quae fit duobus modis, visibiliter et invisibiliter.

Nunc de Spiritu sancto videndum est, praeter illam ineffabilem et aeternam processionem, qua procedit a Patre et Filio, et non a se ipso, quae sit eius temporalis processio, quae dicitur missio sive donatio [1]. Ad quod dicimus, quia sicut Filius duobus modis dicitur mitti: uno, quo visibiliter apparuit, altero, quo invisibiliter [2] castis mentibus percipitur; ita et Spiritus sanctus a Patre et Filio ac a se ipso duobus modis procedere sive mitti sive dari dicitur: uno visibiliter, altero invisibiliter. Datus est enim visibilis creaturae demonstratione, sicut in die Pentecostes aliisque vicibus, et datur quotidie invisibiliter illabendo mentibus fidelium.

De visibili missione.

Et primo agamus de illo missionis modo, qui fit visibili specie. De hoc Augustinus in secundo libro de Trinitate [3] ita ait: « In promptu est intelligere de Spiritu sancto, cur missus et ipse dicatur. Facta est enim quaedam creaturae species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus, sive cum in ipsum Dominum corporali specie columbae descendit, sive cum in die Pentecostes factus est subito de caelo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et visae sunt illis linguae divisae sicut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum. Haec operatio visibiliter expressa et oculis oblata mortalibus missio Spiritus sancti dicta est, non ut appareret eis [4] ipsa substantia, qua et ipse invisibilis et incommutabilis est, sicut Pater et Filius, sed ut exterioribus visis corda hominum commota a temporali manifestatione venientis ad occultam aeternitatem semper praesentis converterentur ». Ecce his verbis aperit Augustinus illum modum missionis, qui visibiliter exhibetur, cum tamen ipse Spiritus in sui natura non videatur, qui nec in illis creaturis magis erat quam in aliis, sed ad aliud. In illis enim erat, ut per eas ad homines veniens [5] ostenderetur esse in illis, ad quos illae creaturae veniebant. Non enim Spiritus sanctus temporali motu tunc venit vel descendit in homines, sed per temporalem motum creaturae significata est spiritualis et invisibilis Spiritus sancti infusio. Et ut apertius dicam, per illum modum missionis Spiritus sancti corporaliter exhibitum monstrata est spiritualis et interior missio sancti Spiritus sive donatio, de qua agendum est.

Cur et Spiritus S. non dicitur minor Patre.

Sed prius quaerendum est, cum Filius dicatur minor Patre secundum missionem, qua in forma creata apparuit, cur et Spiritus sanctus non dicatur similiter minor Patre, cum in forma creata apparuerit [6]. Nam de Filio, quod minor sit Patre secundum formam, qua missus apparuit, aperte ostendit Augustinus in quarto libro de Trinitate [7] dicens: « *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*, usque adeo parvum, ut factum; eo itaque missum, quo factum. Fateamur ergo factum minorem, et in tantum minorem, in quantum factum, et in tantum factum, in quantum missum ». Ecce habes, quia Filius, in quantum est missus, id est factus, minor est Patre. Cur ergo Spiritus sanctus non dicitur minor Patre, cum et ipse creaturam assumserit in qua apparuit?

Aliter Filius assumsit creaturam, aliter Spiritus S.

Quia aliter Spiritus assumsit creaturam, in qua apparuit, aliter Filius. Nam Filius accepit per unionem [8], Spiritus vero non. Filius enim accepit hominem ita, ut fieret homo; Spiritus vero sanctus non ita accepit columbam, ut fieret columba. De hoc Augustinus in secundo libro de Trinitate [9] ita ait: « Ideo nusquam scriptum est, quod Deus Pater maior sit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor Patre, quia non sic est assumta creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicut assumtus est Filius hominis, in qua forma ipsius Verbi Dei persona praesentaretur, non ut haberet Verbum Dei, sicut alii Sancti sapientes, sed quod ipsum Verbum erat. Aliud est enim *Verbum in carne*, aliud *Verbum caro*, id est, aliud est Verbum in homine, aliud Verbum homo. *Caro* enim pro *homine* posita est in eo quod ait [10]: *Verbum caro factum est.* Non ergo sic est

---

[1] Dist. V. c. 1. et 2.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Vat. cum aliis edd., exceptis 1, 8, contra codd. *datio.* Paulo ante codd. ABE repetunt *a* ante *Filio.* Denique post *Ad quod dicimus* edd. 1, 6, 8 *quod* loco *quia.*

[2] Vat. et edd. 2, 4, 5, 9 contra codd. et alias edd. post *invisibiliter* addunt *a;* e contra paulo post ante *se ipso* codd. BCE et edd. 4, 8 omittunt *a.* Mox edd. 1, 7 post *mitti* omittunt *sive dari.* Denique ante *creaturae* edd. 2, 3, 7 legunt *visibiliter* loco *visibilis.*

[3] Cap. 5. n. 10. — Vat. et edd. 4, 6 omittunt *ita* ante *ait.*

[4] Codd. DE cum originali legunt *eius;* cod. A *eis eius.*

[5] Codd. BCDE et edd. 4, 6 *venientes*, referendo hoc participium ad *eas,* quod displicet.

[6] Vat. cum aliis edd. contra codd. et edd. 4, 8 non bene *apparuit.* Paulo ante codd. DE et edd. 4, 8 omittunt *et* ante *Spiritus sanctus.*

[7] Cap. 19. n. 26. — Locus Scripturae est Gal. 4, 4.

[8] Solummodo Vat. et edd. 5, 6 adiiciunt *personae.*

[9] Cap. 6. n. 11. — Vat. et ed. 6 iterum omittunt *ita* ante *ait.*

[10] Ioan. 1, 14.

assumta creatura, in qua apparuit Spiritus sanctus, sicut assumta est caro illa et humana forma ex virgine Maria. Non enim columbam vel illum flatum vel illum ignem beatificavit sibique in unitatem personae coniunxit in aeternum». Ex praedictis aperte ostensum est, secundum quid Filius dicatur minor Patre, et quare Filius dicatur minor Patre, et non Spiritus sanctus.

Cap. II.

Quod Filius secundum quod homo non modo Patre, sed Spiritu sancto etiam minor est.

Notandum autem, quod Filius, secundum quod homo factus est, non tantum Patre, sed Spiritu sancto et etiam se ipso minor dicitur. Et quod etiam se ipso minor dicatur secundum formam servi, Augustinus ostendit in primo libro de Trinitate[1] dicens: «Erraverunt homines, ea quae de Christo secundum hominem dicta sunt, ad eius substantiam, quae sempiterna est, transferentes, sicut illud quod ipse Dominus dicit[2]: *Pater maior me est;* quod propter formam servi Veritas dicit, secundum quem modum etiam se ipso minor est Filius. Quomodo enim non etiam se ipso minor factus est, qui *se ipsum exinanivit, formam servi accipiens*[3]? Non enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat aequalis Patri. In forma ergo Dei Unigenitus Patris aequalis est Patri. In forma servi etiam se ipso minor est. Non ergo immerito Scriptura dicit utrumque, scilicet et aequalem Patri Filium, et Patrem maiorem Filio; illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi intelligitur». De hoc eodem in secundo libro de Trinitate[4] Augustinus ait: «Dei Filius est aequalis Patri secundum Dei formam, in qua est, et minor Patre secundum formam servi, quam accepit, in qua non modo Patre, sed etiam Spiritu sancto, nec hoc tantum, sed etiam se ipso minor inventus est». «Propter quam, ut idem in Epistola ad Maximum[5] ait, non tantum Patre, sed etiam se ipso et Spiritu sancto minor factus est et etiam *minoratus paulo minus ab Angelis*». «Est ergo Dei Filius, ut ipse ait in primo libro de Trinitate[6], Deo Patri natura aequalis, habitu minor, id est in forma servi, quam accepit». His auctoritatibus aperte ostenditur Filius secundum formam servi minor Patre et se ipso et Spiritu sancto.

Solutio Augustini.

Hilarius autem dicere videtur, quod Pater sit maior Filio, nec tamen Filius sit[7] minor Patre. Pater enim dicitur maior propter auctoritatem, quia in eo est auctoritas generationis, secundum quam dicit[8]: *Pater maior me est;* et Apostolus: *Donavit ei nomen, quod est super omne nomen.* Cum ergo ait: Pater maior me est, hoc est ac si diceret, donavit mihi nomen. «Si igitur, inquit Hilarius in nono libro de Trinitate[9], donantis auctoritate Pater maior est, nunquid per doni confessionem minor Filius est? Maior itaque donans est, sed minor iam non est, cui unum esse donatur; ait enim: *Ego et Pater unum sumus.* Si non hoc donatur Iesu, ut confitendus sit in gloria Dei Patris, minor Patre est. Si autem in ea gloria donatur ei esse, qua Pater est, habes et in donantis auctoritate, quia maior est, et in donati[10] confessione, quia unum sunt. Maior itaque Pater Filio est et plane maior, cui tantum donat esse, quantus est ipse; cui innascibilitatis esse imaginem sacramento nativitatis impertit, quem ex se in forma sua generat». Audisti lector, quid super hoc dicat Hilarius, cuius verba, ubicumque occurrerint, diligenter nota pieque intellige.

Aliter loquitur Hilarius.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVI.

De missione Spiritus sancti specialiter, et quidem de visibili.

Nunc de Spiritu sancto videndum est, praeter illam ineffabilem etc.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est secunda pars illius partis, in qua agit de missione quantum ad modum. In hac parte agit de missione Spiritus sancti *specialiter*[1]. Et quoniam missio Spiritus sancti duobus modis est, scilicet visibilis et invisibilis, sicut missio Filii: ideo haec pars habet duas partes. In *prima* agit Magi-

---

[1] Cap. 7. n. 14, sed multis a Magistro omissis. — Paulo ante cod. D *Quod autem* pro *Et quod;* cod. C *Quod.*

[2] Ioan. 14, 28. — Edd. legunt *ait* pro *dicit* contra codd. et originale.

[3] Phil. 2, 7.

[4] Cap. 1. n. 2.

[5] Epist. 170. (olim. 66) n. 9. — Omnes codd. et edd. male citant sic: *in libro contra Maximinum (vel Maximianum);* Vat. *in libr. Epist. ad Maximum.* Maximus fuit medicus ab haeresi Ariana conversus. — In fine huius loci textus S. Scripturae est Hebr. 2, 9: *qui modico quam Angeli minoratus est.*

[6] Cap. 7. n. 14. — Hic Vat. cum ceteris edd. addit *in* ante *natura* contra originale, nostros codd. et etiam contextum, cum sibi correspondeant verba *natura* et *habitu.* Deinde solummodo Vat. et cod. C omittunt *id est.*

[7] Vat. cum plurimis edd., sed contra codd. et edd. 1, 8 omittit *sit.*

[8] Ioan. 14, 28; et mox Phil. 2, 7. — Ed. 8 verbo *dicit* praemittit *ipse Filius,* quod ceterae subaudiunt.

[9] Num. 54. — Textus Scripturae est Ioan. 10, 30.

[10] Contra originale, omnes codd. et edd. 6, 8, 9 Vat. cum aliis edd. male legit *donantis.* Paulo post ead. Vat. et ed. 4 perperam addunt *et* ante *Filio.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Vat. contra auctoritatem omnium codd. et ed. 1 primam propositionem ita exhibet: *Supra egit Magister de temporali*

ster de missione Spiritus sancti visibili. In *secunda* agit de missione [1] invisibili, et hoc infra distinctione decima septima: *Iam nunc accedamus ad assignandum missionem Spiritus sancti.*

Prima iterum pars habet duas. In prima Magister explicat Spiritus sancti visibilem missionem. In secunda ad maiorem explanationem movet et determinat dubitationem quandam, ibi: *Sed prius quaerendum est, cum Filius dicatur minor Patre* etc.

Prima iterum [2] pars habet duas. In *prima* Magister assignat duplicem modum missionis Spiritus sancti secundum duplicem modum missionis Filii. *Secundo* vero prosequitur de altera, scilicet missione visibili, ibi: *Et primo agamus de illo modo missionis, qui fit visibiliter* etc., ubi dicit, quod missio visibilis est apparitio facta in exteriori signo, per quod monstratur missio interior.

Sed prius quaerendum est, cum Filius dicatur minor Patre etc. Haec est secunda pars distinctionis[3], in qua Magister movet dubitationem, et habet haec dubitatio ortum ex comparatione missionis Filii et Spiritus sancti. Cum enim Spiritus sanctus mittatur visibiliter, sicut et Filius, quaestio est, quare non dicitur minor Patre, ut Filius. Haec autem pars, in qua hanc quaestionem prosequitur [4], habet tres partes. In *prima* opponit et determinat, quod Spiritus sanctus non debet dici ex missione minor, sicut Filius, quia Spiritus sanctus non est unitus. *Secundo* [5], occasione huius adiungit quoddam verum huic annexum, scilicet quod Filius ratione missionis dicitur minor se ipso, ibi: *Notandum autem, quod Filius, secundum quod homo factus est. Tertio* docet sane intelligere quoddam verbum dubium, quod est praesenti considerationi coniunctum, quod dicit Hilarius, scilicet quod Pater secundum divinitatem est maior Filio, et [6] Filius secundum divinitatem non est minor, ibi: *Hilarius autem dicere videtur, quod Pater sit* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad evidentiam huius partis quaeruntur tria de missione visibili:

Primo quaeritur [7], quid sit.

Secundo, ad quid sit utilis.

Tertio quaeritur, quibus modis facta sit.

ARTICULUS UNICUS.

De missione visibili Spiritus sancti.

QUAESTIO I.

Quid sit missio visibilis.

Circa primum proceditur sic.

Ostenditur primo, quod visibilis missio non est aliud quam apparitio exterior.

Ad oppositum. 1. Augustinus [8] dicit, quod « tunc Spiritus sanctus vel Filius mittitur, cum ex tempore cuiusquam mente percipitur »: ergo tunc visibiliter mittitur, cum visibiliter percipitur; sed visibiliter percipitur, cum apparet in creatura visibili: ergo visibilis missio non est aliud quam apparitio.

2. Item, hoc ipsum videtur per *simile*, quia *mitti invisibiliter* non est aliud quam per effectum invisibilem invisibiliter manifestari: ergo *mitti visibiliter* non est aliud quam per creaturam visibilem [9] manifestari: hoc autem non est aliud quam visibiliter apparere: ergo etc.

3. Item, hoc iterum videtur *exemplo*, quia Spiritus sanctus in columbae specie dicitur missus ad Filium, sicut dicit Augustinus, et habetur in littera [10]; sed tunc non fuit facta aliqua donatio Filio, quia plenus fuit semper Spiritu sancto: sed solum exterior apparitio: ergo etc.

SED CONTRA: 1. Quod missionis visibilis non sit tota ratio ipsa apparitio visibilis, videtur, quia [11] Pater in subiecta creatura apparuit, et tamen non di- Fundamenta.

---

processione Spiritus sancti, qua procedit vel mittitur a se ipso, hic agit de eadem quantum ad modum. Et quoniam etc.; sed falso, ut patet ex divisione textus d. 15. p. I. et II.

[1] In Vat. contra mss. deest *missione.*

[2] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *iterum.*

[3] Vat., omissis verbis Magistri, ita propositionem incipit: *Similiter secunda pars, in qua,* et paulo infra ponit *quae habet* loco *et habet haec dubitatio*, obnitentibus mss. et ed. 1.

[4] In Vat. desunt verba *Haec autem pars, in qua hanc quaestionem prosequitur*, quae tamen exstant in mss. et ed. 1.

[5] Codd. cum ed. 1 *Et* pro *Secundo*, sed minus distincte.

[6] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 adiecimus *et.*

[7] Ex vetustioribus mss. et ed. 1 restituimus *quaeritur.* Paulo post in principio quaestionis restituimus ex codd. et ed. 1 verba: *Circa primum proceditur sic*, quae desunt in Vat.

[8] Libr. IV. de Trin. c. 20. n. 28. Vide in lit. Magistri, d. XV. c. 7-9.

[9] Vat. cum codd. cc, aliis tamen codd. et ed. 1 obnitentibus, *visibiliter* loco *visibilem;* melius legeretur *visibilem visibiliter.* Cod. T *effectum* pro *creaturam.*

[10] Hic, c. 1.

[11] Sequimur mss. et quinque primas edd. ponendo *quia* loco *sic.* Paulo infra post *ergo* multi codd. cum edd. 1, 2, 3 falso *prius* pro *plus.*

citur visibiliter missus: ergo plus est missio quam apparitio. *Maior* patet, quia Augustinus dicit secundo de Trinitate [1]: « Temerarium est dicere, Deum Patrem Prophetis et Patribus per aliquas visibiles formas nunquam apparuisse ».

2. Item, Filius et Spiritus sanctus in veteri Testamento multoties apparuerunt visibiliter, et tamen tempore illo neuter dicitur visibiliter missus, sicut dicit Augustinus tertio de Trinitate [2], ubi hanc quaestionem movet: ergo etc.

3. Item, omne quod visibiliter apparet, est corporale, cum sensu percipiatur; sed Deus, cum sit simplex, est omnino incorporalis: si ergo ad Deum non spectat visibiliter apparere, ergo si visibiliter mittitur, missio visibilis non est apparitio. *Si dicas,* quod non apparet in se, sed in effectu; *contra:* sic apparet in omni creatura et semper et ubique: ergo secundum hoc visibiliter mittitur in omni creatura semper et ubique, quod stultum est dicere.

4. Item, ubi est missio, ibi est manifestatio personae, ut dicit Augustinus [3]: sed per solam apparitionem nunquam est manifestatio, nisi adsit revelatio: ergo de ratione missionis visibilis non tantum est apparitio, sed etiam revelatio: ergo apparitio non est tota ratio.

CONCLUSIO.

Missio visibilis est apparitio, in qua manifestatur divinae personae emanatio et inhabitatio.

RESPONDEO: Dicendum, quod missio visibilis praesupponit missionem tanquam superius, et superaddit differentiam, quae est visibile. Missio autem *communiter* dicta, ut dictum fuit supra in praecedenti distinctione [4], praesupponit circa missum *emanationem* et superaddit *manifestationem.* Et quoniam manifestatio emanationis, secundum quam attenditur missio, non fit nisi super eum, quem Spiritus sanctus inhabitat per effectum gratiae inhabitantis, hinc est, quod missio de ratione generali dicit *manifestationem emanationis* et *inhabitationis.* [Declaratio missionis visibilis.]

Haec autem differentia *visibilis,* superadveniens missioni, contrahit ipsam quantum ad principale significatum, quod est *manifestatio:* ideo dicit manifestationem cum apparitione, sive apparitionem manifestantem personae emanantis inhabitationem [5] vel personae inhabitantis emanationem. [Conclusio 1.]

Unde concedo, quod visibilis missio est *apparitio;* sed haec non est tota ratio, sed apparitio, in qua manifestatur divina persona non tantum ut *operans,* sed etiam ut *inhabitans,* nec tantum ut inhabitans, sed etiam ut *emanans,* quasi [6] ab alio veniens. Per primum excludit apparitionem Dei in qualibet creatura, per secundum apparitionem in veteri Testamento, per tertium apparitionem Patris, quia Pater non apparuit ut emanans sive ab alio veniens. Filius vero vel Spiritus sanctus in veteri Testamento non apparuit ut inhabitans, sed ut se inhabitaturum praemonstrans; unde Angelus apparebat in illis creaturis in persona Dei. Et hoc probat Augustinus in libro tertio de Trinitate [7] dicens: « Constat firmitate auctoritatis et probabilitate rationis, cum antiquis Patribus dicitur Deus apparuisse, voces illas ab Angelis esse factas ». Et adducit auctoritates Apostoli ad Galatas tertio [8]: *Lex ordinata per Angelos;* et ad Hebraeos secundo [9]: *Si enim qui per Angelos dictus est sermo* etc. Nec tamen dico, quod ista sit ratio, quare non est missus, quia apparitio fiebat ministerio angelico; quia sicut dicit Augustinus quarto de Trinitate [10], probabile est, quod illa columba, in qua apparuit Spiritus sanctus, secundum ministerium Angeli moveretur. Unde idem in quarto libro de Trinitate [11] in fine dicit: « Super hoc aliquid invenire difficile est, et temere affirmare non expedit. Quomodo tamen ista sine rationali vel intellectuali creatura potuerint fieri, non video ». [Eiusdem declaratio 2.] [Conclusio 2.] [Tres species apparitionis diversae a missione.] [De apparitione Angeli in V. T.]

1. 2. Et ita patet, quod non quaelibet apparitio est missio, patet etiam responsio ad duas rationes primas. [Determinantur fundamenta.]

3. Ad illud quod obiicitur tertio, quod non sit apparitio, quia Deus est invisibilis; dicendum, quod apparere est dupliciter: vel *in se,* et sic convenit corporali; vel *in alio,* et hoc dupliciter: vel sicut *causa* in effectu, vel sicut *signatum* in signo; et hoc tertio modo missio est apparitio; et secundum hunc modum non convenit omni creaturae.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod apparitio non est manifestatio; dicendum, quod cum dicitur: missio [12] est manifestatio, non intelligitur

---

[1] Cap. 17. n. 32, in quibus verbis Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 nec non ed. operum Augustini omittit *Deum.*

[2] Per totum et IV. c. 19. et 20. n. 25-30.

[3] Libr. IV. de Trin. c. 20. n. 28: Cum in carne manifestatus est Filius Dei, in hunc mundum missus est.

[4] Parte I. q. 4. — Paulo ante fide plurium mss. ut HIMZ aa bb ff et ed. 1 supplevimus *dicta,* quod forte propter immediate sequentia verba *ut dictum* ex aliis codd. decidit, sed minus bene. Mox post *manifestationem* in cod. K additur *tanquam principale significatum suum,* quod concordat cum subnexis.

[5] Cod. K *manifestantem emanationem et inhabitationem;* aliqui codd. ut A S T V etc. post *manifestantem* incongrue omittunt *personae.*

[6] Ed. 1 *id est, quasi.*

[7] Cap. 11. n. 27: Constititque et probabilitate rationis, quantum homo vel potius quantum ego potui, et firmitate auctoritatis, quantum de Scripturis sanctis divina eloquia patuerunt, quod antiquis Patribus nostris ante incarnationem Salvatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces illae ac species corporales per Angelos factae sunt.

[8] Vers. 19.

[9] Vers. 2.

[10] Cap. 21. n. 31.

[11] Cap. 21. n. 31, in quo textu Vat. *tamen ista sive rationali sive intellectuali,* sed falso et contra plurimos codd. nec non ed. operum Augustini.

[12] Vat. cum pluribus mss. hic addit *non,* quod tamen fide aliorum mss. ut BIKMQTZ etc. et ed. 1, nec non exigente contextu, expunximus. Cod. F habet *missio ibi est, ubi est manifestatio.*

actu, sed *habitu*, quia aliquid fit vel ostenditur, in quo potest personae emanatio manifestari, et hoc quidem de se importat apparitio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud autem[1] quod obiicitur in contrarium, quod praecise sit apparitio; dicendum, quod non accipit totam rationem missionis, quia *mitti* non est tantum mente percipi, sed mente percipi ut ab alio emanans et in aliquo inhabitans.

2. Similiter ad illud: mitti invisibiliter est manifestari per effectum invisibilem; dicendum, quod manifestari non dicit totam rationem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod in missione Spiritus sancti in specie columbae non fuit nisi apparitio; dicendum, quod quamvis non fuerit ibi donatio Spiritus sancti, fuit tamen manifestatio prius dati et tunc inhabitantis in Christo et quiescentis et ab alio procedentis, et ita tota et perfecta ratio missionis; sed ex hoc non sequitur, quod qualiscumque apparitio sit missio visibilis; omnis tamen visibilis missio est apparitio.

SCHOLION.

I. Dupliciter declaratur missio visibibilis, primo cum genere proximo *missio* et differentia contrahente *visibilis;* secundo cum genere *apparitio* et differentia contrahente: quae est emanatio personae et inhabitatio. Unde tria in missione visibili requiruntur: emanatio personae, inhabitatio eiusdem et manifestatio utriusque per *apparitionem* aliquam *visibilem.* — Eadem tria ad rationem missionis visibilis requiri, docent S. Thom., Petr. a Tar. aliique. Per has differentias missio visibilis distinguitur ab aliis apparitionibus in textu enumeratis. Si dicit: « Per primum excludit apparitionem Dei in qualibet creatura », verba *per primum* referuntur ad verba: « in qua manifestatur divina *persona* »; operatio enim Dei in qualibet creatura est communis tribus personis, unde nullius personae est manifestativa. *Per secundum* refertur ad « manifestatur... ut *inhabitans* »; *per tertium* ad « manifestatur ut *emanans* ».

II. Notandum quoad ordinem solutionum ad opp., quod primo respondetur ad argumenta in fundam.; deinde ad ea quae primo loco sunt posita, cum utraque accuratiore determinatione indigeant. — Iuvat hic generatim dicere, quod argumenta in *fundamentis* a S. Bonav. aliisque posita non semper ab auctore approbantur ut vera omni ex parte. Genuina auctoris doctrina repetenda est tum ex responsione ad ipsam quaestionem, tum ex solutione obiectorum.

III. In substantia responsionis omnes conveniunt. Bonav., Breviloq. p. 1. c. 5, et Comment. in Ioan. c. 1. v. 34. (Suppl. Bonelli t. 1.); quoad ministeria Angelorum circa apparitiones II. Sent. d. 10. a. 3. q. 2. ad. 5. — Alex. Hal., S. p. 1. q. 74. m. 1, et quoad ministeria Angelorum m. 4. — Scot., de hac et seq. hic et in Report. q. unic. — S. Thom., hic q. 1. a. 1, et quoad ministeria Angelorum a. 4; S. I. q. 43. a. 7. ad 5. — B. Albert., hic a. 1. et seq.; pro hac et seq. q. S. p. I. tr. 7. q. 32. m. 2. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 3. 5. — Richard. a Med., hic q. 1. 3. 4. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. et 2. — Durand., de hac et seq. hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1, et quoad Angelos q. 3. — Biel, de hac et seqq. hic q. unic.

QUAESTIO II.

Ad quid sit utilis missio visibilis Spiritus sancti.

Secundo quaeritur, ad quid sit utilis missio visibilis, et constat quod ad *efficiendum* nihil confert, quia exterior apparitio nihil interius operatur. Quod etiam non sit utilis ad *innotescendum*, ostenditur sic.

Ad oppositum. 1. Aut est ad manifestandam personae alicuius *emanationem*, aut *inhabitationem*. Non *inhabitationem*, quia *nemo scit, utrum odio an amore dignus sit*[2], et ita nemo, utrum Deus in eo habitet, cognoscit. *Et iterum*, quae utilitas est? Esto quod sciat, Deum advenisse, tamen cum ignoret permansurum, nulla videtur[3]. Si ad manifestandam alicuius personae *emanationem:* ergo cum illa notitia omni tempore sit necessaria, scilicet tempore Legis scriptae et nunc, videtur, quod et tunc et nunc deberet[4] esse missio visibilis. Quaeritur ergo, quare solum tempore Ecclesiae primitivae? Quaestio incidens.

2. Item, quantumcumque appareat in creatura, non innotescit, nisi revelatio adsit; sed cum adest[5] revelatio, ventum est ad cognitionem veriorem et certiorem, quam quae est a sensu: si igitur habens cognitionem certam non indiget occupari circa cognitionem imperfectam, ergo videtur, quod exterior apparitio omnino superfluat.

3. Item, probatur etiam, quod impediat, sic: affectus, circa bona visibilia occupatus, minus surgit ad bona invisibilia, ergo similiter intellectus: ergo si debet ad perceptionem invisibilium elevari, non debet ei fieri ostensio visibilium; quod si fiat, videtur potius impediri quam iuvari.

---

[1] Ex multis codd. ut A F G K T V W X Y etc. et ed. 1 supplevimus *autem*, quod hic ut principio responsionis ad aliam partem argumentorum minus bene omittitur. Post *accipit* supple: Augustinus.

[2] Ecclesiastes, 9, 1, ubi Vulgata: Et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. — Vat. cum aliquibus tantum mss. hic et infra in responsione *vel* loco *an*.

[3] Supple cum cod. X: *utilitas*, vel cum ed. 1 *esse utilitas;* cod. H vero addit *ergo frustra*. Immediate post Vat. *Non* loco *Si*, deinde *quia* pro *ergo*, sed emendatur ope mss. (quorum aliqui falso *Sed* loco *Si*, quod saepe saepius etiam alibi contingit) et edd. 1, 2, 3.

[4] Nonnulli codd. ut aa bb *debeat*.

[5] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 minus bene *adsit*, quae et post *revelatio* adiungit *interior*. Mox cod. K *superiorem* et cod. W *interiorem* loco *veriorem*.

4. Item, si missio est ad innotescendum, cum triplex sit in nobis vis cognitiva, scilicet sensus exterior [1], imaginatio et intellectus, et secundum hanc triplicem vim triplex assignetur visio prophetalis, pari ratione videtur, quod triplex missio deberet distingui.

Praeterea, cum missio sit ad manifestationem inhabitationis, et Filius inhabitet sicut Spiritus sanctus, quare non est missio visibilis ad manifestandum illam? Quaest. incidens 2.

Sed contra: 1. Quod sit utilis ad innotescendum, videtur, quia cognitio nostra incipit a sensu [2]: ergo si debemus elevari ad perceptionem intelligibilium, congruum et perutile est, quod aliquo modo praevia sit excitatio in sensu per signum. Et hoc est, quod dicit Gregorius [3]: « Dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium etc. » Fundamenta.

2. Item, sicut miracula ostendunt divinam potentiam, ita signa divinam praesentiam; sed utile fuit et pernecessarium, fidem nostram manuduci per miracula ad cognitionem divinae potentiae: ergo pari ratione per aliqua signa visibilia ad cognitionem divinae praesentiae.

3. Item, missio est ad redimendum hominem perditum; sed homo est perditus secundum naturam visibilem et invisibilem: ergo missio secundum utramque est ei [4] utilis.

4. Item, familiarius offert suam praesentiam qui se offert secundum sensum et intellectum, quam qui secundum alterum tantum; sed hoc maxime expediebat homini averso, ut converteretur ad Deum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Missio visibilis Spiritus sancti utilis fuit, ut personis manuducendis per sensum manifestaretur inhabitatio secundum plenitudinis redundantiam.

Respondeo: Dicendum, quod missio Filii visibilis propriam et maximam habuit utilitatem, sicut patebit in tertio [5]. Sed nunc de Spiritu sancto dicendum, quod eius missio visibilis utilis est ad manifestandam et emanationem et inhabitationem, sed non qualemcumque inhabitationem nec in [6] omni genere personae. Conclusio 1.

Propter hoc [7] intelligendum, quod est inhabitatio duplex, scilicet secundum sanctificationis *sufficientiam*, et secundum plenitudinis *redundantiam*. Illa quae est secundum sanctificationis *sufficientiam*, interius invisibiliter latet; quae vero est [8] secundum *redundantiam*, exterius apparet; et ideo talis inhabitatio in signo visibili et exteriori manifestari debet, sicut factum est in Apostolis. Duplex inhabitatio. Conclusio 2.

Similiter intelligendum, quod duplex est genus credentium. Quidam enim volunt signa, ut puta sensibiles; quidam intelligentiam quaerunt, ut puta iam provecti [9]. Quaerentes signa per haec manuducuntur [10] ad intelligibilia; et propter tales utilis est missio visibilis. Utilis ergo est missio visibilis [11] ad manifestandam inhabitationem plenitudinis redundantis, et hoc personis manuducendis per sensum. Duplex genus credentium. Conclusio principalis.

1. Ex hoc patet primum, quare scilicet non fuit missio visibilis tempore Legis scriptae; quia non erat missio in plenitudine, quoadusque *venit plenitudo temporis* [12]. Patet etiam, quare modo non datur sive mittitur visibiliter; quia iam manuducti sumus ad fidem, unde sicut cessaverunt miracula, ita exteriora signa. Solutio oppositorum. Solvitur quaest. 1. incid.

Quod dicitur, quod nemo scit, utrum odio, an amore dignus sit; verum est [13], nisi Deus dignetur ostendere; et tunc ostendebat, et hoc perutile erat ad fidem roborandam et devotionem excitandam.

2. Ad illud quod obiicitur, quod necessaria est aliqua revelatio; dicendum, quod verum est, nec tamen superfluit apparitio, quia excitat intellectum ad inquisitionem et sic excitando praeparat ad revelationem et post revelationem excitat [14] ad dilectionem. Revelatio enim, etsi sit interior cognitio, tamen adhuc est viatoris, et ideo non evacuat cognitionem apparitionis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod visibilia impediunt affectum; dicendum, quod visibilia possunt

---

[1] Vat. addit *et,* quod deest in mss. et ed. 1. — De triplici visione prophetali vide August., XII. de Gen. ad lit. c. 6. n. 15. seqq.

[2] Vide Aristot., III. de Anima text. 39. (c. 8.) et de Sensu et sensibilibus, c. 6. — Mox post *elevari* cod. K *per sensum ad cognitionem intelligibilium;* et paulo infra ed. 1 *fiat* loco *sit.*

[3] Libr. Sacrament., ubi horum verborum ultima pars ita exhibetur: *per hunc invisibilium amore rapiamur.*

[4] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *ei.*

[5] Libr. III. Sent. d. 1. a. 2.

[6] Plures codd. ut A T etc. cum ed. 1 omittunt *in.* Mox cod. K post *personae* addit *sive hominum.*

[7] Mss. et ed. 1 postulantibus, substituimus *Propter hoc* loco *Propterea.*

[8] Codd. vetustiores cum ed. 1 exhibent verbum *est,* quod in Vat. et cod. cc deest.

[9] Alluditur ad illud Matth. 12, 39: Generatio... signum quaerit; et ad illud Daniel. 8, 15: Et quaererem intelligentiam: — Paulo ante Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *sensuales* pro *sensibiles,* et dein contra antiquiores codd. et ed. 1 *quaerentes* loco *quaerunt.*

[10] Vat. perperam et absque auctoritate mss. et ed. 1 *ut per haec manuducantur,* ac paulo post omittit particulam *et.* Plurimi codd. cum ed. 1 *per hoc* loco *per haec,* sed minus bene; dein aliqui codd. ut I P Q Z *intelligentiam* pro *intelligibilia.*

[11] Vat. cum aliquibus codd., omittendo verba *Utilis ergo est missio visibilis* et coniungendo ea quae sequuntur cum praecedenti propositione, sententiam Doctoris distorquet. Lectio in textum recepta exhibetur a multis mss. ut A F G H I K N T V W Y ee ff, quorum tamen plures, forsan decepti ex immediate praecedenti verbo *visibilis,* cum ed. 1 minus congrue omittunt *Utilis.*

[12] Galat. 4, 4. — De seq. prop. cfr. Greg., II. Homil. 29. n. 4. in Evang.

[13] In cod. O additur: *de scientia certitudinis vel potius intelligitur de scientia status finalis.*

[14] Cod. T cum ed. 1 *exercitat.* Mox nonnulli codd. ut W X Y Z perperam *delectationem* pro *dilectionem;* cod. cc autem

Distinctio. dupliciter considerari: vel ut res absolutae, vel ut signa et nutus ducentia in aliud [1]. Primo modo si amentur et considerentur, retardant intellectum et affectum; secundo modo iuvant; et sic est in apparitione visibili, quia ibi consideratur creatura ut signum faciens aliud in intellectum venire [2].

4. Ad illud quod obiicitur: quare non est triplex genus missionis secundum triplex genus cognitionis? dicendum, quod etsi cognitio sit de ratione missionis, non tamen [3] quaecumque vel cuiuslibet, sed *inhabitantis*. Et quia duplex est modus inhabitandi, ut praehabitum est [4], ideo tantum est duplex modus mittendi, licet plures sint modi cognoscendi. — *Vel* Alia solutio. *aliter* dicendum, quod Deus in via non cognoscitur nisi aut in *effectu*, aut in *signo*. Si in *effectu*, cum effectus ille sit gratia gratum faciens, quae in sola cadit mente, sic est missio invisibilis; si in *signo*, cum signum sit quod offert se sensui [5], sic est visibilis. Quia vero imaginaria est earum rerum, quarum imagines in interiori sensu exprimuntur, Deus autem non est talis, ideo de eo non est ponere huiusmodi cognitionem.

Ad illud quod ultimo quaeritur, quare non fuit missio visibilis ad manifestandam inhabitationem Filii; dicendum, quod *Filium inhabitare* est dupliciter: aut per gratiam unionis, aut per gratiam sanctificationis. *Primo* modo non fuit necessaria manifestatio sive visibilis missio, quia plenissime erat in homine sibi unito, in quo operabatur opera visibilia, in quibus manifestabatur; et ideo non oportebat, alia signa visibilia adhiberi. *Secundo* vero modo non habuit missionem manifestantem inhabitationem talem, quia sanctificatio appropriatur Spiritui sancto; unde sufficiebat, esse missionem visibilem ad manifestandam ipsius inhabitationem, cui sanctificatio appropriatur [6], cum inhabitatio Filii et Spiritus sancti sint indivisae. Manifestato, quod in homine inhabitet Spiritus sanctus, sufficienter ostenditur, quod et Filius.

Solvitur quaest. 2. incid. Duplex inhabitatio.

SCHOLION.

I. Quaestio resolvitur iuxta duplicem distinctionem, scilicet circa modum inhabitationis et circa genera credentium. Quae hic a S. Bonav. dicuntur de inhabitatione secundum plenitudinis redundantiam diffusius explicantur a magistro eius Alex. Hal., qui (loc. infra cit.) ita dicit: « Non est (missio visibilis) ad demonstrationem cuiuscumque inhabitationis, sed illius inhabitationis, quae est per *plenitudinem gratiae in alios redundantis*, qualis fuit in *Christo* et aliquo modo in *Apostolis* ». Deinde docet, quomodo in *Christo* fuit influentia plenitudinis dupliciter, scil. per modum causae et per modum doctrinae: per modum causae efficientis quoad divinam naturam, per modum causae meritoriae quantum ad humanam; et quomodo his duobus modis est influentia *gratiae* redundantis in *Sacramentis*, sicut est plenitudo *veritatis* redundans in *praedicatione* Christi. Tum pergit: « Adveniente ergo plenitudine temporis, revelanda erat plenitudo inhabitationis, quoniam illa plenitudo redundare coepit, et hoc sensibilibus et nondum adhuc in fide provectis. Hoc autem fuit, quando Christus baptizatus fuit et praedicare coepit: plenitudo scil. *gratiae* ipsius per modum influentiae, quia data est tunc vis regenerativa aquae baptismi; et plenitudo *veritatis* eius per modum doctrinae, quia tunc praedicare coepit et veritatem fidei influere. Et ideo, quia plenitudo eius coepit influere in alios, debuit per signa sensibilia manifestari, ut doctrinae eius citius crederetur ». — « In *Apostolis* autem fuit plenitudo *gratiae* descendens a plenitudine Christi, et etiam quodam modo plenitudo *influentiae*, scil. per modum doctrinae et per modum ministerii. Nam de plenitudine *veritatis* Christi accepimus ex doctrina Apostolorum, de plenitudine *gratiae* per ministerium ipsorum in dispensatione Sacramentorum ». Denique concludit, quod ad ostendendam inhabitationem quantum ad effectum *gratiae* redundantis per modum ministerii Spiritus sanctus visibiliter Apostolis datus sit in *flatu*, quando dictum est eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccatá etc. (Ioan. 20, 22.); deinde vero in *linguis igneis* ad ostendendam inhabitationem Spiritus sancti ad effectum plenitudinis *veritatis* redundantis in alios per modum doctrinae.

II. Ex conclusione principali deducuntur duo corollaria in textu posita. — Verba in 2. coroll. *sicut cessarunt miracula* non intelliguntur in sensu absoluto, sed quatenus miracula in principio Ecclesiae fuerunt manuductio quasi ordinaria ad fidem. — Quoad triplicem visionem (ad 4.) cfr. II. Sent. d. 10. a. 3. q. 2.; III. Sent. d. 23. dub. 4.; Hexaëm. Serm. 9.

III. Conclusio in re est communis sententia. — Alex. Hal., S. p. I. q. 74. m. 2. — S. Thom., S. I. q. 43. a. 7. — B. Albert., hic a. 10. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1. circa fin.

---

ad devotionem et dilectionem. Dein ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *enim* loco *autem*, quod Vat. cum cod. cc habet, et quo vis responsionis debilitatur.

[1] Alludit ad verba Augustini: Vae his, qu nutus tuos pro te amant etc., supra d. 3. p. 1. q. 2. ad 1. allegata; vide etiam ibidem q. 3. ad ult., ubi eadem distinctio in *res* et *signa* occurrit. — Mox post *amentur* Vat., antiquioribus mss. et ed. 1 obnitentibus, *vel si* loco *et*.

[2] August., II. de Doctr. christ. c. 1. n. 1: Signum est enim res praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.

[3] Codd. cum ed. 1 omittunt *tamen*. Mox cod. V *cuiuscumque* pro *cuiuslibet*.

[4] Hic, in corp. quaest.

[5] Cfr. August., II. de Doctr. christ. c. 1. n. 1. Vide supra ad 3. — Paulo infra unus alterque codex ut aa bb *exteriori* pro *interiori*.

[6] Cod. O, addendo hic *praeterea*, verba sequentia tanquam novum argumentum exhibet; sed, ut videtur, minus bene. In fine responsionis plurimi codd. cum ed. 1 post *quod* omittunt *et*.

QUAESTIO III.

Quibus modis facta sit missio visibilis.

Tertio quaeritur, quibus modis fit[1] missio visibilis. Et accipiuntur diversi modi ex Scripturis. Filius enim visibiliter apparuit in creatura rationali, ut in homine; Spiritus vero sanctus in irrationali, ut puta in columba, igne et flatu. Quaeritur ergo de diversitate horum modorum apparendi; et videtur, quod non fuerint modi[2] convenientes, hoc modo.

Ad oppositum. 1. Spiritus sanctus est aeque nobilis persona, ut Filius: ergo in aeque nobili creatura debet manifestari, ut Filius.

2. Item, si Filius propter assumtionem humanitatis sive apparitionem *in forma servi* est minor Patre, immo *factus minor Angelis*[3]: ergo multo fortius Spiritus sanctus ex apparitione in igne non tantum minor Deo, sed etiam homine; sed hoc nullo modo congruit: ergo non congruit Spiritui sancto apparere in creatura irrationali. — *Si tu dicas,* quod Filius apparuit in homine assumto et unito, Spiritus autem sanctus non est columbae unitus vel igni; *contra:* unio nihil aufert divinitati: ergo propter unionem non debet dici minor. Si ergo dicitur minor, hoc est propter apparitionem: ergo etc.

3. Item, videtur quod Spiritus sanctus fuit unitus[4], quia Spiritus sanctus apparebat in illa columba, et non in alia; et *rursus* apparebat ipse ibi[5], non alia persona: ergo alio modo erat in illa quam Pater et Filius, et aliter in illa quam in alia; sed *aliter* non potuit esse in illa quam alia persona quantum ad substantiam nec quantum ad operationem, quia eadem est substantia et operatio in Trinitate, ergo quantum ad unionem: ergo etc. — *Si tu dicas,* quod apparuit sicut in signo, tunc quaero: aut illud signum fuit a *natura,* aut ab *institutione*[6]. Si a *natura,* tunc pari ratione et omnis alia columba; si ab *institutione,* quaeritur: quis instituit?

Quaestio incidens 1. 4. Item, Filius apparuit visibiliter *uno modo* tantum et in una creatura; quaeritur, quare non similiter Spiritus sanctus? et videtur, quod ita deberet esse, quia sicut in Filio nulla cadit varietas, immo omnimoda uniformitas, ita et in Spiritu sancto: ergo debuit apparere tantum in una specie, ut Filius[7].

Quaestio incidens 2. 5. Item, Filius tantum *semel* apparuit visibiliter, quia tantum semel est incarnatus, non amplius. Quaeritur ergo, unde hoc est, quod Spiritus sanctus *pluries* apparuit, ut puta non tantum *semel* in igne, sed etiam quousque dabatur Spiritus sanctus[8]? — *Si dicas,* quod illa, in quibus Spiritus sanctus apparuit, statim esse desierunt post apparitionem, et ideo oportuit rursum alia fieri; *tunc* ergo videtur, quod nec illa columba fuerit vera, nec ignis, cum tam columba quam ignis habeant[9] virtutem permanendi; et si hoc in illa apparitione non fuit, tunc ergo non fuerunt vera, sed falsa, et non fuerunt apparitiones, sed praestigia et illusiones, sicut sunt phantasmata daemonum et aliorum magorum. Quaestio incidens 3. Alia difficultas.

6. Ultimo quaeritur, quare tot modis apparuit Spiritus sanctus, et quare in alia specie in capite quam in membris, ut in Christo et Apostolis? Ultima quaest. incidens.

CONCLUSIO.

Apparitio Filii congruenter facta est semel in una et rationabili substantia unita; Spiritus vero sanctus congruenter apparuit pluries in pluribus et irrationabilibus creaturis ut signis.

Respondeo: Dicendum, quod finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem; ideo modus apparendi sumendus est iuxta finem apparitionis. Apparuit autem Filius in carne, ut esset *mediator,* Spiritus vero sanctus, ut *doctor,* Ioannis decimo sexto[10]: *Cum venerit, docebit vos omnem veritatem.* Ad *mediationem* autem necessaria est extremorum separatorum concursio et in unum unio, sicut patet; et ideo Filius in creatura apparuit ut unitus. Conclusio 1. Ad *eruditionem* autem ignorantium intervenit signum[11]; ideo Spiritus sanctus apparuit in creatura ut signatum in signo. Conclusio 2.

Quoniam ergo nihil est Deo perfecte unibile nisi beatificabile, et hoc solum est substantia rationalis; ideo Filius in sola substantia rationali apparuit. Conclusio 3.

Quia vero usui *significationis* purae[12] convenit creatura irrationalis magis quam rationalis, ne forte crederetur unita, non tantum significans; ideo Spi-

---

[1] Vat. *fiat;* plures codd. ut A T V X *sit.*

[2] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *modi.*

[3] Cfr. Epist. ad Philip. 2, 7, et ad Hebr. 2, 7. et 9. — Paulo ante in cod. T post *servi* additur *factus,* in ed. 1 vero *non solum,* quae et paulo infra *Angelo* ponit pro *Deo.*

[4] Ed. 1 *fuerit unitus illi columbae.*

[5] Aliqui codd. ut H I addunt *et.*

[6] Haec signi divisio insinuatur ab Aristotele, I. Periherm. c. 2, et ab August., II. de Doctr. christ. c. 1. 2. n. 2. 3.

[7] Vat., antiquis mss. et ed. 1 refragantibus, omittit *ut Filius.* Paulo ante cod. W *si est in Filio nulla varietas* loco *sicut in Filio nulla cadit varietas.*

[8] Scil. signis visibilibus, quod primis Ecclesiae temporibus frequenter fiebat; vide Act. 8, 17 et 10, 44. — Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 *in specie columbae* loco *quousque dabatur Spiritus sanctus.*

[9] Vat. cum pluribus codd. *habeat.*

[10] Vers. 13, ubi Vulgata: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit etc.

[11] Plura de hoc, sicut et de modo, quo eruditio per signum fit, vide apud August., libr. de Magistro. — Plures codd. ut A I T W Y Z bb cc *signatio* (significatio).

[12] Cod. T *potius* loco *purae* moxque omittit *magis.*

Conclusio 4. ritus sanctus apparuit in creatura *irrationali*, quae aliquo modo haberet rationem significandi et exprimendi, sicut flatus significat spirationem, ignis vero dilectionem.

Rursus, quoniam ad perfectam *mediationem* requiritur, quod mediator sit unus, et quod unio sit inseparabilis; ideo [1] Filii apparitio *singularis* fuit et *indivisibilis*. Sed contra, quia non potest Spiritus sanctus perfecte significari in uno signo, ideo oportuit si-
Conclusio 5. gnificari[2] per plura: et ideo Filius uno modo apparuit, sed Spiritus sanctus pluribus. His visis, facile est respondere ad obiecta.

1. Nam ad illud quod primo obiicitur, quod ae-
Solutio oppositorum. que nobilis est persona Spiritus sancti; dicendum, quod nihil facit ibi nobilitas apparentis, sed finis apparitionis; quia ille ut *mediator*, iste ut *eruditor* sive doctor, ideo Filius ut in homine assumto, Spiritus sanctus ut in creatura et signo [3].

2. Ad illud quod obiicitur, quod Spiritus sanctus debet dici minor, sicut et Filius; dicendum, quod minoritas illa non dicitur de Filio ratione divinitatis, sed ratione unionis et communicationis [4] idiomatum; quia Filius factus est homo passibilis, sed Spiritus sanctus non est factus columba.

3. Ad illud quod obiicitur, quod est unitus columbae; dicendum, quod est unio secundum *veritatem*, et est unio secundum *intentionem* [5]. *Primo* modo uniuntur illa quae uniuntur in natura vel persona; secundo modo uniuntur significatum et signum; et hoc modo unita est persona Spiritus sancti illis formis, in quibus apparuit.

Si autem quaeratur, unde veniebat talis unio;
Solvitur quaest. 1. incid. dicendum, quod *dispositive* a proprietatibus creaturae, in quibus nata erat personam Spiritus sancti declarare [6], sicut *flatus* spiritum, *ignis* amorem, *columba* donum propter fecunditatem. Sed *completive* veniebat hoc [7] a divina ordinatione, quae ordinavit creaturas ad hoc, non instituendo, sed simul formando et instituendo, quia ad hoc solum formabat; et ideo tam columba quam ignis simul cum apparitione etiam incepit et desiit [8].

5. Ex hoc patet, quare [9] Spiritus sanctus non Patent qq. 2. et 3.
tantum *semel* apparuit, sed *pluries*, Filius autem non, quia columba et ignis statim post apparitionem esse desierunt, non autem homo. — Ex hoc patet etiam, quod etsi [10] columba illa et ignis essent verum Ad difficultatem aliam.
corpus, tamen nec columba fuit vera columba, quia statim desiit, sed similitudo columbae; similiter nec ignis verus ignis, quia non comburebat. Nec tamen ibi erat aliqua illusio, quia non erat ibi aliqua falsitas in significando. Offerebatur enim sensui ad significandum, quod vere ibi erat; et quia magis attendebatur ratio significandi quam existendi, ideo tamdiu duravit, quamdiu significare potuit vel officium signi implevit. Et quia eadem vi formata est columba, mota et conservata, statim ut vis illa desiit movere, columba et ignis desiit esse.

6. Ad illud quod ultimo quaeritur, quare tot Ad ultimam quaestionem.
modis apparuit Spiritus sanctus; dicendum, quod apparitio Spiritus sancti fuit ad manifestandam plenitudinem redundantiae, ut prius habitum est [11]; et quoniam redundantia potest esse tripliciter, ideo tribus modis apparuit. Potest enim esse haec plenitudo per *redemptionem;* et ita fuit in Christo, et haec est perfecta gratia per omnem modum. Ideo in Christo apparuit in columba, quia [12] erat pretium redemptionis primogenitorum et erat animal integrum et perfectum. Potest etiam esse per *vitae influentiam* quantum ad sensum et motum, et hoc mediantibus Sacramentis; et haec plenitudo est in sacerdotibus, et ideo datus est eis Spiritus sanctus in specie flatus, Ioannis vigesimo [13]: *Insufflavit in eos dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata* etc. Potest etiam tertio modo esse per *cognitionis administrationem* sive doctrinam; et haec plenitudo est in Apostolis et Doctoribus, et ideo Spiritus sanctus apparuit eis in linguis igneis [14]. Ex his patet responsio et sufficientia modorum apparendi et obiectorum.

---

[1] In cod. cc et Vat. deest *ideo*, quod tamen in aliis codd. et ed. 1 habetur.

[2] Supplevimus ex vetustioribus mss. et ed. 1 *significari*.

[3] Codd. aa bb, post *sanctus* omisso *et*, ponunt *ut signo*.

[4] Fide plurimorum codd. et ed. 1 substituimus nomen magis usitatum *communicationis* pro *communionis*.

[5] Id est, secundum actum rationis et voluntatis, quae fit vel cum vel sine fundamento in re.

[6] Ita multi mss. ut ADFGIKPQTVW etc. et ed. 1, dum Vat. cum aliquibus codd. modo passivo et minus apto *persona Spiritus sancti declarari*. In lectione in textum recepta *nata* refertur ad *creaturae*.

[7] Sequimur plurimos codd. cum ed. 1, dum Vat. cum cod. cc ponit *veniebant haec*. Codd. PQ *veniebat unio haec*, cod. S autem omittit *hoc*. Paulo infra Vat. cum cod. cc, ceteris tamen codd. cum ed. 1 refragantibus, *et* loco *quia*, deinde *quia* pro *et ideo*, quibus positis ordo et connexio rationum confunditur. Mox aliqui mss. ut HYZ cum ed. 1 *et* loco *etiam*.

[8] Ad obiectionem quartam specialis a S. Doctore non est data responsio, quia ipsa iam in corp. quaest. continetur. Vide etiam respectu ipsius infra resp. ad 6.

[9] Praeferimus lectionem plurium codd. ut IT aa bb ff et ed. 1 *quare* loco *quod*. Codd. aa bb paulo ante post *Ex hoc* adiiciunt *etiam*.

[10] Vat. cum pluribus codd. *si* loco *etsi*.

[11] Quaest. praeced. et hic circa finem corp. quaest. — Mox antiquioribus mss. et ed. 1 exigentibus, substituimus *tripliciter* loco *triplex*.

[12] Supple: columba, vel pone cum codd. YZ *quae* loco *quia*. — Cfr. Levit. 12, 6. seqq.

[13] Vers. 22. et 23, ubi Vulgata: Insufflavit et dixit eis: accipite etc.

[14] Act. 2, 3.

SCHOLION.

I. In hac una quaestione quatuor problemata solvuntur: 1. quot sint missiones et Filii et Spiritus sancti; 2. quare Filio una et Spiritui sancto plures attribuantur; 3. quare et quo modo Filius apparuerit ut *unitus*, scilicet unione hypostatica, Spiritus sanctus autem tantum ut « signatum in signo »; 4. cur Filius, factus homo, sit se ipso minor, non vero Spiritus sanctus respectu sui signi (in solut. ad. 2.).

II. Tres tantum enumerantur visibiles missiones Spiritus sancti, quia etiam Magister hoc loco tantum tres affert. A S. Thoma (S. I. q. 43. a. 7. ad 6.) aliisque additur quarta « *in nube lucida* » (Matth. 17. 5.), quae ab ipsa Ecclesia insinuatur in Officio Transfigurationis (I. Noct. respons. II.) his verbis: « In splendenti nube Spiritus sanctus visus est ». Iuxta S. Bonav. vero (Comment. in Lucam c. 9. v. 34.) ista nubes significavit humanam Christi naturam.

III. In solut. ad 5. incidit etiam quinta quaestio, utrum illa columba fuerit res mere phantastica, an saltem res corporalis, vel etiam specifice columba realis. Seraphicus mediam viam tenet, sicut etiam B. Albert., Petr. a Tar., Richard. a Med. aliique multi. In eodem sensu loqui videtur ipse S. Thomas et in Comment. hic a. 3. ad 3. et in S. I. q. 43. a. 7. Attamen idem in S. III. q. 39. a 7. veram columbam fuisse affirmat, quae assertio tantum in sensu maioris probabilitatis dicta videtur, ut ibi observat Caietanus. Hanc opinionem sequitur etiam Uldaricus, « discipulus et imitator Alberti », ut dicit Dionys. Carth., qui et ipse est eiusdem sententiae.

IV. Praeter iam laudatos cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 74. m. 3. 5. — B. Albert., hic a. 4. seq. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 6. — Richard. a Med., hic q. 5. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 1, et 3. princ. q. unica. — Dionys. Carth., hic q. 3.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit, quod *Filius in quantum missus, id est factus, minor est Patre.* Contra quod sic obiicitur: omnis actus, secundum quem aliquem contingit fieri minorem, est indignitatis. Si ergo Filius ratione missionis est minoratus, ergo missio pertinet ad indignitatem [1]. *Item,* quandocumque aliquis de aequali fit minor, mutatur; sed Filius ante missionem erat aequalis, et modo est minor: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod quaedam dicuntur de Filio Dei per *essentiam,* quaedam per [2] *unionem,* quae tanta fuit, ut faceret hominem Deum et Deum hominem. *Essentialiter* loquendo, nullo modo Filius Dei est minor; sed hoc dictum est per *unionem,* quia omnia quae dicuntur de homine, possunt dici de Filio Dei; et ita patet, quod nulla ex hoc est indignitas, nulla mutabilitas in eius persona; et sic solvitur utrumque obiectum, quia utraque ratio procedit, intellecto [3] quod secundum eandem naturam fieret minor, secundum quam erat aequalis, et ita desineret esse aequalis. Nunc autem simul est minor et aequalis [4].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *se ipso etiam minor est Filius.* Videtur enim male dicere, quia maior diversitas importatur per hoc quod est *maior* et *minor,* quam per hoc quod est *alius* et *alius,* quia prima non cadit in divina natura, secunda sic. Si ergo haec est vera: Filius est minor se, ergo et haec: Filius est alius et alius, et ita duae personae, quod non conceditur.

Respondeo: Dicendum, quod verum est, quod maiorem diversitatem dicunt *maior* et *minor,* quia diversitatem virtutis et naturarum; sed ad hanc [5] diversitatem, quamvis sit maior, non sequitur diversitas in persona, quia plures naturae possunt esse in una persona. Quoniam ergo in Christo cadit diversitas naturarum et ita virtutum, non autem personarum: ideo dicitur *maior* et *minor* ratione diversarum virtutum, non autem *alius* et *alius,* cum non habeat diversas personas [6].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *minoratus est paulo minus ab Angelis.* Videtur enim falsum, quia super illud ad Hebraeos secundo [7]:

---

[1] Auctoritate antiquiorum mss. et ed. 1 removimus *Dei*, quod Vat. cum cod. cc perperam addit.

[2] Ed. 1 *propter.*

[3] Cod. I *intelligendo;* cod. dd *utraque obiectio, quia utraque obiectio procedit intelligendo.*

[4] Cfr. hic q. 3. ad 1. et 2.

[5] Cod. Z loco *hanc* ponit *talem*, Vat. *naturae*, ed. 1 vero *talem naturae;* alii codd. exhibent lectionem in textum receptam.

[6] Idem dubium solvunt B. Albert., hic a. 11. — Richard. et Petrus, hic in expos. lit.

[7] Vers. 9, in quo textu Vat. contra Vulgatam, antiquiores codd. et ed. 1 *ab Angelis* loco *quam Angeli.* Glossa mox citata sic a Lyrano (Hebr. 2, 9.) exhibetur: « Natura humanae mentis, quae ad imaginem Dei sine peccato, qualem Christus assumsit, solus maior est Deus ». Vat. absque ulla auctoritate mss. et ed. 1 *super omnes* pro *solus Deus.* Paulo ante plurimi codd. post *falsum* omittunt *quia.*

Eum qui modico quam Angeli minoratus est, dicit Glossa: « Natura humanae mentis, qualem Christus assumsit, quae nullo peccato potuit depravari, solus Deus maior est ». *Item,* beata Virgo, quae est pure creatura, est super omnes Angelos exaltata: ergo etc.

Quadruplex comparatio Christi ad Angelos.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de Christo in comparatione ad Angelos quantum ad quatuor, scilicet quantum ad *gratiam* et quantum ad *naturam mentis* et quantum ad *naturam corporis* et quantum ad *statum passibilitatis.* Quantum ad *gratiam* est simpliciter maior; quantum ad *naturam mentis* saltem non fuit minor, quia, sicut dicit Glossa [1]: « Minor Angelis fuit corpore, non mente »; quantum ad *naturam corporis* minor fuit; quantum autem ad *statum* [2] *passibilitatis* fuit minor et modico minoratus, quia status passibilitatis in statum gloriae et honoris paulo post convertendus erat [3].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hilarius, quod *Pater est maior Filio,* quia si verum est quod dicit, cum idem sit in Deo sapientia, potentia, bonitas et magnitudo: ergo si [4] maior est, et est potentior et sapientior et melior. *Praeterea,* in Deo non est magnitudo molis, sed virtutis: ergo si Pater est maior, est potentior; quod stare non potest. *Item, maior* aut dicit *essentiam,* aut *notionem.* Non *essentiam,* quia essentia sunt aequales; si *notionem,* quaero: quam? *Si tu dicas,* quod paternitatem; *contra:* comparatio secundum maius et [5] minus non attenditur nisi in comparticipantibus, unde non dicitur: cygnus est albior corvo; sed Filius non est comparticipans paternitatem: ergo etc. *Item* quaeritur: quare [6] non dicitur maior Spiritu sancto?

Quaestio incidens 1.

Quaestio incidens 2.

Respondeo: Dicendum, quod in Patre est auctoritas respectu Filii et Spiritus sancti, in Filio respectu Spiritus sancti, et ideo in Patre maior auctoritas et maior fecunditas; et quia nullum nomen ita competit ad exprimendam auctoritatem, sicut hoc nomen *magnus:* ideo dicit Hilarius, quod Pater est maior Filio. Ex hoc patent obiecta, quia *maior* non dicit *essentiam,* sicut potentia et sapientia, sed dicit *notionem.* Si quaeras: quam? dico, quod dicit notionem communiter, sed tamen in ratione principii, sicut subauctoritas in ratione emanantis [7]; et hinc est, quod Pater dicitur maior Filio, quia etsi uterque habeat notionem in ratione principii, Pater tamen in ratione principii tantum [8], et ideo plus habet de ratione auctoritatis; Spiritus autem sanctus nullius personae est principium, et ideo non comparatur eis secundum maioritatem [9].

Ad quaestiones incid.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Maior itaque donans est, sed minor* etc. Videtur enim falsum, quia quocumque modo accipiatur *maior,* dicitur relative ad minorem: ergo si est ponere Patrem maiorem, est ponere Filium minorem. *Item,* Pater dicitur maior, quia habet auctoritatem supra Filium: ergo cum Filius habeat subauctoritatem respectu Patris, debet dici minor.

Respondeo: Dicendum, quod nihil impedit, quare Filius non dicatur minor Patre ratione subauctoritatis, sicut Pater maior [10], nisi quia nomina indignitatis in Deo non debent ad usum trahi; vel quia sancti Doctores, quantum possunt, se elongant ab haereticorum fallacia. Ideo cum Hilarius dixisset Patrem maiorem, noluit, quod Filius diceretur minor, ne videretur illa maioritas non tantum auctoritatis, sed etiam inaequalitatis. Et quamvis Hilarius diceret in Patre auctoritatem, non tamen legitur dixisse in Filio subauctoritatem; sed illud verbum a magistris est additum in consuetudinem disputantium [11].

---

[1] Apud Lyranum loc. cit.: Minor ergo Angelis corpore, non mente. Maiores tamen Angeli et homines (homine?) dici possunt, quia maiores sunt hominis corpore. Maiores sunt et animo, sed in eo tantum quod peccati originalis merito corpus aggravat ipsum animum; sed hoc non in Christo etc.

[2] Licet plurimi codd. cum Vat. et ed. 1 habeant *naturam,* praeferimus tamen lectionem codd. LMO, utpote quae membris divisionis a S. Doctore superius positis respondet.

[3] Cfr. B. Albert., hic a. 12. — S. Thom., hic expos. text. — Petr. a Tar., hic q. 1 a. 7, et expos. text. — Richard. a Med., hic q. 6. — Ægid. R., hic circa lit. — Dionys. Carth., hic q. 3. in fine.

[4] Supple cum aliquibus mss. ut FHWY aa bb *Pater.*

[5] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *et* loco *aut.* Paulo infra ed. 1 *comparticipans Patri in paternitate* pro *comparticipans paternitatem.* — De hac ratione vide supra d. 8. p. I. dub. 4.

[6] In cod. bb additur *uterque.*

[7] Vide supra d. 13. dub. 4. et d. 15. p. I. q. 1. ad 2. et 3, ac infra d. 20. a. 1. q. 2. ad 4, et d. 27. p. I. q. 2. ad 3.

[8] Ed. 1 addit *scilicet, non principiati.*

[9] Ita vetustiores codd. cum ed. 1, dum Vat. cum recentiore cod. cc *auctoritatem* ponit, sed perperam, quia *auctoritas* est terminus medius conclusionis eliciendae. Cod. dd *minoritatem,* bene et in eodem sensu cum aliis codd.

[10] In cod. K additur *Filiō.*

[11] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 *consuetudine.* — De hoc et praecedenti dubio agunt B. Albert., hic a. 13; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard., hic in expos. textus.

DISTINCTIO XVII.

PARS I.

CAP. I.

Quod Spiritus sanctus est caritas, qua diligimus Deum et proximum.

Iam nunc accedamus ad assignandam missionem Spiritus sancti, qua invisibiliter mittitur in corda fidelium. Nam ipse Spiritus sanctus, qui Deus est ac tertia in Trinitate persona, ut supra ostensum est [1], a Patre et Filio ac se ipso temporaliter procedit, id est, mittitur ac donatur fidelibus. Sed quae sit ista missio sive donatio, vel quomodo fiat, considerandum est.

Praemittitur quod Spiritus S. est caritas.

Hoc autem ut intelligibilius doceri ac plenius perspici valeat, praemittendum est quiddam ad hoc valde necessarium. Dictum quidem est supra et sacris auctoritatibus ostensum [2], quod Spiritus sanctus amor est Patris et Filii, quo se invicem amant et nos. His autem addendum est, quod ipse idem Spiritus sanctus est amor sive caritas, qua nos diligimus Deum et proximum. Quae caritas, cum ita est in nobis, ut nos faciat diligere Deum et proximum, tunc Spiritus sanctus dicitur mitti vel dari [3] nobis; et qui diligit ipsam dilectionem, qua diligit proximum, in eo ipso Deum diligit, quia ipsa *dilectio Deus est* [4], id est Spiritus sanctus.

Probatur auctoritatibus.

Ne autem in re tanta aliquid de nostro influere [5] videamur, sacris auctoritatibus quod dictum est corroboremus. De hoc Augustinus in octavo libro de Trinitate [6] ait: «Qui proximum diligit, consequens est, ut ipsam praecipue dilectionem diligat. Deus autem dilectio est. Consequens ergo est, ut praecipue Deum diligat». Item in eodem [7]: «*Deus dilectio est*, ut ait Ioannes Apostolus. Ut quid ergo imus et currimus in sublimia caelorum et ima terrarum, quaerentes eum qui est apud nos, si nos velimus esse apud eum»? «Nemo dicat: non novi, quid diligam. Diligat fratrem et diligat eandem dilectionem. Magis enim novit dilectionem, qua diligit, quam fratrem, quem diligit. Ecce iam potes notiorem Deum habere quam fratrem, plane notiorem, quia praesentiorem, quia interiorem, quia certiorem. Amplectere dilectionem Deum [8] et dilectione amplectere Deum. Ipsa est dilectio, quae omnes bonos Angelos et omnes Dei servos consociat vinculo sanctitatis. Quanto igitur saniores [9] sumus a tumore superbiae, tanto sumus dilectione pleniores: et quo nisi Deo plenus est qui plenus est dilectione». His verbis satis ostendit Augustinus, quod dilectio ipsa, qua diligimus Deum vel proximum, Deus est. Sed adhuc apertius in eodem libro [10] subdit dicens: «Dilectionem fraternam quantum commendet Ioannes Apostolus, attendamus. *Qui diligit*, inquit [11], *fratrem in lumine manet, et scandalum in eo non est*. Manifestum est, quod iustitiae perfectionem in fratris dilectione posuerit. Nam in quo scandalum non est utique perfectus est. Et tamen videtur, dilectionem Dei tacuisse, quod nunquam faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum. Apertissime enim in eadem Epistola [12] paulo post dicit ita: *Dilectissimi, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est: et omnis qui diligit, ex Deo natus est et cognovit Deum. Qui non diligit non cognovit Deum, quia Deus dilectio est.* Ista contextio satis aperte declarat, eandem ipsam fraternam dilectionem — nam fraterna dilectio est qua diligimus invicem — non solum ex Deo, sed etiam Deum esse tanta auctoritate praedicari, scilicet Ioannis. Cum ergo de [13] dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus fratrem; nec fieri potest, ut eandem dilectionem non praecipue diligamus, qua fratrem diligimus, quoniam Deus dilectio est». Item [14]: «Qui non diligit fratrem non est in dilectione; et qui non est in dilectione non est in Deo, quia Deus dilectio est». Ecce apertissime [15] dicit, fraternam dilectionem Deum esse.

CAP. II.

Quod fraterna dilectio est Deus, nec Pater vel Filius, sed tantum Spiritus sanctus.

Cum autem fraterna dilectio sit Deus, nec Pater est nec Filius, sed tantum Spiritus sanctus, qui proprie in Trinitate dilectio vel caritas dicitur. Unde Augustinus

---

[1] Dist. XV. c. 1. — Immediate post cod. E et Vat. *semetipso* pro *se ipso*.

[2] Dist. X. — Paulo ante edd. 1, 2 *quoddam* pro *quiddam*.

[3] Codd. AC *donari*.

[4] I. Ioan. 4, 8. 16. Vulgata: *Deus caritas est.* Magister sequitur lectionem Augustini. — Hic incipit Magister exponere suam sententiam, ut falsam communiter reprobatam, quae caritatem ut habitum creatum negat; de quo vide S. Bonaventuram, hic p. I. q. 1.

[5] Sola Vat. *astruere.*

[6] Cap. 7. n. 10. — Immediate ante *Augustinus* edd. 1, 8 addunt *autem*.

[7] Ibid. n. 11; textus Scripturae est I. Ioan. 4, 16. — Proximus locus Augustini est loc. cit. et c. 8. n. 12.

[8] Ed. 5. *Dei.* — Deinde ed. 1 post *amplectere* legit *proximum* pro *Deum*.

[9] Edd. 1, 2, 4, 5, 8, 9 falso *sanctiores*, et cod. C *fortiores;* ut corrigatur hic error, edd. 1, 8 cum codd. BCDE prosequuntur sic: sanctiores sumus, *quanto* a tumore superbiae *inaniores* (cod. C *saniores*); sed nostra lectio est secundum textum Augustini, cod. A et Vat. cum edd. 3, 6, 7.

[10] Loc. cit. paulo infra. — Sola Vat. omittit *dicens*.

[11] I. Ioan. 2, 10. — Paulo ante post *dilectionem* edd. 3, 7, 9, omisso *fraternam*, ponunt *quam* pro *quantum*, et cum codd. ACD et ed. 6 *commendat* pro *commendet*.

[12] Cap. 4, 7. 8. Vulgata: *Carissimi, diligamus nos invicem: quia caritas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus caritas est.* — Mox Vat. cum plurimis edd. *ait* pro *dicit;* insuper post *dicit* edd. 3, 5, 6, 7, 9, variata interpunctione, male trahunt particulam *ita* ad verba sequentia. Denique ed. 1 *dulcissimi* pro *dilectissimi.*

[13] Solummodo edd. 1, 3 *Dei.*

[14] Loc. cit., sed paulo infra.

[15] Vat. cum aliis edd., contradicentibus codd. et edd. 1, 8, *aperte;* immediate post edd. 3, 7 *dixit* pro *dicit.*

in decimo quinto libro de Trinitate[1]: « Si in donis Dei nihil maius est caritate, et nullum est maius donum Dei quam Spiritus sanctus, quid consequentius est, quam ut ipse sit caritas, quae dicitur et Deus et ex Deo »? « Ita enim ait Ioannes[2]: *Dilectio ex Deo est;* et paulo post: *Deus dilectio est.* Ubi manifestat, eam se dixisse dilectionem Deum, quam dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio ». Item in eodem[3]: « Ioannes volens de hac re apertius loqui: *In hoc,* inquit, *cognoscimus, quia in ipso manemus et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Spiritus itaque sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere et ipsum in nobis; hoc autem facit dilectio. Ipse est igitur Deus dilectio. Ipse ergo[4] significatur, ubi legitur: *Deus dilectio est* ». Ex his apparet, quod Spiritus sanctus caritas est.

Cap. III.

Quod non est dictum per causam illud: Deus caritas est, sicut illud: Tu es patientia mea et spes mea.

Sed ne forte aliquis dicat, illud esse dictum per expressionem causae: *Deus caritas est,* eo scilicet quod caritas sit ex Deo et[5] non sit ipse Deus, sicut dicitur: Deus nostra patientia est et spes, non quod ipse sit ista, sed quia ista ex Deo sunt; occurrit Augustinus ostendens, non hoc esse dictum per causam, sicut illa, in decimo quinto libro de Trinitate[6] ita dicens: « Non dicturi sumus, caritatem non propterea esse dictam Deum, quod ipsa caritas sit una substantia, quae Dei digna sit nomine, sed quod donum sit Dei, sicut dictum est[7] Deo: *Tu es patientia mea.* Non utique ideo dictum est, quod Dei substantia est nostra patientia, sed quia ab ipso nobis est. Unde alibi[8]: *Ab ipso est patientia mea.* Hunc enim sensum facile refellit Scripturarum ipsa locutio. Tale est enim: *Tu es patientia mea,* quale est: *Domine spes mea*[9], et: *Deus meus misericordia mea,* et multa similia. Non est autem dictum: Domine caritas mea, aut: tu es caritas mea, aut: Deus caritas mea; sed ita dictum est[10]: *Deus caritas est,* sicut dictum est: *Deus spiritus est.* Hoc qui non discernit intellectum a Domino, non expositionem quaerat a nobis; non enim apertius quidquam possumus dicere. Deus ergo caritas est ». Ex praedictis clarescit, quod Spiritus sanctus caritas est, qua diligimus Deum et proximum; unde facilius est nobis ostendere, quomodo Spiritus sanctus mittatur sive detur nobis.

Cap. IV.

Quomodo Spiritus sanctus mittatur vel detur nobis.

Tunc enim mitti vel dari[11] dicitur, cum ita in nobis est, ut faciat nos diligere Deum et proximum, per quod manemus in Deo et Deus in nobis. Unde Augustinus hunc missionis modum insinuans in decimo quinto libro de Trinitate[12] ait: « Deus Spiritus sanctus, qui procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum Deum et proximum, et ipse dilectio est. Non enim habet homo, unde Deum diligat, nisi ex Deo ». Ecce quomodo datur vel mittitur nobis Spiritus sanctus, secundum quod dicitur datum sive donum. Quod donum Augustinus commendat explanans apertius, quomodo detur, in eodem libro[13]: Commendatio caritatis. « *Dilectio,* inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris,* ut ait Apostolus, *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Nullum est isto Dei dono excellentius. Solum[14] est, quod dividit inter filios regni et filios perditionis. Dantur et alia per Spiritum munera, sed sine caritate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuiquam Spiritus sanctus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra[15] non transfertur ad dexteram. Nec Spiritus sanctus proprie dicitur donum nisi propter dilectionem, quam qui non habuerit, etsi *loquatur omnibus linguis, et habuerit prophetiam et omnem scientiam et omnem fidem, et distribuerit omnem substantiam suam, et tradiderit corpus suum, ita ut ardeat, nihil ei prodest*[16]. Quantum ergo bonum est, sine quo ad aeternam vitam neminem tanta bona perducunt? Ipsa vero dilectio vel caritas — nam unius rei nomen est utrumque — perducit ad regnum. Dilectio igitur, quae ex Deo est et Deus[17], proprie Spiritus sanctus est, per quem *diffunditur in cordibus nostris Deus caritas,* per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissime Spiritus sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum proprie quid nisi caritas intelligendum est, quae perducit ad Deum, et sine qua quodlibet aliud Dei donum non perducit ad Deum »? Ecce hic aperitur, quod supra dictum erat[18], scilicet quod

---

[1] Cap. 19. n. 37. — Proximus locus Augustini est loc. cit. c. 17. n. 31; sed initium eius a Magistro est contractum, insuper plura verba mutata sunt.

[2] I. Ioan. 4, 7-8. — Vat. sola legit: *Et in eodem* pro *paulo post,* e contra eadem infra habet *paulo post* loco *in eodem.*

[3] Cap. 17. n. 31. — Ibidem codd. A B C post *eodem* addunt *Augustinus.* — Locus Scripturae est loc. cit. v. 13. Vulgata: *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Codd. A B C E et ed. 5 *cognovimus.*

[4] Supple cum ed. 1: *Spiritus.* — Paulo ante Vat. cum nonnullis edd.: Ipse est *ergo* pro *igitur.* Deinde post *ex his* Vat. et edd. 4, 5, 8, 9 addunt *ergo.*

[5] Sola Vat. omittit *et.* Paulo post edd. 5, 8 *ex eo* loco *ex Deo.*

[6] Cap. 17. n. 27. Mox solummodo Vat. et ed. 6 cum cod. C omittunt *ita.* — Deinde in ipso textu Augustini post *dicturi sumus* edd. 1, 8 adiiciunt *(ut quidam dicunt).*

[7] Psalm. 70, 5. — Hic Vat. et edd. 5, 8, 9 cum cod. E addunt *de* ante *Deo.* — Paulo infra post *dictum est,* Vat. cum aliis edd. repetit: *Tu es patientia mea,* refragantibus codd., ed. 1 et originali.

[8] Psalm. 61, 6. — Mox solummodo edd. 1, 8 legunt: *statim refellit* pro *facile refellit.*

[9] Psalm. 90, 9; et sequens textus est Psalm. 58, 18.

[10] I. Ioan. 4, 16, et mox: Ioan. 4, 24.

[11] Codd. A C D E addunt *nobis.*

[12] Cap. 17. n. 31.

[13] Loc. cit. et cap. 18. n. 32. — Locus Scripturae est Rom. 5, 5.

[14] Edd. 1, 8 ante *solum* addunt *Hoc;* ed. 2 legit: *Solum enim est.*

[15] Codd. A B C E bene praemittunt *ille,* sed contra originale et edd.

[16] I. Cor. 13, 1, in cuius textus fine Vat. et aliae edd. contra codd. et Vulgatam legunt *non* pro *nihil.*

[17] Vat. et aliae edd. contra codd. et edd. 1, 2, 3, 7 addunt *est.*

[18] Hic, cap. 1. et 2.

caritas sit Spiritus sanctus et donum excellentius, et quomodo hoc donum, id est Spiritus sanctus, detur nobis, scilicet cum ita impertitur alicui, id est, ita habet esse in aliquo, ut eum faciat Dei et proximi amatorem. Quod cum facit, tunc dari dicitur sive mitti alicui, et tunc ille dicitur proprie habere Spiritum sanctum.

Pars II.

Cap. V.

Utrum Spiritus sanctus augeatur in homine vel minus et magis habeatur vel detur, et an detur habenti et non habenti.

Hic quaeritur, si caritas Spiritus sanctus est, cum ipsa augeatur et minuatur in homine et magis et minus per diversa tempora habeatur, utrum concedendum sit, quod Spiritus sanctus augeatur vel minuatur in homine et magis vel[1] minus habeatur. Si enim in homine augetur et magis vel minus datur et habetur, mutabilis esse videtur; Deus autem omnino immutabilis est. Videtur ergo, quod vel Spiritus sanctus non sit caritas, vel caritas non augeatur vel minuatur in homine. *Item*, caritas et non habenti datur, ut habeat, et habenti, ut plenius habeat[2]. Si ergo Spiritus sanctus caritas est, et non habenti datur, ut habeat, et habenti, ut plenius habeat. Sed quomodo datur non habenti, cum ipse ut Deus sit ubique et in omnibus creaturis totus? et quomodo plenius datur vel habetur sine sui mutatione?

His ita[3] respondemus dicentes, quod Spiritus sanctus sive caritas penitus immutabilis est nec in se augetur vel minuitur nec in se recipit magis vel minus, sed in homine vel potius homini augetur et minuitur et magis vel minus datur vel habetur; sicut Deus dicitur magnificari et exaltari in nobis, qui tamen in se nec magnificatur nec exaltatur. Unde Propheta[4]: *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Super quem locum ait auctoritas[5]: «Deus non in se, sed in corde hominis grandescit». Sic ergo Spiritus sanctus homini datur et datus amplius datur, id est augetur, et magis ac minus habetur, et tamen immutabilis existit. (Responsio ad 1. quaest.)

Cumque ubique sit et in omni creatura totus, sunt tamen multi, qui eum non habent. Non enim omnes Spiritum sanctum habent, in quibus est; alioquin et irrationales creaturae haberent Spiritum sanctum, quod fidei pietas non admittit. (Ad 2. quaest.)

Ut autem certius fiat quod diximus, auctoritate confirmamus[6]. (Confirmatur.) Quod Spiritus sanctus magis ac minus percipiatur et homini augeatur et non habenti detur, et habenti, ut plus habeatur, Augustinus ostendit super Ioannem[7] dicens: «Sine Spiritu sancto constat Christum nos non diligere et eius mandata servare non posse, et id nos posse atque agere tanto minus, quanto illum percipimus minus, tanto vero amplius, quanto illum percipimus amplius. Ideoque non solum non habenti, verum etiam habenti non incassum promittitur: non habenti quidem, ut habeatur, habenti autem, ut amplius habeatur. Nam si ab alio minus et ab alio amplius non haberetur, sanctus Eliseus sancto Eliae non diceret[8]: *Spiritus, qui est in te, duplo sit in me.* Christo autem, qui est Dei Filius, *non ad mensuram datus est Spiritus*[9]. Neque enim sine gratia Spiritus sancti est *Mediator Dei et hominum homo Christus*[10]; quod enim est unigenitus Filius aequalis Patri, non est gratiae, sed naturae; quod autem in unitatem personae Unigeniti assumtus est homo, gratiae est, non naturae. Ceteris autem ad mensuram datur et datus additur, donec unicuique pro modo suae perfectionis propria mensura compleatur». Ecce expressum[11] habes, quod Spiritus sanctus magis et minus datur vel accipitur, et homini datus augetur, et habenti et non habenti datur, quia Spiritus sanctus est caritas, quae non habenti datur et in habente augetur et proficit. Immo, ut verius et magis proprie loquar, homo in ea proficit et deficit aliquando; et tunc ipsa dicitur proficere vel deficere, quae tamen nec proficit nec deficit in se, quia Deus est. Unde Augustinus in homilia nona super Epistolam Ioannis[12] ait: «Probet se quisque, quantum in illo profecerit caritas, vel potius quantum ipse in caritate profecerit. Nam si caritas Deus est, nec proficit nec deficit. Sic ergo dicitur proficere in te caritas, quia tu in ea proficis». Ecce quomodo intelligendum sit, cum dicitur Spiritus sanctus augeri in nobis, quia nos in eo scilicet proficimus; sic et alia huiusmodi.

---

[1] Vat. et ed. 4 *vel magis et minus;* cdd. 2, 3, 5, 7, 9 cum cod. D *et magis et minus;* ed. 8 *id est magis vel.* Secuti sumus codd. ABCE et edd. 1, 6.

[2] Respicitur ad Luc. 19, 26.

[3] Vat. et aliae edd. contra ed. 1 et omnes codd. *itaque.*

[4] Psalm. 63, 7. 8. — Vat. et nonnullae edd. *Accedit,* contradicente etiam Vulgata.

[5] Scilicet Cassiodorus supra Psalm. 63, 6. — Paulo post Vat. cum aliis edd. *magis et minus,* sed codd. *magis ac minus.*

[6] Vat. et edd. 4, 6 *confirmemus;* edd. 1, 8 *firmemus.* Mox solummodo Vat. et ed. 4 post *detur* adiiciunt *ut habeatur.* Denique edd. 1, 8 post *ut plus* addunt *vel plenius.*

[7] Tract. 74. in Evang. Ioan. n. 2. et 3.

[8] IV. Reg. 2, 9. Vulgata: *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus.* Magister refert haec verba, sicut habentur apud Augustinum. Post hunc locum omnes codd. et edd. 1, 6 addunt vel in margine vel in textu sequentem notulam, quae etiam a S. Thoma in suo Comment. (hic, expositio textus) citatur: *In libro Regum legitur sic: Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis, et faciam tibi, antequam tollar a te: dixitque Eliseus: Obsecro, ut spiritus tuus fiat duplex in me. Quod ibidem sic exponitur: Elias spiritu prophetali et operatione miraculorum excellenter pollebat. Geminam ergo gratiam, quam Eliseus in Magistro vigere cognoscebat, sibi tribui rogavit. Unde patet, quod non esse discipulus super Magistrum postulavit.*

[9] Ioan. 3, 34. Vulgata: *non enim ad mensuram dat Deus spiritum.*

[10] I. Tim. 2, 5. — Mox Vat. et plures edd. post *unigenitus* addunt *Dei*, contradicentibus omnibus codd., edd. 1, 8 et Augustino, qui etiam vocem *Filius* omittit.

[11] Vat. et plures edd. *expresse* contra codd. et edd. 1, 8.

[12] Sive Tract. 9. in Epist. Ioan. n. 2.

Cap. VI.

Quod aliqui dicunt, caritatem Dei et proximi non esse Spiritum sanctum.

Supra dictum est, quod Spiritus sanctus est caritas Patris et Filii, qua se invicem diligunt et nos, et ipse idem est caritas, quae diffunditur in cordibus nostris ad diligendum Deum et proximum. Horum alterum omnes catholici concedunt, scilicet quod Spiritus sanctus sit caritas Patris et Filii; quod autem ipse idem sit caritas, qua diligimus Deum et proximum, a plerisque negatur. Dicunt enim: si Spiritus sanctus caritas est Patris et Filii et nostra, eadem ergo caritas est, qua Deus diligit nos, et qua nos diligimus eum. Hoc autem Sanctorum auctoritates negare videntur. Dicit enim Augustinus in libro de Spiritu et littera[1]: «Unde est dilectio, nisi unde et ipsa fides, id est a Spiritu sancto? Non enim esset in nobis, nisi *diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum.* Caritas autem Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos. Sicut *iustitia Dei* dicitur, qua nos iusti eius munere efficimur, et *Domini salus,* qua nos salvat, et *fides Christi,* qua nos fideles facit». His verbis videtur monstrari distinctio inter caritatem, qua Deus nos diligit, et qua nos diligimus. Et sicut iustitia nostra dicitur Dei, non quod ipse sit ea iustus, sed quia ea nos iustos facit, similiter et fides et salus; sic videtur dicta caritas Dei, quae est in nobis, non quod ipse ea diligat, sed quia ea nos diligere facit. De hoc etiam idem Augustinus in libro decimo quinto de Trinitate[2] ait: «Cum Ioannes commemorasset Dei dilectionem, non qua nos eum, sed qua *ipse dilexit nos, et misit Filium suum liberatorem pro peccatis nostris*». Ecce et hic videtur manifeste dividere dilectionem, qua nos diligimus Deum, ab ea, qua ipse diligit nos. Si ergo, inquiunt, Spiritus sanctus dilectio est, qua Deus diligit, et qua nos diligimus, duplex dilectio est, immo duo diversa est, quod absurdum et a veritate longe est. Non est ergo dilectio, qua diligimus, sed qua Deus tantum diligit nos.

Rationes contrariae opinionis.

His respondemus praedictarum auctoritatum verba determinantes hoc modo: caritas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua ipse nos diligit, sed qua nos diligere facit etc. His verbis non dividitur nec diversa[3] ostenditur caritas, qua Deus nos diligit, ab ea, qua nos diligimus, sed potius, cum sit una et eadem caritas et dicatur ipsa Dei caritas, diversis de causis et rationibus Dei caritas appellari in Scriptura ostenditur. Dicitur enim Dei caritas, vel quia Deus ea diligit nos, vel quia nos ea sui dilectores facit.

Responsio.

Cum ergo ab Apostolo dicitur *caritas Dei diffundi in cordibus nostris,* non est dicta caritas Dei, qua diligit nos, sed qua facit nos diligere, id est, non ibi appellatur caritas Dei, eo quod Deus ea nos diligit, sed eo quod nos ea sui dilectores facit. Et quod ea ratione possit dici caritas Dei, quia nos ea diligere facit, ex simili genere locutionis ostendit[4]; sicut dicitur *iustitia Dei,* qua nos iustificat, et *Domini salus,* qua nos salvat, et *fides Christi,* qua nos fideles facit.

Determinatur 1. auctoritas.

Similiter et aliam exponimus auctoritatem, ubi ait, dilectionem Dei commemorari, non qua nos eum, sed qua ipse dilexit nos, ac si diceret, commemorat dilectionem Dei, non secundum quod ea nos diligimus Deum, sed secundum quod ipse ea diligit nos.

Item 2. auctoritas.

Sed aliud est, inquiunt, quod magis urget. Dixit enim supra[5] Augustinus, quod dilectio est a Spiritu sancto, a quo et fides. Sicut ergo fides non est Spiritus sanctus, a quo est, ita nec caritas. Quomodo enim caritas[6] Spiritus sanctus est, si ab ipso est? Nam si ab ipso est et ipse est, ergo Spiritus sanctus a se ipso est. Ad quod dicimus: Spiritus sanctus quidem a se ipso non est, sed tamen a se ipso datur nobis, ut supra dictum est[7]. Dat enim se ipsum nobis Spiritus sanctus. Et ex hoc sensu dictum est, quod caritas ab ipso est in nobis, et tamen ipsa Spiritus sanctus est. Fides autem est a Spiritu sancto, et non est Spiritus sanctus, quia donum vel datum solummodo est, non Deus dans.

Alia obiectio.

Respondetur.

Alias quoque inducunt rationes ad idem ostendendum, scilicet quod caritas non sit Spiritus sanctus, quia caritas affectio mentis est et motus animi; Spiritus sanctus vero non est affectio animi vel motus mentis, quia Spiritus sanctus immutabilis est et[8] increatus: non est ergo caritas.

Instant.

Quod autem caritas sit affectio animi et motus mentis, auctoritatibus confirmant. Dicit enim Augustinus in tertio libro de Doctrina christiana[9]: «Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum et se ac proximo propter Deum». Idem in libro de Moribus Ecclesiae catholicae[10], tractans illud verbum Apostoli: *Nec mors nec vita poterit nos separare a caritate Dei:* «Caritas Dei, inquit, hic dicta est virtus, quae animi nostri rectissima affectio est, quae coniungit nos Deo, qua eum diligimus». Ecce his verbis exprimitur, quod caritas est affectio et motus animi, ac per hoc non videtur esse Spiritus sanctus.

Et confirmant.

Ad quod dicimus, hoc ita dictum esse, sicut dicitur: *Deus est spes nostra, et patientia nostra,* quia

Respondet Magister.

---

[1] Cap. 32. n. 56; in principio textus Magister verba mutavit. Sic enim legitur apud Augustinum: *Unde ergo ista dilectio, id est caritas, per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit? Neque enim* etc. — Locus Scripturae, ad quem alluditur, est Rom. 5, 5.

[2] Cap. 17. n. 31. Alluditur ad I. Ioan. 4, 10, ubi Magister male habet *liberatorem.* Vulgata: *propitiationem;* edd. 1, 8 cum textu Augustini *litatorem.* (Graece · ἱλασμόν).

[3] Edd. 2, 3, 5, 7 *divisa.* Paulo post Vat. cum aliis edd., exceptis 1, 8, contra codd. particulam *et* praemittit verbo *diversis,* sed minus bene. Denique Vat. et edd. 4, 8 legunt *suos dilectores* loco *sui dilectores.*

[4] Vat. et edd. 1, 4, 6, 8 cum cod. D *ostenditur.*

[5] In principio huius cap.

[6] Vat. et aliae edd., exceptis 1, 8, omittunt *caritas* contra codd.; immediate ante Vat. cum cod. D et plerisque edd. legit *ergo* pro *enim.*

[7] Dist. XV.

[8] Sola Vat. omittit *et.*

[9] Cap. 10. n. 16.

[10] Libr. I. c. 11. n. 19. — Locus Apostoli est Rom. 8, 38. 39. — In principio textus Augustini post *inquit* Vat. sola addit *in sensu;* etiam vocabulum sequens *hic* omittitur ab edd. 2, 3, 5, 7, 9.

facit nos sperare et pati; ita caritas dicitur esse motus sive affectio animi, quia per eam movetur et afficitur animus ad diligendum Deum. Non autem mireris, si caritas, cum sit Spiritus sanctus, dicatur motus mentis, cum etiam in libro Sapientiae[1] dicatur de Spiritu Sapientiae, *quae attingit a fine usque ad finem*, quod est actus *mobilis*, *certus*, *incoinquinatus*. Quod non ideo dicitur, quod Sapientia sit mobile aliquid vel actus aliquis, sed quia sui immobilitate omnia attingit non locali motu, sed ut ubique semper sit et[2] nusquam inclusa teneatur. Sic ergo caritas dicitur motus animi, non quod ipsa sit motus vel affectio vel virtus animi, sed quia per eam, quasi esset virtus, afficitur mens et movetur. Sed si caritas Spiritus sanctus est, *qui operatur in singulis, prout vult*[3], cum per eum mens hominis afficiatur et moveatur ad credendum vel sperandum et huiusmodi, sicut ad diligendum; quare non sic dicitur caritas motus vel affectio mentis ad credendum vel sperandum, sicut ad diligendum? Ad quod sane dici potest, quia alios actus atque motus virtutum operatur caritas, id est Spiritus sanctus, mediantibus virtutibus, quarum actus sunt, utpote actum fidei, id est credere fide media, et actum spei, id est sperare media spe. Per fidem enim et spem praedictos operatur actus. Diligendi vero actum per se tantum sine alicuius virtutis medio operatur, id est diligere. Aliter ergo hunc actum operatur quam alios virtutum actus. Ideoque differenter de hoc et de aliis loquitur Scriptura, quae istum specialiter caritati tribuit. Est ergo caritas vere Spiritus sanctus. Unde Augustinus, praemissum verbum Apostoli tractans, in eodem libro[4] caritatem dicit esse bonum, quo nil melius est, et per hoc ipsam esse Deum significat dicens: « Si nulla res ab eius caritate nos separat, quid esse non solum melius, sed etiam certius hoc bono potest » ? Ecce dicit, quia caritate nihil est melius. Caritas ergo Spiritus sanctus est, qui Deus est et donum Dei sive datum, qui dividit singulis fidelibus dona nec ipse dividitur, sed indivisus singulis datur. Unde Augustinus[5], ubi Ioannis dicit, *non ad mensuram Christo dari Spiritum*, ait: « Ceteris vero dividitur, non quidem ipse Spiritus, sed dona eius[6] ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVII.

De invisibili Spiritus sancti missione.

Pars I.

Determinatur invisibilis Spiritus sancti missio.

Iam nunc accedamus ad assignandam missionem Spiritus sancti, qua invisibiliter mittitur.

DIVISIO TEXTUS.

Terminata parte, in qua Magister egit de processione Spiritus sancti visibili, in hac parte agit de invisibili. Et dividitur haec pars in duas. In *prima* determinat Magister Spiritus sancti invisibilem[1] missionem secundum suam opinionem. In *secunda* vero, quia sua opinio habuit multos impugnatores, ponit opinionis suae defensionem, ibi: *Hic quaeritur, si caritas Spiritus sanctus est.*

Prima iterum pars habet duas: in *prima* missionem Spiritus sancti invisibilem *notificat;* in *secunda confirmat*, ibi: *Ne autem in re tanta aliquid de nostro* etc.

Item, prima pars, in qua *notificat*, habet duas, in quarum prima praedicit suam intentionem, ibi: *Iam nunc accedamus ad assignandam;* in secunda, supposito, quod Spiritus sanctus sit amor, quo diligimus Deum et proximum, ostendit, ipsum invisibiliter mitti, quando in nobis efficit hunc effectum; et hoc facit ibi: *Hoc autem ut intelligibilius doceri* etc.

Ne autem in tanta re. Haec est[2] *secunda* pars,

---

[1] Cap. 8. 1; et verba, quae sequuntur, c. 7. 22, ubi Vulgata, inverso ordine verborum: *mobilis, incoinquinatus, certus.* Vat. cum aliis edd., exceptis 1, 8 et cod. D, ante *attingit* legit *qui* loco *quae*, et deinde codd. A C D et edd. 1, 8 male iterum legunt *qui* pro *quod.*

[2] Sola Vat. omittit *et.*

[3] I. Cor. 12, 11.

[4] De Moribus Eccl. l. cap. 11. n. 18. — Mox codd. A B C E et edd. 1, 5 omittunt *est* post *nil melius.*

[5] Tract. 74. in Evang. Ioan. n. 3. Ad Ioan. 3, 34. Augustini verba sunt: *Neque enim ipse dividitur Spiritus, sed dona per Spiritum: nam divisiones donationum sunt, idem autem Spiritus.*

[6] Huic distinctioni Vat. et edd. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 cum cod. E coniungunt sequentis dist. primum capitulum scil. verba: *Hic quaeritur* usque *ad donum dona donari* inclusive. Sed codd. A B C D et edd. 1, 2 recte hic incipiunt dist. XVIII, sicut etiam antiqui Commentatores, praesertim S. Bonaventura, S. Thomas, B. Albertus, Richardus a Mediavilla, quod apparet ex *divisione textus*, quam faciunt.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Ex mss. et sex primis edd. supplevimus male omissum *invisibilem.*

[2] Vat. praeter fidem codd. et ed. 1, verbis Magistri *Ne autem in tanta re* omissis, propositionem ita incipit: *Similiter secunda pars;* mox ob variatam constructionem ponit *habet* loco *et dividitur haec pars in.*

in qua positionem suam *confirmat;* et dividitur haec pars in quatuor partes. In prima ostendit, quod amor, quo diligimus Deum, est Deus, et[1] similiter amor, quo diligimus proximum. In secunda vero ostendit, quod amor ille proprie est Spiritus sanctus, ibi: *Cum autem fraterna dilectio sit Deus* etc. In tertia ostendit, quod Spiritus sanctus est caritas, non causaliter, sed essentialiter et formaliter loquendo, ibi: *Sed ne forte aliquis dicat, illud dictum.* Quarto et ultimo concludit[2], tanquam manifestatum iam, quod Spiritus sanctus tunc mittitur invisibiliter, quando nos facit Dei et proximi dilectores, ibi: *Ex praedictis clarescit, quod Spiritus sanctus caritas est* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quatuor quaeruntur.

Primo et principaliter propter positionem Magistri quaeritur, utrum praeter donum caritatis increatae sit ponere donum caritatis creatae; et hoc est quaerere, utrum caritas, qua diligimus Deum, sit Spiritus sanctus.

Secundo, dato quod sit creata caritas, quaeritur, utrum illa caritas sit diligenda ex caritate.

Tertio, utrum caritas certitudinaliter possit cognosci ab habente caritatem.

Quarto, si possit cognosci a[3] non habente.

ARTICULUS UNICUS.

De dono creati habitus caritatis, utrum existat, et quomodo diligi et cognosci possit.

QUAESTIO I.

Utrum praeter caritatem increatam poni debeat habitus caritatis creatus.

Circa primum, quod non sit ponere aliam caritatem a caritate[4] increata, supposita probatione per auctoritates multas, quas adducit Magister in littera[5], Ad oppositum. probatur *rationibus,* et *primo* rationibus sumtis ab *essentia* caritatis, quae est bonitas, hoc modo.

1. Nullum accidens est melius substantia ra- Rationes sumtae ab essentia. tionali; sed caritas est melior anima rationali, quia eam facit meliorem: ergo non est accidens, ergo est substantia. Sed constat, quod non irrationalis, ergo rationalis, ergo anima vel Angelus vel Deus; sed non anima vel Angelus: ergo Deus[6].

2. Item, nulla bonitas creata aequivalet beatitudini[7]; sed caritas aequivalet beatitudini, quia per caritatem meretur homo, ut efficiatur dignus vita aeterna sive beatitudine: ergo caritas non est bonitas creata: ergo etc.

3. Item, omne bonum creatum est bonum per participationem; sed omne bonum alio bono bonum potest intelligi non bonum[8], et sic caderet in ipso malum per diminutionem speciei, modi et ordinis: ergo si caritas est bona bonitate creata, caritas potest esse mala vel saltem intelligi mala vel etiam fieri informis; quod falsum est.

Item, hoc ipsum ostenditur rationibus sumtis a Rationes sumtae a virtute. *virtute* sic.

4. Quanto aliquid virtuosius, tanto paucioribus mediis indiget, ergo si aliquid est potentissimum, nulla alia a se virtute indiget: ergo si Spiritus sanctus est potentiae infinitae et ipse est caritas, ergo se ipso, non alio, inflammat affectum ad amorem: non est ergo ponere caritatem creatam necessario, quae sit habitus.

5. Item, plus distat virtus naturalis a Deo quam voluntas; sed Deus dirigit virtutem naturalem non alio quam sit ipse[9]: ergo si ibi non cadit medium, nec in voluntate cadet: ergo etc.

6. Item, ubi movet virtus motoris primi semper praesens et non potens errare, superfluit aliam virtutem superaddere, ut puta, si manus esset semper coniuncta temoni, non oporteret ibi esse aliam

---

[1] Praeferimus lectionem nonnullorum codd. ut M T Z (cod. H omittit particulam *et*), in qua additur *Deus et*, quae intentioni Magistri ad amussim correspondet.

[2] Vat. cum cod. cc *ostendit*, sed contra antiquiores codd. cum ed. 1.

[3] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 *ab aliquo.*

[4] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 restituimus *caritate.*

[5] Hic, c. 1-4. et c. 6.

[6] Sub hoc respectu ait August., libr. 83 QQ. q. 54: Nec quidquam est melius rationali anima, nisi Deus. — Paulo ante verbo *irrationalis* praefigitur in cod. V *est.*

[7] Beatitudo enim secundum Boeth., III. de Consol. Prosa 2, est status bonorum omnium congregatione perfectus. — Mox sequimur plures codd. ut B H K O T Z ff substituendo *ut efficiatur* loco *et efficitur,* quod Vat. cum ed. 1 et aliis codd. habet.

[8] Boeth., de Hebdomad. ait: Si participatione (bona sunt), per se ipsa nullo modo bona sunt; nam quod participatione album est, per se in eo quod ipsum est, album non est, et de ceteris qualitatibus eodem modo. — Mox post *creata* in Vat. et cod. cc deest *caritas*, quod tamen invenitur in ceteris mss. et ed. 1.

[9] Vat. cum ed. 1, sed contra fere omnes codd. et edd. 2, 3, 4, 5, 6 *se ipso* pro *sit ipse;* ed. 1 insuper omittit *quam.* Paulo ante multi codd. cum ed. 1 perperam *diligit* loco *dirigit.*

virtutem; sed Spiritus sanctus est dirigens et adiuvans ipsam voluntatem et est coniunctus semper et non potens errare: ergo superfluit aliam caritatem ponere; sed omne superfluum est resecandum: ergo etc.

Rationes sumtae ab actu.

Item, rationibus sumtis ab *actu* ostenditur illud idem.

7. Quia actus caritatis est animam *recreare;* sed non minoris virtutis est *recreare,* quam *creare* [1], ergo si creare solum est ab increato, quod est infinitae potentiae, ergo et recreare; sed hoc proprium est caritatis: ergo est increata.

8. Item, aliquis actus caritatis est unire; sed nulla creatura per vanitatem unitur veritati, sed [2] omnis creatura vanitas: ergo nulla creatura est medium uniendi Deo: si ergo caritas est medium uniendi, ergo non est vanitas nec creatura.

9. Item, actus caritatis est unumquodque ordinate diligere: ergo si ordinate diligere est diligere unumquodque, secundum quod sibi convenit, cum bonum increatum sit melius creato in infinitum, ergo ipsum magis in infinitum diligibile: ergo si caritas facit Deum diligere, ut diligendus est, caritas facit Deum in infinitum diligere; sed quod exit in actum infinitum est increatum [3]: ergo etc.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Caritas est principium reformandi animam quantum ad potentiam voluntatis; sed anima quantum ad alias potentias, scilicet irascibilem et rationalem, reformatur per virtutes creatas: ergo pari ratione et concupiscibilis; sed eius reformatio [4] est caritas: ergo etc.

2. Item, ubi est reformatio, ibi est conformatio et informatio, et ubi est informatio, ibi est aliquid informans, quod se habet per modum formae; sed omnis forma rei creatae est creata; Deus enim nullius est forma perficiens: ergo etc.

3. Item, caritas est principium vivendi; unde Hugo de sancto Victore [5]: « Scio, anima mea, quod amor est vita tua »; sed omnis vita, existens per participationem in aliquo, est ab aliquo informante, ex quo et vivificabili fiat unum; sed ex Deo et anima non potest fieri unum: ergo necesse est ponere in anima aliquam caritatem creatam, quae vivificet.

4. Item, omne quod est in aliquo possibili ad mortem, est in [6] illo per aliquod separabile; sed vita gratiae est in anima possibili ad moriendum morte culpae: ergo per aliquod separabile; hoc autem non est Deus, quia impossibile est Dei praesentiam separari ab aliquo: ergo est aliquid creatum.

5. Item, caritas est principium gratificandi; sed gratificatio est illud [7], in quo distinguitur bonus a malo, iustus ab impio, non tantum in actu, sed etiam in quiete, ut parvulus vel adultus dormiens: ergo cum distinctio non sit boni a malo per bonitatem increatam, quia illa omnibus est communis, caritas dicit quid creatum [8]. Et iterum, cum distinctio quiescentium non sit per actum vel usum, sed habitum, patet quod caritas dicit habitum creatum.

6. Item, caritas est principium merendi; sed non quia bona facimus, ideo boni sumus, sed magis e converso: ergo [9] caritas prius facit bonum, quam eliciat actum; sed cum aliquis de non bono fit bonus, necesse est aliquid poni in ipso de novo, et hoc non potest esse actus: ergo habitus.

7. Item, Deus alio modo cooperatur in operatione meritoria quam naturali, quia si non alio modo, tunc redit error Pelagii, quod ex naturalibus posset homo mereri; si ergo alio modo, cum per virtutem increatam omni naturae cooperetur, necesse est, quod in operatione creata meritoria cooperetur mediante alia virtute; sed haec non potest esse nisi creata: ergo etc.

8. Item, videtur quod Magister erraverit, quia qui dividit opera Trinitatis haereticus est; sed Magister posuit, quod caritas, qua nos diligimus Deum, sit Spiritus sanctus proprie: ergo ponit, quod nostrum diligere, quod est effectus in creatura, sit solius Spiritus sancti; et ita dividit opera Trinitatis.

9. Item, qui dicit, quid creatum esse increatum, errat; sed caritas, qua diligimus Deum et proximum, ut communiter tenetur, est quid creatum; sed Magister dixit, hanc esse Spiritum sanctum: ergo erravit.

---

[1] Cfr. supra d. 14. a. 2. q. 2. fundam. 7. — Paulo ante codd. WY post *virtutis est* repetunt *animam.*

[2] Ex mss. et edd. 1, 2, 3, 6 substituimus *sed* loco *et.* Mox post *omnis creatura* cod. X addit *est.*

[3] Fide plurimorum mss. et ed. 1 expunximus *infinitum et,* quod Vat. praemittit verbo *increatum.*

[4] Ed. 1 *reformativum.*

[5] De Arrha animae, in princ.: Scio, quod vita tua dilectio est. In quo textu Vat., multis codd. cum edd. 1, 6 refragantibus, *Scito.*

[6] Ex fere omnibus codd. et sex primis edd. supplevimus male omissum *in.*

[7] Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 *id* loco *illud,* et paulo infra *et adultus* pro *vel adultus dormiens.*

[8] Codd. inter se dissentiunt; plures cum Vat. et ed. 1 non falso *caritas non dicit quid commune;* alii falso *caritas dicit quid commune,* ex quo tamen lectio codd. OUZ, quam in textum recepimus, quaeque distinctior est, confirmari videtur. Cod. T a manu secunda in margine *caritas enim increata dicit quid commune,* sed superflue, utpote repetitio propositionis praecedentis; lectio vero eiusdem primitiva, in qua verba, de quibus agitur, prorsus omittuntur, non est spernenda, immo magis placeret quam ceterae, si firmiore auctoritate fulciretur; quod si haec praeferatur, interpunctio esset mutanda ita, ut proxime sequens propositio coniungatur cum praecedenti.

[9] In Vat. incongrue omittitur *ergo,* quod in mss. et edd. 1, 2, 3 invenitur.

CONCLUSIO.

Praeter caritatem increatam poni debet caritas, quae est habitus creatus et animam informans.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc est et fuit ab antiquo duplex opinio. Quorundam enim, ut Magistri et sequacium suorum, est opinio, quod Spiritus sanctus est essentialiter caritas, qua Pater et Filius diligunt nos, et etiam qua nos diligimus Deum.

Opinio Magistri.

Et quidam voluerunt dicere, quod intellectus huius positionis hic est [1]. Dicunt enim, quod, sicut lux potest tripliciter considerari, scilicet in se et in transparenti et in extremitate perspicui terminati — primo modo est lux, secundo modo lumen, tertio modo hypostasis coloris [2] — ita Spiritus sanctus potest considerari *in se*, et sic est amor Patris et Filii; potest rursum considerari *ut in anima humana inhabitans*, et sic Spiritus sanctus dicitur gratia; potest etiam considerari *ut unitus voluntati*, et sic est caritas, qua nos diligimus Deum. Unde dicunt, quod Spiritus sanctus est nostra caritas, non per appropriationem, sed per unionem. Quemadmodum enim solus Filius est homo vel est [3] incarnatus; et tamen tota Trinitas est incarnationem operata, sed tamen solus Filius unitus: sic, quamvis tota Trinitas faciat unionem Spiritus sancti cum voluntate, solus tamen Spiritus sanctus unitur voluntati, et ideo solus est caritas.

Expositio I. huius opinionis.

Ratio autem movens ad ponendum hoc est *auctoritas* Apostoli, primae ad Corinthios sexto [4]: *Qui adhaeret Deo unus Spiritus est*, et etiam *similitudo*. Dicunt enim, quod, sicut Filius procedit per modum naturae et ita naturae unitur [5], sic Spiritus sanctus per modum voluntatis, et ideo voluntati unibilis et unitus. Et quia voluntas vertibilis est, non sic natura, ideo Spiritus sanctus unitur separabiliter, sed Filius inseparabiliter, et ideo longe inferiori modo quam Filius; et quibus sic unitur, se ipso facit diligere.

Ratio huius expositionis.

Sed haec positio non potest stare, quia Spiritus sanctus non est unibilis; et *praeterea*, si esset unibilis, aut per naturam, aut per gratiam. Non per naturam, ergo per gratiam: ergo adhuc oporteret [6] esse habitum gratiae disponentem animam ad susceptionem talis unionis; et ita redit contrarium. Ideo non credo, quod Magister hoc modo fuerit huius opinionis.

Reprobatur.

Et propter hoc aliter dicendum, quod illud: *quo diligimus Deum*, tripliciter est accipere: aut quo diligimus *effective*, et sic caritas sive amor est totius [7] Trinitatis et Spiritus sancti appropriate; aut quo diligimus *exemplariter*, et sic Spiritus sanctus, qui est unio Patris et Filii et nexus amborum, est [8] unitas, ad cuius imitationem caritas nos nectit, secundum quod dicit Dominus, Ioannis decimo septimo [9]: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus*; aut quo diligimus *formaliter*, et sic secundum opinionem Magistri est animi affectio.

Alia expositio cum triplici distinctione.

Et in his omnibus verum dixit nec erravit, sed *defecit*; quia praeter hoc est ponere caritatem secundum communem opinionem, quae sit [10] habitus creatus animam informans. Et ratio huius sumitur a parte *essentiae* eius, *virtutis* et *operationis*.

Iudicium de opinione Magistri.

Rationes.

A parte *essentiae*, quia caritas est bonitas creaturae rationalis, ipsam perficiens et distinguens et ordinans et disponens ad vitam aeternam: ergo necesse est, quod sit eius [11] formalis perfectio.

A parte essentiae.

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod caritas est melior anima rationali; dicendum, quod non est ibi comparatio, quia ubi unum propter alterum, ibi tantum unum [12]; unde habens caritatem bonus est propter caritatem. *Vel* non cadit ibi comparatio, quia non uniformiter dicitur bonum. Nam substantia rationalis dicitur bona, quia ordinabilis in finem, caritas bona, quia ordinans.

Solvuntur contrariae rationes.

Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod aequivalet beatitudini; dicendum, quod aequivalet secundum divinam aestimationem, quae [13] opus caritatis aestimat dignum vita aeterna sive tanta remuneratione.

3. Ad illud quod obiicitur, quod si est bonum per participationem, tunc eius bonitas est permutabilis in informitatem; dicendum, quod aliquid [14]

---

[1] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *potest demonstrari per similitudinem* loco *hic est*. Paulo ante cod. O omittit *quidam*; cod. V autem ibi addit *etiam*.

[2] Hoc explicatur verbis S. Thomae, hic q. 1. a. 1: Quia hypostasis coloris est lux, et color nihil aliud est quam lux incorporata. — Plura de hoc habet S. Bonaventura, II. Sent. d. 13. a. 2. q. 2; et III. Sent. d. 23. dub. 4. Cfr. etiam I. Sent. d. 3. p. 1. dub. 7.

[3] Ex antiquioribus mss. supplevimus *est*.

[4] Vers. 17, ubi Vulgata: Qui autem adhaeret Domino, unus etc. — Mox post *etiam* Vat. absque ulla auctoritate mss. et ed. 1 adiungit *movet eos*.

[5] Aliqui codd. ut A I T aa cum ed. 1 *unitus*, cui cod. aa addit *est*.

[6] Vat. cum cod. cc, antiquioribus tamen codd. cum ed. 1 refragantibus, *oportet*.

[7] Fide vetustiorum mss. restituimus non bene omissum *totius*.

[8] Corrupta lectio Vat. et cod. cc, in qua, paulo ante omisso *qui*, hic loco *est* ponitur *et*, deinde post *unitas* nova incipit propositio, resarcitur ope antiquiorum codd. et ed. 1. — Cod. Z *quoniam* loco *qui*, et plures codd. falso ponunt *aliorum* pro *amborum*.

[9] Vers. 21.

[10] Postulantibus antiquioribus mss. et ed. 1, substituimus *sit* loco *est*.

[11] In Vat. et cod. cc desideratur *eius*, quod alii codd. cum ed. 1 bene exhibent.

[12] Aristot., III. Topic. c. 2: Si alicubi alterum alterius gratia; nihil enim eligibiliora utraque quam unum: ut sanum fieri et sanitas, quam sanitas etc.

[13] Nonnulli codd. ut A S T W cc minus congrue *qui*, cd. 1 cum uno alteroque cod. ut I *quia*. Mox cod. bb *reputat* pro *aestimat*.

[14] Cod. T addit *est et*.

dicitur bonum per participationem dupliciter: aut quia participans et ordinatum, aut quia participatio et ordinatio. Primo modo est bonum habens caritatem, secundo modo [1] caritas; et ideo potest *non esse*, quia non est ipsa essentia bonitatis, sed participatio; tamen ens [2] non potest *non esse bona* vel ordinata, quia est ipse ordo amoris. Unde solvendum ad [3] illud per distinctionem; et in hoc patent rationes sumtae ab essentia.

A parte virtutis. A parte etiam *virtutis* necesse est ponere caritatem habitum creatum. Nam caritas, qua diligimus Deum, est virtus, non tantum quia [4] Deus cooperatur nobis, sed etiam quia nostra voluntas cooperatur Deo: *Adiutores enim Dei sumus* [5]; et quia, cum cooperamur Deo, necesse est nos sibi conformari, necesse est, quod ab illa summa caritate relinquatur in nobis aliquod exemplatum in nostro affectu, per quod moveatur [6] illi conformiter. Voluntas enim libera est et nata moveri ad opposita: et ideo ponitur virtus caritatis creatae in nobis, non propter defectum a parte Dei nobiscum operantis, sed voluntatis nostrae sibi cooperantis.

Solvuntur contrariae rationes. 4. Ad illud quod obiicitur, quod virtus potentissima non indiget virtute media, verum est; sed caritas non est propter illius virtutis indigentiam, sed potius voluntatis suscipientis, quae indiget aliquo habitu disponente.

5. Ad illud quod obiicitur, quod Deus cooperatur naturae sine virtute creata; dicendum, quod Deus regit naturam, sicut instituit, et natura uniformiter currit; et ideo non indiget aliquo [7] regulante. Non sic est de voluntate, quae movetur difformiter; et ideo indiget aliquo habitu regulante et disponente ipsam. Alia solutio. *Vel* dicendum, quod aliud est de natura et voluntate; quia natura non habet moveri nisi iuxta se, vel infra sed voluntas supra: et ideo indiget aliquo elevante ipsam.

6. Ad illud quod obiicitur, quod virtus primi motoris est praesens; dicendum, quod non sufficit praesentia, sed necesse est, quod recipiens influentiam habeat habilitatem et conformitatem; et hoc est per virtutem creatam.

A parte operationis. A parte etiam *operationis* ponitur necessitas, quia reformatio sive [8] recreatio, unio et dilectio non tantum sunt ab aliquo ut ab *efficiente*, sed etiam ut ab *informante. Informans* autem caritas creata est; et ex hoc patent obiecta ex parte actus sive operationis.

Solvuntur contrariae rationes. 7. Nam quod obiicitur, quod recreatio [9] est ab increato; verum est per modum *efficientis*, sicut et creatio; sed reformatio ulterius relinquit [10] formam; et ideo necesse est ponere habitum *informantem*.

8. Ad illud quod obiicitur, quod vanitas non unit [11] veritati; dicendum, quod gratia potest considerari secundum quod *ex nihilo*, et sic est vanitas, et sic non unit; vel secundum quod est *influentia* secundum divinam praesentiam, et sic habet veritatis expressam similitudinem, et tali modo unit.

9. Ad illud quod obiicitur [12], quod caritas facit diligere Deum, quantum est diligendus etc.; dicendum, quod hoc potest intelligi dupliciter: vel quantum Deus deberet diligi *in se*, et sic falsum est, quia cum sit bonum infinitum, deberet in infinitum diligi, et tali modo Deus solus se ipsum diligit; vel in quantum est diligendus *ab hoc* [13], et sic verum est, et tunc diligit in infinitum, non simpliciter, sed secundum aestimationem habentis caritatem. Tantum enim diligit caritas Deum plus quam bonum creatum, quod, si bonum creatum in infinitum multiplicaretur, adhuc magis diligeret Deum.

Ad argg. 8. et 9. in fundam. Quod autem obiicitur in contrarium, concedendum est praeter duo ultima, quae ostendunt Magistrum errasse.

8. Quod ergo [14] obiicitur, quia dividit opera Trinitatis; dicendum, quod falsum est, quia quod Spiritus sanctus sit caritas, qua diligimus Deum, aut dictum est per *appropriationem*, aut per *unionem*, aut certe per *exemplaritatem*; et sic intelliguntur omnes auctoritates, quas Magister adducit pro se;

---

[1] In aliquibus mss. ut B bb adiungitur *est*.

[2] Fide multorum codd. ut ACGKLOSTUVXZ ee ff et ed. 1 supplevimus *ens*, cuius sensus explicatur lectione cod. R *cum est* loco *tamen ens*; plures codd. minus apte *cum ens*. Paulo ante codd. aa bb *essentialiter bonitas* pro *essentia bonitatis*; cod. I *et primo modo potest esse bonum* loco *et ideo potest non esse*, ac mox *secundo modo* pro *tamen ens*.

[3] Vat. contra mss. et quinque primas edd. *est* loco *ad*.

[4] Vat. cum paucis mss. bis *qua* loco *quia*.

[5] I. Cor. 3, 9. — Mox praeferimus lectionem paucorum mss. Q T et ee (a poster. manu) ponendo *sibi* loco *similiter*, utpote quae conclusionem plenius exhibet; error aliorum mss. explicatur ex eo, quod verbum *similiter*, si abbreviatur, formae verbi *sibi* appropinquet.

[6] Codd. non conveniunt inter se; alii cum Vat. *moveat*, sed iam grammatice minus bene; ed. 1 *moverat;* alii codd. ut EHIOTYZ ee exhibent lectionem a nobis receptam, quae contextui respondet.

[7] Plurimi codd. cum ed. 1 *alio* pro *aliquo*. Paulo ante cod. X *movetur* loco *currit*. In sequenti propositione Vat. praeter fidem mss. et sex primarum edd. *movet* pro *movetur*.

[8] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 restituimus *sive* loco *vel*, et paulo infra post *etiam* adiecimus *ut*.

[9] Vat. cum cod. cc hic *creatio* loco *recreatio* et paulo infra *recreatio* pro *creatio*, sed obstat auctoritas aliorum mss. et ed. 1; pauci tamen codd. ut M aa bb cum ed. 2, formaliter loquendo, melius *reformatio* loco *recreatio*.

[10] Ita plurimi et meliores codd.; Vat. *requirit*. Lectio a nobis recepta explicatur supra post solut. ad 3, ubi arguitur ex parte *virtutis* et dicitur: Necesse est, quod ab illa summa caritate relinquatur in nobis aliquod exemplatum in nostro affectu, per quod moveatur illi conformiter.

[11] Fide plurimorum mss. et sex primarum edd. pro *unitur* substituimus *unit*, quod obiectioni magis respondet. Mox post *secundum quod* supple cum cod. bb *est*.

[12] Plurimis postulantibus mss. et ed. 1, substituimus *obiicitur* pro *obiicit*. Dein in multis codd. et ed. 1 minus apte deest *caritas*.

[13] Plures codd. ut CSVWX falso *ad hoc*.

[14] Vat. cum nonnullis mss. *autem*; ed. 1 *enim*. Mox plures codd. ut GHIKT etc. post *obiicitur* ponunt *quod* loco *quia*.

formaliter autem loquendo non intelliguntur verae, nec credo, quod Magister sic intellexerit.

9. Et per hoc patet aliud[1], quod Magister non dicit, quod creatum sit increatum, sed quod sufficiat donum increatum sine creato; et in hoc non fuit error, sed defectus tantum.

SCHOLION.

I. Obsoleta et communiter reprobata est opinio Magistri, quod non sit in anima caritas creata secundum habitum, sed tantum secundum actum. Iuxta ipsum enim, ut communiter explicatur, Spiritus sanctus voluntatem creatam perficit per se ipsum, non tamen ut forma inhaerens, sed ut finis, exemplar et motor, ita ut actus caritatis ab anima elicitus nullum habitum creatum habeat. Scotus paulo mitius verba Magistri nititur explicare, scilicet quod Spiritus sanctus non formaliter, sed tantum exemplariter et causaliter sit nostra caritas, quod verissimum est. (Cfr. infra dub. 5.).

II. Novem obiectiones Magistri ita sunt ordinatae, ut tres ex parte *essentiae*, tres ex parte *virtutis* et tres ex parte *actus* accipiantur. Unde etiam S. Bonav. sub eodem triplici respectu contrarias apponit rationes, quas, relicto solito ordine, statim applicat ad solvendas difficultates. Primo loco exhibet falsam quorundam explicationem Magistri, quod Spiritus sanctus solus sibi uniat *voluntatem* creatam, sicut Filius solus univit sibi *naturam* humanam. Hunc sensum reprobat merito ut falsissimum, cum unitas operationis non possit esse nisi ab unitate suppositi, immo naturae; talis autem hypostatica vel naturalis unio voluntatis creatae cum Spiritu sancto est ficta, immo haeretica.

III. In solut. ad 1. argumentatio fit ex axiomate Aristotelis: « Ubi unum propter alterum, ibi tantum unum »; inde sequitur, quod, si homo propter caritatem est Deo acceptus, una tantum est hic bonitas; ideo non potest fieri comparatio utriusque bonitatis separatae.

IV. In solut. ad 2. verba: « secundum divinam aestimationem » idem dicunt ac: « secundum acceptationem Dei », quae iuxta sententiam communem inter conditiones ad meritum de condigno requisitas numeratur. De hoc videsis II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3, et Breviloq. p. V. c. 2.

V. De caritate creata: Breviloq. p. V. c. 1. — Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 2. a. 1. 2. 3. — Scot., in utroque scripto hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. II. II. q. 23. a. 2. — B. Albert., hic a. 4; S. p. I. tr. 8. q. 36. m. 3, et p. II. tr. 16. q. 98. m. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. et 2. — Durand., hic q. 1. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum caritas diligenda sit ex caritate.

Secundo quaeritur, utrum caritas sit amabilis ex caritate; et quod sic, ostenditur hoc modo.

1. Augustinus octavo de Trinitate[2]: « Nemo dicat: non novi, quid diligam: diligat fratrem et diligit ipsam dilectionem »: ergo dilectio est diligenda; ergo etc.

Fundamenta.

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione*, quia non est perfecta cognitio nisi illa, qua quis novit se nosse sive novit ipsam notitiam, ergo nec perfectus amor nisi ille, quo quis amat se amare sive amorem; sed caritas est perfectus amor: ergo etc.

3. Item, aliquis diligit proximum et recte, quia videt, eum habere caritatem; sed « propter quod unumquodque et illud magis[3] »: ergo magis debet diligere caritatem sive dilectionem.

Contra: 1. Augustinus in libro primo de Doctrina christiana[4] dicit, tantum quatuor esse diligenda ex caritate, scilicet Deum, se ipsum, proximum et corpus proprium; sed caritas sive dilectio non est aliquod horum: ergo non est diligenda ex caritate.

Ad opposi-tum.

2. Item, duplex est dilectio, scilicet *concupiscentiae* et *amicitiae*; si ergo caritas sive dilectio diligitur, aut ergo dilectione concupiscentiae, aut amicitiae. Non *amicitiae*; constat, quia amicitia est inter similes et amor, quo aliquis optat alii bonum; caritati autem nemo optat bonum. Item, nec *concupiscentiae*; quia concupiscentia est rei non habitae: ergo cum ex caritate nemo diligat nisi[5] habens caritatem, ergo ex caritate non potest quis concupiscere caritatem. — *Si tu dicas*, quod concupiscit augmentum caritatis, hoc non solvit, quia ego non quaero, nisi utrum caritas habita, secundum quod habita est, possit amari.

3. Item, sicut se habet fides ad credere, et spes ad actum sperandi, ita dilectio sive caritas ad actum diligendi; sed nullus habens fidem credit fidem vel in fidem; quia, sicut dicit Augustinus[6]: « Credens scit,

[1] Vat., plurimis mss. et ed. 1 obnitentibus, *illud* pro *aliud*.

[2] Cap. 8. n. 12. Vide hic lit. Magistri, c. 1.

[3] Aristot., I. Poster. c. 2; in quo textu Vat. cum aliquibus codd. post *unumquodque* addit *tale*. Cfr. supra d. 12. q. 2. arg. 1. ad opp.

[4] Cap. 23. n. 22: Cum ergo quatuor sint diligenda: unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod iuxta nos est, quartum quod infra nos est. In quo textu, uti a S. Bonaventura refertur, Vat. post *proximum* addit *et corpus proximi*, quod et multi codd. habent, omissis tamen verbis *et corpus proprium*; aliqui tandem codd. ut FHYZ cum ed. 1 exhibent lectionem in textum receptam, quae confirmatur etiam ex d. 1. a. 1. q. 2. arg. 1. ad opp., ubi eadem sententia allegatur. Mox cod. V *aliquid* pro *aliquod*.

[5] Ed. 1 *non* loco *nisi*, eodem sensu.

[6] Libr. XIII. de Trin. c. 1. n. 3., ubi agit de modo, quo fidem, quae in nobis est, cognoscimus et concludit: Eam (fidem) tenet certissima scientia clamatque conscientia. Et ibid. c. 2. n. 5: Suam igitur quisque fidem apud se ipsum videt. — Mox cod. K post *est de* addit *rebus*, et paulo infra post *spem* Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 adiungit *sed habet*.

se credere, et videt, se credere»; credulitas autem est de non visis; similiter autem nullus sperat ipsam spem: ergo *a simili* nec diligit caritatem; vel si non est simile, quaeritur: quare non?

4. Item, si diligens diligit dilectionem, aut *eadem*, aut *alia*. Si *alia*, tunc pari ratione et aliam dilectionem diligit alia; et sic erit abire in infinitum. Si ergo stare est et non contingit abire in infinitum, si diligit, diligit [1] eadem. Sed si hoc; *contra:* nulla forma specialis super se ipsam reflectitur nisi de primis intentionibus, sicut unitas, veritas, bonitas; unde nullo modo dicitur albedo alba: ergo nec dilectio dilecta, et sic etc.

CONCLUSIO.

Caritas creata non amore amicitiae diligenda est, sed amore tum concupiscentiae tum complacentiae.

Respondeo: Dicendum, quod accipiendo dilectionem, secundum quod Deus dilectio est, constat utique; quod ex caritate est diligenda. Sed accipiendo dilectionem, secundum quod est habitus gratuitus, sic utique [2] diligenda est, sed non super omnia.

Conclusio 1. Conclusio 2.

Ad intelligentiam autem obiectorum notandum, quod triplex est amor, scilicet *amicitiae*, quo aliquis optat alicui bonum [3]; *concupiscentiae*, quo aliquis sibi desiderat aliquid; et *complacentiae*, quo aliquis requiescit et delectatur in re desiderata, cum praesens est [4].

Triplex amor.

Dico ergo, quod caritas amore *amicitiae* nullo modo est amabilis, quia non est beatificabilis; amore *concupiscentiae* est amabilis ex caritate, secundum quod diligens desiderat amplius diligere; amore vero [5] *complacentiae*, scilicet quod diligens acceptat ipsam dilectionem, qua Deum diligit, hoc [6] diligenda est caritas, secundum quod iam habetur, eo quod ipsa est bonum valde acceptabile.

Conclusio 3. trimembris.

1. His visis, patet responsio ad duo prima. Nam ratio illa ex auctoritate Augustini de Doctrina christiana currit solum quantum ad dilectionem amicitiae, quia Augustinus loquitur de amabili, cui aliquis optat bonum.

Solutio oppositorum.

2. Quod secundo obiicitur [7] similiter patet. Quamvis enim caritatis habitae, secundum quod habita, non sit concupiscentia, nihilominus tamen est complacentia. — Posset tamen dici, quod spiritualis dilectio [8] et possessio excitat ad desiderandum, dum reficit, et reficit, dum excitat: ideo simul manent concupiscentia et complacentia.

Alia solutio.

3. Ad illud quod obiicitur tertio de fide et spe, dicendum, quod non est simile; quia actus [9] fidei de se dicit imperfectionem, similiter et spei; alter enim est rei non visae, alter rei non habitae; et ideo si talis actus reflecteretur, diminueret de ratione habitus; unde qui credit credulitatem, non habet eam [10], et spem similiter; et ideo hae virtutes evacuantur in patria. Sed dilectio est actus completionis et perfectionis, sicut scientia; unde sicut perfecte scit qui scit, se scire, ita perfecte diligit qui amat dilectionem.

4. Ad illud quod obiicitur, aut eadem, aut alia etc.; dicendum, quod eadem quantum ad habitum, sed alia quantum ad actum.

Et quod obiicitur, quod specialia [11] non reflectuntur; dicendum, quod reflexio in forma aliquando venit *ex natura* [12]*;* et sic est in generalibus; aliquando venit ratione eius, *in quo est;* et sic est in formis, quae sunt in potentiis natis supra se converti, et in quantum supra se convertuntur. Et quoniam potentia cognitiva se ipsam cognoscit, «et voluntas est instrumentum se ipsum movens [13]», ideo per scientiam aliquis se et scientiam novit, et per caritatem se et ipsam diligit.

Unde reflexio in formis.

Et si quaeratur [14] ratio, quare potentia intellectiva nata est supra se redire et voluntas, alibi dicetur [15]; sed modo tantum sufficiat, quia sunt simplices potentiae et in substantia simplici fundatae et organo non alligatae; et ideo patet, quod non est simile illud quod obiici consuevit: in sensibus alia est potentia, quae videt, et alia, quae [16] videt, se videre; quod similiter debeat esse in intellectu.

Ratio eius in potentia intellectiva.

[1] Nonnulli codd. ut GHKT bb *diliget.* Paulo infra post *primis* cod. O adiicit *est.* De hac primarum intentionum reflexione vide supra d. 3. p. I. dub. 3.

[2] Plures codd. cum ed. 1 omittunt *utique.*

[3] Aliqui codd. ut AT etc. et ed. 1 addunt *et.*

[4] De triplici hoc amore cfr. III. Sent. d. 29. dub. 4.

[5] Mss. antiquiores cum ed. 1 exhibent particulam *vero* in Vat. omissam.

[6] Scil. amore complacentiae. — Multi codd. cum ed. 1 *haec* loco *hoc*, sed perperam, quia agitur de *eadem* caritate respectu triplicis amoris; cod. Y *sic* pro *hoc;* Vat. *hoc modo.*

[7] Vat. cum recentiore cod. cc *quaeritur.*

[8] Nonnulli codd. ut BGTY ff cum ed. 1 minus congrue *delectatio* pro *dilectio.*

[9] Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 *Actus enim* loco *quia actus.*

[10] Cod. O hic prosequitur: *ut fidem, similiter qui sperat spem, non habet eam ut spem, similiter ut videtur hae virtutes evacuantur* etc.

[11] Cod. Y *formae speciales.*

[12] In cod. O additur *formae in se.*

[13] Anselmus, libr. de Concord. praesc. et lib. arb. q. 3. c. 11, in quibus verbis Vat. cum uno alteroque codice minus apte *se ipsam* loco *se ipsum.* Mox sequimur cod. T post *aliquis* ponendo *se* loco *scit*, quae lectio ex immediate praecedentibus et sequentibus probatur ut unice admittenda; in aliorum codicum siquidem lectione cognitio reflexiva, de qua hic agitur, non attingitur. Dein cum Vat. pauci codd. post *et scientiam* addunt *suam.*

[14] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *quaeratur* loco *quaeritur.*

[15] Libr. II. Sent. d. 25. p. 1. q. 1-3; vide etiam ibid. d. 19. a. 1. q. 1. fundam. 4, et III. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. in corp. — Mox post *sed* in Vat. et cod. cc adiicitur *hoc.*

[16] Vat. et cod. cc non bene *qua* contra plurimos codd ut ABDFGHIPQTZ ee ff cum ed. 1. Paulo ante ed. 1 post *sensibus* adiungit *quia ex quo.*

SCHOLION.

I. Primo in genere quaestio resolvitur affirmative et per duplicem conclusionem, scilicet respectu caritatis increatae et creatae. Deinde quoad habitum creatum accuratius determinatur, qua specie amoris triplicis sit diligendus.

II. Solut. ad. 1. praesupponit, quod *obiectum* caritatis in genere sumtae est duplex. Vel enim *ipsum* est capax beatitudinis, vel solummodo est *medium*, per quod possit quis adiuvari, ut beatificetur. Ad primum genus pertinent illa tria a S. Augustino enumerata, unde haec amore amicitiae diligi possunt; ad secundum genus omnis creatura pertinet, et sic omnis creatura ut *medium* ad summum bonum diligi potest. Cfr. supra d. 1. a. 1. q. 2. ad 1.

Primae intentiones, de quibus sermo est in solut. ad 4. sunt notiones transcendentales: *ens*, *unum*, *verum*, *bonum*; quae « super se ipsas reflectuntur », i. e. de se praedicantur, ut v. g. veritas est una, vera, bona. Formae vero speciales sunt, quae constant ex genere et differentia. Ipsae ex natura sua non possunt apte de se praedicari; interdum tamen hoc fieri potest ratione *subiecti*, in quo sunt, si hoc habet actus reflexos super se ipsum, sicut est in duabus potentiis voluntatis et intellectus; cfr. supra d. 3. p. 1. dub. 3.

III. Quoad ipsam quaestionem cfr. Summa de Virtutibus, sub nomine Alexandri de Hales Parisiis 1507 a Ioan. Petit impressa, coll. 63. a. 7. De hac Summa controversia exorta est occasione eorum, quae a Waddingo (Annales ad an. 1245) aliisque Ord. Min. auctoribus scripta sunt, scil. quod S. Thom. multa inde in suam Summam theolog., praesertim in secundam partem secundae acceperit. Ex adverso Natalis Alexander, Echardus, de Rubeis eo progressi sunt, ut hanc Summam existere sive manuscriptam sive impressam negarent, de quo videri potest de Rubeis, Dissertat. criticae, diss. 15, quae etiam in modernis Summae S. Thom. editionibus impressa est. Sed in hoc falluntur viri doctissimi, cum plura huius Summae exemplaria impressa adhuc supersint, ut in bibliotheca regali Monachii et Conventus nostri Trudonopolitano (St. Trond) in Belgio. Ex ipso autem initio huius operis apparet, quod non sit liber distinctus, sed pars alterius operis, scil. magnae Summae Alex. Hal., ut videtur. Attamen huius Summae auctor ipse Alex. Hal. esse non potest, quia multae quaestiones verbotenus sumtae sunt ex hoc Commentario S. Bonaventurae. Videtur potius esse Gulielmi de Melitona, qui 1256, iubente Summo Pontifice Alexandro IV., incompletam Alexandri Hal. Summam continuare incepit; sed et ipse post quatuor annos, morte correptus, opus incompletum reliquit. — S. Thom., hic q. 1. a. 5; S. II. II. q. 25. a. 2. — B. Albert., hic a. 3; de hac et seq. q. S. p. I. tr. 8. q. 36. m. 3. q. incid. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic 3. princ. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO III.

Utrum quis certitudinaliter scire possit, se esse in caritate.

Tertio quaeritur, utrum caritas sit certitudinaliter cognoscibilis ab habente. Et quod sic, videtur:

1. Auctoritate Augustini in octavo de Trinitate, Ad oppositum. et habetur in littera[1]: « Qui fratrem diligit, magis novit dilectionem, qua diligit, quam fratrem, quem diligit »; sed fratrem novit certitudinaliter: ergo et caritatem.

2. Item, primae Ioannis secundo[2]: *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet:* ergo si caritas est lumen, cum nihil certius videatur quam lumen, ergo etc.

3. Item, primae Ioannis secundo[3]: *Unctio docebit vos de omnibus,* non, inquam, de omnibus cognoscibilibus, sed de omnibus necessariis ad salutem; sed caritas est maxime necessaria ad salutem: ergo eam maxime nos docet unctio Spiritus sancti.

4. Item, quanto aliquid animae est[4] praesentius, tanto certius videtur et cognoscitur; sed caritas animae est praesentissima, quia est in ipsa anima: ergo etc.

5. Item, habens fidem certus est, se habere fidem; nihil enim certius est homini sua fide, ut dicit Augustinus[5]: ergo pari ratione habens caritatem scit, se habere caritatem.

Contra: 1. Ecclesiastis nono[6]: *Nemo scit, utrum odio, an amore dignus sit:* ergo cum habens caritatem sit dignus amore, nescit se dignum, ergo etc. Fundamenta.

2. Item, primae ad Corinthios quarto[7]: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum:* ergo videtur, quod homo non habens remorsum possit non esse iustificatus, ergo non habere caritatem; sed nullum signum evidentius est caritatis quam carentia omnis remorsus: ergo si illud est fallibile, cetera sunt fallibilia.

3. Item, caritatis[8] est diligere Deum propter se et super omnia, ita quod nihil aeque vel supra vel contra; sed nemo scit, utrum prae omnibus diligat Deum: ergo nemo scit, utrum habeat certitudinaliter caritatem.

4. Item, habens caritatem est Deo acceptus, et hoc[9] constat nobis et omnibus, quod ista sunt con-

---

[1] Hic, c. 1.

[2] Vers. 10.

[3] Vers. 27, ubi Vulgata: Unctio eius docet vos de omnibus.

[4] In cod. Z additur *propinquius vel.*

[5] Libr. XIII. de Trin. c. 1. n. 3: Eam (fidem) tenet certissima scientia clamatque conscientia. Et ibid. c. 2. n. 5: Suam igitur quisque fidem apud se ipsum videt.

[6] Vers. 1: Vulgata: Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.

[7] Vers. 4. — Paulo infra post *remorsum* cod. K addit *conscientiae.*

[8] Vat. cum cod. cc *caritas*, et mox *infra* loco *ita*, sed perperam et contra antiquiores codd. cum ed. 1.

[9] Iuxta antiquiores mss. et ed. 1 adiecimus *hoc.*

vertibilia; sed nemo scit, utrum Deo sit acceptus nisi per revelationem: ergo nemo scit, se habere caritatem nisi per revelationem.

5. Item, dicit Apostolus [1], quod nesciebat, utrum haberet culpam, cum dicit: *sed non in hoc iustificatus sum;* ergo ab oppositis, nesciebat, se habere gratiam: ergo cum caritas non sit sine gratia, ergo etc.

CONCLUSIO.

Homo in statu viae, seclusa revelatione, nec de se nec de alio potest scire certitudinaliter, quod sit in caritate, tamen hoc per signa aliqua potest probabiliter cognoscere.

Respondeo: Dicendum, quod *caritatem cognosci certitudinaliter* [2] est dupliciter: vel in *universali,*
Conclusio 1. quid sit et qualis esse debeat, et sic utique cognosci potest; alio modo est cognosci caritatem in *speciali* sive in hoc, et hoc modo nec de *se* nec de
Conclusio 2. *alio,* quamdiu homo vivit, potest certitudinaliter scire: de *alio* non, quia non *novit, quae sunt in homine* [3], nisi per signa, quae fallibilia sunt; de *se* non, et huius potest esse quadruplex ratio.

Una et *praecipua* est divinae acceptationis im-
Ratio 1. plicatio; quia caritas iuncta est gratiae gratum facienti, quae ideo dicitur gratum faciens, quia reddit hominem Deo acceptum; et ideo caritas sic vocatur, non tantum quia habet carum amatum, sed etiam quia facit hominem Deo carum. Et quia nescimus Dei acceptationem certitudinaliter nisi per revelationem, ideo nescimus, nos habere caritatem, nisi per revelationem doceamur.

Secunda ratio est similitudo ipsius ad dilectio- Ratio 2
nem acquisitam. Potest enim contingere, aliquem inflammari ad amandum Deum per assuefactionem, qui corruet per aliquod peccatum spirituale, et tamen semper afficietur; sicut expresse patet per beatum Bernardum in libro de Amore Dei [4], ubi reprehendit superbientes de devotione.

Tertia ratio est nostri oculi lippitudo, quia Ratio 3.
oculus noster est sicut oculus noctuae ad manifestissima naturae, sicut dicit Philosophus [5]. Unde sicut oculus lippus nesciret distinguere inter lumen diei et lumen flammae vel lunae, ita oculus noster spiritualis inter lumen gratiae gratis datae et gratum facientis.

Quarta ratio est divinorum iudiciorum dispen- Ratio 4.
satio. Deus enim claudit oculos servorum suorum quantum ad ea quae spectant ad eorum dignitatem, et de quibus possunt efferri. Unde gratia contraria est superbiae. Superbia enim aperit oculos ad videndum praerogativas et claudit ad videndum indigentias et defectus, iuxta illud Apocalypsis tertio [6]: *Dicis, quia dives sum et locupletatus et nullius indigeo, et nescis, quia pauper es et caecus* etc. Sed e contra vir sanctus dicit, se nihil esse, quia claudit [7] oculos suos Deus ad bona et aperit ad videnda mala. Et haec est ratio, quare homo non cognoscit caritatem, quae quamvis per se non sufficiat, tamen cum aliis bona est. Credo tamen, quod illa est praecipua, quae primo dicta est.

Quamvis autem caritas non possit certitudinaliter cognosci esse in aliquo etiam ab habente [8] re- Conclusio 4.

[1] I. Cor. 4, 4.

[2] Plures codd. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *essentialiter*, sed minus ad rem.

[3] I. Cor. 2, 11: Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? — Paulo ante Vat. contra plurimos codd. et edd. 1, 2, 3 *quia nemo* pro *quia non.* Mox fide mss. substituimus *fallibilia* pro *fallacia* et *huius* loco *huiuscemodi.*

[4] Duo habentur inter opera S. Bernardi opuscula, quae Dei amorem respiciunt. Unum intitulatur: de Diligendo Deo, estque genuinum; alterum vero: de Natura et dignitate amoris, adscribebatur olim S. Bernardo, sed est Gulielmi, abbatis S. Theodorici. Sententia, quam S. Bonav. hic affert, in praedictis opusculis non invenitur, sed sumta esse videtur ex Guigonis epistola seu tractatu ad Fratres de Monte Dei (qui olim S. Bernardo tribuebatur), ubi in fine primi libri, c. 14, haec orationis definitio exhibetur: « Oratio vero est hominis Deo adhaerentis affectio, et familiaris quaedam et pia allocutio, et statio illuminatae mentis ad fruendum, quamdiu licet »; et deinde legitur: « Nonnunquam etiam purae orationis affectus et bona illa orationis suavitas non invenitur, sed quasi invenit, cum non petentem, non pulsantem et quasi nescientem gratia praevenit; et tanquam genus servorum recipitur in mensa filiorum, cum rudis adhuc et incipiens animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro praemio sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Quod cum fit, agitur, ut vel in iudicium suum non liceat scire negligenti, quid negligat... vel ut provocatio caritatis amorem in eo ultro se offerentis accendat. In quo, proh dolor! plurimi falluntur, quia cum pascuntur pane filiorum, iam se esse filios arbitrantur, et deficientes unde proficere debebant, *ex visitante gratia evanescunt a conscientia sua, arbitrantes se aliquid esse,* cum nihil sint, et de bonis Dei non emendantur, sed indurantur, et fiunt de quibus Psalmista dicit: Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in saecula. Et cibavit illos ex adipe frumenti et de petra melle saturavit eos (Psalm. 80, 16. seq.). Pascuntur enim a Patre Deo aliquando de pretiosiore gratiae substantia servi, ut affectent esse filii; ipsi vero gratia Dei abutentes efficiuntur inimici. Ut enim abutantur etiam Scripturis sanctis in peccatis vel in concupiscentiis suis, redeuntes ad eas per orationes, dicunt sibi illud uxoris Manuae: Si Dominus voluisset nos occidere, non suscepisset sacrificium de manibus nostris (Iudic. 13, 23.).

[5] Aristot., II. Metaph. text. 1, quem vide supra pag. 72. nota 9. — Deinde Vat. contra mss. et ed. 1 *nescit* pro *nesciret.*

[6] Vers. 17, ubi Vulgata: Dicis, quod dives sum et locupletatus: et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus.

[7] Ed. 1 *clausit* et paulo post cum aliquibus mss. *aperuit* pro *aperit.* Pauci codd. omittunt *Deus.*

[8] Codd. inter se dissentiunt; multi indebite omittunt praepositionem *ab* (forte omissa propter allitterationem verbi *habente); cod.* X omittit *etiam ab;* Vat. vero ponit *eam* loco *etiam ab;* pauci tantum codd. ut V hh (cod. V verbis transpositis *ab etiam)* cum ed. 1 exhibent lectionem a nobis acceptatam, quae et in se distinctior est et contextui magis respondet.

spectu sui, tamen potest per signa probabilia cognosci, maxime per mortificationem concupiscentiae et amoris vani sive mundani et per multa alia signa, quae Sancti dicunt et ponunt [1].

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod certior est dilectio quam frater; dicendum, quod caritas non tantum dicit dilectionem, sed ultra hoc addit, scilicet [2], quod gratuita est. Et quantum ad habitum *dilectionis* certitudinaliter est cognoscibilis, quantum vero ad illud quod dicit *gratuitum*, non.

2. Ad illud quod obiicitur, quod caritas est lumen: dicendum, quod quamvis de se caritas sit cognoscibilis, tamen non cognoscitur a nobis, quia oculus noster lippus est.

3. Ad illud quod obiicitur, quod unctio docet nos de omnibus necessariis ad salutem; dicendum, quod verum est eo modo, quo necessaria sunt; sed *scire*, se habere caritatem, non est necessarium ad salutem, sed solum *habere*.

4. Ad illud quod obiicitur de praesentia caritatis, dicendum, quod quamvis substantia habitus sit praesens, tamen conditio, quae concomitatur habitum, scilicet divina acceptatio, non est praesens, immo latens in Dei cognitione et iudicio.

5. Ad illud quod obiicitur de fide, dicendum, quod non est simile, quia fides dicit habitum purum, non superaddendo acceptationem, sicut caritas, et ideo patet, quod non est simile.

SCHOLION.

I. Triplex conclusio omnino conformis est doctrinae in Concilio Tridentino (Sess. VI. c. 9. et can. 13. 14.) decisae. Cfr. hic dub. 7; Prolog. dub. 4; II. Sent. d. 38. dub. 1; et etiam III. Sent. d. 23. dub. 4; Commentar. in Ioan. c. 14. v. 24. (in Supplem. Bonelli).

II. Observandum est, quod S. Doctor in prima ratione pro secunda conclusione his verbis: « Caritas iuncta est gratiae gratum facienti », distinguit caritatem a gratia habituali; cfr. etiam III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. Contrariam sententiam, sed minus communem et probabilem, tenet Scotus.

III. Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 7. a. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 4; de Verit. q. 10. a. 10. — B. Albert., hic a. 4. 5. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 5. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 5. — Ægid. R., hic 3. princ. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 5.

QUAESTIO IV.

Utrum caritas in universali sit cognoscibilis etiam a non habente eam.

Quarto quaeritur, utrum caritas sit cognoscibilis a non habente; et quod non, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia omne quod cognoscitur, aut cognoscitur per *essentiam*, aut per *similitudinem*. Sed [3] non per *essentiam*, quia non est essentialiter in anima peccatrice; si ergo cognoscitur, hoc est per *similitudinem*. Sed contra: secundae ad Corinthios duodecimo [4] dicit Glossa: « Tertium genus visionis, quo dilectio intellectiva conspicitur, eas res continet, quae non habent sui similes imagines, quae non sunt ipsae », ergo similitudo caritatis non est aliud quam caritas: ergo si caret quis caritate, caret et similitudine eius, et ita nunquam cognoscit caritatem.

2. Item, si non habens caritatem cognoscit eam, aut ergo per *speciem innatam*, aut per *acquisitam*, aut per *effectum*, aut per *primam lucem* [5]. Non per *innatam*, quia anima creata est sicut tabula rasa [6]; non per speciem *acquisitam*, quia omnis species acquisita acquiritur mediante sensu et imaginatione [7], sed species caritatis non cadit in sensu nec in imaginatione. Item non per *effectum*, quia nemo cognoscit per effectum aliquid, nisi sciat, quod sit illius effectus [8]. Unde nullus cognoscit per eclypsim interpositionem terrae, nisi sciat, quod interpositio est illius causa. Si ergo per effectum cognoscit, oportet, quod sciat prius, quoniam [9] illius est causa caritas,

---

[1] Cfr. Bernard., Serm. 1. in Septuag., Serm. 2. in Octava Paschae et Serm. 2. in Pentec. — Paulo ante post *signa* Vat. cum uno alteroque codice repetit *probabilia*.

[2] Ex mss. et edd. 1, 2, 3 supplevimus *scilicet*. Paulo infra plures codd. ut AGHIKT etc. cum ed. 1 *id* loco *illud*.

[3] Supple: caritas cognoscitur. — Vat. cum cod. cc omittit *Sed*, quod tamen exstat in ceteris codd. et ed. 1.

[4] Vers. 4. — Glossa sumta est ex August., XII. de Gen. ad lit. c. 6. n. 15, ubi cum ed. 1 pro *intellectiva* habetur *intellecta*, et talis explicatio adiungitur: Nam homo vel arbor vel sol et quaecumque alia corpora sive caelestia sive terrestria, et praesentia videntur in suis formis, et absentia cogitantur imaginibus animo impressis, et faciunt duo genera visorum, unum per corporis sensus, alterum per spiritum, quo illae imagines continentur. Dilectio autem nunquid aliter videtur praesens in specie qua est, et aliter absens in aliqua imagine sui simili? Non utique, sed quantum mente cerni potest, ab alio magis, ab alio minus ipsa cernitur; si autem aliquid corporalis imaginis cogitatur, non ipsa cernitur.

[5] Vat., paulo ante post *innatam* addito *seu lucem propriam*, hic omittit *aut per primam lucem*, sed refragantibus omnibus mss.; ed. 1 autem habet *aut in prima luce*.

[6] Aristot., III. de Anima, text. 14. (c. 4.): Oportet autem sic, ut in tabula in qua nihil est scriptum actu, quod quidem accidit in intellectu.

[7] Cfr. Aristot., III. de Anima, text. 30. et 39. (c. 7. et 8.) et de Sensu et sensibili c. 6.

[8] Ita multi codd. ut AGHINSTVYZ cc ff brevius et perbene, in quorum lectione *illius* refertur ad praecedens *aliquid*, dum alii cum Vat. eodem quidem sensu, sed constructione propositionis variata, *quod causa sit illius effectus*.

[9] Cod. X *quod* loco *quoniam*.

et ita praecognoscit caritatem; non ergo per effectum. *Si tu dicas,* quod cognoscit in illa *veritate aeterna,* aut hoc erit *effective,* aut *formaliter.* Si *effective,* sic omnia cognoscuntur in ea, quae omnia facit scire, quaecumque sciuntur; si autem *formaliter* sive exemplariter, ergo videtur, quod vel imprimit [1] aliquam speciem in intellectu, vel necesse est, quod ipsa veritas vel exemplar conspiciatur; quorum alterum est supra improbatum [2], alterum autem manifeste falsum.

Fundamenta. Sed contra: 1. Peccatores desiderant caritatem; sed nullus desiderat quod non cognoscit, quia incognita non possunt diligi, sicut dicit Augustinus [3]: ergo ipsi cognoscunt caritatem.

2. Item, aliquis habens caritatem potest habere cognitionem de illa; sed omne quod cadit in intellectu apprehendente, potest in memoria conservari; ponatur ergo, quod imprimatur haec cognitio memoriae, et quod demum [4] cadat a caritate, constat, quod lapsus a caritate memoriam eius retinuit: ergo adhuc cognoscit eam, ergo caritas potest cognosci a non habente.

3. Item, si caritas cognoscitur ab habente, aut hoc est per *essentiam*, aut per *similitudinem* [5]. Sed probo, quod per similitudinem, quia nihil cognoscit intellectus, nisi ab illo informetur; sed caritas est habitus affectus, ergo secundum essentiam illum [6] non egreditur: ergo si unitur intellectui et illum informat, hoc est per *similitudinem;* sed similitudo potest haberi a non habente caritatem: ergo etc.

4. Item, Augustinus dicit undecimo de Trinitate [7], quod ad hoc, quod intellectus intelligat quod est in memoria, necesse est, aciem intellectus informari: ergo multo fortius ad hoc, quod intelligat quod est in voluntate: ergo si intelligit caritatem, informatur intellectus aliquo [8]; *non* substantia caritatis: ergo similitudine, ergo idem quod prius.

CONCLUSIO.

Caritas etiam a non habente eam potest cognosci, non cognitione experimentali, sed speculativa, et quidem non per similitudinem a sensibus abstractam, sed per quandam veritatem animae innatam.

Respondeo: Dicendum, quod cognitione experientiae non cognoscitur caritas nisi ab habente; cognitione vero speculationis certum est cognosci caritatem etiam a non habente. *Modus* autem huius cognitionis non potest esse per caritatis essentiam nec per similitudinem a sensibus acquisitam: ergo necesse est, quod sit per *similitudinem infusam*, vel *innatam.* Utraque autem, quae sic cognoscuntur ab homine, dicuntur ab Augustino [9] cognosci in Veritate aeterna, aut quia Veritas cognitionem infundit, ut Prophetis, aut quia a conditione imprimit, secundum illud [10]: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* etc. Caritas autem non cognoscitur a peccatoribus per speciem infusam: ergo oportet, quod per innatam cognoscatur. (Conclusio principalis. — Modus huius cognitionis. — Notabile dictum — Conclusio 2.)

Species autem innata potest esse dupliciter: aut *similitudo tantum,* sicut species lapidis, aut ita *similitudo,* quod [11] etiam quaedam *veritas* in se ipsa. Prima species est sicut pictura; et ab hac creata est anima nuda. Secunda species est impressio aliqua summae veritatis in anima, sicut verbi gratia animae a conditione sua datum est *lumen* quoddam directivum et quaedam *directio* naturalis; data est etiam ei *affectio* [12] voluntatis. Cognoscit igitur anima, quid sit *rectitudo,* et quid *affectio,* et ita, quid *rectitudo affectionis;* et cum caritas sit hoc, cognoscit caritatem per quandam *veritatem,* quae tamen veritas est *similitudo* caritatis; et tunc recte habet (De specie innata.)

---

[1] Aliqui codd. ut aa bb cum ed. 1 *imprimat.* Mox ed. 1 post *veritas* habet *sive* pro *vel.*

[2] In principio huius argumenti, ubi arguitur, quod caritas cognosci non possit per *speciem innatam.*

[3] Libr. X. de Trin. c. 1. n. 1: Quod quisque prorsus ignorat amare nullo pacto potest.

[4] Cod. X *deinde.*

[5] In Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 additur: *Per essentiam non, constat,* et mox loco *probo* habetur *probatur.*

[6] Intellige: affectum. Vat. cum cod. cc perperam, et ceteris codd. cum ed. 1 refragantibus, *illam;* quae et paulo infra loco *sed* ponit *et haec.*

[7] Cap. 7. et 8. n. 11-14, ubi inter alia dicit: Sed cum cogitatur, ex illa (specie) quam memoria tenet, exprimitur in acie cogitantis; et reminiscendo formatur ea species, quae quasi proles est eius quam memoria tenet.

[8] Ope mss. et edd. 1, 2, 3 expunximus hic a Vat. additam particulam *et.*

[9] Vide infra Scholion, ubi fusius proposita est sententia August. de modo cognitionis humanae. De cognitione prophetali cfr. XII. de Genes. ad lit. c. 31. n. 59: Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat; nam illud iam ipse Deus est etc.

[10] Psalm. 4, 7. — Paulo ante Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 nomini *Prophetis* praefigit perperam *in,* et mox contra omnes codd. et edd. 1, 2, 3 habet *imprimitur* loco *imprimit.*

[11] Cod. X addit *est.*

[12] In cod. O additur *naturalis.*

rationem *similitudinis*, dum accipitur ab intellectu; habet tamen rationem *veritatis*, prout est in anima.

Ad 1. oppositum. Unde quod Augustinus dicit[1], quod huiusmodi habitus cognoscuntur in ipsa veritate et per similitudines, quae sunt idem quod ipsae[2], non dicit hoc, quia non fiat aliqua species in intellectu cognoscentis, sed quia in anima non est pura species, sed veritas quaedam ab ipsa veritate impressa; et sic patet responsio ad obiecta.

SCHOLION.

I. Facta distinctione duplicis cognitionis, scil. *experientiae* (intuitivae) et *speculationis* (abstractivae), ipsam quaestionem, quae sane pro theoria de cognitione humana magni momenti est, duplici conclusione resolvit. Deinde *modum* huius cognitionis *speculativae* septem propositionibus explicat. Pro confirmatione responsionis hic subiungimus, quae de hac re dicunt Petr. a Tar. et Alex. Hal. Petrus (hic q. 1. a. 5. quaestiunc. 2.): « Cognitione *experientiae* non potest cognosci caritas nisi ab habente, sed cognitione *speculativa* potest, non per essentiam eius seu per speciem, quae sit idem quod ipsa — sic videtur solum ab habente — sed per speciem seu per similitudinem, quae non est idem quod ipsa; et hoc dupliciter: vel *per speciem acquisitam*, quae est similitudo eius vel potius actus ipsius, relicta in memoria ad eius praesentiam, et sic videtur ab illo, qui eam aliquando habuit, nisi speciem illam oblivio deleverit, et sic in patria videbit Sanctus, se fidem et spem habuisse, scil. per quoddam vestigium fidei, ut dicit Augustinus XIV. de Trinitate c. 3.; vel *per speciem innatam*, et sic videri potest a quocumque, non quae sit *species tantum*, ut species lapidis in anima, quia talem speciem non habet anima concreatam caritatis, sed per speciem innatam, *quae est res in se*, et tamen *habet similitudinem* cum caritate. Habet enim anima apud se virtutum omnium quaedam semina et per illa habet desiderium et cognitionem quandam universalem virtutum, sicut per principia venit in cognitionem conclusionum ». Idem ad obiectionem: anima creatur ut tabula rasa, sic respondet: « Hoc intelligitur quoad species, quae sunt intentiones tantum, non res; huiusmodi vero habitus innati in se quidem sunt *res*, in quantum vero per illos cognoscuntur alii (alia?) ut in simili, sunt quasi *species* ». Haec omnia fere ad verbum concordant cum doctrina Seraphici. Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 7. a. 1. haec habet: « Quilibet sive bonus sive malus a creatione habet inditam rationem boni et veri, secundum quod dicit Augustinus et Boethius. Sicut ergo in notione principiorum *veri* est notio conclusionum in universali, ita in notione *boni* nobis in universali impressa est notio gratiae in universali; et ex illa notione boni possumus scire, quid est gratia in universali, scilicet quod ipsa est quaedam qualitas in anima. Cum enim gratia sit bonum, et habeamus notionem boni in universali nobis impressam, ex illa possumus arguere, gratiam esse; sed haec erit notio in universali, non in ratione propria. Cfr. ibid. q. 28. m. 1. a. 2. Praeter hos cfr. Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. Ex his patet, quod intellectus ex *innato lumine veritatis* potest formare speciem intelligibilem, aciem intellectus informantem, quae simul habeat « rationem similitudinis, dum accipitur ab intellectu, et tamen rationem veritatis, prout est in anima », ut habetur hic in corp.

II. Quae in hac quaestione a Seraphico dicuntur non parvi sunt momenti, ut sententia eius de modo cognitionis humanae recte intelligatur. Quid sit *cognoscere in veritate aeterna*, iam explicatum est supra d. 3. p. I. q. 1. in Scholio. — Quid sit secundum S. Bonaventuram *species innata*, et quo sensu ipsa animae humanae *innata* dici possit, hic manifeste docetur, scil. quod hoc secundum *habitum* sive lumen animae concreatum, quod vocatur naturale iudicatorium, non secundum *actuales* species sive ideas innatas intelligendum sit. Quod amplius confirmatur et explicatur ab ipso Seraphico Doctore, II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2, ubi quaeritur, utrum conscientia sit habitus innatus, an acquisitus. Reiecta opinione Platonis, quod habitus cognitivi animae sint simpliciter innati, sed oblivioni dati ad tempus, ipse asserit, tres de hac re esse opiniones, in hoc consentientes, quod habitus cognitivi nec sint omnino innati, nec omnino acquisiti, sed quodam modo innati, quodam modo acquisiti; tamen has dissidere in assignando *modum*, secundum quem hi habitus sint acquisiti vel innati. Reiectis duabus opinionibus tanquam insufficientibus, concludit, quod « habitus cognitivi sunt quodam modo nobis innati ratione luminis animae inditi, sunt etiam quodam modo acquisiti ratione speciei. Et hoc quidem verbis Philosophi et Augustini concordat. Omnes enim in hoc concordant, quod potentiae cognitivae sit lumen inditum, quod vocatur naturale iudicatorium; species autem et similitudines rerum acquiruntur nobis mediante sensu, sicut expresse dicit Philosophus in multis locis; et hoc etiam experientia docet ». Tum attendendam esse ait distinctionem inter prima principia valde evidentia, quorum « cognitio ratione illius luminis dicitur esse nobis innata, *quia lumen illud sufficit ad illa cognoscenda* post receptionem specierum sine aliqua persuasione superaddita propter sui evidentiam », et inter cognitionem particularium conclusionum, quarum cognitio acquisita est pro eo, quod lumen nobis innatum *non plene sufficit* ad illa cognoscenda, sed indiget aliqua persuasione et habilitatione nova etc. — Denique respondendo ad illam quaestionem, utrum omnis cognitio sit a sensu, sic concludit: « Dicendum est, quod non. Necessario enim oportet ponere, quod anima novit Deum et se ipsam et quae sunt in se ipsa sine adminiculo sensuum exteriorum. Unde si aliquando dicat Philosophus, quod nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, et quod omnis cognitio ortum habeat a sensu, intelligendum est de illis quae quidem habent esse in anima per similitudinem *abstractam*; et illa dicuntur esse in anima ad modum scripturae. Et propterea valde notabiliter dicit Philosophus, quod in anima nihil *scriptum* est, non quia nulla est in ea *notitia*, sed quia nulla est in ea *pictura* vel similitudo *abstracta*. Et hoc est, quod dicit August. in libro de Civit. Dei: Inseruit nobis Deus nobile iudicatorium, ubi quid sit lucis, quid tenebrarum, cognoscitur in libro lucis, qui veritas est, quia veritas in corde hominum naturaliter est impressa ». — Hanc sententiam verbotenus sive in hoc sive in alio libro S. Augustini non invenimus. Ipsa autem breviter complectitur, quae S. August. longiore discursu pluries luculenter probat, praesertim XI. de Civ. Dei c. 27. n. 2, ubi inter alia ait: « Sed lucem illam incorpoream (animalia) contingere nequeunt, qua mens nostra quodam modo irradiatur, ut de his omnibus recte iudicare possimus. Nam in quantum eam capimus, in tantum id possumus. Verumtamen inest sensibus irrationalium animantium, etsi scientia nullo modo, at certe quaedam scientiae similitudo... Sed nos ea (corporalia) sensu corporis ita capimus, ut de his non sensu corporis *iudicemus*. Habemus enim alium *interioris hominis*

---

[1] Vat. praeter fidem mss. et quinque primarum edd. *cum Augustinus dicat*.

[2] Supple: res, quae hoc in casu sunt habitus. Vide supra arg. 1. ad opp. Vat. incongrue *ipse*. Notum est, in Codd. eodem modo scribi *ipse* et *ipsae*. — Mox fide mss. et ed. 1 substituimus *fiat* loco *sit*. In fine responsionis ed. 1 *solutio* pro *responsio*.

sensum isto longe praestantiorem, quo iusta et iniusta sentimus: iusta per intelligibilem speciem, iniusta per eius privationem. Ad huius sensus officium non acies pupillae, non foramen auriculae, non spiramenta narium, non gustus faucium, non ullus corporeus tactus accedit. Ibi me et esse et hoc nosse certus sum, et haec amo atque amare me similiter certus sum ».

III. S. Bonaventura fidelissimum S. Augustini discipulum, sicut in aliis quaestionibus, sic in tota sua de cognitione humana doctrina se comprobat. Unde quae circa hanc materiam in hac quaest. disputat non nisi summarium exhibent eorum, quae S. August. more suo et diffuse tractat in pluribus libris v. g. II. de Libero Arb.; de Vera Religione, c. 29. seqq.; XII. de Gen. ad lit. Operae pretium esse duximus exemplo hoc probare, proponendo ex libris VIII. et IX. de Trinitate ea S. Augustini de cognitione humana fundamenta, quae S. Bonaventura hic vel praesupponit, vel explicite asserit.

1. Apertissime ibi distinguit S. Augustinus inter cognitionem sensuum (phantasiae) et intellectus: « Et Carthaginem quidem cum eloqui volo, apud me ipsum quaero, ut eloquar, et apud me ipsum invenio phantasiam Carthaginis, sed eam per corpus accepi, i. e. per corporis sensum... Non autem ita quaero, quid sit iustus, nec ita invenio, nec ita intueor, cum id eloquor » etc. (VIII. c. 6. n. 9.).

2. Distinguit in cognitione intellectuali conceptus formatos per abstractionem a rebus sensibilibus et non formatos per abstractionem: « Neque enim oculis corporeis multas mentes videndo per similitudinem colligimus generalem vel specialem mentis humanae notitiam, sed intuemur inviolabilem veritatem » (IX. c. 6. n. 9.).

3. Asserit, aliquos conceptus intellectuales, quos habemus, supponere experientiam sive externam sive internam: « Sed quid sit mori, et quid sit vivere, utique scimus; quia et vivimus, et mortuos ac morientes aliquando vidimus et experti sumus » (VIII. c. 5. n. 8.).

4. Dicit, animae humanae *impressam esse* notitiam quarundam rerum: « Neque enim in his omnibus bonis, vel quae commemoravi vel quae alia cernuntur sive cogitantur, diceremus aliud alio melius, cum vere iudicamus, *nisi esset nobis impressa notio ipsius boni*, secundum quod et probaremus aliquid et aliud illi praeponeremus » (VIII. c. 3. n. 4.). Habemus enim quasi regulariter *infixam* humanae naturae notitiam... Secundum species et genera rerum vel *natura insita* vel experientia collecta, de factis huiuscemodi (miraculis et resurrectione Christi) cogitamus, ut non ficta sit fides nostra » (ibid. c. 4. 5. n. 7.). « Quid igitur de illa excellentia Trinitatis sive specialiter sive generaliter novimus, quasi multae sint tales trinitates, quarum aliquas experti sumus, ut per regulam similitudinis *impressam*, vel specialem vel generalem notitiam, illam quoque talem esse credamus » etc. (ibid. c. 5. n. 8.).

5. Asserit, quaedam cognosci ab homine in *veritate*, et etiam in *veritate aeterna*. Minime autem dicit, hoc fieri per *immediatum* aeternarum rationum conspectum, ut Ontologistae volunt; sed intelligi debet secundum illam interpretationem, quam meliores Scholastici exhibent; cfr. supra d. 3. p. I. q. 1. Scholion. Libr. VIII. c. 6. n. 9. proponit quaestionem. quae cum illa quae a S. Bonav. hic pertractatur, maxime convenit, scil. quomodo homo iniustus cognoscat animum iustum, quem diligit, eamque ita solvit: « Quid sit *animus*, ut dictum est, novimus ex nobis; inest enim animus nobis. Quid autem sit *iustus*, unde novimus, si iusti non sumus?... An signa quaedam per motum corporis emicant, quibus ille aut ille homo esse iustus apparet? Sed unde novit, illa signa esse animi iusti, nesciens, quid omnino sit iustus? Novit ergo. Sed ubi novimus, quid sit iustus, etiam cum iusti nondum sumus? Si extra nos novimus, in corpore aliquo novimus. Sed non est ista res corporis. In nobis igitur novimus, quid sit iustus. Non enim alibi hoc invenio, cum quaero, ut hoc eloquar, nisi apud me ipsum... Et *Carthaginem* quidem cum eloqui volo, apud me ipsum quaero, ut eloquar, et apud me ipsum invenio phantasiam Carthaginis, sed eam per corpus accepi, i. e. per corporis sensum... Non autem ita quaero, quid sit *iustus*, nec ita invenio nec ita intueor, cum id eloquor... Illud mirabile est, ut apud se animus videat, quod alibi nusquam vidit, et verum videat, ipsum verum iustum animum videat, et sit ipse animus, et non sit iustus animus, quem apud se ipsum videt. Num est alius animus iustus in animo nondum iusto?... An illud quod videt, *veritas est interior, praesens animo*, qui eam valet intueri? Neque omnes valent; et qui intueri valent, hoc etiam, quod intuentur, non omnes sunt, hoc est, non sunt etiam ipsi iusti animi, sicut possunt videre ac dicere, quid sit iustus animus. Quod unde esse potuerunt, nisi inhaerendo eidem ipsi formae, quam intuentur, ut inde formentur et sint iusti animi, non tantum cernentes... Et unde inhaeretur illi formae, nisi amando?... Homo ergo, qui creditur iustus, *ex ea forma et veritate* diligitur, quam cernit et intelligit apud se ille qui diligit; *ipsa vero forma et veritas* non est, quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale praeter ipsam, ut eam, cum incognita est, credendo diligamus, ex eo quod iam tale aliquid novimus. Quidquid enim tale aspexeris, ipsa est; et non est quidquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est ». Ibid. c. 9. n. 13: « Vivendum tamen sic esse Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potius supra nos *in ipsa veritate* conspicimus. Illum ergo, quem sic vixisse credimus, ex hoc quod videmus diligimus. Et nisi hanc formam, quam semper stabilem atque incommutabilem cernimus, praecipue diligeremus, non ideo diligeremus illum, quia eius vitam, cum in carne viveret, huic formae coaptatam et congruentem fuisse fide retinemus ». Libr. IX. c. 6. n. 9: « *Intuemur inviolabilem veritatem*, ex qua perfecte, quantum possumus, definiamus, non qualis sit uniuscuiusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat ». Ibid. n. 11: « Ipsa vera *forma inconcussae ac stabilis veritatis*, et in qua fruerer homine, bonum eum credens, et in qua consulo, ut bonus sit, eadem luce incorruptibilis sincerissimaeque rationis et meae mentis aspectum et illam phantasiae nubem, quam desuper cerno, cum eundem hominem, quem videram, cogito, imperturbabili aeternitate perfundit ». Ibid. c. 7. n. 12: « In illa igitur *aeterna veritate*, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam, secundum quam sumus et secundum quam vel in nobis vel in corporibus vera et recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus et dicendo intus gignimus, nec a nobis nascendo discedit ».

6. Ultima haec verba aliam Augustinianae sententiae partem indicant, quam S. Bonav. in fine huius quaestionis attingit, scil. quod habitus animae, qui cognoscuntur in ipsa veritate et per similitudines, quae idem sunt quod ipsae (res i. e. habitus), non cognoscantur absque aliqua specie in intellectu cognoscentis formata. Libr. IX. c. 3. n. 3. ait: « Mens ergo ipsa, sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semetipsam. Ergo et semetipsam *per se ipsam novit*, quoniam est incorporea ». — Ibid. c. 11. n. 16. loquendo de cognitione Dei ostendit, quod in ipsa « fit aliqua Dei similitudo illa notitia; tamen inferior est, quia in inferiore natura est; creatura quippe animus, Creator autem Deus. Ex quo colligitur, quia cum se mens ipsa novit atque approbat, sic est eadem notitia verbum eius, ut ei sit par omnino et aequale atque identidem, quia neque inferioris essentiae notitia est, sicut corporis, neque superioris, sicut Dei. Et cum habeat notitia similitudinem ad eam rem, quam novit, hoc est, cuius notitia est, haec habet perfectam » etc.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de ista consequentia: *Qui diligit proximum, consequens est, ut ipsam dilectionem diligat.* Videtur enim ista consequentia non valere. Quamvis enim possibile sit, dilectionem diligi, non tamen est necesse, quod aliquis diligat eam; multa enim frequenter amamus, quae nollemus amare.

Item dubitatur de ista consequentia: *Qui diligit dilectionem, consequens est, ut Deum diligat;* quia, aut intelligit de *increata*, aut [1] *creata*. Si de *creata*, nihil valet: diligit quid creatum, ergo increatum; si de *increata*, tunc in nullo concordat cum priori sententia, quia dilectio, qua diligimus [2] proximum, est dilectio creata.

Respondeo: Dicendum, quod utraque consequentia bona est in proposito. Quidam enim est amor, in quo non est quietatio nec delectatio nec complacentia, ut puta ille qui est ex pronitate corruptionis, cui ratio obsistit. Quidam vero est amor, qui est cum delectatione, complacentia et quietatione; et in tali amore non est tantum acceptatio rei amatae, immo [3] etiam ipsius amoris; et talis amor est caritas, et ideo sequitur: qui amat proximum amat dilectionem, id est, acceptat. (Duplex amor.)

Sed quoniam bene sequitur: qui acceptat aliquid ex se, multo magis acceptat illud, in quo invenitur ratio acceptationis [4]; si dilectio, eo ipso quo dilectio, acceptatur, maior dilectio magis acceptatur. Cum ergo dilectio nostra sit dilectio exemplata, et dilectio divina sit [5] exemplar omnis rectae dilectionis, et in illa est prima et summa ratio omnis acceptationis: hinc est, quod sequitur, quod qui diligit dilectionem diligit Deum. Unde Augustinus [6] arguit ex hac suppositione, quod ipsa caritas sive dilectio proximi est dilectio cum acceptatione; et ex hoc tenet prima consequentia [7]; et ex alia suppositione, quod prima ratio acceptationis est in dilectione exemplante, non exemplata; et ex hoc patet secunda [8].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ecce iam potes notiorem Deum habere quam fratrem.* Videtur enim falsum, quia primae ad Timotheum ultimo [9] dicitur de Deo, quod *lucem habitat inaccessibilem. Praeterea*, de fratre novit, *quid* est, de Deo vero non novit, *quid* est, sed, *si* est; ipse autem [10] non loquitur quantum ad cognitionem, *si* est.

Respondeo: Dicendum, quod aliquid *magis certitudinaliter cognosci* est dupliciter, quia certitudo cognitionis est secundum praesentiam; aliquid autem praesentius est dupliciter: aut quantum ad *rationem cognoscibilis*, aut quantum ad *substantiam* [11]. Quantum ad *substantiam* Deus est praesentior cuilibet rei quam aliqua alia res; quantum autem ad *rationem cognoscendi* hoc est dupliciter: aut a parte *cognoscibilis*, sicut sol est praesens caeco, et tamen caecus est absens lumini; sic Deus est praesentior quam frater; si autem a parte *cognoscentis*, sic praesentior est frater, quia praesens est oculis carnis [12], quorum cognitio viget secundum statum praesentem. (Duplex modus praesentiae.)

Aliter potest dici, quod praesentius est aliquid dupliciter in ratione cognoscibilis: vel secundum *effectum*, vel secundum *se*. Secundum *se* notior est frater, secundum *effectum* notior est Deus. Quia effectus divinus, qui est dilectio, intrat ipsam animam et ei est praesens et magis cognoscitur quam frater [13]. (Alia solutio.)

Dub. III.

Item quaeritur de illo verbo canonicae Ioannis quarto, quod est in littera: *Qui diligit, manet in lumine.* Videtur enim improprie dictum, quia lumen

---

[1] Aliqui codd. ut HK aa ee ff cum ed. 1 repetunt hic *de*.

[2] Ex mss. et ed. 1 posuimus *diligimus* loco *diligit.* Paulo ante cod. O, posito *consequentia* loco *sententia*, addit *immo aequivocatur dilectio.*

[3] Cod. dd *sed* pro *immo.*

[4] Sequimur nonnullos codd. ut F G H K T ponendo *acceptationis* loco *dilectionis*, quorum lectio toto contextus processu confirmatur. Mox aliqui mss. ut Y Z comparativo *maior* praemittunt particulam *et,* ac dein post *magis* multi codd. cum ed. 1 omittunt certe supplendum *acceptatur.*

[5] Lectio Vat., in qua habetur *ut* loco *sit,* castigatur ope mss. et edd. 1, 2, 3, 6, ex quibus etiam paulo infra post *hinc* supplevimus *est quod.* Aliqui codd. ut A G H I K T etc. cum ed. 1 voci *hinc* praefigunt particulam *et.*

[6] Lib. VIII. de Trin. c. 8. n. 12, ex quo textus huius dubii sumtus est.

[7] Scil., quod qui diligit proximum, diligat ipsam dilectionem. — Plurimis codd. consentientibus, substituimus *et ex hoc* pro *et ex hac.*

[8] Nempe: quod qui diligit dilectionem, diligat Deum. — Ed. 1 *ex hac* loco *ex hoc.* — Plura de hac re vide supra q. 2. et apud B. Albert., hic a. 3. — S. Thom. et Petr. a Tar., hic expos. lit.

[9] Vers. 16, ubi Vulgata *inhabitat* loco *habitat.*

[10] Nonnulli codd. ut A I V X cum ed. 1 omittunt minus bene *autem;* cod. Y addit *Magister.*

[11] Vat. et cod. cc in hac propositione contra multos mss. et ed. 1 *praesens* loco *praesentius,* ac mox contra plurimos codd. et ed. 1, omisso primo *aut*, ponunt *cognoscendi* loco *cognoscibilis,* quod transferunt post *substantiam.* Pro *rationem cognoscibilis* magis placeret *rationem cognoscendi,* si faverent codd.

[12] Ex mss. et ed. 1 substituimus *carnis* pro *carneis.*

[13] De duplici modo, quo Deus intellectui nostro praesens est, vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. — In solutione huius dubii conveniunt B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 6. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3.

respicit cognitionem, sicut calor affectionem: ergo magis deberet dicere: manet in calore, quam manet in lumine.

Respondeo: Dicendum, quod luminis est manifestare. Manifestare autem aliquid alicui est dupliciter: aut sicut viam *cognoscendorum*, aut sicut viam *agendorum*. Primum est per *scientiam*, et contra illud lumen opponitur tenebra ignorantiae simplicis; secundum est per *gratiam*, unde: *Unctio docebit vos de omnibus* [1]; et contra illud est tenebra malitiae sive peccati; et de hoc lumine et de his tenebris loquitur beatus Ioannes, quod patet in textu, et Ecclesiastici undecimo [2]: *Error et tenebrae peccatoribus concreata sunt.* Et quoniam caritas semper est cum gratia, aliae virtutes non, ideo dicit: *Qui amat, manet in lumine,* per appropriationem [3].

Duplex lumen contra duplices tenebras.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *in divinis donis nihil maius est caritate.* Videtur enim dicere falsum, quia *sapientiae* donum ponitur excellentissimum inter omnia dona, vel si idem est caritas et sapientia, caritas non retinet praerogativam inter dona. *Item* quaeritur de consequentia: si caritas est praecipuum inter dona Dei, et nullum maius est quam Spiritus sanctus: ergo Spiritus sanctus est caritas. Aut ergo [4] loquitur de caritate *creata,* aut *increata;* si de *increata,* tunc ergo probat idem per idem; si de *creata,* tunc nulla videtur consequentia, quia non valet, quodsi creata est caritas maior inter dona creata, quod sit Spiritus sanctus.

Alia quaestio.

Respondeo: Dicendum, quod praedicta auctoritas Augustini potest intelligi de caritate *creata* et *increata;* et pro utraque habet veritatem. Si de *increata,* certum est; si de *creata,* maximum est inter dona, quia plus habet in se de ratione bonitatis sive de ipsa bonitate, quam aliquod donum [5], loquendo praecise. Quaedam enim dona sunt, quae sunt sine caritate; et hoc quidem certum est, quod minora sunt. Quaedam praesupponunt caritatem, sicut [6] donum sapientiae. Caritas enim est, quae dat sensum gustui, ut sapiant ei bona aeterna. Unde sapientia superaddit quandam ulteriorem habilitatem [7], quae comparata ad caritatem minus bonum est, sed prout claudit caritatem, maius bonum est ratione eius quod praesupponit. Et ita patet, quod caritas, praecise loquendo, est excellentissimum donum; sapientia vero, praesupponendo sive implicando donum caritatis, dicitur excellentissimum.

Ad illud quod obiicitur de consequentia, dicendum, quod utroque modo bona est. Si enim intelligatur de caritate *increata,* si [8] ipsa est donum primum et praecipuum, et Spiritus sanctus est huiusmodi: oportet quod ipsa sit Spiritus sanctus, quia quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit [9]. Si autem de caritate *creata;* tunc consequentia Augustini intelligenda est a parte nominis sic: si caritas creata est maximum [10] inter dona creata, et Spiritus sanctus est maximum donorum: ergo melius nominatur nomine doni excellentissimi quam alio. Consequens ergo est, ut Spiritus sanctus sit caritas, sed non creata, immo illa quae Deus est [11].

Ad 2. quaesitum.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non utique sic dictum est, quod Dei substantia est nostra patientia.* Videtur enim male dicere, quia caritas, qua nos diligimus Deum, non est ipse Deus, nisi intelligamus *quo diligimus* exemplariter vel causaliter: ergo cum simile sit de patientia, videtur quod Augustinus male destruit [12] illud simile. *Item,* cum Deus faciat nos diligentes, sicut patientes, quare non dicitur Deus caritas nostra, sicut patientia nostra?

Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod Deus est caritas et *essentialiter* et *causaliter: essentialiter,* quia in se amor est; *causaliter,* quia in nobis amorem efficit. Sed Deus non est *patientia* essentialiter, sed solum causaliter; et ideo Scriptura istum diversum modum innuens [13] dicit, Deum esse patientiam *nostram,* et Deum esse caritatem sine additione. Ratio autem huius est, quia [14] quidam habitus dicunt *incompletionem,* sicut patientia, spes et huiusmodi, qui non cadunt in Deo per essentiam, sed per causam, quia huiusmodi sunt a Deo. Quidam autem sunt habitus di-

Deus dupliciter est caritas.

Non sic patientia.

---

[1] I. Ioan. 2, 27, ubi Vulgata: Unctio eius docet vos de omnibus. — Vat. contra mss. post *unde* addit *per Ioannem.*

[2] Vers. 16.

[3] Cfr. B. Albert., hic a. 6; S. Thom. et Petr. a Tar., hic in expos. textus.

[4] Ed. 1 *enim* loco *ergo*, quae et mox post *aut* repetit *de caritate.*

[5] Ed. 1 *donorum*, cod. dd autem addit *aliud.* Mox pauci codd. ut VZ omittunt *quae sunt.*

[6] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *velut.* Ed. 1 post *sicut* adiungit *est.*

[7] Exhibemus lectionem fere omnium mss. ponendo *habilitatem* pro *virtutem quae habilitat;* ed. 1 *habilitationem.* Paulo infra ex multis codd. ut AGHIKTW etc. et ed 1 pro *minus bona* substituimus *minus bonum*, quod et in se distinctius est et cum subnexis magis correspondens.

[8] Vat. *sic* loco *si,* et mox post *huiusmodi* addit *ergo*, sed obstat auctoritas mss. et ed. 1 et quidem bene, quia agitur tantum de *consequentia* ostendenda.

[9] Aristot., V. Top. c. 3. (c. 5.).

[10] Aliqui codd. ut IT addunt *donum.*

[11] Cfr. B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar. et Richard., hic circa lit.

[12] Cod. T *destruat;* ed. 1 *astruit.*

[13] Mendum Vat. *inveniens* loco *innuens* correximus ope mss. — Textus S. Scripturae de isto diverso modo vide hic in lit. Magistri, c. 3.

[14] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *quia,* loco *quod* et pauto infra *qui* pro *quae.*

centes *complementum*, et huiusmodi [1] sunt in Deo essentialiter, sicut caritas et sapientia et huiusmodi. Notandum autem, quod Augustinus vult dicere, quod Deus est caritas essentialiter, sed ipse non vult dicere, quod sit caritas *nostra* essentialiter, sed *causaliter* et *exemplariter*. Nec ita est patientia nostra *exemplariter* [2]. Quamvis enim omnes virtutes habeant exemplar cognoscitivum in Deo et omnes habeant exemplar secundum similitudinem *longinquam*, tamen quaedam virtutes non habent sibi correspondens in Deo *per omnia*, sicut patientia, quae duo dicit, scilicet passionem et superferri passionibus. Quantum ad primum, non habet in Deo correspondens, sed quantum ad secundum solum. Caritas autem habet amorem in Deo sibi per omnia correspondentem, et [3] amorem non tantum *essentialem*, sed etiam *personalem:* et ideo dicunt auctoritates [4], quod Spiritus sanctus est caritas, qua diligimus Deum; et ablativus *qua* dicit habitudinem non tantum causae efficientis, sed etiam formalis, non perficientis, sed exemplantis [5].

Ad quaest. incidentem.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *solum donum caritatis dividit inter filios regni et filios perditionis*. Videtur enim male dicere, quia aut loquitur de divisione quantum ad *cognitionem*, aut quantum ad *veritatem*. Si quantum ad *veritatem*, hoc falsum est, quia non solum in caritate, sed etiam in fide gratuita et spe differunt; si quantum ad *cognitionem*, tunc minime dividit, quia nescitur, quis hoc donum habeat.

Respondeo: Dicendum, quod omnia dona virtutum possunt esse informia praeter caritatem. Et quoniam possunt esse informia, possunt esse in iustis et peccatoribus, et ideo in illis nunquam separantur ab invicem. Sed caritas nunquam potest esse informis nec esse cum peccato, quia actus eius est diligere Deum [6] propter se et super omnia, qui removetur per omne peccatum. Ideo dicit Augustinus [7], quod sola caritas distinguit, loquendo de distinctione in universali.

Quod obiicitur de fide gratuita sive formata, concedo, quod distinguit; sed tamen hoc non habet, quia *fides*, sed quia *gratuita;* et ita ex hoc, quod caritati coniuncta [8]; et sic patet illud.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam* etc. Videtur enim male dicere, quia Dominus dicit, Ioannis decimo quinto [9]: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat* etc.: ergo si hoc est maximum opus caritatis, impossibile est, quod fiat sine caritate.

Respondeo: Aliqui dicunt, quod Apostolus dicit per impossibile; posito enim adhuc [10], quod aliquis hanc poenam pateretur sine caritate pro Christo, adhuc non prodesset sibi. Credo tamen, quod aliqui [11] ex industria naturalium et aliqua gratia gratis data possent sustinere pro fide Christi mortem etiam sine caritate, sicut [12] haereticus sustinet per errorem. Et quod dicit Dominus, quod illud est summae caritatis, hoc dicit quantum ad signum et exteriorem ostensionem; signa tamen sunt fallibilia, et ideo non necessario oportet, quod si aliquis mortem sustinet pro Christo sive pro eius fide [13], habeat caritatem. Credo tamen, quodsi aliquis pro Christo sustineret mortem, qui non magnum haberet obicem, quod disponeret se ad gratiae susceptionem, ita quod daretur sibi caritas.

---

[1] In cod. I additur *habitus*.

[2] In Vat. haec propositio: *Nec ita est patientia nostra exemplariter* perperam deest, quae tamen in mss. et ed. 1 habetur.

[3] Cod. V *per* loco *et*.

[4] Quas videsis in lit. Magistri, hic c. 1-4.

[5] Duplex siquidem tunc distinguebatur causa formalis, scil. intrinseca seu informans (perficiens), et extrinseca seu exemplaris. — De hoc dubio vide etiam B. Albert., hic a. 8 et Petr. a Tar., hic circa lit.

[6] Fide vetustiorum mss. et ed. 1 adiecimus male omissum *Deum*. Mox relativum *qui* referas ad *actum*. — Plura de eo, quod caritas non possit esse informis, vide III. Sent. d. 27. a. 1. q. 4.

[7] Libr. XV. de Trin. c. 18. n. 32, ex quo textus huius dubii sumtus est.

[8] In ed. 1 additur *est*. — Idem dubium solutum invenies apud B. Albert., hic a. 9.

[9] Vers. 13.

[10] Vat. perperam, et antiquioribus mss. cum edd. 1, 6 refragantibus, *ad hoc*. Dein edd. 2, 3 *habens* pro *hanc*.

[11] Ex pluribus codd. ut TX et ed. 1 adiecimus *aliqui*. Cod. Z *aliquis*, et paulo post *posset* loco *possent;* cod. Y absque *aliquis* habet *posset*.

[12] Cod. bb addit particulam *et*. Mox cod. M *pro errore*, et cod. ee cum ed. 1 *propter errorem* loco *per errorem*.

[13] Vat. cum aliquibus mss. hic repetit *quod*, in maiore parte codd. et ed. 1 tamen deest.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVII.

PARS II.

Magister ponit opinionis suae defensionem.

Hic quaeritur, si caritas Spiritus sanctus est, cum ipsa augeatur.

HUIUS PARTIS TEXTUM VIDE SUPRA P. 289.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de missione Spiritus sancti invisibili secundum suam opinionem. Hic *secundo* ponit opinionis suae defensionem, et hoc facit respondendo obiectionibus, quae possent [1] suam opinionem improbare. Et quoniam sua positio improbari potest et *ratione* et *auctoritate* et *utroque modo*, ideo habet haec pars tres partes.

In *prima* parte impugnat et improbat hoc quod dixerat, quod Spiritus sanctus est caritas, qua diligimus Deum et proximum.

Secundo vero, per auctoritatem, ibi: *Supra dictum est, quod Spiritus sanctus.*

Tertio, per auctoritates et rationes, ibi: *Alias quoque inducunt* etc. — Prima ratio contra Magistrum sumta est ex hoc, quod caritas augetur [2]; secunda ratio contra ipsum sumta est ex hoc, quod caritas est a Spiritu sancto, sicut dicit Augustinus; tertia ratio sumta est ab hoc, quod caritas est animi affectio, et hoc quidem rationi et auctoritati consonat. In qualibet autem istarum partium Magister primo opponit et secundo determinat; et partes manifestae sunt.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis est hic [3] quaestio de augmento caritatis, et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum caritas possit augeri secundum substantiam.

Secundo quaeritur de modo augmenti ipsius caritatis.

Tertio quaeritur de opposito augmenti ipsius, scilicet de diminutione, utrum caritas possit diminui.

Quarto de augmento caritatis quantum ad terminum sive [4] statum.

ARTICULUS UNICUS.

De augmento caritatis.

QUAESTIO I.

Utrum caritas secundum substantiam augeri possit.

Quantum ad primum ostenditur, quod caritas possit augeri secundum substantiam:

1. Per Augustinum ad Bonifacium [5]: « Caritas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici ». Fundamenta.

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* caritas viae secundum substantiam minor est caritate patriae; sed a caritate viae ad caritatem patriae contingit devenire, ipsa salvata in esse, quoniam *caritas* viae *nunquam excidit* [6]; sed motus a minori ad maius, re salva, est augmentum [7]: ergo contingit caritatem augmentari.

3. Item, constat, quod diversis maiora et minora

---

[1] Plurimis codd. cum ed. 1 reluctantibus, Vat. *possunt.*
[2] Vat. contra mss. et ed. 1 *augeatur.*
[3] Plurimis mss. et ed. 1 consentientibus, supplevimus *hic.*
[4] Vat. cum cod. cc repetit *ad.*
[5] Epist. 189. n. 2. secundum sensum, sed verbotenus Epist. 186. ad Paulinum c. 3. n. 10. In hoc textu ed. 1 cum uno alterove codice ut 1 post *mereatur* addit *et.*
[6] I. Cor. 13, 8.
[7] Aristot., I. de Gener. et Corrupt. text. 33. (c. 5.).

praemia dabuntur; unde Apostolus, primae ad Corinthios decimo quinto[1]: *Alia claritas solis, alia claritas lunae* etc.; et constat, quod uni et eidem secundum diversos status debetur diversum praemium, scilicet maius et minus; sed magnitudo praemii substantialis respondet quantitati caritatis, non secundum fervorem, sed secundum substantiam: ergo si contingit, maius praemium alicui deberi, ergo et caritatem substantialiter augeri.

4. Item, contingit caritatem meliorari, cum non sit summum bonum; sed caritas est bona substantialiter: ergo contingit, caritatem secundum suam substantiam fieri meliorem. Sed ut dicit Augustinus in sexto de Trinitate, octavo capitulo[2]: « In spiritualibus idem est maius et melius »: ergo cum caritas sit quid spirituale, possibile est, secundum substantiam ipsam effici maiorem.

5. Item, constat quod in uno et eodem caritas potest in maiorem effectum et actum: ergo cum maioritas effectus veniat a magnitudine virtutis, possibile est, caritatem maiorem effici secundum virtutem. Tunc quaero: aut caritas est sua virtus, aut non: si *sic:* ergo augmentata virtute, necesse est, augeri essentiam caritatis; si *non,* tunc quaero de illa virtute: aut habet essentiam, aut non; si *sic,* similiter quaero de illa: ergo vel erit abire in infinitum, vel necesse est poni, quod aliquid augeatur secundum substantiam; sed qua ratione alia virtus, et caritas.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Caritas est forma; sed omnis forma consistit in essentia invariabili[3]: ergo et caritas; sed nihil invariabile secundum essentiam augetur secundum essentiam: ergo nec caritas.

2. Item, ubi augmentum, ibi maius et minus[4]; sed ubi est simplicitas, ibi non est maius et minus: si ergo caritas est forma simplex et non extensa, in caritate non erit augmentum.

3. Item, augmentum in corporalibus est secundum accidens, et non secundum substantiam[5]: ergo pari ratione et in spiritualibus: ergo si caritas augetur, hoc est solum secundum accidens, non secundum substantiam.

4. Item, quod augetur mutatur[6], et quod augetur secundum substantiam mutatur secundum substantiam; sed quod substantialiter mutatur est aliud nunc quam prius: ergo quod augetur secundum substantiam non manet: si ergo *caritas nunquam excidit*[7] nisi per peccatum, sed semper manet, ergo non augetur.

CONCLUSIO.

Caritas secundum substantiam sive secundum quantitatem virtutis augeri potest.

Respondeo: Dicendum, quod secundum communem opinionem verum est, caritatem substantialiter augeri. Conclusio.

Ad intelligentiam autem obiectorum distinguunt quidam augmentum secundum duplicem differentiam. Augmentum enim est, quando minori succedit maius; hoc autem potest esse dupliciter: vel *ita,* quod illud idem, quod prius fuit minus, postea fiat *maius,* sicut homo dicitur augeri vel aliquod *aliud* quantum, et hoc modo[8] caritas non augetur, ut dicunt; vel *ideo,* quod minori succedat maius, non idem numero, sed consimile in forma, sicut dies dicuntur augeri, non quia idem dies primo[9] sit minor et postea maior, sed quia minori succedit maior; sic dicunt augeri caritatem, ac per hoc posse evadere oppositiones. Explicatio quorumdam.

Sed positio ista, ut supra probatum est[10], non potest stare. Ostensum est enim, quod caritate manente eadem, contingit, circa eandem fieri crementum et perfectionem. Reprobatur.

Et ideo aliter dicendum, quod augmentum sequitur quantitatem. Quantitas autem dicitur dupliciter, scilicet *proprie* et *metaphorice:* proprie dicitur quantitas *molis,* et haec est in corporalibus; metaphorice quantitas *virtutis,* et haec est[11] in spiritualibus. Sic et augmentum dicitur dupliciter: *proprie,* scilicet secundum magnitudinem *molis,* et *metaphorice* secundum quantitatem virtutis. Cum ergo in caritate sit quantitas virtutis, et non in summo, constans est, caritatem augeri posse. *Rursus,* cum virtus sit idem quod substantia caritatis, et sit[12] quantitas virtutis, hinc est, quod de necessitate sequitur, caritatem augeri secundum substantiam; cum enim sit virtus, eius substantia non est alia a virtute. Explicatio auctoris.

---

[1] Vers. 41.

[2] Num. 9: In his enim, quae non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse. — Mox cod. I *unde* pro *ergo.*

[3] Libr. de Sex princip., qui est Gilberti Porretani: Ratio sive forma est id quod supervenit composito, simplici constans et invariabili essentia. Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 28. et VIII. text. 10. (VI. c. 8. in fine, et VII. c. 3.). In primo loco cit. ait: « Indivisibilis namque forma est »; in secundo comparat substantiam (essentiam) numeris, in quibus quaelibet additio vel diminutio inducit mutationem specificam. — Mox post *invariabile* codd. K V, omittunt *secundum essentiam,* dein nomini *essentiam* praemittunt *substantiam vel.*

[4] Aristot., I. de Gener. et Corrupt. text. 31. seqq. (c. 5.).

[5] Cfr. Aristot., I. de Gener. et Corrupt. text. 30. seqq. (c. 5.) et V. Phys. text. 7-20. (c. 2. et 3.) — Mox in Vat. et cod. cc minus apte, et aliis codd. cum ed. 1 obnitentibus, omittitur *solum.*

[6] Vide Aristot., IV. Phys. text. 32. (c. 4.) et VIII. Phys. text. 55. (c. 7.).

[7] I. Cor. 13, 8.

[8] Cod. X, variata interpunctione et positione, *vel aliquod aliud, et quantum ad hoc caritas,* cum quo concordat cod. R, qui tamen omittit particulam *et* ac ponit *ad hunc modum* pro *ad hoc.* Paulo infra codd. P Q *ita* loco *ideo;* ac dein fide antiquiorum mss. et ed. 1 expunximus voci *numero* praefixam particulam *in.*

[9] Cod. T *prius* loco *primo,* et cod. K *possit esse* pro *sit.*

[10] Hic, in fundamentis, praesertim in ultimo.

[11] E vetustioribus mss. et ed. 1 supplevimus *est.*

[12] Plures codd. ut A G I S T W X Y ee ff omittunt *sit,* quod

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod essentia formae est invariabilis; dicendum, quod verum est de forma universali; si autem dicatur de forma singulari, verum est in se considerata, sed non prout in alio [1].

2. Ad illud quod obiicitur, quod simplicitas non admittit magnitudinem; dicendum, quod verum est, quod non admittit magnitudinem molis, admittit tamen magnitudinem virtutis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod augmentum [2] in corporalibus est motus secundum accidens, patet responsio. Nam quantitas *molis* est accidens, essentialiter differens a quanto; non autem sic est in quantis quantitate *virtutis*, immo quantitas virtutis essentialis est, ut in opponendo probatum est [3].

Alia solutio. Potest tamen dici, quod cum dicitur, quod [4] motus augmenti in corporalibus est motus secundum accidens, dupliciter potest accipi hoc quod est *secundum*: aut quod dicat habitudinem termini *per se* sive termini formalis, et sic utique terminus augmenti est quantitas perfecta; aut ita, quod dicat terminum *per accidens*, et hoc modo augmentum per accidens [5] respicit substantiam. Quod patet. Cum enim additur quantitas maior minori, nisi fiat per rarefactionem vel per protensionem [6], oportet quod addatur substantia, in qua sit illa quantitas; et ita augmentum plus habet de substantia, et ita per consequens ad substantiam terminatur etiam in corporalibus.

4. Et per hoc patet quod obiicitur: quod mutatur secundum substantiam est aliud et aliud [7]; verum est, si dicat terminum formalem; sed non sic dicit.

Ad illud quod obiicitur: quod augmentatur secundum substantiam et mutatur secundum substantiam; dicendum, quia [8] rei non tantum est esse substantiale, sed etiam perfectum esse. Mutari ergo secundum substantiam hoc potest esse dupliciter: vel respectu *esse simpliciter*, et sic mutatum est aliud et aliud; vel respectu *esse perfecti*, et sic est idem [9], quia cum de imperfecto fit perfectum, non est aliud, sed idem. Hinc est, quod caritas, quamvis substantialiter augeatur, non est alia, sed eadem secundum substantiam; unde non valet obiectio.

SCHOLION.

I. Cum sententia communi quaestio resolvitur affirmative. Deinde circa *modum* huius augmenti S. Doctor affert opinionem aliquorum insufficientem; denique propriam suam sententiam proponit eamque probat adhibito isto axiomate, quod augmentum sequitur quantitatem. Quantitas autem communiter distinguitur in propriam sive molis, et metaphoricam sive virtutis; unde sequitur, quod etiam duplex augmentatio admitti debeat, et inde, quod caritas augeri possit, et quod augmentatio fiat secundum essentiam. — Ut rationes et difficultates ad philosophiam spectantes, quae in hac et seq. quaest. tanguntur, facilius intelligantur, iuvat aliqua excerpere circa varias in antiquis scholis vigentes opiniones de augmento et diminutione formarum. Teste Boethio, (III. in Categorias seu Praedicamenta Aristotelis, c. de Qualitate) tres opiniones iam apud antiquos philosophos extiterunt de *intensione formarum* seu de magis et minus. « Quidam namque dicebant, in omnibus secundum *materiae habitudinem* reperiri posse magis et minus. Proprium namque esse materiae corporumque intensione crescere et minui relaxatione, quae quorundam Platonicorum sententia fuit ». Quae Boethii verba a B. Alberto, Comment. in libr. de Sex principiis Gilberti Porretani, tract. 8. c. 1. ita exponuntur: « Eorum quidem *una* (opinio), qui dicebant, quod in omni, in quo invenitur magis et minus, invenitur aliquo modo materia, cuius quantitas, ut dicunt, ex indivisibilibus consistit: ubi plura similia in uno conveniunt, id dicunt intendi, et ubi pauciora sunt, illud dicunt remitti, et ideo albissima sunt in quibus plura indivisibilia concurrunt albedinis; remitti autem, ubi conveniunt pauciora. Et haec quidem opinio, ut dicit Boethius, fuit Pla-

---

alii ut II cc cum ed. 1 transponunt post *quantitas*. Codd. LOZ paulo ante post *virtus* addunt *caritatis*, quod vel supplendum est, vel nomen *virtus* referendum ad sequens *caritatis;* dein codd. LO *et quantitas virtutis, quod quantitas substantiae* substituunt loco *et sit quantitas virtutis*. Quomodo hoc argumentum intelligendum, accipe ex fundam. 5. supra posito, et infra ex resp. ad 3. Mox aliqui codd. ut DVX bb minus apte omittunt *enim*, loco cuius cod. G habet *ipsa;* cod. T deinde post *virtus* adiungit *necessario sequitur, quod*.

[1] De hac solutione cfr. supra d. 8. p. 1. a. 2. q. 2. ad 1. Idem dicit Richard. a Med., I. Sent. d. 8. a. 2. q. 2. ad 2: « Quamvis forma non sit variabilis secundum suum esse absolutum, proprie loquendo de variabilitate, tamen quia naturalem habet aptitudinem, ut sit in materia, in qua potest recipere variabilitatem, simpliciter invariabilis dici non debet. »

[2] Ex aliquibus mss. ut IT supplevimus *augmentum*, pro quo Vat. cum cod. cc, aliis tamen codd. et ed. 1 renitentibus, mox post *motus* ponit *augmenti*.

[3] In fundamentis, praecipue in ultimo et in corp. quaest. circa finem. — Paulo supra post *essentialis* cod. M habet *caritati*.

[4] Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 omittit *quod*. Mox in plurimis mss. et ed. 1 deest *augmenti*, certe tamen supplendum.

[5] Sequimur antiquiores codd. et ed. 1 addendo *per accidens*.

[6] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. de Qualitate, et IV. Phys. text. 79. seqq. (c. 9.) ac III. de Caelo text. 10, ubi definitio rarefactionis indicatur, scil. quod sit motus, quo corpus, manente eadem entitate et quantitate, maiorem acquirit localem extensionem. Quodsi rarefactio et protensio ad invicem conferuntur, secundum mentem S. Doctoris infra d. 18. dub. 4. dici potest, quod rarefactio sit processus naturalis, protensio vero processus artificialis; priori opponeretur condensatio, posteriori compressio.

[7] Vat. male omittit hic *est aliud et aliud;* paulo supra minus distincte ponit *non augetur* loco *mutatur*, deinde in fine responsionis *si dicit terminum per accidens* pro *sic dicit*, sed obstat auctoritas mss. et sex primarum edd. — Nota insuper, quod Vat. cum multis codd. praemissam propositionem *Et per hoc patet* etc. coniungit cum responsione ad tertiam obiectionem; sed non bene, quia revera pertinet cum sequenti responsione ad quartum obiectum. Pauci codd. ad connexionem harum responsionum stabiliendam post *non sic dicit* addunt *tamen potest aliter dici*.

[8] Unus alterque codex ut IQ *quod* loco *quia*.

[9] Contextu exigente, supplevimus *et sic est idem*, licet haec verba in paucis mss. ut HT et quidem in margine (a manu suppari) inveniantur. Mox fide plurimorum mss. et ed. 1 *Hinc est, quod* substituimus loco *Et hinc est, quia*.

tonis. Videtur autem ab antiquo Anaxagora derivata, qui dixit, simile simili generari, et omnia esse in omnibus, sed latere: et ideo etiam intendi et remitti quodcumque secundum plus et minus apparet de ipso simili ». — « *Alia* vero, quae secundum certissimas verissimasque artes atque virtutes non diceret esse magis et minus, secundum autem medias dici posse, ut haec ipsa grammatica atque iustitia non dicitur magis grammatica neque magis iustitia. Esse autem quasdam alias mediocres artes, in quibus id ipsum posset evenire (sicut de dispositione fit habitus medius, ut B. Albertus adiungit). *Tertia* est, de qua Aristoteles loquitur, quod ipsas quidem habitudines nulla intensione crescere nec diminutione decrescere putat, sed eorum *participantes* (seu subiecta) posse sub examine compositionis venire, ut de his magis minusve dicatur. Sanitatem namque ipsam et iustitiam alteram altera magis minusve non esse; neque enim quisquam dicit, magis esse sanitatem alia sanitate. Sed hoc solum dicere possumus, magis habere sanitatem aliquem, i. e. esse saniorem, et magis sanum et minus sanum. Dicimus ergo, quod *ipsae qualitates* non suscipiunt magis et minus; *qui vero secundum eas quales dicuntur*, ipsi sub comparatione cadunt, ut iustior et sanior et grammaticior ». — Gilbertus Porretanus (de Sex principiis, c. ult.), tres sententias hac de re affert, quae suo tempore a diversis defendebantur et triplici antiquorum opinioni correspondere videntur. « Aiunt enim quidam secundum crementum vel diminutionem eorum quae suscipiunt *subiectorum*. Aliter autem et alii *ipsa quidem quae suscipiuntur* in suscipiente diminui et crescere annuntiant. Alii autem secundum *utrumque* amborum diminutionem et augmentationem ». Pluribus rationibus contra triplicem hanc sententiam adductis, concludit: « Patet itaque nihil secundum magis et minus praedicari neque secundum subiecti solum augmentum vel diminutionem neque secundum accidentis; quare neque secundum utrumque. Oportet igitur ab alia ea invenire, quae cum magis et minus dicantur. Huiusmodi vero sunt ea, quae sunt in voce eorum quae adveniunt, et non secundum subiecti vel mobilis crementum vel diminutionem, sed quoniam eorum, quae sunt in voce, impositioni propinquiora sunt, sive ab eadem remotiora. De his etenim *cum magis* dicuntur quae proximiora sunt ei quae in ipsa voce est impositioni, *cum minus* autem de his quae remotiora consistunt, ut album dicitur illud, in quo pura albedo est; quanto igitur ad vocis impositionem accedens puriori inficitur albedine, tanto et candidior assignabitur... Dubitabit autem aliquis, quare haec quidem cum magis et minus dicantur, substantiae vero minime? Hoc autem contingit, quoniam substantiarum impositio quidem in termino est, ultra quem transgredi impossibile est. Additur autem et de accidentibus quibusdam, quae sine magis et minus dicuntur, ut quadrangulus et triangulus et similia; non enim triangulus magis unus altero dicitur ».

II. In solut. ad 1. tangitur quaestio inter Scholasticos in utramque partem disputata, utrum ipsae formae substantiales eiusdem speciei, praesertim animae intellectuales, recipiant magis et minus, sive esse possint inaequalis perfectionis. Quod intelligendum est non de perfectione *specifica*, quae certa est eadem in individuis eiusdem speciei, sed de perfectione *individuali*, nec de perfectione *accidentali*, quae certe diversa est in diversis, sed de *substantiali*, secundum gradum perfectionis consequentem naturam individui. Utraque sententia, i. e. affirmativa et negativa, est probabilis. Fautores sententiae, quod sint inaequales, pro se citant decretum aliquod doctorum Parisiensium, ab Henrico Gandav. (Quodl. 3. q. 5.) et a Durando (II. Sent. d. 32. q. 3.) relatum: « Si quis dicat, omnes animas ab origine esse aequales, errat, quoniam alias anima Christi non esset perfectior anima Iudae ». Durand. hoc decretum ad perfectionem potentiarum sensitivarum et vegetivarum restringere conatur, licet parum probabiliter; alii id non habere irrefragabilem auctoritatem dicunt. De sententia S. Thom. disputatur, licet Caietan. (ad S. I. q. 85. a. 7.) dicat, caecus esse, qui dubitet, ipsum stare pro inaequalitate. Sotus autem cum aliis pluribus ex talibus caecis unum se esse profitetur. Interpretationi Caietani favent multa testimonia S. Thom., ut S. I. q. 50. a. 4. q. 85. a. 7; II. Sent. d. 32. q. 2. a. 3; I. Sent. d. 8. q. 5. a. 2. ad 6. — Sententiae neganti paritatem perfectionis adhaeret etiam S. Bonav., II. Sent. d. 3. p. 1. dub. 2, et d. 32. dub. 6. — Sententia autem Scoti dubia est, licet magis favere videtur huic ultimae sententiae, ut patet ex eius testimoniis collectis in Summ. Hieronymi a Montefortino t. II. p. 1. q. 85. a. 7. incident.

In solut. ad 3. duplex datur responsio. *Prima* est: etiamsi concedatur, quod in rebus *corporalibus* augmentum sit solummodo secundum accidens non secundum substantiam, tamen hoc non valet in augmento *virtutum*. *Secunda* vero responsio negat, quod motus augmenti in corporalibus sit tantum secundum accidens, quod est quantitas, quin addatur ipsi substantiae. Ad hoc probandum distinguitur duplex terminus augmenti: *formalis* sive per se, et hic est ipsa quantitas, et *accidentalis*, et hic est ipsa substantia.

III. Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 3. a. 2. § 1. — Scot., de hac. et seq. hic q. 4. et seqq.; Report., hic. q. 3. et seqq. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. II. II. q. 24. a. 4. — B. Albert., de hac et duabus seqq. hic a. 10. et III. Sent. d. 29. a. 10; et IV Sent. d. 7. a. 5. quaestiunc. 3; S. I. p. II. tr. 16. q. 101. m. 2, et q. 102. m. 1. — Gulielmus Paris., de Virtut. c. 22. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. — Henr. Gand., Quodlib. 5. q. 19. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 6. — Biel, hic q. 4.

QUAESTIO II.

Quomodo caritas augeatur.

Secundo quaeritur de modo augmenti ipsius caritatis. Et quod augmentum eius sit aliunde, ostenditur:

Fundamenta. 1. Per Augustinum [1], qui dicit, quod « caritas meretur augeri »; sed quod aliquis meretur habet ab alio quam a se: ergo si caritas meretur augmentum, habet ipsum aliunde.

2. Item, quod augmentetur per appositionem, videtur per *rationem* augmenti [2]: « augmentum enim est praeexistentis quantitatis additamentum »: ergo

---

[1] Epist. ad Bonifacium. Cfr. q. praeced. fundam. 1.

[2] Fide plurium mss. ut F G H I O ff adiecimus *augmenti*, loco cuius in multis mss. et sex primis edd. falso habetur *Augustini*. Ratio seu definitio augmenti allegata invenitur in Aristot., I. de Gener. et Corrupt. text. 31. (c. 5.): Augmentatio enim est existentis magnitudinis additamentum.

ubi est augmentum, ibi est appositio alicuius eiusdem generis, et ubi appositio, ibi additio: ergo etc.

3. Item, hoc videtur posse ostendi per *simile*, quia [1] caritas est in anima, sicut lux in aëre; sed lux in aëre augetur per additionem novi luminis, ut patet, si uni candelae illuminanti supervenit alia: ergo et in caritate erit similiter respectu animae.

4. Item, hoc videtur per *principium* augmenti, quia ex eisdem est unumquodque et nutritur et augetur [2]: ergo per consimilem modum habet caritas generari, conservari et augeri; sed generatur in nobis per divinam influentiam: ergo et per eandem maiorem augetur; sed ubi maior influentia, aliquid plus influit [3] quam prius; et ubi hoc, ibi est additio: ergo etc.

Ad oppositum.

Contra: 1. Maioris virtutis est calor amoris spiritualis quam ignis materialis; sed ignis se ipso augetur [4]: ergo et caritas, quae est ignis spiritualis.

2. Item, quod non per appositionem, videtur, quia si simplex simplici addatur, nihil maius efficitur, nec mole nec virtute, ut si punctus puncto [5]: ergo nec si caritas addatur caritati, erit maior.

3. Item, si additur aliquid, cum additionem sequatur compositio, et ad maiorem compositionem virtutis diminutio [6]: ergo quanto maior fit additio, tanto efficitur caritas impotentior, et quanto impotentior, tanto minor: ergo cum augmentum caritatis sit quantum ad virtutem, caritas non augetur per additionem.

4. Item, si aliquid addatur priori caritati, aut additum est caritas, aut non; si non: ergo non auget caritatem; si vero est caritas; sed caritas non est materialis respectu caritatis: ergo cum ex aliquibus duobus non fiat unum, nisi unum sit materiale respectu alterius [7], ex caritate praeexistente et superaddita non fit unum; sed ad augmentum necesse est fieri unum ex augente et aucto: ergo nullo modo per additionem augetur [8].

CONCLUSIO.

Caritas augetur virtute divina per appositionem vel incrementum maioris influentiae.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam [9] notandum, quod circa hoc fuit duplex opinio. Una est, quod augmentum caritatis est per depurationem sive per impermixtionem cum contrario. Contrarium autem amoris casti [10] est amor concupiscentiae; unde quanto magis in nobis extinguitur concupiscentia, tanto magis depuratur caritas; et quanto magis depuratur, tanto magis assimilatur Deo et accedit ad terminum; et quanto magis accedit, tanto magis augetur. Et isti posuerunt, caritatem posse per se augeri per assuefactionem in bono et debilitationem concupiscentiae. Ratio autem, quae istos movit, fuit auctoritas Philosophi [11], qui dicit, formas intendi per accessum ad terminum et impermixtionem cum contrario. Fuit etiam cum hoc auctoritas Augustini, qui dicit in libro octoginta trium Quaestionum [12], quod sicut minuitur concupiscentia, sic crescit caritas; et tale augmentum per maiorem depurationem simplici non repugnat.

Opinio 1.

Ratio eiusdem.

Sed ista positio non est conveniens, quoniam [13] constans est, caritatem maiorem et minorem esse, omni sublata concupiscentia, sicut in primo homine et etiam in Angelis; ergo cum omnino sit ibi impermixta, in quolibet Angelo et etiam in statu innocentiae esset in summo, quod stultum est dicere. Unde non est dicendum, quantum ad remissionem concupiscentiae augeri [14] secundum *substantiam;* concedendum est tamen, quantum ad remissionem concupiscentiae *intendi per fervorem.* Et hoc modo intelligit Augustinus; et hoc modo loquitur etiam Philosophus de formis quantum ad intensionem, non quantum ad augmentum.

Reprobatur.

Distinguitur.

Alia positio est, quod caritas augetur per appo-

Sententia auctoris.

---

[1] Vat. minus distincte et contra plurimos mss. *quod* loco *quia,* et mox perperam et contra codd. ac ed. 1 *non augetur* pro *augetur*, et *illuminatae* loco *illuminanti.*

[2] Aristot., II. de Gener. et Corrupt. text. 50. (c. 8.): Omnia enim nutriuntur ex eisdem, ex quibus sunt. In illa propositione Vat. perperam et contra mss. ac ed. 1 omittit *est.*

[3] Cod. O usitatiore modo *influitur.*

[4] Cfr. Aristot., I. de Gener. et Corrupt. text. 39. (c. 5): Nam ignem ad hunc facere modum contingit, videlicet iniectis in eum qui iam est lignis. Verum ita quidem accretio (augmentatio) est; at cum ligna ipsa accenduntur, generatio (ed. Firmin-Didot.).

[5] Est Aristotelis, I. de Gener. et Corrupt. text. 8. (c. 2.), ubi ostendit, quod puncta addita punctis non faciant magnitudinem sive neque maius neque minus. — Mox cod. T *est* loco *erit.*

[6] Auctor libr. de Causis, propos. 17: Omnis vis unita plus est infinita, quam virtus multiplicata. Cfr. etiam Dionys., de Div. Nom. c. 5.

[7] Vide Aristot., VII. Metaph. text. 49. (VI. c. 13.): Impossibile enim est, substantiam ex substantiis esse, quae sic insunt ut actu: quae enim duo sic actu sunt, nunquam unum actu sunt; sed si potentia duo sunt, erunt unum, ut duplum ex duobus dimidiis potentia; actus namque separat.

[8] Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 *potest augeri.* Paulo ante plures codd. ut AGHRTUYZ ee ff cum ed. 1 *augmentato*, aliqui autem perperam *augmento* pro *aucto.*

[9] Aliqui codd. ut T X addunt *est.*

[10] Vat. cum cod. cc *Christi* pro *casti*, sed obstat auctoritas antiquiorum codd. cum ed. 1 et contextus nec non usus loquendi S. Doctoris, de quo vide supra d. 1. a. 2. q. 1. in fine corp. quaest.

[11] Libr. V. Phys. text. 19. (c. 2.): Magis autem et minus est ex eo, quia plus aut minus contrarii inest, et non. Et III. Top. c. 4. circa medium (c. 5.): Et quae contrariis sunt impermixtiora, magis talia; ut albius quidem nigro impermixtius.

[12] Quaest. 36: Nutrimentum eius (caritatis) est imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas. — Et paulo post: Quisquis igitur eam nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Cfr. etiam Enchirid. c. 121. n. 32, ubi dicit: Minuitur autem cupiditas, caritate crescente.

[13] Plurimis mss. cum ed. 1 postulantibus, posuimus *quoniam* loco *quia.*

[14] Supple cum cod. Y *caritatem.*

sitionem; et huius simile habetur in lumine, quod expresse caritati assimilatur [1]. Unde sicut maius lumen, additum minori, ipsum auget, sic caritas superaddita auget minorem. Et haec positio ponit, caritatem non augeri virtute propria, sed divina. Idem enim est principium augendi et generandi [2]. Unde sicut a solo Deo habet ortum, ita et augmentum.

Conclusio.

1. Ex hoc patet illud quod obiicitur per simile in igne. Ignis enim habet potestatem faciendi se in alio et augendi, non sic caritas.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur secundo, quod caritas est simplex [3]; dicendum, quod quamvis caritas sit simplex, quia non habet partes quantitativas quantitate *molis*, habet tamen quantitate *virtutis*, et quantum ad illam [4] potest augeri. Si obiiciatur de puncto, quod habet quantitatem virtutis et tamen non augetur; dicendum, quod ad hoc, quod aliquid sit natum augeri per appositionem consimilis quantitatis, duo sunt necessaria, scilicet quantitas et unibilitas. Unibilitas autem venit ex imperfectione; perfecto enim in quantum huiusmodi non est possibilis additio [5]: ideo puncto non potest fieri additio. Licet igitur punctus habeat quantitatem virtutis, non tamen habet unibilitatem, quia quoddam perfectum est in suo genere.

Obiicitur de puncto.

Aliter potest dici, quod punctus est simplicissimum in genere *quanti molis* [6], et ideo est infinitum virtute; caritas autem nulla est simplicissima in genere *quanti virtualis* nisi divina, et ideo illa est infinita; et quoniam illa non potest augeri per additionem, ita nec virtus puncti. *Et si obiicias* mihi, quod virtus puncti est creata, ergo non est infinita; dicendum, quod quia punctus est [7] simplicissimum *in genere*, non *simpliciter*, ideo non habet infinitam virtutem *simpliciter*, sed *in genere* respectu linearum. *Praeterea*, punctus non est omnino actus, sed terminus respectu linearum; ideo non habet potentiam activam infinitam, sed passivam, quia non proprie dicitur punctus posse lineas producere, sed potest statui terminus lineae; et hoc non est inconveniens ponere in creatura: ideo virtus puncti non est augmentabilis, ut virtus caritatis.

Alia solutio.

Replica.

Responsio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod quanto aliquid est magis compositum, tanto est impotentius [8]; dicendum, quod illud, generaliter intellectum, est falsum. Propter hoc distinguendum, quod sunt partes materiales, et sunt partes formales, quae dant actum et virtutem toti. *Simplex* igitur *magis* potest dici per *privationem* partium *materialium*; et tunc habet propositio veritatem, quia tales partes potius dant pati quam agere; unde quanto aliquid magis elongatur a materia, tanto potentius. Si autem dicatur *magis simplex*, quia pauciores habet partes *formales* sive activas, falsum est, quia tunc ignis minor potentior esset quam maior. Tunc etiam [9] sirupus, compositus ex paucis, virtuosior esset quam ille qui constat ex multis; quorum utrumque falsum est: et ideo et praedicta propositio [10], quoniam tam caritas praeexistens quam adveniens, utraque habet rationem activi.

Partes materiales et formales.

Potest tamen et aliter responderi secundum veritatem, quod caritas augmentata non est magis composita, immo magis simplex; et hoc patet sic: quia contrario modo est in quanto *molis* et [11] quanto *virtutis*. In quanto *molis* simplicissimum est minimum, ut punctus; et ideo in hoc genere quanti accessus ad simplicitatem est per diminutionem, recessus [12] e contrario per additionem. In quanto vero *virtutis* simplicissimum est maximum; et ideo accessus ad simplicitatem est per additionem; et hinc est, quod caritas augmentata est purior et simplicior et Deo similior. Nec videatur [13] hoc inconveniens, quia addere puritatem et simplicitatem et spiritualitatem alicui non facit recessum a simplicitate, sed magis accessum.

Alia solutio.

4. Ad illud quod obiicitur, utrum ex eis [14] fiat unum; dicunt quidam, quod — sicut diversa lumina sunt in aëre distincta et inconfusa, attamen unum maius lumen reddunt propter concursum in unum susceptibile, sic in lumine spirituali, quod est gratia vel caritas — quod [15] distincta sunt essentialiter ta-

Solutio aliorum.

---

[1] August., Epist. 140. seu libr. de Gratia Novi Testam. c. 22. n. 54: Qualis enim lux est ipsa caritas, quis verbis explicet?... An forte lux non est caritas? Audi Apostolum Ioannem; ipse quippe dixit quod modo commemoravi: Quoniam Deus lux est... Deus caritas est. Ac per hoc, si Deus lux est, et Deus caritas est, profecto caritas lux ipsa est, quae diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum etc.

[2] Vide supra fundam. 4. Cfr. etiam Aristot., II. de Anima text. 34-50. (c. 4.).

[3] Vat. omittit praeter fidem mss. et ed. 1 indebite verba *caritas est simplex; dicendum, quod quamvis.*

[4] Scil. quantitatem virtutis, pro quo plures codd. ut ACLOPQRSTY bb cum ed. 1 minus apte hic addunt *partem*, sicut et aliqui codd. ut ACRS mox minus bene omittunt *potest*; codd. L O *augetur* loco *potest augeri*, cod. Y *augeri dicitur.*

[5] Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 21, et X. text. 13. (IV. c. 16. et IX. c. 4.), ac II. de Caelo text. 23. (c. 4.), ubi perfectum definitur id, extra quod nihil eorum quae ipsius sunt, possibile est accipere. — Paulo ante ed. 1 cum uno alteroque cod. ut I *perfectioni* pro *perfecto.*

[6] Nonnulli codd. ut BVXZ aa bb *quantitatis molis.* Mox post *virtute* in cod. O explicative additur *quanti* et in cod. Z *in genere quanti.* Paulo infra aliqui codd. ut BX *quantitatis virtualis* loco *quanti virtualis.*

[7] Vat. contra mss. et sex primas edd. adiungit *quid.* Mox in pluribus codd. ut AHISTXYZ bb ee ff et edd. 1, 2, 3 minus bene deest adiectivum *infinitam.* Paulo infra post *sed in genere* in cod. B bene additur *scilicet.*

[8] In pluribus codd. ut S cc deest *quanto est* et dein *tanto;* in ed. 1 omittuntur primum *est* et *tanto.*

[9] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *Tunc etiam.*

[10] Ita codd. cum ed. 1; Vat. *et ideo praedicta propositio est similiter falsa.*

[11] In cod. T hic repetitur *in.*

[12] Fide plurimorum mss. et ed. 1 expunximus hic additum *est.*

[13] Aliqui codd. ut VY cum ed. 1 *videtur.*

[14] Cod. T *his.*

[15] Supple: lumina spiritualia, scil. gratia gratiae addita. — Vat. praemittit *dicendum* contra plurimos codd. et ed. 1. Mox pauci codd. ut VX *efficitur* loco *efficiunt.*

men unum maius efficiunt in movendo virtutem liberi arbitrii.

Non probatur. Sed tamen illud non est simile, quia distinctio luminarium in aëre venit a parte originum diversarum, ut puta quando plura sunt lucentia; non sic est in gratia. Et ideo dicendum, quod ex eis [1] fit unum.

Sententia auctoris.

Ad rationem obiecti. Quod quaeritur [2], quod se habet in ratione materialis; dicendum, quod augmentum contingit dupliciter fieri: aut per virtutem *ipsius augmentabilis*, ut patet in animali; et tunc augmentabile habet se in ratione formalis et activi, augmentans in ratione materialis et passivi. Contingit et [3] augmentum fieri per *virtutem extrinsecam*, possibilitate sola et unibilitate existente in augmentabili; et tunc augmentabile, quia imperfectum, se habet in ratione passivi [4], augmentans, quia perficiens, in ratione formalis et completivi, quia dat quantitatem perfectam.

Quod ergo obiicitur, quod unum non est in potentia ad aliud; dicendum, quod non est in potentia ad conversionem, sed est in potentia ad unionem; et potentia ista est in caritate ratione suae imperfectionis; quia enim imperfecta est, ideo possibilis perfici et ideo unibilis rei perficienti. Unde non habet possibilitatem ad illud quod additur in quantum caritas, sed in quantum imperfecta; et sic patet illud.

SCHOLION.

I. Circa quaestionem de modo *speciali*, quo caritas augeatur, observamus, quod praeter duas opiniones in textu positas S. Thom., (S. II. II. q. 24. a. 5; I. Sent. d. 17. q. 2. a. 2.) defendit tertiam sententiam, scil. caritatem augeri non per additionem, sed per maiorem radicationem in subiecto, cui consentiunt Durand. (hic q. 6. 7.) et Dionys. Carth. (hic q. 6.). — S. Bonav. suam sententiam magis explicat II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2., ubi praeter tres improbabiles modos tres alios probabiles affert et sapienter concludit: « Quocumque horum modorum trium sequentium dicatur, non est magna vis facienda, sed pro certo habentes, gratiam Dei in nobis augeri posse, laborare debemus taliter, ut in nobis augeatur per bona opera ». Sententiam, cui Seraphicus plus favet, defendunt etiam Alex. Hal., B. Albert., Petr. a Tar., Richard. a Med., Henr. Gand., et prae ceteris Scot. et posteriorum doctorum plurimi. Videsis de hac controversia Rada, Contr. 18., et Franc. Macedo, Collationes, coll. 7. different. 3. Hic sufficiat dicere, S. Bonav. *additionem novorum graduum* minime intelligere in eo sensu, quod nova qualitas differat numero ab ea cui advenit, et quod ipsa retineat distinctionem numericam, sed ita, ut omnes gradus eandem numero caritatem contineant.

II. Distinctio partium materialium et formalium in solut. ad 3. sumta est ex libro Aristotelis I. de Gener. text. 35. seq. (ed. Paris. c. 5.). Vocantur autem hic partes *materiales*, non quod sint sine forma, sed quia potius passivae quam activae sunt; aliae vero dicuntur *formales*, quia sunt maxime activae.

III. Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 4. a. 2. § 1. 2; et IV. q. 9. m. 3. a. 2. § 1. — S. Thom., locis citt. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2. — Henr. Gand., Quodlib. 5. q. 19; 4. q. 15. — Biel, hic q. 5. et seq.

QUAESTIO III.

Utrum caritas possit diminui.

Tertio quaeritur, utrum caritas possit diminui. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Per naturam *sui oppositi* sic: sicut dicit Augustinus [5]: « Venenum caritatis est cupiditas »; unde et dicit [6], quod « ubi magna cupiditas, ibi parva caritas », et in libro Confessionum [7]: « Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat ». Si ergo contingit cupiditatem non tantum remitti, sed etiam augeri, per contrarium contingit caritatem diminui.

2. Item, veniale est malum; sed non est malum, nisi quod adimit aliquid de bono [8]: ergo veniale adimit aliquid. Sed naturalis habilitas est multo maioris inhaerentiae quam caritas: ergo cum veniale adimat de bonitate naturali, ergo et de caritate, ergo etc.

3. Item, hoc ipsum ostenditur per naturam *sui subiecti;* quia sicut hominem contingit proficere, ita et [9] retrocedere; sed per profectum liberi arbitrii contingit in nobis caritatem augeri, dum ascenditur ad perfectionem: ergo cum contingat eisdem gradibus redire ad imperfectionem, contingit caritatem diminui.

---

[1] Cod. T *his*.

[2] Vat. *Ad illud quod obiicitur*, quae et mox post *se* addit *non*, sed obstat auctoritas mss. et ed. 1. Nota insuper, quod Vat. praefigendo numerum 5 exhibeat ea quae sequuntur tanquam responsionem ad quintam obiectionem, cum revera sint responsio ad aliquam propositionem quartae obiectionis. — Paulo infra ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *augmentum* pro *augmentationem*.

[3] Nonnulli codd. ut KVX ee non male *aut contingit*.

[4] In cod. M additur *et*. Mox post *formalis* in codd. MY (H ff in margine) adiungitur *activi, proprie tamen loquendo, illud quod augmentat finaliter quantum ad terminum ipsius augmentationis se habet in ratione formalis.*

[5] Libr. 83. Qq. q. 36. n. 1. « Caritatis autem venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium ». Quae spes ab ipso paulo post nominatur *cupiditas*.

[6] Ibid. et Enchirid. c. 121. n. 32; vide supra q. praeced. corp. quaest. — Vat. post *unde* contra plurimos mss. et quinque primas edd. omittit *et*.

[7] Libr. X. c. 29. n. 40.

[8] August., Enchir. c. 12. n. 4: Nocet autem (malum), adimit igitur bonum. — Paulo ante cod. Z incongrue *quia* loco *quod*.

[9] Vat., plurimis mss. et ed. 1 refragantibus, omittit *et*.

4. Item, omne illud quod sui dehabilitatione [1] in termino est causa corruptionis, per sui dehabilitationem citra terminum est causa diminutionis; sed liberum arbitrium dehabilitatum per aversionem est causa corruptionis caritatis: ergo dehabilitatio eius sub Deo est causa diminutionis [2].

5. Item, hoc ipsum ostenditur per naturam *ipsius caritatis* sic: « opposita nata sunt fieri circa idem [3] »; sed augmentum et diminutio sunt opposita: ergo si contingit caritatem augeri, contingit et diminui.

6. Item, quod potest salvari in esse [4] sine coniunctione sui ad aliquid, potest illud ab illo post coniunctionem separari; sed caritas ante additionem habet esse sine additamento: ergo potest [5] separari: et si hoc, ergo et diminui: ergo etc.

Contra: 1. Caritas est forma simplex et uniformis per totum; ergo quod adimit de caritate, qua ratione adimit unam partem, adimit [6] et totum: et si hoc, ergo nunquam diminuitur. Fundamenta.

2. Item, magnitudo caritatis est secundum magnitudinem divinae influentiae, ergo diminutio eius est per diminutionem influentiae; sed Deus non subtrahit influentiam suam nisi offensus, et non offenditur nisi per aversionem ab ipso et contemptum: ergo non diminuitur caritas nisi per peccatum mortale: sed hoc non est aliud quam caritatem tolli: ergo etc.

3. Item, omne [7] quod diminuit alterum, est illi oppositum; sed veniale vel cupiditas sive concupiscentia citra Deum non opponitur caritati, immo est omnino illi contingens: ergo non diminuitur.

4. Item, quod diminuit alterum habet posse super [8] illud; sed veniale non habet posse super caritatem, quia plus diligit caritas Deum, quam cupiditas centum marcas auri et argenti [9]: ergo etc.

5. Item, hoc ipsum ostenditur per impossibile hoc modo: si veniale diminuit caritatem, ergo aliquid diminuit ab ipsa: si ergo caritas non est infinitae magnitudinis, ergo veniale aliquoties iteratum totam adimit caritatem, quod falsum est.

6. Item, si diminuit caritatem secundum substantiam, ergo minuit praemium substantiale ei debitum: sed praemium substantiale est bonum aeternum: ergo veniale aliquid aufert de bono aeterno; sed ablatio boni aeterni vel simpliciter vel secundum partem est poena aeterna: ergo veniale meretur poenam aeternam, quod est contra communem opinionem. Si ergo veniale non minuit unum, nec aliud.

CONCLUSIO.

Caritas, licet tollatur per peccatum mortale, tamen per peccatum veniale non minuitur secundum substantiam, sed tantum secundum fervorem.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc duplex opinio est, fundata super duplicem opinionem praecedentem de modo augmentandi caritatem [10]. Quidam enim dicunt, caritatem augeri per impermixtionem; et cum *impermixtio* maior sit secundum maiorem liberi arbitrii habilitationem et secundum concupiscentiae diminutionem, et e contrario *permixtio* per dehabilitationem liberi arbitrii et [11] augmentationem concupiscentiae: dicunt per consequens, eam diminui, secundum quod augetur cupiditas vel concupiscentia et dehabilitatur liberum arbitrium; et hoc est per veniale peccatum. Sed quoniam veniale peccatum, manens veniale, nunquam toties iteratur, quod concupiscentiam augeat [12], ita quod aliquid diligat supra Deum: ideo caritas per venialia potest minui, sed non tolli; tollitur autem per mortale, quod auget concupiscentiam supra Deum. Duplex opinio. Opinio 1.

Sed haec opinio, ut supra probatum est [13], non habet stabile fundamentum, quoniam substantiale augmentum caritatis non venit a libero arbitrio nec a concupiscentia [14], ideo nec diminutio. Non probatur.

Et propter hoc ponitur alia opinio probabilior, quod caritas non minuitur substantialiter; et haec opinio fundatur super hoc, quod augmentum caritatis fieri habet per additionem [15] vel incrementum maioris influentiae. Quo supposito dicendum, quod caritas secundum substantiam non minuitur, sed augetur. Opinio 2. probabilior. Conclusio 1.

Et ratio huius sumitur a parte *oppositi* sive *agentis*. Nam caritas non habet oppositum nisi mortale peccatum; per illud autem non minuitur, sed Ratio 1.

---

[1] Aliqui codd. ut XZ *per sui dehabilitationem*.

[2] Supple cum cod. F *caritatis*.

[3] Aristot., de Praedicam. c. de Oppositis et II. Topic. c. 3. (c. 7.). — Paulo ante plures codd. ut ASTWZ omittunt *caritatis*.

[4] Fide mss. et sex primarum edd. adiecimus *in esse*. Mox cod. Y *aliud* loco *aliquid*.

[5] Unus alterque cod. ut V ff cum ed. 1 addunt *ab illo*.

[6] In plurimis mss. et ed. 1 deest *adimit*.

[7] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 addit *illud*. Paulo post plurimi codd. cum ed. 1 habent *opponuntur* loco *opponitur*, sed non cohaerenter cum subnexis.

[8] Multi codd. hic et paulo infra *supra*.

[9] Fere omnes codd. cum ed. 1 exhibent hanc abbreviationem: c. m. a. ar.; cod. O integre lectionem in textum receptam praebet, dum cod. Y (H et ee ab altera manu) ponit *aurum et argentum;* Vat. vero *creaturam*.

[10] Vide. q. praeced.

[11] Cod. Z addit *per*.

[12] Cod. V *concupiscentia augeatur*. Paulo post plurimi codd. cum ed. 1 *minui* loco *diminui*, et dein cod. X *quia* pro *quod*.

[13] In corp. praeced. q.

[14] Intellige iuxta praedicta: non venit a liberi arbitrii habilitatione in bono nec a concupiscentiae diminutione. Mendum Vat., quae post *arbitrio* ponit *ideo* et mox *ideo nec* omittit, correximus ex mss. et edd. 1, 4, 5, 6.

[15] Aliqui codd. ut ILO cum ed. 1 *superadditionem*, quae lectio corroboratur lectione mutila plurium codd. ponentium *super* loco *per*. Mox ed. 1 *sive* pro *vel*.

tollitur; concupiscentia autem sive cupiditas et veniale peccatum opponuntur caritati secundum fervorem solum, quia simul stant et substantialiter sunt sese incontingentia [1].

Conclusio 2.

Ad opposita 1. 2.

1. 2. Et ideo solvendum ad duo prima, quod illud Augustini de cupiditate et minori amore, similiter [2] illud de veniali diminutione locum habet solum quantum ad fervorem caritatis; et sic patent duo prima.

Ratio 2.

Sumitur etiam ratio, quare caritas non minuitur a parte *ipsius subiecti*, quod est liberum arbitrium secundum conversionem ad Deum. Liberum autem [3] arbitrium ad augmentum caritatis se disponit per habilitatem, similiter ad diminutionem per dehabilitatem citra mortale. Sed haec dispositio est de congruo, non de condigno; et quoniam Deus est pronior ad miserendum quam ad condemnandum, et ad donandum quam ad subtrahendum [4]: hinc est, quod caritatem tribuit, cum se liberum arbitrium disponit de congruo, sed non subtrahit, nisi quando necessario se disponit ad subtractionem gratiae. Hoc autem solum est per aversionem, et tunc totum tollit. Et hinc est, quod caritas nunquam minuitur, sed augetur, quia solum de congruo potest se praeparare subiectum ad diminutionem.

Ad opposita 3. 4.

3. Ad illud quod obiicitur, quod sicut homo proficit, ita descendit [5] frequenter; dicendum, quod non sic diminuitur per descensum substantialiter caritas, sicut augetur per ascensum.

4. Quod etiam [6] obiicit, quod liberum arbitrium potest totum privare per dehabilitationem etc.; dicendum, quod istud falsum est, quia forma substantialis omnino privatur per dispositionem ad oppositum in termino, non tamen minuitur per dispositionem citra [7] terminum. *Praeterea,* illud habet locum, quando dispositio in termino et citra terminum sunt eiusdem generis; non sic autem est in proposito, quia una est mortale peccatum, alia veniale.

Ratio 3.

Sumitur etiam ratio, quare [8] non potest minui a parte *naturae suae*. Ipsa enim est influentia secundum divinam acceptationem; sed quod Deus acceptet [9], hoc est ab ipso et ita, quod magis et magis acceptet, et ita de sui natura potest augeri; quod autem minus acceptet, hoc non est ex se: ergo oportet quod veniat a nobis: ergo caritas de se habet augeri, minui vero non habet nisi a nobis, ut supra ostensum est [10]. Per nos autem non potest minui, et ideo caritati solum debetur augmentum naturaliter.

Ad opposita 5. 6.

5. Ad illud ergo quod obiicitur, quod opposita nata sunt etc.; dicendum, quod verum est, nisi alterum insit per naturam.

6. Ad illud quod obiicitur: potest esse sine additione, ergo separari; dicendum, quod istud verum est, si esset aliquid separans; sed nihil est quod separet.

SCHOLION.

Ex antiquis Antissiodorensis et etiam, quod mirum est, Dionys. Carth. affirmarunt, caritatem secundum habitum minui posse, quod nunc communissime negatur. — Alex. Hal., S. p. II. q. 108. m. 8. § 3. — Scot., Report. hic q. 7. — S. Thom., hic q. 2. a. 5.; S. II. II. q. 24. a. 10. — Gulielmus Par., de Virtut. c. 11. ante med. — B. Albert., hic a. 10. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 5. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 5. — Ægid. R., hic 2. princ. q. unica. — Henr. Gand., Quodl. 5. q. 23. — Durand., hic q. 10. — Dionys. Carth., hic q. 9. — Biel, hic q. 4.

---

[1] Licet lectio Vat. et aliquorum mss., in qua ponitur *contingentia* loco *incontingentia*, possit aliquo sub respectu explicari, praeferimus tamen lectionem plurimorum mss. et ed. 1, quia ipsa veritati et praedictis magis consonat. — Paulo ante cod. Z *tantum* loco *solum*.

[2] Fide antiquiorum codd. et ed. 1 expunximus hic male additum *ad*. Mox codd. Y bb bene *venialis* pro *veniali*.

[3] Plures codd. ut A T V Y omittunt *autem;* cod. X *quia liberum arbitrium;* cod. Z vero, mutata interpunctione, *Secundum enim conversionem ad Deum liberum arbitrium,* quod non respondet subnexis. Mox cod. W *habilitationem* pro *habilitatem,* sicut et paulo infra *dehabilitationem* loco *dehabilitatem.*

[4] Vat. cum cod. cc *abstrahendum* et mox *abstrahit* pro *subtrahit*, deinde nomini *subtractionem* praemittit *abstractionem vel*, sed obstat usus loquendi, sicut et auctoritas antiquiorum mss. cum ed. 1. Mox cod. W *non ad gratiam* pro *gratiae.*

[5] Ex mss. et quinque primis edd. pro *retrocedit* substituimus *descendit*, quod subnexis conformius est.

[6] Vat. cum nonnullis codd. *autem,* et *obiicitur* pro *obiicit.*

[7] Multi codd. ut A B C D F G I P Q S U W Z *intra,* sed non bene nec cohaerenter cum subnexis. Quid sit dispositio *in termino* et *citra terminum,* satis apparet ex his verbis S. Thomae (IV. Sent. d. 17. q. 1. a. 5. solutio ad quaestiunc. 2.): « Expulsio formae dicit terminum motus illius, qui est ad corruptionem ordinatus; et introductio formae dicit similiter terminum motus illius, qui praecedit generationem; quia tam generatio quam corruptio sunt termini motus. Omne autem quod movetur, quando est in termino motus, disponitur secundum illud, ad quod motus ordinatur; et ideo cum motus corruptionis tendat in non esse, generationis vero ad esse, quando forma introducitur, forma est; quando autem expellitur, non est ».

[8] Supple: caritas.

[9] Plures codd. ut A F G H I T Y bb cum ed. 1 hanc propositionem ita exhibent *secundum quod Deus acceptat*, cui codd. V X praefigunt *id est;* cod. T vero mox post *hoc* addit *autem.* Paulo infra antiquiorum mss. et edd. 1, 3 fide substituimus *sui* pro *sua.*

[10] Hic, in corp. quaest. — Mox ope antiquiorum mss. et ed. 1 supplevimus *solum*, pro quo cod. Z habet *soli* et quod Vat. cum cod. cc male omittit.

QUAESTIO IV.

Utrum caritas terminum habeat in augmento.

Quarto quaeritur et ultimo de augmento caritatis quantum ad terminum, et quaeritur, utrum habeat statum vel terminum, ultra quem non possit augeri. Et quod sic, ostenditur hoc modo.

Fundamenta. 1. Omne quod est in aliquo, non excedit capacitatem eius in quo est; sed caritas est in anima: ergo non excedit animae capacitatem. Sed capacitas animae est finita, quia omnis potentia finita habet capacitatem finitam: ergo et caritas.

2. Item, augmentum caritatis attenditur secundum quantitatem *virtutis;* sed quantitas virtutis similis est quantitati *molis* et perfectior; sed in quantitate *molis* in augmentando est status, unde Philosophus[1]: « Omnium natura constantium terminus est et ratio magnitudinis et augmenti »: ergo similiter et in quantitate *virtutis.*

3. Item, augmentum caritatis attenditur per ascensum ad quantitatem perfectam[2], ergo quod semper augetur nunquam venit ad perfectum, « perfectum autem est, cui non est possibilis additio[3] »; sed caritatem, cum sit opus Dei, contingit perfici, *Dei enim perfecta sunt opera*[4]: ergo etc.

4. Item, augmentum caritatis attenditur secundum approximationem ad finem, nam quanto caritas maior, tanto fini proximior[5]; ergo aut nunquam pervenit ad finem, aut si sic, necesse est stare, quia alias esset frustra: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Quod non sit status, ostenditur a parte *virtutis augmentantis.* Tantum enim extenditur augmentum, quantum virtus augmentativa; sed virtus augmentans caritatem est virtus divina, quae non habet terminum nec[6] statum: ergo etc.

2. Item, hoc ipsum ostenditur[7] a parte *suscipientis.* Sicut enim se habet transparens ad lumen corporale, sic capacitas animae ad lumen gratiae sive caritatis; sed aër nunquam tantum recipit de lumine, quin adhuc possit plus recipere: ergo etc.

3. Item, hoc videtur posse ostendi a parte *augmentabilis*, quod est caritas, quia ipsa est aeque in actu vel amplius quam[8] ignis materialis; sed ignis materialis ratione suae actualitatis augetur in infinitum, si adsit combustibile, sicut dicit Philosophus[9]: ergo similiter caritas de se.

4. Item, hoc ipsum ostenditur a parte *obiecti caritatis*, quod est summum bonum non habens mensuram: ergo si mensura caritatis debet attendi per[10] magnitudinem obiecti, et illud caret modo et mensura, ergo et caritas: et si hoc, ergo non habet statum nec terminum.

CONCLUSIO.

Caritas habet terminum in augmento, quod colligitur ex parte tum virtutis agentis, tum potentiae suscipientis, tum formae perficientis.

Respondeo: Dicendum, quod status est in augmento caritatis secundum omnem modum, secundum quem contingit esse statum et perfectionem in motu augmenti. Conclusio.

Augmentum enim, sicut patet in corporalibus, habet statum a tribus: videlicet a *virtute agente* et *potentia suscipiente* et *forma perficiente.* Sic[11] est in homine, cuius augmentum stat, quando *virtus* caloris et carnis secundum speciem non potest amplius convertere, quam deperdatur; quando *potentia* humidi radicalis non potest plus extendi[12]; quando Triplex causa termini in augmento.

---

[1] Libr. II. de Anima text. 41. (c. 4.). — Paulo ante cod. S cum ed. 1 *augmento* pro *augmentando.* Mox post *similiter* ex multis mss. ut AGHITWX etc. et ed. 1 substituimus *et* loco *est.*

[2] Vat. contra mss. et ed. 1 *accessionem ad caritatem perfectam;* multi codd. ut ACFGILPQRSTUW etc. cum edd. 3, 6 *qualitatem* loco *quantitatem*, sed in se minus bene et contra ea quae in corp. quaestionis circa finem habentur. Codd. aa bb *et perfectionem* pro *perfectam;* aliqui codd. ut K X cum edd. 2, 3 *ascensionem* loco *ascensum.*

[3] Aristot.; vide supra q. 2. ad 3. — Mox ed. 1 cum aliquibus mss. expresse et bene *contingit* loco *convenit.*

[4] Deut. 32, 4.

[5] Sub hoc respectu ait Aristot., V. Metaph. text. 21. (IV. c. 16.): Etenim secundum quod habent finem, perfecta dicuntur. — Mox ex aliquibus mss. ut MTYZ adiecimus primum *aut.*

[6] Substituimus ope antiquiorum mss. et ed. 1 *nec* loco *et.*

[7] Vat. cum cod. cc *videtur*, sed ceteris mss. et ed. 1 refragantibus.

[8] Fide plurimorum mss. et ed. 1 posuimus *quam* loco *sicut.*

[9] Libr. II. de Anima text. 41. (c. 4.): Ignis enim augmentum in infinitum est, quousque fuerit combustibile.

[10] Ed. 1 *secundum.*

[11] Aliqui codd. ut K Y cc cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *sicut;* cod. Z *et sic.* Mox cod. K post *stat* addit *a tribus scilicet.*

[12] Quid sit humidum radicale secundum opinionem illius aetatis explicat Scotus, I. Phys. q. 10. n. 23: « Unde nota secundo, quod duplex est humidum, radicale scilicet et cibale. Radicale non est in aliqua parte corporis determinata, sed est sparsum per totum corpus estque tota illa materia corporea, in qua introducitur anima in initio generationis, in qua anima fovetur et radicatur, cuius virtute postea reliqua efficiuntur in corpore. Et hoc humido durante, durat vita et consumto, consumitur, et recedit anima. Humidum cibale seu nutrimentale est quod fit ex cibo per conversionem eius in substantiam aliti, ad reparandum quod deperditur ex humido radicali per actionem caloris naturalis. Nam licet calor naturalis praecipue resideat in corde, quod est omnium membrorum calidissimum, ab eo tamen derivatur in ceteras partes corporis estque sparsus per totum corpus et immersus humido radicali, in quibus actione sua consumitur, atque adeo, ne consumatur, necesse est, quod continue reparetur per intus susceptionem extrinseci alimenti » etc. — Paulo ante cod. K cum ed. 1 *amplius* loco *plus.* Paulo infra cod. M *operationi* pro *perfectioni.*

corpus perfectum est, secundum quod congruit perfectioni animae.

Terminus a parte virtutis agentis. Sic dicendum, quod caritas stat a parte *virtutis agentis;* sed huiusmodi status potest esse dupliciter [1]. Nam illa virtus aut est operans *naturaliter,* aut a *proposito;* si *naturaliter,* tunc stat, quando non potest amplius; si *a proposito,* tunc stat, quando non disponit amplius; et hoc modo stat caritatis augmentum, cum deventum est ad mensuram, quam mensus est Deus homini secundum distributionem suae sapientiae. Et ideo, quamvis [2] virtus augmentans sit infinita, tamen operatur secundum dispositionem sapientiae limitantis effectus varios, secundum quod sibi placet. Non enim operatur secundum omnimodam possibilitatem.

A parte suscipientis. Stat etiam a parte *suscipientis,* quia sicut dicitur Matthaei vigesimo quinto [3]: *Dedit unicuique secundum propriam virtutem.* Et huiusmodi status potest intelligi tripliciter: aut secundum *actum,* cum amplius non procedit, et sic stat in viris perfectis, qui non assurgunt ad maiora; aut secundum *aptitudinem,* et sic stat in beatis, qui amplius non possunt se disponere et tantum habent, quantum se disposuerunt, unde status est in eis; aut secundum *possibilitatem* suscipientis, et sic statum habet in Christo [4], et credo etiam, quod in beata Virgine, et aliqui dicunt, quod in Angelis; utrum in aliquibus aliis, nescio. Scio tamen de Christo, quod [5] tantum habet de gloria, quantum potest recipere creatura unita, et credo hoc ipsum de Matre dulcissima.

A parte formae perficientis. Stat etiam a parte *augmentabilis,* cum pervenit [6] ad quantitatem perfectam. Sed notandum, quod quantitas virtutis perfecta est dupliciter: vel *simpliciter,* vel *in genere. Simpliciter* perfecta est in summo et simplicissimo, ut in Deo; *in genere* vero in omnibus, qui [7] pertingunt ad actum completum, ad quem sunt, et hoc est *diligere Deum ex toto corde et ex tota anima et ex tota virtute* [8]. Primo modo non est status, sed secundo solum.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur primo de infinitate *virtutis agentis,* dicendum, quod illa ratio teneret, si virtus caritatem augmentans ageret naturaliter et secundum impetum sive secundum totum suum posse; nunc autem agit sapienter et ita ponit unicuique limitem, ipsa in se non limitata.

Lumen augetur dupliciter. 2. Ad illud quod obiicitur *per simile* in aëre, quod suscipientis potentia est ad infinitum; dicendum, quod *lumen augeri in aëre* hoc est dupliciter: vel per ipsius *clarificationem,* vel per *luminum aggregationem.* Primo modo credo quod statum [9] habeat; adeo enim posset aër illuminari, quod si etiam superveniret aliud lumen, non magis claresceret. Alio modo potest augeri lumen in aëre per *luminum aggregationem;* et sic, quia lumina diversorum luminarium sunt in eodem puncto aëris, non se coangustant [10] nec se expellunt, sicut multae species in uno medio; et ita nunquam sunt tot species, quin plures possint esse; similiter de luminibus. Sed tunc non est simile de caritate, quoniam, sicut prius tactum est [11], in una anima una tantum est caritas; non sic est de lumine, quod egreditur a diversis luminaribus.

Calor augetur dupliciter. 3. Ad illud quod obiicitur a parte *augmentabilis,* quod ignis in infinitum est augmentabilis; dicendum, quod calor potest augeri dupliciter: vel *intensive,* et sic statum habet et summum; vel *extensive* [12], ut sit in pluribus, et sic non habet statum a parte sua, sed a parte combustibilis, quod finitum est. Similiter dico, quod caritas potest augeri *intensive,* ut magis diligat, et sic habet statum, sicut ignis; alio modo *extensive,* ut a parte dilectorum, et sic non habet statum ex parte sua, quia nunquam tot diligit, quin adhuc nata sit diligere plures.

4. Ad illud quod obiicitur a parte *obiecti* [13], dicendum, quod obiectum nihil ad hoc facit, quia obiectum semper est idem non mutatum et est infinitum; et ideo nunquam ei caritas commensuratur nec ad eius mensuram [14] recipit augmentum nec decrementum.

---

[1] Aliqui codd. ut X Y *duplex.* Paulo ante ed. 1 *huius* loco *huiusmodi.* De proxime sequenti divisione virtutis operantis cfr. Aristot., I. Magn. Moral. c. 16. (17.), ubi de προαίρεσι, quod in antiquioribus translationibus nomine *propositum* vel *delectus* exhibebatur.

[2] Vat. cum cod. cc *licet.* Paulo ante cod. C *daturus* loco *mensus.*

[3] Vers. 15.

[4] Plura vide infra d. 44. dub. 3, ubi et de B. V. Maria, et III. Sent. d. 13. a. 1. q. 3.

[5] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *quod* loco *quia.* Paulo infra post *dulcissima* in cod. H additur *plena gratia, quae Deum genuit et hominem.*

[6] Cod. Y *pervenerit,* qui et mox *duplex* ponit loco *dupliciter.*

[7] Antiqui codd. cum ed. 1 *quae* loco *qui.* Paulo ante aliqui codd. ut H M P Q Y cum ed. 1 post *vero* addunt *est,* pauci vero ut V X *ut.*

[8] Matth. 22, 37, et Marc. 12, 30.

[9] Codd. aa bb adiungunt *illuminari.*

[10] Vat. cum cod. cc *angustant.*

[11] Supra q. 2. ad 4. — Mox cod. I *nec* pro *non,* et cod. Y *ut* loco *quod.*

[12] Vat. addit *id est,* cod. cc *et,* sed antiquiores codd. cum ed. 1 omittunt quamlibet particulam. Paulo ante in cod. S post *habet* additur *a parte,* in qua additione decidit certe *sua.*

[13] Fide mss. et ed. 1 expunximus hic a Vat. additum *caritatis.*

[14] Cod. T *nec ad illud mensuratur nec;* aliqui codd. ut A S V X cum ed. 1 perperam post *mensuram* adiiciunt *nec.*

SCHOLION.

I. Hanc quaestionem S. Thom. aliter in Comment. hic q. 2. a. 4, aliter in Sum. II. II. q. 24. a. 7. solvere videtur. Nihilominus Caietanus ad loc. cit. recte asserit, quod « littera (S. Thomae) aliud in superficie prae se fert, et aliud in veritate docet », eiusque verba in hunc sensum explicat, quod tantum loquatur de caritate viae, de qua non potest esse dubium. Haeresis enim Beguardorum asserentium, talem in hac vita gradum perfectionis posse acquiri, ut aliquis in gratia seu caritate non possit amplius proficere, damnata est a Clemente V. in Concilio Viennensi (Clement. tit. de haereticis, cap., Ad nostram). Alibi vero S. Thom. (S. III. q. 7. a. 9. 11. 12.) sententiam communem docere videtur. Quod enim ibi (a. 9.) affirmat de Christo, animam eius habuisse summum gradum gratiae secundum quantitatem intensivam etc., satis ostendit, non dissentire cum a. S. Bonav., qui (hic dub. I.) de Christo idem profitetur cum communi meliorum Scholasticorum sententia, cui Durand. aliique pauci contradicunt.

II. Alex. Hal., S. p. I. q. 21. m. 3. a. 5. 6. — Scot., in utroque scripto III. Sent. d. 13. q. 4. 2. 3. — B. Albert., I. Sent. d. 44. a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. (qui expresse sententiam S. Bonaventurae dicit esse « planiorem atque communiorem »). — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4. — Ægid. R., hic I. princ. q. 4. — Henr. Gand., Quodl. 5. q. 22. — Durand., hic q. 9. — Dionys. Carth., hic q. 8. — Biel, hic q. 8.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista incidunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit, quod *Christo non ad mensuram datus est Spiritus*. Videtur enim falsum, quia omne finitum habet mensuram: ergo si Christo datus est Spiritus non ad mensuram, Christo datus est Spiritus infinitus. Sed contra hoc est, quod omnia creata sunt finitae capacitatis.

Respondeo: Hoc infra melius patebit [1]; nunc tantummodo sufficiat, quod hoc vel est dictum propter gratiam *unionis*, quae fecit, quod omnia quae Dei sunt, sint illius hominis; vel propter gratiam *capitis*, quia in Christo est gratia ad omnes actus non arctata, sicut in capite vigent omnes sensus. Unde illa determinatio non privat finitatem, sed privat determinationem ad aliquem actum sive speciale donum [2].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus, quod *caritas est animi nostri rectissima affectio*. Videtur enim male dicere, quia nullus habitus est affectio; caritas est virtus et ita habitus: ergo non est affectio.

Respondeo: Dicendum, quod affectio dicitur quadrupliciter: uno modo ipsa *vis* affectiva; alio modo dicitur affectio *passio* vis affectivae, ut gaudium et dolor et huiusmodi; tertio modo dicitur *actus* potentiae affectivae [3]; quarto modo dicitur *habitus* affectivus, sicut intellectus uno modo dicitur habitus principiorum, qui [4] est regula intellectus: et hoc modo accipitur, cum dicitur, quod caritas est affectio; et similiter accipit Bernardus [5], cum dicit, quod virtus est affectio ordinata.

Affectio dicitur quadrupliciter.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Magister, quod *caritas intus operatur alios actus atque motus, mediantibus aliis virtutibus*. Videtur enim dicere contra illud quod dicitur ad Galatas quinto [6]: *Fides per dilectionem operatur*.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis illud possit sustineri, quod caritas operatur mediantibus aliis virtutibus tanquam ministris, et aliae nihilominus per caritatem adiuvantem et dirigentem; tamen solutio Magistri, quam hic facit, non valet, quia Magister petit principium in solvendo. Supponit enim in solutione oppositum eius quod probatur. Cum enim Spiritus sanctus non efficiat in nobis opera aliarum virtutum sine habitibus mediis, quomodo efficit in nobis opus dilectionis? *Si tu dicas*, quod ipse dilectio est, similiter possum dicere, quod Filius est Sapientia et Verbum, ergo pari ratione sine habitu medio debet illuminare intellectum. Et propter hoc Magistri opinio non est ita [7] probabilis nec quantum ad rationes nec quantum ad auctoritates. Quod patet, si attendantur praedictae solutiones. In omnibus enim solutionibus Magister petit quod est in principio [8].

Solutio Magistri non valet.

---

[1] Libr. III. Sent. d. 13. a. 1. — Mox ex mss. adiecimus *nunc*, cui cod. Y addit *hoc*.

[2] Vat. cum cod. cc *bonum*, sed contra alios codd. et edd. 1, 3.

[3] Cod. M *actus affectivus*.

[4] Plures codd. cum Vat. ponunt *et* loco *qui*, alii omittunt *qui*; alii ut H T V Y cum ed. 1 exhibent lectionem in textum receptam.

[5] De Gratia et lib. arb. c. 6. n. 17: Ut nihil aliud sint virtutes nisi ordinatae affectiones.

[6] Vers. 6, ubi Vulgata: Fides, quae per caritatem operatur. — Paulo ante in textu Magistri plures codd. ut A G I K T etc. omittunt *mediantibus*.

[7] Cod. X omittit *ita*, qui et paulo ante cum uno alterove cod. ut V habet *ideo* loco *propter hoc*. Mox aliqui codd. ut S T post secundum *nec* omittunt minus bene *quantum ad*.

[8] Ultimam propositionem *In omnibus* etc. supplevimus ex antiquioribus mss. et ed. 1. — Solutiones Magistri vide hic in lit. c. 6, et hic p. 1. q. 1.

DUB. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Spiritus sanctus non dividitur*. Videtur enim dicere falsum, quia Numerorum undecimo[1] dicitur, quod Dominus dixit Moysi: *Auferam de spiritu tuo* etc. *Item,* primae Ioannis quarto[2]: *De Spiritu suo dedit nobis;* si dedit de Spiritu, videtur, quod vel totum dedit, vel divisit in partes.

RESPONDEO: Dicendum, quod Spiritus sanctus est in semetipso simplex et ideo in se indivisus; sed in effectibus est multiplex, et ideo quantum ad effectum dividitur, quia non datur singulis ad omnia. Et hinc est — quia[3] plenius datus est Moysi quam aliis — quod ideo dicit: *Auferam de spiritu tuo;* et quia non ad omnia datur nobis, ideo dicit beatus Ioannes: *De Spiritu suo dedit nobis.*

DISTINCTIO XVIII.

CAP. I.

Utrum concedendum sit, per donum dari dona.

Hic quaeritur, cum Spiritus sanctus, per quem dividuntur dona, ipse sit donum, utrum concedendum sit, quod per donum dividantur ac dentur[1] dona. Ad quod dicimus, quia per donum, quod est Spiritus sanctus, singulis propria dividuntur, et ipsum communiter omnes boni habent. Unde Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate[2] ait: « Per donum, quod est Spiritus sanctus, in commune omnibus membris Christi multa dona, quae sunt quibusque propria, dividuntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, alii alia, quamvis ipsum donum, a quo cuique propria dividuntur, omnes habeant, id est Spiritum sanctum». Ecce aperte dicit, per donum dona donari.

CAP. II.

Utrum Spiritus sanctus eadem ratione dicatur donum, qua datum sive donatum.

Praeterea diligenter considerandum est, cum Spiritus sanctus dicatur donum et datum, utrum[3] eadem ratione utrumque nomen ei conveniat; quod utique videri potest. Cum enim idem sit Spiritum sanctum dari et Spiritum sanctum donari, ex eadem ratione videtur Spiritus sanctus dici datum et donum. Hoc etiam videtur Augustinus significare in libro decimo quinto de Trinitate[4], cum ait: « Spiritus sanctus in tantum donum Dei est, in quantum datur eis quibus datur; apud se autem Deus est, etsi nemini detur. » Ecce aperte dicit, Spiritum sanctum donum appellari, quia datur. Si autem ex eo tantum appellatur donum, quia datur, non ab aeterno fuit donum, quia non datur nisi ex tempore.

Ad quod dicimus, quia Spiritus sanctus et donum dicitur et datum sive donatum; sed datum sive donatum ex eo tantum dicitur, quia datur vel donatur, quod habet tantum ex tempore. Respondetur.

Donum vero dicitur non ex eo tantum, quod donetur, sed ex proprietate, quam habuit ab aeterno; unde et ab aeterno fuit donum. Sempiterne enim donum fuit, non quia daretur, sed quia processit a Patre et Filio. Unde Augustinus in quarto libro de Trinitate[5] ait: « Sicut natum esse est Filio a Patre esse, ita Spiritui sancto donum Dei esse est a Patre procedere et a Filio ». Hic aperte ostenditur, quod Spiritus sanctus eo donum est, quod procedit a Patre et a[6] Filio, sicut Filius eo est a Patre, quod natus est ab eo. Non est enim idem Filio esse a Patre et Spiritui sancto, id est, non ea proprietate Filius dicitur esse a Patre, qua Spiritus sanctus. Nam Filius dicitur esse a Patre, quia genitus est ab eo; Spiritus sanctus vero dicitur esse a Patre et a Filio, quia Spiritus sanctus est donum Patris et Filii, id est, quia procedit ab utroque. Eo enim[7] dicitur Spiritus sanctus, quo donum; et eo donum, quo procedens. Unde Augustinus in quinto libro de Trinitate[8] ait: « Spiritus sanctus, qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus sanctus, relative dicitur, cum et ad Patrem et ad Filium refertur, quia Spiritus sanctus et Patris et Filii Spiritus est. Sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem, cum dicitur donum Dei: donum enim est Patris et Filii, quia et a Patre procedit et a Filio ». Ecce his verbis aperte ostenditur, eadem relatione dici Spiritum sanctum et donum; donum autem, quia procedit a Patre et Filio. Proprietas ergo, qua dici- Donum dicitur ex proprietate aeterna.

---

[1] Vers. 17.

[2] Vers. 13.

[3] Plurimi codd. cum Vat. *quod* loco *quia*, sed minus clare et distincte, ideo sequimur ed. 1; cod. X vero habet *quod quia*, ex quo omissio ceterorum codd. explicari potest. Mox post *aliis* codd. dissentiunt inter se; alii cum Vat. ponunt *et quod ideo*, alii *et ideo*, cod. H *ideo quod*, cod. F *ideo dicit*, sed maior pars codd. ut GIKTVWX etc. cum ed. 1 exhibet textum nostrum. Ratio huius dissensionis videtur fuisse in eo, quod paulo ante plurimi codd., uti diximus, *quod* loco *quia* posuerunt. Cfr. d. 18. dub. 6.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Ed. 8 *dividuntur aut dantur;* particulam *aut* pro *ac* habet etiam ed. 1.

[2] Cap. 19. n. 34. — In fine textus ante *id est* sola Vat. *habent* pro *habeant*, et ed. 4 peius *habeantur*. Subinde edd. 1, 2, 3, 7 omittunt *Ecce*, et pro ultimo verbo *donari* edd. 1, 8 legunt *dari*.

[3] Ed. 4, 5, 6, 9 adiiciunt *et*.

[4] Cap. 19. n. 36. — In fine loci Vat. et aliae edd. contra originale, codd. et edd. 1, 8 *datur* loco *detur*.

[5] Cap. 20. n. 29.

[6] Codd., excepto A, et edd. 1, 8 omittunt *a*.

[7] Codd. omittunt *enim*.

[8] Cap. 11. n. 12. — In hoc textu contra codd., ed. 1 et originale, Vat. cum aliis edd. addit *est* ante *Trinitas*. Eadem Vat. cum pluribus edd. ante *Filium* omittit *ad*. — Ultima verba textus: *et a Filio*, ab Augustino exprimuntur sic: *Et quod Apostolus ait: qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius* (Rom. 8, 9.), *de ipso utique sancto Spiritu ait.*

tur Spiritus sanctus vel donum, processio ipsa est, de qua post plenius agemus cum aliis [1]. Cum ergo ab aeterno processerit ab utroque, et ab aeterno donum fuit. Non ergo Spiritus sanctus eo tantum dicitur donum, quia donatur; nam et ante fuit donum, quam donaretur. Unde Augustinus in quinto libro de Trinitate [2]: « Semper procedit Spiritus sanctus, et non ex tempore, sed ab aeternitate procedit; sed quia sic procedebat, ut esset donabile, iam donum erat, antequam esset cui daretur. Aliter enim intelligitur, cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum: nam donum potest esse etiam, antequam detur; donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest ». « Sempiterne ergo Spiritus sanctus est donum, temporaliter autem donatum ». His verbis aperte ostenditur, quod sicut Spiritus sanctus ab aeterno procedit, ita ab aeterno donum est; non quia donaretur a Patre Filio, vel a Filio Patri, sed quia ab aeterno processit donabilis.

Quaeritur cui donabilis sit Spiritus S.

Sed quaeritur, cui donabilis: utrum Patri et Filio, an tantum nobis, qui nondum eramus? Si autem non erat donabilis Patri et Filio, sed tantum nobis, et ex eo donum erat, quia sic donabilis procedebat, videtur quod Filius eadem ratione semper donum fuerit; quia ab aeterno processit a Patre donabilis nobis in tempore. Nam et de Filio legitur [3], quod *datus est nobis*. Ad quod dicimus, quia Spiritus sanctus nobis tantum, non Patri vel Filio, donabilis processit, sicut et nobis tantum datus est. Et Filius vere datus est nobis et ab aeterno processit a Patre, non ut donabilis tantum, sed ut genitus, qui et donari posset. Processit ergo ut genitus et donabilis; sed Spiritus sanctus non procedit ut genitus, sed tantum ut donum. Donum autem semper fuit, non solum quia donabilis, sed quia ab utroque processit, et quia [4] donabilis fuit. Unde Augustinus in quinto libro de Trinitate [5] ait: « Eo ipso, quod daturus erat eum Deus, iam donum erat, etiam antequam daretur », et ideo donabilis [6]; sed aliter donabilis quam Filius; nam et aliter datus et aliter processit quam Filius. Filii enim processio genitura est vel nativitas, Spiritus sancti vero processio nativitas non est; utraque vero ineffabilis est.

Cap. III.

Quod sicut Filius nascendo accepit non tantum, ut esset Filius, sed etiam essentia, ita Spiritus sanctus procedendo accepit non tantum, ut esset donum, sed ut esset essentia.

Et notandum, quod sicut Filius nascendo accepit non tantum, ut Filius sit, sed omnino ut sit et ut ipsa substantia sit; ita et Spiritus sanctus a Patre et Filio procedendo accepit non tantum, ut Spiritus sanctus sit vel donum, sed etiam, ut omnino sit et ut substantia sit; quod utique non accepit eo quo [7] datur. Nam cum non detur nisi ex tempore, si hoc haberet eo quo datur, accepisset ergo ex tempore, ut esset. Unde Augustinus in quinto libro de Trinitate [8] ait: « Filius non hoc tantum habet nascendo, ut Filius sit, sed omnino ut sit. Quaeritur ergo, utrum Spiritus sanctus eo quo datur habeat non tantum, ut donum sit, sed omnino ut sit. Quod si non est, nisi quia datur, id est, si non habet esse, nisi eo quo datur, sicut Filius nascendo habet non tantum, ut sit Filius, quod relative dicitur, sed omnino ut sit ipsa substantia, quomodo iam Spiritus sanctus erat ipsa substantia, cum non prius daretur, quam esset cui daretur » ? Non ergo eo quo datur, sed procedendo habet, ut sit donum, et ut sit essentia; sicut Filius non eo quod datus est, sed nascendo accepit non tantum, ut sit Filius, sed ut sit essentia. Unde Augustinus in decimo quinto libro de Trinitate [9] ait: « Sicut Filio praestat essentiam sine initio temporis, sine ulla mutabilitate naturae de Patre generatio, ita Spiritui sancto praestat essentiam sine ullo initio temporis, sine ulla mutabilitate naturae de utroque processio ».

Alia quaestio.

Hic oritur quaestio: si Filius nascendo habet non tantum, ut sit Filius, sed ut sit essentia, et Spiritus sanctus procedendo non tantum, ut sit donum, sed ut sit essentia; ergo et Filius nativitate essentia est, et Spiritus sanctus processione essentia est; cum alibi dicatur, quod nec Pater eo Pater est, quo Deus, nec Filius eo Filius, quo Deus, nec Spiritus sanctus eo donum, quo Deus; quia, ut ait Augustinus in septimo libro de Trinitate [10], « his nominibus relativa eorum ostenduntur, non essentia ». Unde post plenius agemus [11].

Respondetur.

Ad quod breviter respondentes dicimus, quia nec Filius nativitate essentia est, sed tantum Filius; nec Spiritus sanctus processione essentia est, sed tantum donum; et tamen uterque, et ille nascendo et iste procedendo, accepit, ut esset essentia. « Non enim, ut ait Hilarius in quinto libro de Trinitate [12], per defectionem, aut protensionem, aut derivationem ex Deo Deus est, sed ex virtute naturae in naturam eandem nativitate subsistit Filius », et ex virtute naturae in naturam eandem processione subsistit Spiritus sanctus.

Explicantur verba Hilarii.

Quod ita intelligi potest: ex Patre, qui est virtus ingenita, naturam, quam habet, eandem Filius nativitate, id est nascendo, et Spiritus sanctus processione, id est procedendo habet. Unde ipse idem apertius eloquens,

---

[1] Supple cum ed. 1 *proprietatibus*, de quibus agitur hic et dist. XXVI. XXVIII. XXIX.

[2] Cap. 15. n. 16. — Et sequens locus est ibid. c. 16. n. 17. — In primo loco ante *Aliter* Vat. cum pluribus edd. contra originale, codd. et edd. 1, 8 *donaretur*.

[3] Isai. 9, 6.

[4] Vat. et edd. 4, 6 omittunt *quia*.

[5] Cap. 15. n. 16.

[6] Contra codd. et ed. 1 Vat. cum aliis edd. addit *est*, sed potius referendum est *donabilis* ad praecedens *erat*. Paulo post Vat. et edd. 4, 6, 9 *datur* pro *datus*, ed. 8 *datus est*. — Ultima sententia quoad sensum sumta est ex libr. II. contra Maximinum c. 14. n. 1.

[7] Vat. et plures edd. hic et paulo post *ex eo quod* pro *eo quo*. Particula *ex* omittitur ab omnibus codd. et ed. 1, hic et in sequenti textu Augustini; *quo* legunt hic et in textu Augustini codd. BD. Alii codd. in textu quidem Augustini habent *quo;* extra ipsum vero modo *quo*, modo *quod*. Cum originali Augustini semper posuimus *quo*.

[8] Cap. 15. n. 16, sed diffusius. Ex codd. ACD inseruimus *ait*, quod deest in editis.

[9] Cap. 26. n. 47. — Paulo ante Vat., omittendo *sit*, mendose legit *ut essentia*. Eadem Vat. cum pluribus edd. omittit in textu Augustini *ulla* ante *mutabilitate*.

[10] Cap. 2. n. 3, sed mutato verborum ordine.

[11] Dist. XXVI. XXVII. XXIX.

[12] Num. 37. — In originali Hilarii melius legitur: *per desectionem* loco *per defectionem*, quod habent omnes edd., codd.

quod dixerat aperit, subdens[1]: «Nativitas, inquit, Dei non potest non eam, de qua profecta est, tenere naturam. Non enim aliud quam Deus subsistit, quod non aliunde quam de Deo subsistit ». Ecce his verbis aperitur, quomodo accipiendum sit illud[2]: « De Patre generatio praestat essentiam Filio, et de utroque processio praestat essentiam Spiritui sancto » ; non quia ille essentia sit Filius, et iste essentia sit Spiritus sanctus, immo proprietate personali, sed quia et ille nascendo, et iste procedendo essentiam habet eandem et totam, quae in Patre est.

Cap. IV.

Quod Spiritus sanctus dicitur donum et donatum secundum duos modos praedictos processionis, qui, secundum quod donum est, refertur ad Patrem et Filium, secundum quod datum, ad eum qui dedit et ad eos quibus datur.

Ex praedictis patet, quod Spiritus sanctus sempiterne donum est et temporaliter datum vel donatum. Ex quo apparet illa distinctio geminae processionis, de qua supra egimus[3]. Nam secundum alteram processionem dicitur donatum vel datum, secundum alteram vero dicitur donum.

Et secundum hoc, quod sempiterne donum est, refertur ad Patrem et Filium, secundum hoc vero, quod dicitur datum vel donatum, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus datur; et eius dicitur esse qui dat, et illorum quibus datur. Unde Augustinus in quinto libro de Trinitate[4] ait: «Quod datum est et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit. Itaque Spiritus sanctus non tantum Patris et Filii, qui dederunt, sed etiam *noster* dicitur, qui accepimus. Spiritus ergo et Dei est, qui dedit, et noster, qui accepimus; non ille spiritus noster, quo sumus, quia ipse *spiritus* est *hominis, qui in ipso est*[5]*:* quamvis et illum spiritum, qui hominis dicitur, utique accepimus; sed aliter iste, aliter ille *noster* dicitur. Aliud est enim quod accepimus, ut essemus, alind quod accepimus, ut sancti essemus. Quod autem Spiritus sanctus noster dicatur, Scriptura ostendit. Scriptum est enim de Ioanne, quod *in Spiritu Eliae* veniret[6]. Ecce dictus est Eliae Spiritus, scilicet Spiritus sanctus, quem accepit Elias. Et Moysi ait Dominus[7]: *Tollam de spiritu tuo et dabo eis*, id est, dabo illis de Spiritu sancto, quem iam dedi tibi ». Ecce et hic dictus est spiritus Moysi. Patet igitur, quia Spiritus sanctus noster dicitur spiritus, scilicet[8] quia nobis datus et datus utique ad hoc, ut sancti essemus. Spiritus vero creatus ad hoc est datus, ut essemus.

Cap. V.

An Filius, cum sit nobis datus, possit dici noster, ut Spiritus sanctus.

Hic quaeritur, utrum et Filius, cum sit nobis datus, dicatur vel possit dici *noster*. Ad quod dicimus, quia[9] Filius dicitur noster panis, noster redemptor et huiusmodi; sed non dicitur noster Filius, quia Filius dicitur relative tantum ad eum qui genuit. Et ideo noster Filius non potest dici, sed Patris tantum. In eo autem quod dicitur *datus*, et ad eum qui dedit, et ad eos quibus datus est, refertur, ut[10] Spiritus sanctus; qui etiam cum in Scriptura, ut praedictum est, dicatur spiritus noster, vel spiritus tuus vel illius ut de Moyse et Elia dictum est, nusquam tamen in Scriptura occurrit ita dici: Spiritus sanctus noster vel tuus vel illius, sed spiritus noster vel tuus vel illius, quia Spiritus sanctus eo dicitur, quo donum, et utrumque relative dicitur ad Patrem et ad[11] Filium, et hoc sempiterna relatione. Si tamen aliquando dicitur donum nostrum, accipitur donum pro donato vel dato. Cum vero donum accipitur eo modo, quo Spiritus sanctus, donum tantum[12] Patris et Filii dicitur, non hominis; ita et Filius sub hac appellatione non potest dici *noster*, ut dicatur Filius noster, sicut nec dicitur Spiritus sanctus noster; et tamen de Filio dicitur panis noster, et de Spiritu spiritus noster. Ille noster panis, quia nos reficit nobis datus; iste noster spiritus, quia nobis inspiratur a Patre et Filio, et in nobis spirat, sicut vult. Unde Augustinus in quinto libro de Trinitate[13] ait: « Quod de Patre natum est ad Patrem solum refertur, cum dicitur Filius; et ideo Filius Patris est, et non noster. Dicimus tamen et *panem nostrum da nobis*, sicut dicimus, spiritum nostrum ».

Cap. VI.

Utrum Spiritus sanctus ad se ipsum referatur.

Post haec quaeritur, utrum Spiritus sanctus ad se ipsum referatur: hoc enim videtur ex praedictis posse probari. Si enim quod datur refertur ad eum qui dat, et ad eum cui datur, et Spiritus sanctus datur a se ipso, ut praedictum est, ergo refertur ad se ipsum. Huius quaestionis determinationem in posterum differimus, donec tractemus de his quae relative dicuntur de Deo ex tempore[14], in quibus datum et donatum continentur.

---

et etiam editiones Commentatorum, ut Bonav., hic dub. 4, S. Thomas in expositione textus.

[1] Loc. cit., paucis interpositis. — Vat. et plures edd. legunt: *dicens* pro *subdens*, et sola Vat. addit *ut* ante *inquit*.

[2] Scil. August., libr. XV. de Trin. c. 26. n. 47: cfr. supra pag. 320 notam 9. — Immediate ante loco *accipiendum* Vat. cum pluribus edd. *intelligendum*.

[3] Dist. XIV.

[4] Cap. 14. n. 15.

[5] Alludit Augustinus ad I. Cor. 2, 11: *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?*

[6] Luc. 1, 17. — Immediate post Vat. sola cum originali omittit *Ecce*.

[7] Num. 11, 17. Vulgata: *Auferam de Spiritu tuo tradamque eis.* — Solummodo Vat. locum detruncate legit, lineam omittendo, nempe: tuo et dabo eis, id est, dabo illis de Spiritu.

[8] Vat. et plures edd. *sed* contra codd. AD et ed. 1. Cod. C glossando: *Spiritus, non quod sumus, sed quia nobis datur.*

[9] Codd. BE et edd. 1, 8 *quod.* Sed familiare est Magistro adhibere *quia* pro *quod.* — Subinde sequimur codd. BCDE in positione verborum, dum editi legunt *tantum relative;* iidem codd. habent *illum* pro *eum.*

[10] Solummodo Vat. et ed. 4 superflue addunt *et* post *ut.* — Deinde eadem Vat. cum pluribus edd. *supra dictum est* loco *praedictum est.*

[11] Vat. et edd. 1, 8 omittunt *ad.*

[12] Vat. cum aliis edd., sed contradicentibus edd. 1, 6, 8 et codd., omittit *tantum.* — Mox post *et Filius* ed. 1 adiicit *Dei.*

[13] Cap. 14. n. 15, sed apud Magistrum truncate. Respicitur ad orationem Domini, Matth. 6, 11, Luc. 11, 3.

[14] Dist. XXX.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVIII.

De proprietate Spiritus sancti, secundum quam ei convenit temporaliter procedere.

Hic quaeritur, cum Spiritus sanctus, per quem dividuntur dona, ipse sit donum etc.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est tertia pars huius partis, in qua Magister agit de processione Spiritus sancti temporali. Determinato enim *principio,* a quo Spiritus sanctus procedit, determinato etiam *modo,* secundum quem procedit, determinat hic Magister *proprietatem,* secundum quam convenit ei temporaliter procedere; et haec proprietas est donum; et de hac in tota praesenti distinctione intendit agere. Dividitur autem haec pars in quatuor partes secundum quatuor quaestiones, quas movet.

In *prima* quaerit et determinat, utrum Spiritus sanctus sit donum, in quo [1] alia dona donantur.

In *secunda* quaerit, utrum Spiritus sanctus sit eadem ratione datum et donum, ibi: *Praeterea diligenter considerandum est, cum Spiritus sanctus dicatur donum et datum.*

In *tertia* quaerit [2], cum non solum Spiritus sanctus, sed etiam Filius sit datus, quare non dicitur *Filius noster*, sicut *Spiritus noster*, ibi: *Hic quaeritur, utrum Filius, cum sit nobis datus* etc.

In *quarta* et ultima quaerit, cum Spiritus sanctus sit donum relative, quomodo possit a se dari; si enim a se donatur [3], videtur Spiritus sanctus ad se relative dici, et hoc facit ibi: *Post haec quaeritur, utrum Spiritus sanctus ad se ipsum referatur.*

Ceteris partibus indivisis remanentibus, quia specialiter prosequitur quaestiones praedictas, media sive *secunda* pars, quae est de differentia doni vel [4] dati, habet quatuor partes. In prima quaerit et determinat, quod non eadem ratione Spiritus sanctus dicitur donum et datum, quia donum est ab aeterno, sed datum ex tempore. In secunda vero contra hoc, scilicet quod Spiritus sanctus sit donum aeternaliter, obiicit, ibi: *Sed quaeritur, cui donabilis, utrum Patri, vel Filio.* In tertia vero, quia in solutione dixerat quoddam dubium, ideo incidenter movet et determinat illud, ibi: *Hic oritur quaestio, si Filius nascendo* etc. In quarta vero et ultima redit ad primam solutionem, ostendens, quod Spiritus sanctus aeternaliter donum est, quia eo ipso est donum, quo procedit a Patre et Filio [5], et hoc facit ibi: *Ex praedictis patet, quod Spiritus sanctus sempiterne donum est.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Supposito ex praecedentibus, quod Spiritus sanctus sit donum et quod donetur, ad intelligentiam huius partis sex quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum Spiritus sanctus sit donum, quo omnia alia dona donantur.

Secundo, utrum Spiritus sanctus sit [6] donum vel ab aeterno, vel ex tempore.

Tertio [7], quid convenientius dicatur de Spiritu sancto, donum scilicet, an datum.

Quarto, utrum donum proprie conveniat Spiritui sancto.

Quinto, utrum donum sit proprietas Spiritus sancti distinctiva.

Sexto, utrum ratione donabilitatis dicatur Spiritus sanctus [8] noster.

---

[1] In cod. B additur *omnia.*

[2] Vat. cum aliquibus mss. *quaeritur.*

[3] Cod. X *datur.*

[4] Ed. 1 cum uno alterove codice *et* loco *vel.*

[5] In sola Vat. additur *et quod temporaliter est datum vel donatum,* quod correspondet textui Magistri.

[6] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *sit.*

[7] Fide plurimorum mss. et ed. 1 expunximus additum *quaeritur.*

[8] Codd. S V omittunt *sanctus*, quae lectio concordat cum modo, quo haec quaestio infra ab omnibus mss. proponitur.

ARTICULUS UNICUS.

De proprietate Spiritus sancti, qua est donum.

QUAESTIO I.

Utrum Spiritus sanctus sit donum, in quo omnia alia dona donantur.

Circa primum, quod Spiritus sanctus sit donum, quo omnia alia dona[1] donantur, ostenditur *auctoritate* et *ratione*.

1. *Auctoritate* sic: Apostolus primae ad Corinthios duodecimo[2]: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, qui dividit singulis, prout vult:* et loquitur de donis non tantum gratiae gratum facientis, sed etiam quae sunt gratis datae: ergo si per Spiritum sanctum dantur utraque, cum non sit alia differentia donorum, ipse est donum, in quo omnia alia dona donantur.

Fundamenta.

2. Item, Augustinus decimo quinto de Trinitate[3]: « Per donum, quod est Spiritus sanctus, commune omnibus membris Christi, propria quibusque dona dividuntur ».

3. Item, *ratione* ostenditur sic: Spiritus sanctus est primum donum; sed omne posterius ad prius reducitur: ergo omne donum reducitur ad donum, quod est Spiritus sanctus: ergo in omnibus donis ratio donationis est per Spiritum sanctum: ergo etc.

4. Item, omne donum, in quantum donum, ex amore datur, alioquin non habet rationem doni; sed « Spiritus sanctus est amor Patris et Filii », ut dicit Augustinus, et habitum est supra[4]: ergo etc.

Ad oppositum.

Contra: 1. Isidorus[5]: « Multis indignis Spiritu sancto dantur dona Spiritus sancti »: ergo contingit alia dona donari sine hoc: ergo non est donum, in quo omnia alia dona donantur.

2. Item, aliqua sunt dona, quae appropriantur Filio, ut puta sunt illa quae dantur ad illustrationem intellectus: ergo si loquamur appropriate, talia dona donantur[6] in Filio sive per Filium, non dono, quod est Spiritus sanctus.

3. Item, Filius datus est nobis, Isaiae nono[7]: *Parvulus natus est nobis, Filius datus est nobis:* ergo si datur per Spiritum sanctum, videtur quod Spiritus sanctus aliquam auctoritatem vel influentiam habeat in Filium; hoc autem est falsum: ergo non omnia alia dona donantur per Spiritum sanctum.

4. Item, hoc ipsum[8] ostenditur per *impossibile:* esto quod intelligatur per impossibile, Spiritum sanctum non esse, adhuc Pater et Filius intelliguntur ut liberales, alioquin inest eis liberalitas a Spiritu sancto, quod falsum est: ergo si intelliguntur liberales, ergo et donatores.

5. Item, si Spiritus sanctus est donum, in quo alia dona donantur, ergo donum est doni et donationis[9] donatio; et si hoc, motus est motus et relationis relatio, et hoc habet Philosophus[10] pro inconvenienti. Cum enim dependens non possit alterum terminare, erit ibi processus in infinitum.

CONCLUSIO.

Ista locutio, si ablativus in quo sumitur in sensu concomitantiae, solummodo quoad dona gratuita vera est; si vero in sensu causalitatis, et quidem causae exemplaris, vera est quoad omnia dona.

Respondeo: Dicendum, quod cum dicitur, quod Spiritus sanctus est donum, in quo omnia alia dona donantur, ablativus iste potest accipi dupliciter: vel ita, quod dicat *concomitantiam,* vel ita[11], quod dicat *causalitatem.* Si dicat *concomitantiam,* sic intelligendo *universaliter*, falsum est; quia est sensus, quod detur cum omnibus donis. Quaedam enim sunt dona, quae *semper* sunt cum Spiritu sancto, ut caritas et sapientia; quaedam, quae[12] *nunquam* sunt cum Spiritu sancto, ut timor servilis; quaedam,

Ablativus dupliciter accipitur.

Conclusio 1.

---

[1] In aliquibus codd. et Vat. deest hic et deinceps pluries in hac propositione *dona.*

[2] Vers. 4. et 11, ubi Vulgata *dividens* loco *qui dividit.* — Paulo ante Vat. contra mss. et ed. 1 *et primo per Apostolum dicentem* pro *Auctoritate sic: Apostolus.*

[3] Cap. 19. n. 34: Per donum, quod est Spiritus sanctus, in commune omnibus membris Christi multa dona, quae sunt quibusque propria, dividuntur. — In quo textu Vat. cum cod. cc, refragantibus tamen antiquioribus mss. et ed. 1, loco *dividuntur* ponit *Dei donantur.*

[4] Dist. X. in lit. Magistri, c. 1. et 2.

[5] Lib. I. Sent. sive de Summo bono, c. 15. n. 8: Aliquando non dignis et reprobis dona Spiritus sancti conferuntur. — Cod. Z cum ed. operum S. Isidori post *indignis* ponit *et reprobis.*

[6] Ed. 1 cum uno alterove codice *dantur.*

[7] Vers. 6.

[8] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 adiecimus *ipsum.*

[9] Fide mss. et ed. 1 expunximus additum *est.*

[10] Libr. V. Phys. text. 10-18. (c. 2.), et XI. Metaph. c. 11. (X. c. 12.), ubi inter cetera argumenta etiam istud habet, quod, si motus esset motus, statuendus esset progressus in infinitum, qui repugnat. Cfr. etiam I. Prior. c. 37. (c. 35.). — Mox Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 incongrue *determinare* pro *terminare.*

[11] Ex vetustioribus mss. et edd. 1, 2, 3, 6 substituimus *ita* loco *sic.*

[12] Ed. 1 hic et paulo infra omittit *quae.* Mox cod. Z *non* et cod. V *autem non sunt* loco *sine.*

quae *aliquando* sunt cum Spiritu sancto, *aliquando* sine, ut fides, prophetia et huiusmodi.

Conclusio 2. Si autem *particulariter* intelligatur de donis gratiae gratum facientis [1], sic vera est et non habet instantiam.

Ablativus importat causalitatem tripliciter. Potest iterum ablativus iste [2] importare *causalitatem*, et hoc tripliciter: vel ita, quod dicat *simpliciter* causalitatem, et in hoc non distinguitur nec a Patre nec a Filio, quia omnia dona sunt a Patre et a Filio, ut [3] a Spiritu sancto; vel ita, ut dicat *causalitatem et subauctoritatem*, et in hoc distinguitur a Patre, sed non a Filio, quia Pater et per Filium et per Spiritum sanctum donat; vel ita, ut [4] dicat *causalitatem et subauctoritatem et exemplaritatem*, Conclusio 3. et sic proprie Spiritui sancto convenit. Ipse enim procedit per modum primi doni, ita quod omnis donatio recta et gratuita post illam est et ab illa accipit rationem donationis. Concedendum est ergo, Epilogus. quod Spiritus sanctus est donum, quo omnia dona, scilicet *gratuita*, donantur per concomitantiam, et quo *omnia* Dei dona donantur per *exemplaritatis* causam.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo [5] quod obiicitur primo de Isidoro, iam patet responsio, quod ipse loquitur de donis gratiae gratis datae, non gratum facientis.

2. Ad illud quod obiicitur secundo, quod quaedam dona appropriantur Filio; dicendum, quod de donis est loqui dupliciter: aut ratione *eius quod subest*, aut sub [6] ratione *donationis*. Ratione *eius quod subest* aliqua dona appropriantur Filio, ut sapientia et intelligentia, aliqua Spiritui sancto, ut caritas. Ratione vero *donationis*, omnia appropriantur Spiritui sancto ratione iam dicta [7], quia per ipsum tanquam per primum donum donantur alia.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Filius est datus, et non a Spiritu sancto; responderi potest, quod Filius est datus secundum humanam naturam, et hoc fuit per amorem, Ioannis tertio [8]: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod, Spiritu sancto circumscripto, adhuc manet ratio doni; dicendum, quod, circumscripto Spiritu sancto, est intelligere in Deo donorum causalitatem et subauctoritatem, sed non exemplaritatem donationis sub ratione donationis, quia non intelligitur processus amoris; et hoc ultimo modo dicitur proprie convenire Spiritui sancto.

5. Ad illud quod obiicitur, quod tunc est donum doni; dicendum, quod motus non est motus, ut *termini*, similiter nec relationis relatio; tamen ut *principii* et [9] motus est motus, quia motus est principium motus, et relatio relationis; et sic dicitur donum doni. Et quia in causando statur in primo, cum sit primum donum, non est abire in infinitum. *Praeterea*, donum in divinis veram hypostasim dicit.

SCHOLION.

I. De hoc nomine *doni*, quod est proprium Spiritui sancto, Seraphicus uberius prae omnibus antiquis magistris in tota hac distinctione loquitur. — Propositio, quod Spiritus sanctus sit donum, in quo omnia alia dona donantur, si verba: *omnia dona* universaliter sumuntur, in sensu falso potest intelligi, cum quaedam sint dona, quae quidem donantur *per* Spiritum sanctum, sed non *cum* Spiritu sancto. Nam Concilium Tridentinum dicit (Sess. 14. c. 4. de contritione): « Timorem esse quidem donum Dei, non tamen inhabitantis Spiritus sancti, sed impellentis ». — Si S. Doctor affirmat, timorem servilem nunquam esse cum Spiritu sancto, intelligit timorem serviliter servilem, qui non potest stare cum gratia sanctificante, bene vero timor simpliciter servilis, sicut et spes, quod constat ex Tridentino (Sess. 6. cap. 9.). De timore eiusque speciebus videsis III. Sent. d. 15. dub. 3. et d. 34. p. II. a. 1. et 2.

II. Pro explicatione solutionis ad 5. servire possunt verba Richardi (hic q. 5. ad 2.): « Quamvis motus non principiet alium motum ut *proprium* eius terminum et immediatum, tamen certum est, quod per unum motum causatur alius. Et longe in infinitum fortius per donum aeternum, quod est res subsistens, potest immediate causari donum creatum ». Eodem fere modo hanc obiectionem solvunt S. Thom. (hic q. 1. a. 3.); B. Albert. (hic a. 1. ad 1.); Petr. a Tar. (hic q. 3. a. 1. ad 6.).

III. Praeter iam nominatos auctores cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 64. m. 1. — S. Thom., loc. cit., et S. c. Gent. IV. c. 21. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 3. — Henr. Gand., S. a. 61. q. 9. — Dionys. Carth., hic q. 1.

---

[1] Vat. cum cod. cc praeter fidem antiquiorum mss. et ed. 1 *donis gratum facientibus*. Mox cod. X *verum* pro *vera*, scil. propositio illa: Spiritus sanctus est donum, in quo etc.

[2] In Vat. deest *iste*, quod tamen in mss. (in pluribus *ille*) et ed. 1 habetur.

[3] Auctoritate plurimorum mss. posuimus *ut* pro minus distincto *et*, loco cuius ed. 1 *sicut* habet.

[4] Aliqui codd. ut V X cum ed. 1 *quod*.

[5] Ex multis mss. et ed. 1 supplevimus *ergo*. Paulo infra nonnulli codd. ut H K Z cum ed. 1 *quia ipse* pro *quod ipse*.

[6] In cod. V deest *sub*. Mox post *Ratione* cum cod. Z et ed. 1 omisimus *vero*, quod multi cod. cum Vat. habent. Paulo infra in cod. X post *aliqua* repetitur *appropriantur*.

[7] In corp. quaest. circa finem. Mox cod. O omittit *alia*.

[8] Vers. 16.

[9] In cod. O deficit *et*.

QUAESTIO II.

Utrum Spiritus sanctus sit donum ab aeterno, an ex tempore.

Secundo quaeritur, utrum Spiritus sanctus sit donum ab aeterno, vel ex tempore. Et quod ex tempore, videtur.

Ad oppositum. 1. Augustinus decimo quinto de Trinitate[1]: « Eo donum est, quod datur quibus datur »; sed datur ex tempore: ergo etc.

2. Item, quinto de Trinitate[2]: « Eo donum dicitur, quod daturus ipsum erat Deus »: sed constat, quod daturus erat ex tempore: ergo si donum est aeternum, temporale est causa aeterni.

3. Item, hoc[3] videtur per *rationem.* Donum enim non tantum dicit comparationem ad dantem, sed etiam ad eum cui datur: ergo posito *dono,* ponitur *dans* et *recipiens,* quia relatio ponit extrema[4]; sed recipiens est creatura: ergo etc.

4. Item, donum addit supra datum, quia « donum est datio irreddibilis[5] »: ergo si Spiritus sanctus non est datus nisi ex tempore, nec est donum nisi ex tempore.

5. Item, sicut Filii est generari, ita doni est donari; sed non est Filius, antequam generetur: ergo nec donum, antequam donetur; sed donatur tantum ex tempore: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. Augustinus quinto de Trinitate[6]: « Quia Spiritus procedebat, ut esset donabilis, iam donum erat »; sed procedere ut donabile, hoc est aeternum: ergo et donum ab aeterno.

2. Item, ibidem[7] expressius: « Spiritus sanctus sempiterne donum est, temporaliter vero datur ».

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione,* quia ubi est amor gratuitus, ibi est ratio[8] doni; sed ab aeterno est in Deo ponere amorem gratuitum: ergo et donum.

4. Item, ubi est perfecta ratio liberalitatis, ibi est donum; sed in divinis ab aeterno est perfecta ratio liberalitatis: ergo etc.

5. Item, sicut se habet ratio verbi ad rerum productionem, sic se habet ratio doni ad gratiarum distributionem[9]; sed ante rerum productionem in principio fuit Verbum: ergo ante gratiarum collationem in principio fuit Donum.

CONCLUSIO.

Donum ut datum dicitur temporaliter; donum vero ut aliquando donandum vel ut donabile dicitur aeternaliter.

Triplex respectus. Respondeo: Dicendum, quod cum donum dicat respectum ad eum cui datur, hoc potest esse tripliciter: vel secundum *actum,* vel secundum *habitum*[10], vel secundum *aptitudinem.* Si secundum *actum,* hoc modo dicitur donum, quia datur; si secundum *habitum,* hoc modo dicitur donum, quia donandum aliquando; si secundum *aptitudinem,* hoc modo dicitur donum, quia donabile.

Conclusio. Secundum primam acceptionem dicitur temporaliter; sed secundum secundam et tertiam dicitur aeternaliter. Et in his tribus sensibus accipit Augustinus. Concedendum est ergo, quod secundum aliquam acceptionem donum[11] dicitur aeternaliter, sicut probant rationes inductae ad secundam partem.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, dicendum, quod procedit de dono, ut dicit *actum* donationis, et sic ex tempore dicitur; unde non valet obiectio.

2. Ad illud quod secundo obiicitur, quod eo dicitur donum, quo daturus etc.; dicendum, quod secundum istam acceptionem dicitur aeternaliter, quia non dicit respectum ad creaturam secundum *actum,* sed secundum *habitum,* sicut et praedestinatio.

Quod ergo obiicitur, quod tunc temporale est causa aeterni; dicendum, quod illud participium *daturus* duo importat, videlicet ordinationem ad dandum et actum[12] ordinationis; et ordinatio est aeterna, licet actus sit temporalis; et tunc ablativus non dicit causalitatem ratione actus, sed ratione ordinationis.

---

[1] Cap. 19. n. 36. Vide in lit. Magistri, c. 2. in princ.

[2] Cap. 15. n. 16. Cfr. lit. Magistri, c. 2. circa finem.

[3] Fide vetustiorum mss. et ed. 1 adiunximus *hoc.*

[4] Cod. I *utrumque extremum*, uti et infra in resp. ad hanc obiectionem habetur.

[5] Aristot., IV. Topic. c. 4. — Sensus est: donum est datio liberalis, quae fit sine intentione retributionis.

[6] Cap. 15. n. 16; vide hic lit. Magistri, c. 2. circa medium.

[7] Cap. 16. n. 17. Cfr. lit. Magistri, c. 2. circa medium. — Sequimur plurimos codd. cum ed. 1, substituendo *ibidem* pro *idem.*

[8] Vat. cum cod. cc incongrue *gratia* pro *ratio.*

[9] Cod. X hic sicut in immediate sequentibus *collationem.*

[10] Licet mss. cum sex primis edd. ponant hic et paulo infra *habitudinem* loco *habitum*, praeferimus tamen lectionem Vat., tum quia nomen *habitudo* communiter a S. Doctore in alio sensu (cfr. infra q. 6.) accipitur, tum quia in sequentibus (excepta resp. ad 3, in qua multi codd. *habitudinalis* loco *habitualis* exhibent), praesertim q. 5, omnes codd. ponunt *habitum.* Quod attinet ad rem, notes, quod in hoc distinctionis membro respectu doni insinuetur specialis determinatio, quae infra ad 2. vocatur *ordinatio*, per quam constituatur in ratione futuri et ab aliis membris distinguatur.

[11] Vat. cum cod. cc contra antiquiores codd. et ed. 1 addit *Dei.*

[12] Intellige: exsecutionem.

Posset tamen dici, quod [1] dicit causam consequentiae, non consequentis.

Aliter.

3. Ad illud quod obiicitur, quod dicit relationem ad extrema; dicendum, quod relatio actualis ponit utrumque extremum in actu, non autem relatio habitualis [2], sicut patet, quod Deus aeternaliter dicitur exemplar creaturae temporalis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod donum addit supra datum; dicendum, quod *donum* in quibusdam consequitur rationem *dati*, ut puta sunt illa quae de se non dicunt liberalitatem, nisi prout additur eis ratio communicationis, ut liber, cultellus et huiusmodi. In aliquo *datum* consequitur rationem *doni*, ut puta in eo quod ex se importat liberalitatem, etiamsi nunquam detur donum [3], ut est amor; et sic convenit Spiritui sancto.

5. Ad illud quod obiicitur, quod sicut Filii est generari etc.; dicendum, quod falsum est, quia *generari* dicit emanationem Filii, quae secundum rationem intelligendi praecedit Filium; unde impossibile est, quod sit, nisi generetur; *donari* autem non solum dicit doni emanationem, sed amplius dicit eius communicationem; et hoc consequitur esse doni, et ideo non dicitur donum ex tempore, quamvis donetur ex tempore.

SCHOLION.

I. Quoad sensum quaestionis notandum, quod differunt hae locutiones: esse *ex* tempore, esse *cum* tempore, esse *in* tempore. Primum significat, ipsum *esse* habere initium, et dicitur de omnibus creatis; secundum vero, aliquod ens coexistere tempori, quod etiam de Deo dici potest; tertium autem, aliquid mensurari tempore, quod proprie dicitur de corruptibilibus.

II. Triplex conclusio eruitur ex hoc fundamento, quod donum dicit respectum ad eum cui datur, et quod hic respectus potest esse triplex. Secundus et tertius respectus, qui est tantum secundum rationem, non est relatio in *actu*, quae semper ponit etiam extrema sua in actu, sed relatio in *habitu* vel in *aptitudine*, ut bene explicatur in solut. ad 2. et 3. In re principali omnes magistri consentiunt. Alex. Hal., S. p. I. q. 64. m. 2. — B. Albert., hic a. 6; S. p. I. tr. 8. q. 36. m. 2. partic. 2. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic q. 4. — Henr. Gand., S. a. 59. q. 5. n. 32. seqq. — Dionys. Carth., de hac et seqq. tribus hic q. 2. circa finem. — Biel, de hac et tribus seqq. hic q. unica.

QUAESTIO III.

Utrum convenientius de Spiritu sancto dicatur donum quam datum.

Tertio quaeritur, utrum convenientius dicatur de Spiritu sancto *donum* quam *datum*. Et quod tam convenienter dicatur datum ut [4] donum, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia Iacobi primo [5]: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est;* ergo a Spiritu sancto ita sunt data, sicut et dona: ergo sicut ad ipsum transfertur ratio doni, ita et dati.

2. Item, mobilis et moti est eadem ratio [6], ergo similiter dati et donabilis: ergo si donum dicitur in ratione donabilis, datum vero in ratione actualiter dati, ergo eadem est ratio doni et dati, ergo etc.

3. Item in quolibet genere perfectior est actus quam potentia [7]: ergo cum datum dicat in actu, donum in potentia, perfectius exprimitur aliquid cum dicitur datum quam donum; sed quod maioris est perfectionis magis proprie convenit Deo: ergo etc.

4. Item, quando aliqua duo dicuntur de aliquo, quorum unum est ratio dicendi alterum de eodem, illud convenientius dicitur, quod est ratio dicendi [8]; sed datum et donum dicuntur de Spiritu sancto, et, ut vult Augustinus [9], « eo donum dicitur, quia datur »: ergo magis proprie dicitur datum.

Contra: 1. *Datum* convenit Spiritui sancto solum Fundamenta.

---

[1] Subaudi: ablativus ille *eo quo*. De distinctione *consequentiae* et *consequentis* cfr. infra d. 38. a. 2. q. 1. in corp. et alibi passim. — Explicationem huius solutionis accipe a B. Alberto, hic a. 6. ad 4: Dicendum, quod est causalitas consequentiae et non consequentis, et sic bene effectus infert causam; et est causalitas consequentis, et sic non infert effectus causam, sed magis e converso, et sic est hic; unde quando ex temporali infertur aeternum, non est nisi ratio consequentiae et non consequentis.

[2] Plurimi codd. cum ed. 1 *habitudinalis;* aliqui ut F H P Q X *habitualis;* Vat. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *habitu.* Vide supra in corp. quaest.

[3] Vat. contra mss. et sex primas edd. *dono.* Mox post *sic* cod. M addit *donum.*

[4] Cod. X *quam* loco *ut.*

[5] Vers. 17. — Paulo infra post *sancto* ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *ita*, quod Vat. cum cod. cc minus bene omittit.

[6] B. Albert., hic a. 2. eandem propos. ita exhibet: Mobilis et moti una ratio substantiae est, non differens nisi per actum et potentiam. — Paulo post nonnulli codd. ut T V *dicit* pro *dicitur.* Dein Vat. cum cod. cc minus apte et praeter fidem aliorum codd. cum ed. 1 *actualitatis* pro *actualiter.*

[7] Cfr. Aristot., IX. Metaph. text. 15. (VIII. c. 8.), ubi probatur, actum esse priorem substantia (i. e. perfectione) quam potentia.

[8] Simile est dictum Aristot., I. Poster. c. 2: Propter quod est unumquodque, et illud magis. Et II. Metaph. text. 4. (I. brev. c. 1.): Unumquodque vero idipsum maxime aliorum est, secundum quod aliis univocatio inest. — Mox fide mss. et ed. 1 substituimus *dicuntur* loco *dicitur.*

[9] Libr. XV. de Trin. c. 19. n. 36; vide hic lit. Magistri, c. 2.

ex tempore, sed *donum* aeternaliter: ergo magis proprie dicitur donum.

2. Item, si nunquam actu daretur, donum esset et spiritus esset: ergo videtur, quod magis proprie convenit ei donum [1].

3. Item, Glossa super illud Iacobi primo [2]: *Omne datum optimum* etc. dicit, quod «datum dicitur quoad naturalia, donum quoad gratuita». Si ergo gratuita aptius appropriantur Spiritui sancto, qui sanctificat, quam naturalia: ergo melius in divinis dicitur de Spiritu sancto donum quam datum.

4. Item, «donum est datio irreddibilis [3]»; sed quidquid Deus dat, irreddibiliter dat, quia cum det, nihil potest recipere: ergo in divinis *datum* rationem habet *doni* et induit eius rationem: ergo convenientius ibi dicitur donum quam datum.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus convenientius dicitur donum quam datum, quod duplici ratione probatur.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis in divinis utrumque dicatur, et *datum* et *donum*, tamen Conclusio. convenientius dicitur *donum*. Et huius duplex est Ratio 1. ratio. Una quidem est, quia *datum*, cum sit vel [4] participium vel nomen verbale, concernit tempus; donum autem a tempore subtrahit; et ideo, quia omnia divina [5] supra tempus sunt, convenientius dicitur in divinis *donum* quam *datum*. Alia ratio Ratio 2. est, quia donum supra rationem dati addit conditionem liberalitatis sive irreddibilitatis, quae est conditio magnae nobilitatis; et ideo maxime competit [6] divinis. Et haec est ratio, quare donum appropriatur gratuitis donis, non tantum ipsi Spiritui sancto, qui est principium gratuitorum donorum.

1. Et ex hoc patet responsio ad illud de auctoritate beati Iacobi. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod [7] mobilis et moti eadem est ratio; dicendum, quod non est simile de mobili et moto, et de dono et dato: quia *motum esse* addit supra mobile *actum* [8] et dicit totum, quod dicit mobile. Sed datum non dicit totum, quod dicit donum, quantum est de generali intellectu [9] nominis, nisi approprietur; «donum enim est datio irreddibilis», et hoc melius patebit in quarto problemate.

3. Ad illud quod obiicitur, quod actus est perfectio potentiae; dicendum, quod aliquid est in potentia ad actum dupliciter: aut propter imperfectionem *agentis*, aut propter defectum *suscipientis*. Si sit potentia primo modo, tunc actus est perfectio potentiae; si autem secundo modo, non est perfectio [10]. Unde si dicatur, quod sol actu lucens *potest* domum illuminare, quae non est aperta, et domum apertam *illuminat*, nulla omnino maior notatur perfectio [11] quam ante. Sic intelligendum est de donabilitate et actuali donatione. Aliquid est in potentia dupliciter.

4. Ad illud quod obiicitur, quod [12] datum est ratio dicendi donum, quia ideo donum, quia datur; dicendum, quod non est tota ratio, sicut dicitur in littera [13], sed solum in comparatione ad eum cui datur. — Vel potest dici quantum a parte nostri intellectus: Aliter. ideo donum dicitur, quia datur; sed tamen a parte veritatis [14] rei est e converso, quia ideo datur, quia donum est.

SCHOLION.

I. Solutio ad ult. servire potest ad magis illustrandam solutionem ad 3. Nos quidem res creatas *ex donato* seu actu donationis nominamus *donum*, sed hoc non valet de infinito et aeterno dono, quod est Spiritus sanctus, qui minime unquam est in potentia, ut sit donum, et dum donatur, non reducitur ad actum *doni*, sed tantum *donati*. *Donatum* autem, cum donatio fiat in tempore, est ratio tantum extrinseca doni aeterni.

II. In conclusione omnes conveniunt. Alex. Hal., S. p. I. q. 64. m. 2. ad 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. I. q. 38. a. 2. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic q. 1. ad. 2. — Henr. Gand., de hac et duabus seqq. S. a. 61. q. 3. n. 19. 20, et q. 8. n. 5. seqq.

---

[1] In cod. I additur hic aliud argumentum: *Idem* (donum) *dicit comparationem personae ad personam, datum vero personae ad creaturam; sed magis proprie comparatur persona ad personam quam persona ad creaturam: ergo convenientius dicitur donum de Spiritu sancto quam donum* (datum).

[2] Vers. 17, apud Lyranum: Datum refertur ad naturam, donum ad gratiam.

[3] Aristot., IV. Top. c. 4. Vide supra q. 2. arg. 4. ad opp. — Mox cod. S *cum dat* loco *cum det.*

[4] Ex multis mss. ut AFGISTX etc. et ed. 1 adiecimus *vel.* Haec ratio explicatur verbis B. Alberti, hic a. 2: Datum, quod est participium et consignificat tempus, similiter datio et donatio nomina sunt verbalia et ita actus temporales consignificantia, licet non consignificant tempus.

[5] Multi codd. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *dona* pro *divina*, et ed. 1 *dona* loco *omnia*, sed minus apte, ut per se patet; error codicum forsan ex abbreviatione verbi *divina* ortus est. S. Thomas eandem rationem hic a. 2. afferens ait: Inde est, quod donum competit magis divinis, quae sine tempore sunt, quam datum. — Paulo ante codd. L O cum ed. 1 *abstrahit* loco *subtrahit*, quae lectio communi loquendi modo magis congruit.

[6] Nonnulli codd. ut I W *convenit.*

[7] In pluribus mss. ut A T V et ed. 1 deest *quod.* Paulo infra plurimi mss. cum sex primis edd. *donato* pro *dato*, quod minus congruit subnexis.

[8] Multi codd. cum ed. 1 omittunt *actum*, pluresque ut ACSVW aa bb dein cum edd. 3, 6 ponunt *motum* loco *mobile*; cod. cc vero cum ed. 2. habet *mobile motum.*

[9] Cod. V *intentione.* Paulo infra cod. Z *sed* pro *et.*

[10] In cod. V additur *potentiae.*

[11] Aliqui codd. ut L O Z addunt bene *in sole.*

[12] Ex plurimis mss. et ed. 1 supplevimus *quod.* [13] Cap. 2.

[14] Vat. praeter fidem fere omnium mss. et ed. 1 omittit *veritatis.*

QUAESTIO IV.

Utrum donum sit nomen essentiale, an personale et proprium Spiritus sancti.

Quarto quaeritur, utrum donum *proprie* conveniat Spiritui sancto. Et quod sic videtur.

Fundamenta. 1. Augustinus decimo quinto de Trinitate[1]: «Sicut in Trinitate non est verbum nisi Filius, ita nec donum nisi Spiritus sanctus».

2. Item, donum dicit emanationem per modum liberalitatis; hoc autem est proprium solius Spiritus sancti: ergo etc.

3. Item, donum[2] dicitur relative ad donantem; sed donans non tantum est Pater, immo etiam Filius, quia uterque est mittens, ergo donum dicitur relative ad Patrem et Filium: et si hoc, ergo[3] distinguitur ab utroque: ergo nec Pater nec Filius, sed solum Spiritus sanctus dicitur proprie donum.

Ad oppositum. Contra: 1. Donum dicitur in habitu, sed datum dicitur in actu, ergo datum addit supra donum: ergo cui convenit esse datum convenit[4] et ratio doni. Sed datum convenit toti Trinitati, quia tota Trinitas dat se, ergo et donum: non ergo proprie Spiritui sancto.

2. Item, donum dicit respectum ad dantem et ad eum cui datur: si ergo est proprium Spiritus sancti, aut propter respectum ad *dantem*, aut[5] *recipientem*. Non propter respectum ad *recipientem*, quia similiter *Filius datus est nobis*[6], et magis etiam datus quam Spiritus sanctus. Si vero ad dantem; *contra:* Filius dicitur procedere a dante, scilicet a Patre: ergo videtur secundum communem[7] rationem Filio convenire. *Si dicas*, quod Filius non procedit per modum donabilis, neque «quomodo datus est, sed quomodo natus[8]»; *contra:* Filius sic ab aeterno processit, ut temporaliter esset missibilis, quia «eo mittitur Filius, quo generatur[9]»; sed missio non est aliud quam donatio: ergo Filius processit ut donabilis.

3. Item, si datus est Filius ex tempore, aut erat ad hoc habilis ab aeterno, aut non. Si *sic:* ergo processit ut donabilis; si *non:* ergo aliquid convenit ex tempore Filio, quod repugnat aeternae emanationi; quod est inconveniens.

4. Item, regula est, quod omne nomen dicens respectum vel effectum ad creaturas est commune tribus[10]; sed donum est huiusmodi: ergo etc.

CONCLUSIO.

Donum est nomen personale et proprium Spiritus sancti; datum vero potest dici et essentialiter de tribus personis, et personaliter de Filio et Spiritu sancto, et proprie de Spiritu sancto.

Respondeo: Dicendum, quod sicut patet ex verbis Augustini, donum dicitur in divinis proprie sive personaliter, non essentialiter, sicut verbum proprie dicitur de Filio; datum autem potest accipi et essentialiter et personaliter, sive proprie et communiter. Tota enim Trinitas dat se, et tamen Pater et Filius proprie dant Spiritum sanctum[11]. Conclusio 1. Conclusio 2.

Propter hoc notandum, quod datum de sui ratione idem est quod communicatum. Potest igitur hoc quod est *datum* dici communicatum ex *liberalitate*[12], et sic commune est toti Trinitati; vel ex *liberalitate et auctoritate*, et sic convenit Spiritui sancto et Filio, qui habent subauctoritatem respectu Patris; vel potest dici datum ex *liberalitate et auctoritate* non tantum communicatum, sed etiam *productum*, et hoc modo proprium est Spiritus sancti, cuius proprium est procedere secundum rationem liberalitatis, et ita secundum rationem doni vel donabilis. Et hoc modo donum et[13] datum aequivalent; differunt tamen, quia datum dicit communicationem in actu, sed donum in habitu. Et ita[14] concedendum est, quod donum proprie dicitur in divinis de Spiritu sancto. Datum dicitur tripliciter. Conclusio 3. Conclusio 4. Conclusio 5.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod datum addit

---

[1] Cap. 17. n. 29: Et tamen non frustra in hac Trinitate non dicitur verbum Dei nisi Filius, nec donum Dei nisi Spiritus sanctus.

[2] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 expunximus hic additum *Dei.*

[3] In Vat. deest *ergo*, quod tamen in plurimis mss. habetur.

[4] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *convenit* et mox *toti.*

[5] In nonnullis mss. ut HKMU et ed. 1 repetitur *ad.*

[6] Isai. 9, 6. — Paulo infra post *Spiritus* ex aliquibus mss. ut HKVX adiecimus *sanctus.*

[7] Ed. 1 cum cod. Z *omnem* loco *communem.* Mox cod. X *procedat* loco *procedit*, ubi in codd. LO additur *ab aeterno.*

[8] August., V. de Trin. c. 14. n. 15. — Mox Vat. cum cod. cc *procedit* loco *processit,* sed contra alios codd. et ed. 1.

[9] Est Gregorii; vide supra pag. 261. nota 1.

[10] Codd. OZ adiungunt: *quia quidquid facit una persona, et omnes; indivisa enim sunt opera Trinitatis. Similiter in quacumque habitudine se habet una persona, et omnes; ut si una persona Dominus, et omnes; si una refugium, et omnes.*

[11] Vide supra d. 15. p. I. q. 4.

[12] In cod. O additur *sola,* qui et mox loco *convenit* habet *est commune tantum.* Aliqui codd. ut FHXZ in secundo disiunctionis membro et cod. T etiam in tertio *subauctoritate* pro *auctoritate*, sed incongrue; nam utraque persona, licet se ipsam det ex liberalitate, a Patre datur ex *auctoritate*, non *subauctoritate;* unde *datum* (in sensu passivo) utrique convenit, quia *auctoritas Patris* dat Filium et Spiritum sanctum.

[13] Plurimi codd. cum Vat. minus apte *vel;* cod. H cum ed. 1 exhibet lectionem a nobis receptam.

[14] Ex vetustioribus mss. et ed. 1 supplevimus *ita.*

supra donum; dicendum, quod secundum communem acceptionem *dati* et *doni* donum aliquid dicit ultra quam datum, et datum ultra quam donum. Donum [1] ultra quam datum importat emanationem per modum liberalitatis; datum vero ultra quam donum importat actum communicationis, quia donum dicit habitum. Et ideo, quia illud quod addit donum supra datum, est personale, ideo donum proprie [2] est personae Spiritus sancti.

2. Ad illud quod quaeritur, ratione cuius respectus dicatur donum proprie; iam patet responsio [3], quia ratione respectus ad dantem, non inquam ratione respectus simpliciter, sed ratione talis respectus, quia emanat per modum donabilis, quod est proprium Spiritus sancti.

3. Quod ergo obiicitur, quod emanat per modum donabilis Filius; dicendum, quod falsum est. Quamvis enim donabilitas sive liberalitas communicetur Filii generationi [4], non tamen est ratio emanandi; et quia communicatur aeternaliter, ideo datur temporaliter; sed quia non est ratio emanandi, ideo non emanat Filius ut donum, sed solum Spiritus sanctus.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur de respectu ad creaturam [5], dicendum, quod hoc intelligitur de illo nomine, quod importat solum respectum ad creaturam, non personae ad personam; donum autem utrumque importat: ideo non habet hic illa [6] regula locum.

SCHOLION.

I. Quaestio non est, utrum hoc nomen in genere conveniat Spiritui sancto, sed *sub qua ratione* ipsi conveniat, utrum scil. sit nomen *personale* sive proprietas personae, an *essentiale*. — Ut solutio melius intelligatur, sciendum est, in dono divino duas complecti rationes, alteram cum relatione reali ad dantem, alteram cum relatione rationis ad eum cui datur. Respectus ad *dantem*, id est Patrem et Filium, importat, ut Spiritus sanctus emanet per modum donabilis; et ratione huius respectus nomen doni est *proprium* sive personale. Nam recte observat Richard. a Med. (loc. infra cit.): « Donum, prout accipitur in divinis, est res procedens, cui ex suo *modo procedendi* convenit *prima ratio* doni. Prima autem ratio doni *amor* est... Proprium autem Spiritui sancto est, quod procedat ut amor ». Altera ratio importat respectum rationis *ad creaturas*. « Nec tamen, ut bene observat S. Thomas (S. I. q. 38. a. 1. ad. 4.) per hoc, quod in dono importatur respectus ad creaturam, oportet, quod sit essentiale, sed quod aliquid essentiale in suo intellectu includatur, sicut essentia includitur in intellectu personae ».

II. Antiqui magistri hic cum Seraphico concordant, excepto Durando, qui singularem viam tenens docet, hoc nomen Spiritui sancto tantum appropriari, quod bene reprobat Dionys. Carth. (hic q. 2.). — Alex. Hal., S. p. I. q. 64. m. 1. — Scot., de hac et seqq. in utroque scripto hic q. unic. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. 2; S. loc. cit. — B. Albert., hic a. 3; S. p. I. tr. 8. q. 36. m. 2. partic. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic q. 1. — Egid. R., hic 1. princ. q. 1. — De hac et seq. q. Durand., hic q. 1.

QUAESTIO V.

Utrum donum sive donabilitas sit proprietas distinctiva Spiritus sancti.

Quinto quaeritur, utrum donabilitas sive donum sit proprietas distinctiva personae [7] Spiritus sancti. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Dicit enim Augustinus quinto de Trinitate [8]: « Eo est donum, quo spiritus »; sed spiritus est proprietas distinctiva: ergo et donum.

2. Item, Augustinus quinto de Trinitate [9], assignans differentiam processionis Filii et Spiritus sancti, hanc ponit, quod ille procedit per modum nati, sed iste per modum doni; ergo si haec differentia attenditur penes proprietates distinctivas, ut patet, quia nativitas est proprietas Filii: ergo et donabilitas sive donum est proprietas Spiritus sancti.

3. Item, hoc ipsum videtur [10] *ratione*, quia omnis proprietas, secundum quam persona differt ab omnibus aliis, est personae proprietas distinctiva; sed donum inest soli personae Spiritus sancti et semper: ergo est proprietas eius personalis [11].

---

[1] Cod. I addit *enim*. Mox cod. W *dicit* loco *importat*.

[2] Ed. 1 *proprium*.

[3] In plurimis mss. et ed. 1 deest *responsio*.

[4] Aliqui codd. ut T aa etc. et ed. 1 *concomitetur Filii generationem*, qui et paulo infra ponunt *concomitatur* loco *communicatur*. Vat. *communicetur Filio in generatione*; alii codd. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *communicetur Filii generationi*. In fine responsionis fide antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *emanat* pro *emanavit*. Dein aliqui codd. ut I S aa cum ed. 1 *solus* loco *solum*.

[5] Aliqui codd. ut S Z hic *creaturas*, quod etiam multo plures codd. cum ed. 1 paulo infra loco *creaturam* exhibent.

[6] Codd. sunt inter se divisi; alii ut F G K M Y Z omittunt *illa*, alii cum Vat. et ed. 1 ponunt *haec* pro *hic illa*, alii ut H O T et quidem melius praestant lectionem in textum receptam.

[7] Vat. contra mss. et ed. 1 omittit *personae*.

[8] Cap. 11. n. 12, et IV. c. 20. n. 29. Vide hic lit. Magistri, c. 2, ex quo haec verba sumta sunt.

[9] Cap. 14. et 15. n. 15. et 16; cfr. hic lit. Magistri, c. 2. in fine et c. 3. in princ. — Multi codd. cum ed. 1 *decimo quinto* pro *quinto*, in quo c. 17. n. 29. seqq. etiam haec differentia insinuatur. — Paulo infra in multis mss. et edd. 1, 2, 3, 6 ponitur *dati* loco *nati*, sed perperam, ut ex subnexis colligitur; cod. I *nascentis* pro *nati*.

[10] Cod. V *ostenditur*. Paulo infra cod. A *distinguitur* loco *differt*.

[11] In hoc argumento secundum illud effatum: constitutivum

4. Item, proprietates in divinis sunt relationes; sed Augustinus dicit in quinto de Trinitate[1], quod « relatio, secundum quam refertur Spiritus sanctus ad Patrem et Filium, magis apparet in hoc nomine donum quam in hoc nomine spiritus[2] »: ergo utraque est personalis.

Ad opposi-tum. CONTRA: 1. Nihil dicens respectum ad creaturas est proprietas distinctiva personae, quia, omni respectu ad creaturam circumscripto, tenet distinctio personalis; sed donum dicit respectum ad eum cui datur: ergo etc. *Si dicas*, quod non est proprietas secundum comparationem, quam habet ad creaturas, sed ad dantem; pari ratione missio Spiritus sancti[3] erit proprietas distinctiva, cum dicat respectum ad mittentem.

2. Item, omnis proprietas distinctiva dicitur ab actu, non ab habitu. Unde Pater dicitur, quia generat, Filius, quia generatur, Spiritus vero sanctus, quia spiratur; sed donum non dicitur ab actu donandi, sed ab habitu, alioquin non diceretur ab aeterno[4]: ergo etc.

3. Item, nullius alterius personae proprietas distinctiva accipitur in relatione ad creaturas[5] vel dicit respectum: sed donum dicit hoc: ergo non est proprietas distinctiva.

4. Item, si donum est proprietas distinctiva Spiritus sancti et eius notio, tunc ergo spiritus sanctus et amor non est proprietas: quodsi[6] spiritus sanctus et amor est proprietas, ergo sunt septem notiones, quod est contra communem opinionem omnium. *Si dicas*, quod eadem notio[7] importatur per haec tria nomina, ergo videntur nomina synonyma, ut Marcus, Tullius, quod aeque magnum inconveniens est: ergo etc.

CONCLUSIO.

Donum est proprietas distinctiva Spiritus sancti secundum respectum ad dantem, quin tamen excludatur ratio donabilitatis sive respectus secundum aptitudinem ad eum cui datur.

RESPONDEO: Dicendum, quod ad hoc dixerunt aliqui, quod donum dupliciter est in divinis considerare: uno modo, prout dicit respectum solum ad *donatorem*; et hoc modo dicit Augustinus[8], quod « eo dicitur donum, quo procedit »; et sic dicunt, quod donum est proprietas distinctiva Spiritus sancti. Alio modo accipitur[9] donum, prout dicit respectum ad eum cui datur; et sic non dicit proprietatem distinctivam, sed consequens ad proprietatem distinctivam. Opinio quorundam.

Sed illud non videtur posse stare. Nam donum semper aliquam comparationem dicit ad eum cui datur; intellecto enim, quod non sit donabilis alicui, impossibile est intelligere, quod sit donum. Non probatur.

Et propter hoc aliter dicendum, sicut prius tactum est[10], quod donum praeter respectum, quem importat ad dantem, importat respectum ad eum cui datur. Sed hoc potest esse tripliciter: vel secundum *actum*, ut quia datus[11]; vel secundum *habitum*, ut quia dandus; vel secundum *aptitudinem*, ut quia donabilis. Et iste respectus[12] adeo coniunctus est primo, ut primus sine hoc non possit esse nec intelligi, immo de necessitate sequitur, si procedit per modum doni, quod sit donabilis: et ideo sequens respectus non aufert primo, quin sit proprietas distinctiva[13]. Dicendum ergo, quod est proprietas distinctiva ratione primi respectus, secundo respectu non repugnante, sed consonante. Solutio auctoris. Triplex respectus ad eum cui datur. Conclusio.

---

rei est distinctivum ipsius, et vice versa, promiscue adhibentur termini *proprietas*, *secundum quam persona differt ab omnibus aliis*, et *inest soli personae et semper* (cfr. Porphyr., de Praedicab. c. de Proprio), ac *proprietas personae distinctiva* et *proprietas personalis*, ideoque a parte rei ipsum argumentum ex pluribus contractum exhibetur. Vel dic, quod loco minoris iuxta formam syllogisticam ponendae: *sed donum est proprietas, secundum quam persona Spiritus sancti differt ab omnibus aliis*, ponitur *ratio* ipsius.

[1] Cap. 11. n. 12.

[2] Cod. X addit *sanctus;* cod. O autem *ergo hoc nomen donum magis dicit proprietatem distinctivam quam hoc nomen spiritus sanctus.*

[3] In Vat. deest *Spiritus sancti*, quod tamen in mss. et ed. 1 invenitur.

[4] Ed. 1 *aeternaliter* pro *ab aeterno*.

[5] Vat. praeter fidem antiquiorum mss. et ed. 1 *creaturam*. Mox post *respectum* supple cum cod. B (in margine) *ad creaturas*. In fine argumenti codd. L O addunt *Spiritus sancti*, certe subaudiendum.

[6] Ita plurimi codd. cum ed. 1; Vat. *quia*.

[7] Ex pluribus mss. ut F H M Q T Z supplevimus *notio*, pro quo cod. O habet *proprietas*, alii autem codd. cum ed. 1, verbis incongrue transpositis, *quod eadem importantur nomina per haec tria*. Paulo infra post *Marcus* ope mss. et sex primarum edd. expunximus *et*.

[8] Libr. IV. de Trin. c. 20. n. 29, et V. c. 11. n. 12. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[9] Vat. cum aliquibus mss. *dicitur*.

[10] Hic q. 2.

[11] Subintellige hic et in sequentibus distinctionis membris: Spiritus sanctus. — Vat., referendo participia ad *donum*, praeter fidem mss. et ed. 1 ponit *datum*, *dandum*, *donabile*.

[12] Id est tertius modus secundi respectus. — Mox post *primo* ed. 1 explicative addit *scilicet qui est ad dantem*, et cod. T in margine *qui est per respectum ad dantem*. Mox plures codd. ut A F I K R U V post *primus* perperam adiungunt *ita quod*. Dein plures mss. ut C F G H K S V Z habent *nec* pro *non*, et paulo infra cod. Y *qui* loco *si*.

[13] In cod. R additur *ratione primi respectus*. Mox aliqui codd. ut H P Q Y *Unde dicendum* pro *Dicendum ergo*. Paulo infra mendum Vat. ponentis *respectui* pro *respectu* correximus fide mss. et edd. 1, 2, 3, 6.

1. Ex hoc patet responsio ad primum, quia ille respectus talis est, quod non potest circumscribi secundum aptitudinem ob emanationem per modum liberalitatis. Et patet quod non est *simile de missione*, quia dicit respectum secundum actum, non secundum aptitudinem.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod proprietas distinctiva debet dicere actum; dicendum, quod donum dicit duplicem respectum [1], et ratione huius dicit comparationem ad duplicem actum. Ratione primi respectus dicit actum *processionis*, ratione secundi dicit actum *communicationis*. Primum actum importat in actu, secundum in habitu; et ratione primi est proprietas distinctiva, non ratione secundi.

3. Ad illud quod obiicitur, quod in alia persona hoc non est; respondent [2] quidam, quod Spiritus sanctus est tertia persona; ideo nobis secundum rationem intelligendi immediatior, et ideo proprietas eius sumitur in comparatione ad nos, non sic in aliis.

Aliter potest solvi per interemptionem, quia, sicut donum respectum dicit ad creaturas, ita et haec proprietas, quae est *verbum*, ut infra patebit [3].

Alia solutio.

4. Ad illud quod obiicitur de pluralitate notionum; dicendum, quod spiritus, amor et donum eandem proprietatem dicunt, ratione differentem. Eandem, inquam, notionem dicunt, quia dicunt comparationem ad idem et dicunt eandem emanationem, sed tamen differenter eam nominant. Nam spiritus dicit eam principaliter per comparationem ad vim producentem, quae est vis spirativa; amor principaliter quantum ad modum emanandi, quia ut nexus; donum vero quantum ad respectum [4] consequentem. Et similiter emanationem Verbi contingit tripliciter significare, scilicet per hoc nomen filius, imago et verbum. Quia enim [5] a vi naturae, filius; quia per modum expressum, imago; quia aliis expressivum, ideo verbum. Similiter, quia a vi spirativa, spiritus; quia per modum nexus, amor; quia nos natus connectere, donum. Et sic patet, quod una est notio aliter et aliter nominata secundum rationes consequentes [6], ideo non est ibi synonymia.

Tria nomina utriusque emanationis.

SCHOLION.

I. Postquam in praeced. quaestione S. Doctor probavit, donum esse nomen personale Spiritus sancti, non essentiale, in hac duplicem resolvit quaestionem. *Primo* est, utrum donum non tantum significet proprietatem in Spiritu sancto, sed proprietatem *distinctivam*. Duplicis enim generis sunt proprietates in divinis: aliae sunt quidem personarum, sed non *personales* in stricto sensu, i. e. personarum *distinctivae* vel etiam *constitutivae;* sic est spiratio activa in Patre et Filio, quae neutram personam nec constituit nec distinguit, cum sit duabus personis communis. Aliae simul personam *distinguunt* et *constituunt,* ut Paternitas, Filiatio et Spiratio passiva. Unde dicit S. Bonaventura (infra d. 28. q. 3.): « Ad hoc, quod aliqua relatio sit *personalis*, oportet quod dicat illius personae primam et propriam habitudinem et per modum positionis et completionis »; cfr. etiam d. 26. q. 2. et 3. — *Prima* haec quaestio resolvitur cum sententia communi affirmative et probatur argumentis in fundam. Inter auctores est tamen differentia opininionis circa incidentem quaestionem, utrum haec proprietas sit non tantum *distinctiva,* sed etiam *constitutiva*. Hoc videtur affirmare Magister docendo, quod donum sit formaliter ipsa processio Spiritus sancti. Scotus vero (hic q. unica) hoc negat, cum iuxta ipsum donum primo et principaliter significet *respectum ad creaturas* et tantum ex consequenti aliquid *notionale.* Sed quod ex consequenti tantum ad aliquam rem pertinet, non potest esse eiusdem *constitutivum,* sed ad summum distinctivum. At S. Bonav. et Richard. a Med. (hic q. 2.) docent, donum significare per se relationem ad dantem, sed cum respectu superaddito donabilitatis, et ratione primi esse proprietatem distinctivam per se, et non tantum ex consequenti, ut vult Scotus: ergo etiam constitutivam.

De *altera* quaestione agitur in ipsa responsione, quae est haec: si donum est proprietas Spiritus sancti, et si in dono sunt duo respectus, et ad dantem et ad eum cui datur: iterum quaeritur, utrum sit proprietas distinctiva solummodo secundum primum respectum, qui importat originem, an etiam aliquo modo secundum respectum *ad creaturas.* Hic respectus ad creaturas triplici modo potest intelligi, nempe vel secundum *actum* (ut *datum)*, vel secundum *habitum* (ut *dandum)*, vel secundum *aptitudinem* (ut *donabile)*. Si respectus ad creaturas primo et secundo modo intelligitur, ipse manifeste non potest esse proprietas personarum distinctiva. Si tertio modo, tunc controvertitur, et ponuntur illae sententiae, quae in corp. exponuntur. Prima opinio hanc Spiritus sancti aptitudinem, ut creaturis donetur, omnino excludit a proprietate eius distinctiva, hac praesertim innixa ratione, quod haec donabilitas sit aliquid proprietatem distinctivam consequens. Secunda opinio, quam approbat S. Bonav. cum Richardo, asserit, donabilitatem non posse penitus excludi a proprietate distinctiva Spiritus sancti, licet donum sit primario proprietas distinctiva propter respectum ad dantem. Quoad rationem adductam concedit Sanctus (ad 4.), donabilitatem dicere respectum *consequentem ;* tamen putat, hunc respectum esse ita coniunctum alteri ad dantem, ut donum sine donabilitate nequeat intelligi, sive aliis verbis, esse quidem consequens, sed ut aliquid intrinsece *proprium,* simili modo ut ratio *risibilis* propria est homini. — Eandem

---

[1] In cod. T adiungitur *scilicet ad dantem et ad recipientem.*

[2] Vat., reluctantibus mss. et edd. 1, 2, 3, 6, *respondet.* Paulo infra post *immediatior* cod. I addit *est.*

[3] Dist. 27. p. II. q. 2.

[4] Ed. 1 adiungit *communem.* Mox ex plurimis codd. posuimus *significare* pro *significari.*

[5] Vat. cum cod. cc omittit *enim*, quod in antiquioribus mss. et ed. 1 exstat. Dein Vat. post *modum* falso et praeter fidem mss. et sex primarum edd. *expressivum* loco *expressum.* Cfr. verba S. Doctoris ex d. 27. p. II. q. 3: Nam sapientia vel notitia dicit primum in intelligendo; deinde filius, qui dicit ipsam emanationem sive conceptionem; deinde imago, quae dicit modum *expressum* emanandi; et tertio loco verbum, quod dicit haec omnia et superaddit rationem exprimendi et manifestandi. — Paulo infra post *Similiter* ex aliquibus mss. ut XZ et ed. 1 adiecimus *quia*, quod in multis mss. et Vat. minus bene deest.

[6] Cod. Y *differentes*, sed minus distincte, ut patet ex verbis d. 27. p. II. q. 3. modo citatis.

sententiam S. Bonaventura etiam quoad nomen *Verbi* tuetur et clarius explicat infra d. 27. p. II. a. 1. q. 2. Ceteri antiqui magistri vel sustinent primam opinionem, vel non ita accurate distinguunt, sicut Seraphicus. Sententiam S. Thomae Caietanus (ad. S. I. q. 38. a. 2.) secundum primam opinionem exponit; tamen verba S. Thomae in Summa loc. cit. a. 1. ad 4., et I. Sent. d. 18. q. 1. a. 2. parum a sententia S. Bonaventorae discedunt, immo Forestus (de Trinit. p. 486. col. 2.) vult, utrumque idem docere. Ceterum subtilissima haec quaestio non est magni momenti. — Quoad solut. ad 4. et explicationem *notionis* cfr. infra d. 26. q. 4.

II. Cfr. Alex. Hal., S. p. 1. q. 64. m. 3. — B. Albert., hic a. 4; S. p. I. tr. 8. q. 36. m. 2. partic. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic q. 2. — Egid. R., hic 1. princ. q. 2.

QUAESTIO VI.

Utrum Spiritus sanctus ratione donabilitatis dici possit Spiritus noster.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum ratione donabilitatis dicatur *Spiritus noster*. Et quod sic videtur:

Fundamenta. 1. Quia *noster* dicit possessionem; sed nos non habemus [1] aliquid divinum nisi per largitionem et donationem: ergo cum Spiritus sanctus dicat quid divinum, quod dicitur *noster*, hoc est ratione donabilitatis.

2. Item, hoc etiam videtur, quia [2] dicitur Spiritus noster, non autem dicitur Filius vel Pater noster: [3] ergo propter aliquam proprietatem, quae est in Spiritu sancto et non in Patre et Filio; sed haec non est nisi donabilitas: ergo etc.

3. Item, antequam Spiritus sanctus habitet in nobis, non dicitur *noster*: sed inhabitat per donationem: ergo dicitur *noster* ratione donabilitatis.

Ad oppositum. Contra: 1. Si ratione donabilitatis: ergo cum donabilitas sit proprietas personalis, non essentialis, videtur [4] solum dici de persona Spiritus sancti: hoc autem falsum, quia dicitur, *Deus noster*.

2. Item, si ratione donabilitatis: ergo constat, quod non per comparationem ad dantem, sed ad eum cui datur; sed *Filius datus est nobis* [5] etiam magis quam Spiritus sanctus: ergo etc.

3. Item, si ratione donabilitatis: ergo debet convenienter [6] dici donum nostrum.

4. Item, si ratione donabilitatis: ergo cum donabilis sit nobis magis in quantum *sanctus* quam in quantum *spiritus*, melius deberet [7] dici Spiritus sanctus noster; quod tamen non dicitur.

Quaestio generalis. Quaeritur ergo generaliter, de quibus possit dici *noster*.

CONCLUSIO.

Pronomen possessivum meus vel noster cum copula est propriissime de Spiritu sancto ratione donabilitatis et per appropriationem dicitur; idem pronomen sine copula iis tantum adiungitur nominibus divinis, quae exprimunt respectum ad nos secundum rationem causae vel correlationis.

Attributio fit dupliciter. Respondeo: Dicendum, quod *meum* et *nostrum* dupliciter possunt [8] attribui alicui: vel *mediante compositione*, vel *immediate*. Si *mediante compositione*, sic de se ponunt propriam habitudinem circa terminum, scilicet habitudinem *possessionis* [9], ut cum dicitur: hoc est meum: et hoc modo, quia omnis qui habet spiritum Dei, habet Deum et omnia quae sunt Dei, hoc modo *meum* vel *nostrum* et *tuum* [10] potest dici de omni, quod in Deo est communiter, sed magis proprie de Filio, qui [11] datus est nobis per incarnationem, maxime autem de Spiritu sancto, *qui est pignus aeternae hereditatis* [12]. Unde concedendum, quod ratione donabilitatis potest inter alias personas ratio possidendi appropriari Spiritui sancto. Conclusio 1.

Secundus modus attributionis. Potest etiam hoc quod est *nostrum* attribui alicui *immediate*, et sic non dicit habitudinem [13], sed rationem habitudinis importatae per terminum, cui unitur. Sic enim nulli unitur, nisi quod importat respectum *explicite*, ut pater noster vel meus, vel *implicite*, ut liber meus [14], id est possessio mea.

Secundum hoc notandum, quod non dicitur

[1] Ita antiquiores codd. cum ed. 1, dum Vat. cum cod. cc *habuimus*. Paulo infra Vat. *dicatur* loco *dicitur*.

[2] In plurimis mss. et Vat. hic additur *etiam*, quod tamen deest in cod. X et ed. 1 nec non superfluum esse videtur. Mox post *Spiritus* aliqui codd. ut SVX addunt *sanctus*, sed incongrue, ut ex corp. quaest. patet.

[3] Videtur supplendum *personaliter*; cf. Alex. loc. cit. ad 4.

[4] Supple: noster, vel lege cum cod. Y *noster solum dicitur*. Paulo infra post *falsum* unus alterque codex ut bb addit *est*.

[5] Isai. 9, 6.

[6] Plures codd. ut AHITVWX cc ff cum ed. 1 *deberet congruenter*.

[7] Vat. contra plurimos mss. et ed. 1 *debet*.

[8] Ed. 1 cum uno alteroque cod. ut X hic *potest*, et paulo infra cum pluribus codd. ut AISTYZ *ponit* loco *ponunt*.

[9] Aliis verbis: relationem rei habitae ad habentem. Vide Aristot., de Praedicam. in fine, ubi de *Habere* agitur, et V. Metaph. text. 29. (IV. c. 23.).

[10] Ita maior pars mss. cum ed. 1, dum aliqui cum Vat. particulas *vel* ac *et* transponunt, aliqui autem ut I cc ff pro *et* ponunt *vel*; cod. A tandem *vel suum* loco *et tuum*. Mox cod. G post *omni* addit *eo*.

[11] Vat. cum aliquibus mss. *quia*, et cod I *in eo quod*.

[12] Ephes. 1, 14, ubi Vulgata *nostrae* loco *aeternae*. — Paulo ante cod. M post *autem* addit *proprie*.

[13] Supple: propriam, vel cum Vat. *possessionis*, quae et post *sed* cum aliquibus mss. et sex primis edd. adiungit *tantum*.

[14] Unus alterve cod. ut G, cum ed. 1 *noster*. Mox in multis mss. et ed. 1 omittitur *mea*.

meus vel *noster* de aliquo nisi secundum illud nomen, secundum quod dicitur *hoc esse huius; hoc autem esse huius* potest dici secundum triplicem habitudinem: aut *informationis*, ut albedo Petri; et hanc habitudinem important nomina, quae significant in abstractione: et quia nihil divinum comparatur ad nos secundum habitudinem informationis, ideo non potest dici de nominibus abstractivis [1] *noster:* ideo non dicitur deitas nostra nec aeternitas nostra.

Triplex habitodo.

Conclusio 2.

Potest etiam *secundo* dici *hoc esse huius* secundum habitudinem *causalitatis;* et hanc habitudinem important nomina, quae dicunt actum, ut creator; et quia hanc habitudinem omnino habent divina ad nos, pene [2] de omnibus talibus nominibus dicitur *nostrum.*

Conclusio 3.

Potest etiam *tertio* modo dici [3] *hoc esse huius* secundum habitudinem *correlationis;* et hanc habitudinem important nomina relativa. Sed haec sunt dupliciter: quia quaedam dicunt respectum personae ad *personam*, quaedam autem respectum ad *creaturam.* De his quae dicunt respectum ad personam, non dicitur *meus* vel *noster*. De his autem quae ad nos, ut dominus, magister, recte dicitur *noster*.

Subdistinctio.

Conclusio 4. et 5.

Dicendum ergo, quod *donabilitas* quantum ad *istum* [4] modum dicendi *nostrum* nihil facit, sicut probant rationes secundo inductae: sed hoc facit *respectus*, quia *spiritus* dicit respectum ad illum cui inspiratur, et hoc sumus nos; ideo dicitur *spiritus noster*. Similiter *Deus*, quia imponitur ab actu, quem habet circa nos, ut dicit Damascenus [5]; ideo dicitur *Deus noster*.

Epilogus.

Est ergo regula, quod de his dicitur *noster*, quae dicunt respectum ad nos secundum habitudinem *causalitatis* vel *correlationis;* et sic patent omnia obiecta.

Ad quaest. generalem.

SCHOLION.

I. Secundum titulum in principio positum quaestio esset tantum specialis de hac locutione, utrum Spiritus sanctus ratione donabilitatis dici possit Spiritus noster; sed in fine argumentorum ad opposit. ponitur quaestio *generalis*, nempe haec, cum quibus divinis nominibus possit coniungi possessivum *noster* vel *meus;* et fere tota responsio ad hanc generalem quaestionem pertinet. Acute distinguitur duplex modus, quo pronomina possessiva alicui possunt attribui, scil. vel mediante compositione sive copula (ut per verbum *est*, quin determinetur per aliquod adiunctum, v. g. liber est meus), vel sine copula v. g. amicus noster. In primo casu ratione *possessionis* divina possunt dici nostra, et quidem tum communia tum etiam propria, quae nobis speciali modo sunt data; quod maxime verificatur de tertia persona. Sic ratione donabilitatis propriissime dici potest: Spiritus sanctus est noster. In secundo casu ratio donabilitatis non est ad propositum, sive ut textus dicit: « Nihil facit, sicut probant rationes secundo inductae »; sed potius attendi debet, qualem habitudinem habeat ad nos *ipse terminus*, cui coniungitur possessivum. Haec habitudo ad *nos* secundum S. Doctorem potest esse triplex. Si haec habitudo est *causalitatis* vel *correlationis* (sub ultima intellige etiam rationem *finis*), tum possessivum illud recte his nominibus divinis uniri potest. Cum autem *spiritus* dicat respectum ad effectum spiritualem, nempe inspirationem, ideo non inepte dici potest *Spiritus noster*. Sed non bene dicitur: Spiritus *sanctus* noster; de quo cfr. Alex. Hal. et Richard. locis citt.

II. Idem docent Alex. Hal., S. p. I. q. 63. m. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 5; S. I. q. 36. a. 1. ad 3. — B. Albert., hic a. 10; S. p. I. tr. 8. q. 36. m. 2. partic. 3. 4. 5. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 6. — Ægid. R., hic 3. princ. q. unica. — Henr. Gand., S. a. 59. q. 5. n. 5. 17. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 3.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit, quod *relatio non apparet in hoc nomine spiritus.* Videtur enim dicere falsum, quia spiritus dicitur, quia spiratur: ergo refertur ad spirantem: ergo apparet in eo relatio. *Item*, videtur quod magis appareat quam in hoc nomine *donum*, quia « relativa dicuntur, quae hoc ipsum, quod sunt, aliorum sunt [6] »; sed spiritus eo quod spiritus, habet esse a spirante; donum vero non oportet quod habeat esse a donante: ergo non videtur in hoc tantum apparere relatio.

Respondeo: Dicendum, quod tam donum quam spiritus dicitur relative; sed tamen relatio magis apparet in hoc nomine *donum* quam in hoc

---

[1] Ed. 1 *abstractis;* Vat. contra mss. *abstractionis.* Mox post *aeternitas* plurimi codd. cum ed. 1 omittunt *nostra;* exstat tamen in codd. F H.

[2] Vat. praeter fidem mss. et edd. 1, 2, 3 *ideo bene* loco *pene.* Dein cod. R *causalibus* pro *talibus.*

[3] Ex aliquibus mss. ut G M Y supplevimus *dici.* Paulo infra ed. 1 *respectiva* loco *relativa.* Mox cod. X *duplicia* pro *dupliciter.*

[4] Scil. secundum principalem, quando nempe *nostrum* attribuitur nomini spiritus *immediate.* — Vat. contra mss. et ed. 1 *secundum* loco *istum;* plures codd. cum edd. 2, 3 *illum.* Mox cod. 1 *adductae* pro *inductae.*

[5] Libr. I. de Fide orthod. c. 9. Vide supra d. 2. dub. 3.

[6] Aristot., de Praedicam. c. de Relativis: Ad aliquid vero talia dicuntur, quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur. — Aliqui codd. ut V Y *aliorum dicuntur* loco *aliarum sunt.* Paulo ante in Vat. male deest *quam*, exstat autem in mss. et primis edd. Dein cod. dd post *appareat* adiungit verba certe supplenda *relatio in hoc nomine spiritus.*

nomine *spiritus*, quia donum semper dicit respectum ad dantem, spiritus autem [1] non, immo potest accipi absolute.

Alia solutio. Vel aliter dicendum, quod Augustinus non dicit, quod relatio non appareat in hoc nomine *spiritus*, sed quod non appareat in hoc nomine *spiritus sanctus*. Quamvis enim dicatur esse spiritus spiratoris, non tamen dicitur esse spiritus sanctus spiratoris.

Ad illud quod obiicitur, quod magis spiritus dicit habitudinem respicientem *esse* quam donum; dicendum, quod verum est in his quibus accidit esse [2] donum, sed in Spiritu sancto, qui ideo est, quia donum, non habet locum ista obiectio.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Filius nascendo accepit, ut sit ipsa substantia*. Videtur enim male dicere, quia in omni eo quod inest Filio per nativitatem, distinguitur Filius a Patre, quia nativitas est proprietas distinctiva: ergo si [3] Filius nascendo accepit, ut sit essentia vel substantia: ergo Pater in substantia distinguitur a Filio. *Item*, quod Filius nascendo accepit sive quod Filius est nascendo est natum: ergo substantia est nata, si Filius nascendo est substantia. Omne enim, quod nascendo accipitur [4], a nativitate habet ortum.

Solutio quorundam. Respondeo: Dicendum, quod aliqui *distinxerunt* istam locutionem: Filius nascendo est divina substantia sive Deus, quia gerundium [5] potest dicere *concomitantiam*, et sic simpliciter est vera; vel *causam*, et sic est [6] multiplex, quia cum dico: Filius est Deus sive divina substantia. tria dico, scilicet *subiectum*, *compositionem* et *praedicatum*. Potest ergo hoc gerundium *nascendo* dicere causalitatem respectu subiecti, vel respectu compositionis, vel respectu praedicati. Si respectu *subiecti*, tunc est sensus: Filius nascendo etc., scilicet [7] qui est Filius nascendo, vel qui nascendo habet, ut sit Filius, est Deus; et sic est vera. Si respectu *compositionis*, sic est sensus: Filius est Deus nascendo, id est, hoc praedicatum convenit subiecto per nativitatem; et sic adhuc locutio est vera. Si respectu *praedicati*, sic est sensus: Filius est Deus sive substantia divina nascendo, ita quod *nasci* sive nativitas sit principium sive origo Deitatis; et in hoc sensu est falsa.

Solutio Magistri probabilis. Magister tamen istam locutionem *non distinguit*, sed simpliciter concedit, et satis probabiliter, quoniam praedicta distinctio non videtur habere radicem [8]. Significatio gerundii. Cum enim gerundium natum sit determinare compositionem — quia omnino nihil est dicere: *homo nascendo* et huiusmodi — et cum compositio praedicati, sive essentiae sive omnium quae attribuuntur Filio, conveniant subiecto per nativitatem, locutio [9] habet veritatem. Nec valent obiectiones in contrarium adductae, quia nativitas non distinguit *illud* quod per nativitatem habetur sive quod est in nascente, sed *eum solum*, qui nascitur: et ideo non sequitur, quod substantia sit distincta, nec quod ipsa nascatur, quamvis per generationem habeatur [10].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Filius nativitate non est essentia*. Videtur falsum dicere, quia cum nascendo sit essentia, pari ratione videtur, quod nativitate; et hoc videtur per auctoritatem Hilarii in littera.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio ista est distinguenda: Filius nativitate est divina essentia; quia ablativus potest construi in ratione *formae*, vel in ratione *principii*. Si in ratione *formae*, sic est falsa, quia nativitas non est causa formalis respectu praedicati essentialis. Si in ratione *principii*, sic habet veritatem, quia omnia quae conveniunt Filio, conveniunt ei per nativitatis originem. Sed Magister, quia accipit *gerundium* [11] in ratione *principii*, ideo cum gerundio simpliciter concedit; et quia accipit *ablativum* in ratione *formae*, ideo cum ablativo simpliciter negat; magis enim iudicat secundum [12] usum loquendi quam secundum virtutem sermonis.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Neque per defectionem, aut protensionem, aut derivationem;* quomodo [13] differunt illa tria?

Solutio quorundam. Respondeo: Quidam dicunt sic, quod per *defectionem* producitur aliquid de materia per formae praeex-

---

[1] Multi codd. ut A F H K S T V X Y etc. cum ed. 1 addunt *sanctus*.

[2] Vat. cum cod. cc omittit *esse*, quae et mox falso *sed Spiritus sanctus, quia* pro *sed in Spiritu sancto, qui;* lectionem in textum receptam exhibent antiquiores codd. (uno alterove legente *quia* loco *qui*) cum ed. 1.

[3] In aliquibus mss. ut S X et ed. 1 minus apte omittitur *si*.

[4] Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 *accepit*, sed melior est lectio mss., quia generalior.

[5] Aliqui codd. hic, sed plures codd. cum ed. 1 infra bis *gerundivum* loco *gerundium*.

[6] Fide plurimorum mss. et ed. 1 supplevimus *est*.

[7] Vat. *id est*.

[8] Cod. K *rationem*. Paulo ante cod. Y *hanc* loco *istam*.

[9] Vat. cum cod. cc, aliis codd. et ed. 1 refragantibus, *ideo* pro *locutio*.

[10] Eandem difficultatem fere eodem modo solvunt B. Albert., hic a. 7. — S. Thom., hic q. 1. a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic q. 3. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 4. — Et breviter Alex. Hal., S. p. 1. q. 42. m. 3. a. 1. ad 8.

[11] Plures codd. cum ed. 1 hic et paulo infra *gerundivum*.

[12] In cod. N additur *communem*. Cod. O *Magister tamen potius*, et cod. X *Magister enim plus* loco *magis enim*. Mox pauci codd. ut X dd *veritatem* pro *virtutem*. — In solutione huius dubii consentiunt B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic in expos. lit.

[13] Multi codd. ut A S T V W X etc. *quo* pro *quomodo*.

istentis corruptionem, sicut ex grano frumenti herba; per *protensionem* producitur aliquid [1] per praeexistentis formae permanentiam et inductionem formae artificialis, sicut vas fit de argento; per *derivationem*[2], quod producitur per praeexistentis formae permanentiam sola locali mutatione, ut rivus ex fonte et lacus ex rivo.

Aliter potest dici, quod materiale principium, Alia solutio. ex quo res est, aut est materiale et transiens formaliter, et sic est defectio; aut est materiale et permanens, et sic est protensio; aut est materiale et permanens et agens, et sic est derivatio; et horum exempla sunt manifesta [3].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Aliud est quod accepimus, ut essemus, aliud, ut sancti essemus.* Videtur enim male dicere, quia sicut sine Spiritu Dei non possumus sancti esse, ita nec esse: ergo videtur, quod Spiritu sancto [4] non tantum accepimus, ut essemus sancti, sed etiam ut essemus.

Respondeo: Potest ad hoc dici, quod hoc dictum est per appropriationem. Quamvis enim a Spiritu sancto habeamus *esse* et *sanctum esse,* appropriate tamen habemus sanctum esse: ideo non sic accipi dicitur in nostri esse productione, sicut in sanctificatione.

Aliter tamen potest dici, quod, sicut *dare* ordinatur ad habendum, ita et *accipere;* et quia nullus habet [5] Spiritum sanctum, quantumcumque Spiritus sanctus operetur in eo, nisi qui potest eo frui, et omnis talis est sanctus: ideo Spiritus sanctus non dicitur, proprie loquendo, dari nec accipi nisi a Sanctis [6]. Alia solutio.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Tollam de spiritu tuo,* quia hoc non potest dici quantum ad *substantiam,* ergo quantum ad *effectum* sive gratiam: ergo videtur quod gratia transferatur ab uno in alium. *Si tu dicas,* hoc esse dictum per conformitatem; obiicitur, quod [7] pari ratione posset dici, quod tolleret de spiritu aliorum et daret Moysi.

Respondeo: Dicendum, quod illud intelligitur de spiritu quantum ad *effectum;* et haec praepositio *de* importat conformitatem simul [8] et partialitatem, sed non quantum ad partem *constituentem* secundum veritatem, sed secundum proportionem; quoniam effectus Spiritus sancti multo plus abundavit in Moyse quam in aliis, ut [9] quasi alii partem gratiae suae viderentur habere. Et dicitur *tollam* quantum ad sollicitudinem, quia dum dona Spiritus sancti aliis sunt communicata, sollicitudo Moysi est diminuta, et pars illius sollicitudinis est [10] aliis commissa.

DISTINCTIO XIX.

Pars I.

Cap. I.

De aequalitate trium personarum.

Nunc postquam coaeternitatem trium personarum pro modulo [1] facultatis nostrae insinuavimus, iam de earundem aequalitate aliquid eloqui superest. Fides enim catholica sicut coaeternas, ita et coaequales tres personas asserit. Aequalis est enim in omnibus Patri Filius, et Patri et Filio Spiritus sanctus; quia ut Augustinus in libro de Fide ad Petrum [2], breviter aperiens, quomodo intelligatur aequalitas, docet: «Nullus horum alium aut praecedit aeternitate aut excedit magnitudine aut superat potestate; quia nec Filio nec Spiritu sancto,

---

[1] In multis mss. et ed. 1 omittitur *aliquid.* Paulo infra cod. X *sicut nascitur de argento statua* loco *sicut vas fit de argento.*

[2] Supple: producitur aliquid.

[3] Haec verba Hilarii simili modo explicantur a B. Alberto, hic a. 9, et a S. Thoma, Petro et Richardo, hic in expos. lit. S. Thomas tamen verba *per protensionem* intelligit sic: quando producitur ex re manente coniuncta sibi, sicut ramus ex arbore.

[4] Ita codd. et ed. 1; cod. Y bene *a Spiritu sancto;* Vat. *Spiritum sanctum.*

[5] Cod. Y *accipit,* qui et paulo supra post *Aliter* omittit *tamen.* Mox cod. Z *habet* loco *potest.*

[6] Vat. *nisi Sanctis et a Sanctis.* — Plura de hoc vide supra d. 14. a. 2. q. 1. et 2.

[7] Aliqui codd. ut FGHZ etc. cum ed. 1 *quia.*

[8] Fide mss. et edd. 1, 2, 3 substituimus *simul* loco *similiter.* Paulo ante cod. Z cum ed. 1 post *importat* satis bene addit *ibi.* Mox post *partem* ponendo *constituentem* sequimur lectionem plurium mss. ut G H I L O ee ff et ed. 1, quae in se clarior est et confirmari videtur minus apta lectione multorum codd. *construentem,* cod. B *continentem;* Vat. habet *conferentem et continentem.* Explicationem sensus accipe ex Richardo, hic in expos. lit. dicente: Haec praepositio *de* non dicit ibi partitionem substantiae Spiritus sancti *vel gratiae, quae fuit in Moyse,* sed quod aliis daretur gratia Spiritus sancti in minori abundantia, ita quod haberent quasi rationem partis respectu abundantiae gratiae, quae erat in Moyse. Vel loquitur de ablatione quoad usum sollicitudinis, non quoad habitum. — Vide etiam S. Thomam et Petrum, hic in expos. lit.

[9] Vat. *ut quod alii quasi,* sed obstant fere omnes antiquiores codd. cum ed. 1.

[10] Ed. 1 omittit *est.*

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Ed. 1 *modico.*

[2] Cap. 1. n. 4; cfr. August., libr. VI. de Trinitate c. 5. n. 7. — Paulo supra ante *Augustinus* solummodo Vat. et ed. 1 omittunt *ut,* cui codd. et edd., exceptis Vat. et edd. 4, 6, 8, male addunt *ait.*

quantum ad naturae divinae unitatem pertinet, aut anterior aut maior est Pater nec Filius Spiritu sancto. Aeternum quippe et sine initio est, quod Filius de Patris natura exstitit; et aeternum ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de natura Patris Filiique procedit. Ob hoc ergo tres unum recte credimus et dicimus Deum, quia una prorsus aeternitas, una immensitas, una naturaliter trium personarum est divinitas». Ecce breviter assignavit Augustinus, in quo trium personarum consistat aequalitas, scilicet quia alia aliam non excellit aut aeternitate aut magnitudine aut potestate.

Cap. II.

Quod aeternitas et magnitudo et potentia in Deo unum est, etsi videantur esse diversa.

Cumque enumerentur ista quasi diversa, in Deo tamen unum et idem sunt, scilicet essentia divina simplex et incommutabilis. Unde Augustinus in libro septimo de Trinitate[1]: «Non alio magnus, alio Deus est, sed eo magnus, quo Deus; quia non aliud illi est magnum esse, aliud Deum esse. Eadem quippe eius magnitudo est, quae virtus, et eadem essentia, quae magnitudo». Pater ergo et Filius simul una essentia et una magnitudo. Ita etiam et potentia Dei essentia divina est. Unde Augustinus in septimo libro Confessionum[2]: «Voluntas et potentia Dei Deus ipse est». Aeternitas quoque Dei essentia divina est. Quod Augustinus ostendit super illum locum Psalmi[3]: *In generationem et generationem anni tui* dicens: «Est generatio generationum, quae non transit, collecta de omnibus generationibus, id est sanctis. In illa erunt anni Dei, qui non transeunt, id est aeternitas Dei. Non enim sunt aliud anni Dei, aliud ipse, sed anni Dei aeternitas Dei est. Aeternitas vero ipsa Dei substantia est, nihil habens mutabile». Inconcusse igitur teneamus, quod unum et idem est, scilicet essentia divina, Dei aeternitas, potentia, magnitudo; et tamen consuevit Scriptura haec et his similia quasi distincta[4] ponere. In his ergo verbis trium personarum aequalitatem breviter complexus est Augustinus. Quia alius alium nec aeternitate nec magnitudine nec potentia superat. Quod autem aeternitate aliqua trium personarum aliam non excedat, supra ostensum est[5], ubi coaeternitas trium personarum insinuata est.

Cap. III.

Quod aliqua personarum aliam non excedit magnitudine, quia non est maior una persona quam alia, nec maius aliquid duae quam una, nec tres quam duae vel una.

Nunc igitur superest ostendere, quod magnitudine vel potentia alius alium non excedat; et prius de magnitudine videamus. Sciendum est ergo, quia Pater non est maior Filio, nec Pater vel Filius maior Spiritu sancto, nec maius aliquid duae personae simul sunt quam una, nec tres simul maius aliquid quam duae, nec maior est essentia in tribus quam in duabus nec in duabus quam in una, quia tota est in singulis. Unde Ioannes Damascenus[6] ait: «Confitemur Deitatis naturam omnem perfecte esse in singula suarum hypostaseon, id est personarum: omnem in Patre, omnem in Filio, omnem in Spiritu sancto. Ideoque perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus sanctus».

Cap. IV.

Quo modo dicitur Pater esse in Filio et Filius in Patre et Spiritus sanctus in utroque.

Et inde est, quod Pater dicitur esse in Filio et Filius in Patre et Spiritus sanctus in utroque et singulus in singulis. Unde Augustinus in libro de Fide ad Petrum[7]: «Propter unitatem naturalem totus Pater in Filio et Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in Patre et Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est propter naturae divinae unitatem». Ecce hic aperit aliquatenus — non enim potest plene tantum ab homine reserari arcanum — ex qua intelligentia dicatur singula personarum tota esse in aliis. Unde etiam Hilarius ista interius perquirens in libro tertio de Trinitate[8] ait: «Affert plerisque obscuritatem sermo Domini, cum dicit: *Ego in Patre, et Pater in me est;* nec immerito. Natura enim intelligentiae humanae rationem dicti huius non capit, nec exemplum aliquod rebus divinis comparatio humana praestabit; sed quod inintelligibile[9] est homini, Deo esse possibile est. Cognoscendum itaque atque intelligendum est, quid sit illud: *Ego in Patre, et Pater in me est;* si tamen comprehendere hoc ita ut est valebimus, ut quod

[1] Cap. 1. n. 1.

[2] Cap. 4. n. 6. — Mox solummodo Vat. et ed. 4 male omittunt *ipse* post *Deus*.

[3] Psalm. 101, 25; Augustini Enarrat. serm. 2. n. 10. August. legit cum Septuag.: *In generatione generationum;* Magister vero iuxta Vulgatam; Vat. cum aliis edd., excepta 8, *in generatione.* — Mox Vat. et plures edd. omittunt *dicens,* contradicentibus omnibus codd. et edd. 1, 8. — Magister non verbotenus recitat Augustinum, cuius verba sunt: «Est quaedam generatio generationum; in illa erunt anni tui. Quae est ista? Est quaedam, et si bene agnoscamus, in illa erimus, et anni Dei in nobis erunt. Quomodo in nobis erunt? Quomodo ipse Deus in nobis erit; unde dictum est (1. Cor. 15, 28.), ut sit Deus omnia in omnibus. Non enim aliud anni Dei, et aliud ipse, sed anni Dei aeternitas Dei est; aeternitas ipsa Dei substantia est, quae nihil habet mutabile». — In texto Magistri ed. 1 pro *sanctis* legit *Spiritus sancti,* et edd. 2, 3, 5, 7, 9 *sancti.* Paulo post cud. AC *sunt* loco *erunt.*

[4] Vat. et aliae edd. contra edd. 1, 8 et cod. D perperam *distincte.*

[5] Dist. IX.

[6] De Fide ortodoxa, libr. III. c. 6. — Propositio praecedens quoad sensum et aliqua verba sumta sunt ex August. libr. VI. de Trinitate, c. 10. n. 12; vel etiam c. 8. n. 9.

[7] Cap. 1. n. 4.

[8] Num. 1. — Locus Scripturae est Ioan. 14, 11.

[9] Vat. cum ceteris edd. *non intelligibile,* contradicentibus codd. omnibus et originali. Mox post *Deo* Vat. cum edd., exceptis 1, 8, contra originale et codd. omittit *esse.*

natura rerum pati non posse aestimatur, id divinae veritatis ratio consequatur». «Patrem igitur in Filio et Filium in Patre esse, plenitudo in utroque divinitatis perfecta est[1]»; «quia plenitudo deitatis est in Filio. Quod in Patre est, hoc et in Filio est; quod in Ingenito est, hoc in Genito; alter ab altero et uterque unum»: «is scilicet qui est, nihil habens quod non sit etiam in eo, a quo est[2]»; «non duo unus, sed alius in alio, quia non aliud in utroque»; «ut unum in fide nostra sint uterque, non unus: nec eundem utrumque, nec aliud confitemur; quia Deum ex Deo natum nec eundem nativitas, nec aliud esse permittit[3]». «Eandem igitur in utroque et virtutis similitudinem et deitatis plenitudinem confitemur, quia Veritas dicit: *Ego in Patre, et Pater in me est.* Omnia enim Filius accepit a Patre[4]». «Nam si partem eiusdem, qui genuit, accepit, neuter ergo perfectus est: deest enim ei unde decessit, nec plenitudo in eo erit, qui ex portione constiterit. Neuter ergo perfectus est, si plenitudinem suam et qui genuit amittit, nec qui natus est consequitur[5]». «Fateamur ergo, quod Pater est in Filio et Filius in Patre, Deus in Deo», ut idem Hilarius ait in septimo libro de Trinitate[6], «non per duplicem convenientium generum coniunctionem, nec per insitivam capacioris substantiae naturam, sed per naturae unitam similitudinem, per nativitatem viventis naturae ex vivente natura; dum res non differt, dum naturam Dei non degenerat nativitas, dum non aliud aliquid ex Deo quam Deus nascitur, dum nihil in his novum est, nihil alienum, nihil separabile». Ecce his verbis, prout humana permittit infirmitas, intelligi potest[7], ex quo sensu Christus dixerit, se esse in Patre et Patrem in se. Ex eodem etiam sensu intelligitur Spiritus sanctus esse in utroque et singula personarum in singulis; quia scilicet in singulis est eadem plenitudo divinitatis et unita similitudo naturae; quia non est maior divina natura in aliqua harum personarum, sed unius et indifferentis naturae sunt hae tres personae. Ideoque altera in altera esse dicitur, ut praedictum est. Unde Ambrosius[8] praedictorum verborum sententiam nobis aperiens super Epistolam secundam ad Corinthios quinto ait: «Per hoc intelligitur Pater esse in Filio et Filius in Patre, quia una est eorum substantia. Ibi enim est unitas, ubi nulla est[9] diversitas». Ecce tribus illustrium virorum testimoniis, scilicet Augustini, Hilarii atque Ambrosii, in idem concurrentibus revelatione Spiritus sancti in eis loquentis pie credere volentibus ostenditur — tamen quasi *per speculum et in aenigmate*[10] — qualiter accipiendum sit, cum dicitur Pater in Filio esse vel Filius in Patre vel Spiritus sanctus in utroque.

Pars II.

Sed iam nunc ad propositum redeamus coeptoque insistamus ostendentes, quod magnitudine nulla trium personarum aliam superat, quia nulla maior aliis, nec maius aliquid sunt duae quam una, nec tres quam duae, nec maior Deus quam singuli eorum; quia singulus illorum perfectus est, nec est quo crescat illa perfectio[11].

Cap. V.

Quod nulla personarum pars est in Trinitate.

Nec est aliqua trium personarum pars Dei vel divinae essentiae, quia singula harum verus et plenus Deus est et tota et plena divina essentia est; et ideo nulla istarum in Trinitate pars est. Unde Augustinus in libro secundo contra Maximinum[12] haereticum sic ait: «Putas, Deum Patrem cum Filio et Spiritu sancto unum Deum esse non posse; times enim, ne Pater sit pars unius Dei, qui constet ex tribus. Noli hoc timere, nulla enim fit partium in deitatis unitate divisio. Unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, id est ipsa Trinitas unus est Deus. Ergo, inquis, Deus Pater est pars Dei; absit».

Cap. VI.

Quare tres personae dicantur summe unum.

«Tres enim personae sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, et hi tres, quia unius substantiae sunt,

---

[1] Ibid. n. 23; et quod sequitur n. 4; in quo textu Vat. et aliae edd. contra codd. et originale legunt *divinitatis* pro *deitatis*.

[2] Ibid. n. 23, et deinde n. 4; in quo textu cod. C post *non duo* adiicit *sunt*.

[3] Libr. I. n. 17.

[4] Libr. III. n. 23. — Locus Scripturae est Ioan. 14, 11.

[5] Libr. III. n. 8, in quo circa initium Vat. cum paucis edd. *decesset* pro *deest*, et paulo infra post *neuter ergo* edd. 1, 8 addunt *eorum*.

[6] Num. 39; sed verba: per naturae unitam similitudinem, sumta sunt ex n. 37. — In textu Vat. cum aliis edd. contra 1, 8 et codd. post *in Patre* addit *et*. Deinde Vat. et edd. 4, 6, 9 male legunt *insitam* pro *insitivam*. Denique post *viventis* auctoritate codd. ABE et edd. 1, 8 adiecimus *naturae*. Hilarius: viventis ex vivente naturae.

[7] Vat. et aliae edd., exceptis 1, 8, *aperitur* pro *intelligi potest* contra omnes codd.

[8] Vel potius *Ambrosiaster*, ut communiter citatur, qui, teste Augustino, est quidam *Hilarius*, non Pictaviensis, sed quidam diaconus Romanus, ut videtur, auctor Commentarii in XII Epistolas beati Pauli (in appendice Operum Ambrosii). Contra eundem S. Hieronymus in Dialogo seu altercatione contra Luciferianos n. 25. scripsisse fertur. — Locus Apostoli ab ipso explicatus est II. Cor. 5, 19. — Ante vocem *Ambrosius* edd. 1, 8 bene addunt *etiam*.

[9] Vat. et aliae edd., excepta 5, omittunt *est* contra omnes codd. et originale.

[10] I. Cor. 13, 12. — Paulo supra ante *concurrentibus* sola Vat. male legit *in eodem* pro *in idem*.

[11] Praecedentia quoad sensum et aliqua verba sumta sunt ex August. libr. VI. de Trinit. c. 8. n. 9, et c. 10. n. 12. — Vat. cum pluribus edd. post *singuli* et *singulus* habet bis *horum* loco *eorum* et *illorum*.

[12] Cap. 10. n. 1, et duo sequentes loci ibid. n. 2.

unum sunt et summe unum sunt, ubi nulla naturarum, nulla est diversitas voluntatum. Si enim *natura* unum essent, et *consensione*[1] non essent, non *summe* unum essent: si vero *natura* dispares essent, unum non essent. Hi ergo tres, quia[2] unum sunt propter ineffabilem coniunctionem Deitatis, qua ineffabiliter copulantur, unus Deus est». «Pars ergo Trinitatis esse non potest quicumque unus[3] in tribus. In Trinitate igitur, quae Deus est, et Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, et simul hi tres unus Deus; nec huius Trinitatis tertia pars est unus, nec maius aliquid duo quam unus est ibi, nec maius aliquid sunt omnes quam singuli, quia spiritualis, non corporalis est magnitudo. *Qui potest capere, capiat*[4]; qui autem non potest, credat et oret, ut quod credit intelligat. Verum est enim quod dicitur per Prophetam[5]: *Nisi credideritis, non intelligetis*». His verbis aperte ostendit indifferentem magnitudinem trium personarum. Item in eodem[6]: «Tu nempe dixisti, unum Deum non ex partibus esse compositum: et hoc de Patre tantum vis intelligi. Ille, inquis, virtus est ingenita, simplex. Et tamen in hac simplici virtute multa videris commemorare, cum dicis: Deus Deum genuit, bonus bonum genuit, sapiens sapientem, clemens clementem, potens potentem. Nunquid ergo bonitas et sapientia et clementia et potentia partes sunt unius virtutis, quam simplicem esse dixisti? Si dixeris, partes sunt: simplex ergo virtus ex partibus constat. Et simplex ista virtus, te definiente, unus est Deus: ergo Deum ex partibus compositum esse dicis. Non dico, inquis, non sunt ergo[7] partes. Si ergo in una persona Patris et illa invenis quae plura videntur, et partes non invenis, quia una virtus simplex est: quanto magis Pater et Filius et Spiritus sanctus et propter individuam deitatem unus Deus est et propter uniuscuiusque proprietatem tres personae sunt et propter singulorum perfectionem partes unius Dei non sunt! Virtus est Pater, virtus est Filius, virtus est Spiritus sanctus. Hoc verum dicis; sed quod virtutem de virtute genitam et virtutem de virtute procedentem non vis eandem habere naturam, hoc falsum dicis, hoc contra fidem rectam et catholicam dicis». His verbis aperte docetur, quod tres illae personae non sunt partes Dei vel divinae essentiae, nullaque illarum[8] Trinitatis pars dicenda est nec una maior aliis.

Cap. VII.

Cum dicimus, tres personas esse unam essentiam, nec ut genus de speciebus nec ut speciem de individuis praedicamus, quia non est essentia genus et persona species, vel essentia species et personae individua.

Hic adiiciendum est, quod tanta est aequalitas trium personarum atque indifferens magnitudo, quod cum dicamus, tres personas unam esse[9] essentiam vel substantiam, neque ut genus de speciebus, neque ut speciem de individuis praedicamus. Non enim essentia divina genus est et tres personae species, vel essentia divina species et tres personae individua. Quod Augustinus rationibus probabilibus atque irrefragabilibus aperte demonstrat in libro septimo de Trinitate[10] ita dicens: «Si essentia genus est, species autem persona, ut nonnulli sentiunt, oportet appellari tres substantias, ut appellantur tres personae; sicut cum sit animal genus et equus species, appellantur tres equi, iidemque tria animalia. Non enim species ibi pluraliter dicitur et genus singulariter, ut si diceretur, tres equi sunt unum animal; sed sicut tres equi speciali nomine, ita tria animalia generali nomine dicuntur». Cum ergo tres personas unam fateamur esse essentiam, non tres[11] essentias, cum tres equi tria animalia dicantur, non unum: patet, nomine essentiae non significari genus nec nomine personae speciem.

«Si vero dicunt, nomine personae non speciem significari, sed aliquid singulare atque individuum, et nomine essentiae speciem intelligi, ut persona non dicatur sicut *homo*, sed quomodo dicitur *hic homo*, velut Abraham, Isaac et Iacob vel quis alius, qui etiam digito praesens demonstrari possit; sic quoque illos eadem ratio confutabit. Sicut enim dicuntur Abraham, Isaac et Iacob tria individua, ita tres homines et tria animalia. Cur ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus, si secundum genus et speciem et individuum ista disserimus, non ita dicuntur tres essentiae, ut tres personae[12]»?

Alio quoque modo idem probat Augustinus, scilicet quod essentia divina non est genus, nec personae species, vel essentia non est species nec personae

---

[1] Vat. et edd. 4, 5, 6, 8, 9 addunt *unum*, contradicentibus aliis edd., codd. et originali. Paulo post cum originali, codd. et ed. 1 expunximus *summe* ante *non essent*.

[2] Edd. 1, 6, 8 et originale *qui*.

[3] Vat. et aliae edd., exceptis 1. 6, addunt *est* contra codd. et originale.

[4] Matth. 19, 12.

[5] Isai. 7, 9. iuxta lectionem Septuag. et Augustini. Vulgata: *Si non credideritis, non permanebitis.*

[6] Ibid. n. 3.

[7] Vat. et plures edd. omittunt *ergo* contra originale, codd. et edd. 1, 6. Mox Vat. et edd. 2, 3, 4, 5, 7, 9 *non inveneris* loco *non invenis*.

[8] Codd. BCDE *earum*, cod. A *harum*. Deinde in fine ante *aliis* solummodo Vat. et edd. 4, 9 non bene addunt *est*.

[9] Vat. et ed. 4 omittunt *esse*.

[10] Cap. 6. n. 11. — Vat. contra edd. 1, 8 et codd. omittit *ita* ante *dicens*. Verba vero Augustini sic leguntur in originali: «Nam si genus est essentia, species autem substantia sive persona, ut nonnulli sentiunt, omitto illud quod iam dixi, oportere appellari tres essentias, ut appellantur tres substantiae vel personae, sicut appellantur tres equi, eademque animalia tria, cum sit species equus, animal genus. Neque enim species ibi pluraliter dicta est et genus singulariter, tanquam diceretur tres equi, unum animal; sed sicut tres equi speciali nomine, ita tria animalia generali nomine».

[11] Vat. et edd. 4, 8, 9 hic male adiiciunt *esse*.

[12] Loc. cit. immediate post: in quo textu Vat. et plures edd. bis omittunt *et* post *Isaac*.

individua. «Una, inquit[1], essentia non habet species, sicut unum animal non habet species unius essentiae. Pater ergo et Filius et Spiritus sanctus non sunt tres species unius essentiae: divina ergo essentia genus non est. Sed nec species est essentia divina et personae individua, sicut homo species est, individua autem Abraham, Isaac et Iacob. Si enim essentia species est, ut homo, sicut unus homo non dicitur esse Abraham, Isaac et Iacob, ita non dicetur[2] una essentia esse tres personae. Non itaque secundum genus et species ista dicimus».

Cap. VIII.

Quod nec secundum materialem causam dicuntur tres personae una essentia.

Notandum etiam, quod essentia divina non est materia trium personarum, ut Augustinus in eodem libro[3] docet, «tanquam secundum communem eandemque materiam tres personae dicantur esse una essentia, sicut ex eodem auro si fierent tres statuae, diceremus tres statuas unum aurum. Non autem sic Trinitatem, id est tres personas, dicimus unam essentiam et unum Deum, tanquam ex una materia tria quaedam subsistant. In statuis enim aequalibus plus auri est tres simul quam singulae, et minus auri est una quam duae. In illa vero essentia Trinitatis nullo modo ita est». Non ergo secundum materialem causam tres personas unam dicimus esse[4] essentiam, sicut tres statuae dicuntur unum aurum.

Cap. IX.

Nec ita dicuntur tres personae una essentia, ut tres homines una natura vel unius naturae.

His quoque addendum est, quod tres personas non ita dicimus esse unam essentiam, ut Augustinus in eodem[5] ait, vel unius essentiae, «sicut dicimus, aliquos tres homines eiusdem sexus et eiusdem temperationis corporis eiusdemque animi unam esse naturam vel unius naturae. Nam in his rebus non tantum est unus homo, quantum tres homines simul, et plus aliquid sunt homines duo quam unus homo, sicut et in statuis esse diximus; at in Deo non est ita. Non enim maior essentia est Pater et Filius simul quam solus Pater vel solus Filius, sed tres simul illae personae aequales sunt singulis». Ex praemissis patet, quod tres personae dicuntur divina essentia nec secundum materialem causam, ut tres statuae unum aurum, nec secundum complexionis similitudinem, ut tres homines unius naturae, nec ut genus praedicatur de speciebus, vel ut species de individuis, id est continens de contentis, maius de minoribus.

His autem videntur adversari quae quidam sacrae Scripturae tractatores catholici in suis scriptis tradiderunt, in quibus significare videntur, quod essentia divina sit quoddam[6] commune et universale, velut species; tres vero personae sint tria particularia, tria individua numero differentia. Unde Ioannes Damascenus, inter Doctores Graecorum magnus, in libro, quem de Trinitate scripsit[7], quem et papa Eugenius transferri fecit, ait: «Communia et universalia praedicantur de subiectis sibi ipsis particularibus. Commune ergo substantia est, particulare vero hypostasis, id est persona. Particulare autem dicitur, non quod partem naturae habet, sed particulare numero, ut atomus, id est individuum. Numero enim et[8] non natura differre dicuntur hypostases». Item in eodem[9]: «Substantia significat communem et circumplectivam speciem homoideon, id est similium specie hypostaseon, id est personarum, ut puta Deus, homo; hypostasis autem individuum demonstrat, id est Patrem, Filium et Spiritum sanctum, Petrum, Paulum et huiusmodi». Ecce aperte dicit, substantiam esse universale, hypostasim vero particulare, et quod Deus est species, ut homo, et quod Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt individua, sicut Petrus et Paulus, eo quod numero differunt; quae praemissae sententiae Augustini penitus contradicere videntur. Quid ergo dicemus ad haec? Hoc utique dicere possumus atque debemus, quod ea quae Augustinus tradidit superius, sine omni haesitatione tenenda sunt.

Haec autem, quae hic dicuntur, licet in sermonis superficie aliquid a fide alienum resonare videantur, sane tamen intelligi queunt piumque lectorem atque

---

[1] Loc. cit. parum infra; sed ultimas propositiones Magister contraxit ex diffusiore Augustini doctrina. — Mox auctoritate omnium codd. et ed. 1 inseruimus *unius essentiae* post *animal non habet species.* Deinde solummodo Vat. et ed. 8 post *Pater ergo* omittunt *et.*

[2] Vat. cum pluribus edd. contra edd. 1, 3, 7, 8 et codd. BCE *dicitur;* codd. AD bene *diceretur.* In fine codd. CD *dicuntur* pro *dicimus.*

[3] Loc. cit. immediate post.

[4] Vat. et aliae edd., excepta 1, contra omnes codd. adiiciunt *substantiam vel.*

[5] Cap. 6. n. 11. — Prima propositio iam paulo ante relata est. In textu Vat. cum pluribus edd. contra edd. 1, 6, 8, codd. et originale omittit *et* ante *in statuis.*

[6] Cod. D cum Vat. et edd. 3, 4, 6, 8 *quiddam.* Paulo ante post *adversari* codd. AC non male addunt *ea.*

[7] Libr. III. de Fide orthodoxa c. 6, secundum versionem a Burgundione Pisano iussu Eugenii III. factam et a Ioanne Conon valde impugnatam, qua tamen antiqui Scholastici saec. 13. post Lombardum utebantur. Teste Fabricio (Biblioth. Graec. tom. 9.) nunquam typis impressa est. Subiicimus Damasceni verba iuxta versionem Mich. Lequien Ord. Praed. (ed. Migne Patrolog. Graec. tom. 94.): «Quae communia et universalia sunt de particularibus sibi subiectis praedicantur. Commune porro quoddam est essentia, ut species; particulare persona. Particulare, inquam, non quod naturae partem quandam sibi vindicet, sed quia numero particulare est, ut individuum. Personae siquidem non natura, sed numero inter se distingui dicuntur». — Vat. contra ed. 1 et codd. legit *Graecorum maximus* loco *Graecorum magnus.*

[8] Vat. et edd. 4, 6 omittunt *et*, et immediate post contra originale, codd. et edd. 1, 6, 8 Vat. cum aliis edd. *videntur* loco *dicuntur.*

[9] Cap. 4. — Ed. Migne: «Quod porro aliud sit substan-

intellectorem plurimum efflagitant. In quorum explanatione mallem silens alios audire, quam loquendo malevolis detrahendi occasionem praestare. Videtur[1] tamen mihi ita posse accipi. Cum ait: substantia est commune, et hypostasis est particulare; non ita haec accepit, cum de Deo dicantur, ut accipiuntur in philosophica disciplina, sed per similitudinem eorum quae a philosophis dicuntur, locutus est; ut sicut ibi *commune* vel universale dicitur quod praedicatur de pluribus, *particulare* vero vel individuum quod de uno solo; ita hic[2] essentia divina dicta est *universale*, quia de omnibus personis simul et de singulis separatim dicitur, *particulare* vero singula quaelibet personarum, quia nec de aliis communiter nec de aliqua aliarum singulariter praedicatur. Propter similitudinem ergo praedicationis substantiam Dei[3] dixit *universale*, et personas *particularia* vel individua. Propter hoc idem etiam eandem divinam essentiam dixit esse « speciem communem et circumplectivam similium specie personarum », quia sicut haec species *homo* de suis praedicatur individuis, velut de Petro, Paulo et aliis, nec isti specie differunt, sed conveniunt[4], ita *Deus* de tribus praedicatur personis, quae in divinitate non differunt, sed per omnia conveniunt. Hanc ergo similitudinem inter res sempiternas et res temporales perpendens Ioannes universalitatis et particularitatis nomina, quae rebus temporalibus proprie conveniunt, ad res aeternas transtulit; Augustinus vero, maiorem videns dissimilitudinem quam similitudinem inter res praedictas, ab excellentia Trinitatis praedicta nomina removit.

Cap. X.

Utrum tres personae differant numero, quae proprietatibus distinctae sunt.

Quod autem Ioannes dicit, hypostases differre numero, non natura, in eo quod non differre natura ait, verissime et sine scrupulo loquitur; quod vero dicit, differre numero, cavendum est, quomodo intelligatur; diversis enim modis dicuntur aliqua differre numero. (Quid sit differre numero.)

Dicuntur enim aliqua differre numero, quando ita differunt, ut hoc non sit illud nec aliquid, quod illud est vel in ipso est: qualiter differunt Socrates et Plato et huiusmodi, quae apud philosophos dicuntur individua vel particularia; iuxta quem modum non possunt dici tres personae differre numero. Dicuntur quoque differre numero quae in enumeratione sive computatione non sibi adiunguntur, sed a se invicem discernuntur, ut cum de aliquibus rebus loquentes dicimus *una*, *duae*, *tres;* et secundum hunc modum forte dixit Ioannes *hypostases*, id est personas, differre numero. Possumus enim dicere: Pater est unus, et Pater et Filius sunt duo, et Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres; et item: haec persona est una, et haec et illa sunt duae, et haec et illa et alia sunt tres. Convenientius tamen tres illae personae proprietatibus tantum distingui dicuntur, de quarum distinctione secundum proprietates in sequenti tractabitur[5]. Nunc vero ad inceptum redeamus, quae dicta sunt repetentes, ut saepius versando familiarius innotescant.

Cap. XI.

Quare tres personae simul non sunt maius aliquid quam una.

Sciendum est ergo, « tantam aequalitatem esse in Trinitate, ut ait Augustinus in octavo libro de Trinitate[6], ut non solum Pater non sit maior quam Filius, sed nec Pater et Filius simul maius aliquid sint quam Spiritus sanctus, aut quaelibet persona minus aliquid sit quam ipsa Trinitas ». Quod autem ita sit, aliquo modo, si fieri potest, demonstrandum est. « Quantum ergo ipse Creator adiuvat, attendamus, inquit Augustinus in eodem[7], quomodo in hac Trinitate duae vel tres personae non sunt maius aliquid quam una earum ».

« Quod ibi magnum dicitur, aliunde magnum non est quam eo, quo vere est; quia ibi magnitudo ipsa veritas est et veritas essentia; non ergo ibi maius est quod verius non est. Non autem verius est Pater et Filius simul quam Pater solus vel Filius. Non ergo maius[8] aliquid uterque simul quam singulus eorum. Et quia aeque vere est etiam Spiritus sanctus, ideo Pater et Filius simul non sunt aliquid maius quam ipse, quia nec verius sunt. Item in essentia veritatis hoc est *verum esse*, quod est *esse*, et hoc est *esse*, quod est *magnum esse:* hoc est ergo *magnum esse* quod *verum esse*. Quod igitur ibi aeque verum est, et aeque magnum est. Quod ergo ibi plus veritatis non habet, non habet plus magnitudinis. Plus autem veritatis non habet quod verius non est. Non est autem verius una persona quam alia, vel duae quam una, vel tres simul quam singula. Non ergo plus veritatis habet una quam alia, vel duae quam una, vel tres simul quam singula. Sic ergo et ipsa Trinitas non est maius aliquid quam unaquaeque ibi persona, sed tam magnum quam singula. Non enim ibi maior est quae verior non est, ubi ipsa veritas est magnitudo[9] ». Ecce modo convenienti et ratione catholica ostensum (Ratio affertur.)

---

tia et aliud hypostasis, multoties a nobis dictum est, quodque substantia sive essentia communem speciem eiusdemque speciei personas (ὁμοειδῶν ὑποστασέων) complectentem significet, ut Deus, homo; persona autem ac hypostasis individuum denotet, puta Patrem, Filium et Spiritum sanctum, Petrum, Paulum ».

[1] Sola Vat. *videntur ;* et paulo infra *accipit* pro *accepit* et *dicuntur* pro *dicantur*.

[2] Vat. et edd. 4, 8 contra alias edd. et codd. *haec*.

[3] Codd. et edd. 1, 8 omittunt *Dei,* sed minus bene. Mox sola Vat. post *hoc idem* omittit *etiam*.

[4] Vat. et edd. 4, 5, 6, 9 contra alias edd. et codd. addunt *per omnia*.

[5] Dist. XXVI.

[6] Prooem. n. 1. — Mox post *aliquid* Vat. et plures edd. cum cod. D contra ceteros codd. et originale non bene *sunt* pro *sint*.

[7] Ibid. et in principio cap. 1. n. 2.

[8] Vat. cum plerisque edd. contra 1, 2 et originale addunt *est,* quod edd. 3, 7 melius transpununt legendo: *Non est ergo maius.* Immediate post codd. B C E ed edd. 2, 3, 7 cum originali habent *utrumque* loco *uterque*.

[9] Quae praecedunt, leguntur ibid. c. 1. n. 2, sed non paucis a Magistro omissis, transpositis et mutatis.

est, quomodo indifferens sit magnitudo trium personarum, quia nec una maior est alia, nec duae maius aliquid quam una [1], nec tres simul maius aliquid quam singula.

CAP. XII.

Quod Deus non est dicendus triplex, sed trinus.

Praeterea cum Deus dicatur trinus, non tamen debet dici triplex. Ibi enim non est tripticitas, ubi summa est unitas et indifferens aequalitas. Unde Augustinus in libro sexto de Trinitate [2] ait: «Non, quoniam Deus Trinitas est, ideo triplex putandus est: alioquin minor esset Pater solus, vel Filius solus, quam simul Pater et Filius». «Cum itaque tantus est Pater solus vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater et Filius et Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus est Deus. Non enim Pater cum Filio et Spiritu sancto maior Deus est quam singuli eorum, quia non est quo crescat illa perfectio. Perfectus autem est et Pater et Filius et Spiritus sanctus, et perfectus dicitur Deus singulus eorum. Et ideo Trinitas potius quam triplex dici debet».

«In rebus corporeis non tantum est una, quantum tres simul, et plus sunt duae quam una res; in Trinitate vero summa tantum est una persona, quantum tres simul, et tantum sunt duae, quantum una, et in se infinitae sunt [3]», quia *non est finis magnitudinis* earum. Ac per hoc aperitur quod supra diximus [4], scilicet quomodo et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum in omnibus est, et unum omnia. Ecce iam ostendimus sufficienter, qualiter in Trinitate aliqua persona aliam non superet magnitudine.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIX.

De aequalitate trium personarum in Deo, in specie quoad magnitudinem.

PARS I.

De aequalitate per essentiae unitatem probata.

Nunc postquam coaeternitatem trium personarum etc.

DIVISIO TEXTUS.

Terminatis duabus partibus, in quibus Magister egit de his quae pertinent ad essentiae unitatem et personarum pluralitatem singillatim, hic incipit tertia pars, in qua determinat personarum aequalitatem, quae simul respicit [1] pluralitatem et unitatem. Et haec pars habet tres partes. In *prima* proponit, in quibus consistat aequalitas. In *secunda* probat specialiter, ibi: *Nunc superest ostendere, quomodo* etc. In *tertia,* quia in probando propositiones dubias dixerat, in quibus dictio exclusiva generat ambiguitatem, ideo determinat, qualiter dictiones *exclusivae* accipiantur in divinis, infra distinctione vigesima prima: *Hic oritur quaestio ex praedictis trahens originem.*

Prima pars [2], in qua proponit ea, in quibus aequalitas consistit, habet duas partes. In prima parte proponit, quod consistit in his tribus: aeternitate, magnitudine et potestate. In secunda, ne crederentur haec tria diversa, ostendit, quod haec sunt idem in Deo, secundo capitulo [3]: *Cumque enumerentur ista quasi diversa* etc.

Nunc superest ostendere, quod magnitudine. Haec est [4] *secunda* pars, in qua probat aequalitatem, et dividitur haec pars in duas. Supposito enim, quod in divinis sit aequalitas quantum ad aeternitatem, ostendit *primo* aequalitatem quantum ad magnitudinem; *secundo* quantum ad potestatem, infra distinctione vigesima: *Nunc ostendere restat, quomodo ali-*

---

[1] Codd. ACD et edd. 1, 2, 3, 7 *nec duae una,* codd. BE *nec duae quam una.*

[2] Cap. 7. n. 9. — Sequens locus est ibid. c. 8.

[3] Ibid. cap. 10. n. 12. — Locus Scripturae est: Psalm. 144, 3.

[4] Cap. 3, 4 in fine et 11. — Vat. cum pluribus edd. contra codd. *superius dictum est* loco *supra diximus;* item Vat. cum cod. C et aliis edd., excepta 1., omittit *scilicet;* denique post *quomodo* omittit *et* contra codd. ABCE et edd. 1, 8.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Vat. cum cod. cc, aliis codd. et ed. 1 obnitentibus, *recipit.* Mox post *partes* Vat. addit *principales.*

[2] In Vat. additur *principalis.*

[3] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *secundo capitulo.* Paulo ante aliqui codd. ut aa bb cum ed. 1 post *sunt* adiungunt *unum et.*

[4] Vat., omissis verbis Magistri *Nunc superest* etc., loco *Haec est* ponit *Similiter,* deinde ob mutatam constructionem omittit particulam *et* ac *haec pars.*

qua etc. *Prima* iterum pars habet duas. In prima[1] probat aequalitatem magnitudinis per essentiae unitatem. Secundo probat aequalitatem, excludendo omnem[2] inaequalitatem, ibi: *Sed iam nunc ad propositum redeamus.* Prima pars, in qua probat personarum aequalitatem quantum ad magnitudinem, habet duas. In prima probat per essentiae indivisionem[3]; in secunda per illam eandem ostendit, esse in personis circumincessionem, ibi: *Et inde est, quod Pater dicitur esse in Filio.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum in divinis sit ponere aequalitatem.

Secundo, dato quod sic, utrum sit ibi summa aequalitas.

Tertio, utrum in divinis sit aequalitas cum conversione.

Quarto, utrum sit ibi aequalitas cum circumincessione.

ARTICULUS UNICUS.

De divinarum personarum aequalitate et eius proprietatibus.

QUAESTIO I.

Utrum in divinis ponenda sit aequalitas.

Circa primum, quod sit ibi aequalitas, ostenditur:

1. Primo per illud quod dicitur in Symbolo[4]: Fundamenta. « Totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales ».

2. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione* sic: omnis multitudo reducitur ad unitatem[5], ergo omnis inaequalitas ad aequalitatem; sed unitas, a qua est omnis multitudo, est unitas increata: ergo et aequalitas, ad quam reducitur omnis inaequalitas, est aequalitas increata: ergo etc.

3. Item, omne quod perfectionis est, transferendum est ad divina: sed aequalitas est perfectionis in creatura: ergo etc.

4. Item, unum in substantia facit identitatem, unum in quantitate aequalitatem, unum in qualitate facit similitudinem[6]; sed in divinis non tantum est unitas in substantia, sed etiam in quantitate, alioquin non esset ibi perfecta unitas: ergo non tantum est ibi identitas substantiae, sed et[7] aequalitas.

Contra: 1. Ubi aequalitas, ibi divisibilitas, quia simplex simplici non aequatur; sed in divinis non est ponere divisibilitatem: ergo nec aequalitatem. Ad oppositum.

2. Item, ubi aequalitas, ibi quantitas, quia « proprium est quantitatis, secundum eam aequale vel inaequale dici[8] »; sed in divinis non est ponere quantitatem, quia secundum Augustinum[9] « Deus est magnus sine quantitate »: ergo etc.

3. Item, ubi aequalitas, ibi finitas, quia ibi est commensuratio[10], ergo mensura et finitas; sed in divinis est infinitas: ergo etc.

4. Item, ubi aequalitas, ibi diversitas, quoniam nihil est sibi aequale; sed in divinis est omnimoda unitas: ergo non est ibi aequalitas.

CONCLUSIO.

Ponenda est in divinis aequalitas, quae consequitur quantitatem virtutis.

Respondeo: Dicendum, quod aequalitas ponitur Conclusio. in divinis, secundum quod dicitur in Symbolo, et dicit Augustinus[11].

---

[1] Nonnulli codd. ut aa bb adiiciunt satis bene *parte*.
[2] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 adiecimus *omnem*.
[3] Vat. absque auctoritate mss. et ed. 1 addit *sive unitatem*.
[4] Athanasiano.
[5] Vide Dionys., de Div. Nom. c. 5. et 13; Boeth., de Arithmetica, ubi diversimode haec propositio occurrit. Boeth. loc. cit. praesertim II. c. 1. etiam ostendit, omnem numerorum inaequalitatem reduci ad aequalitatem.
[6] Aristot., de Praedicam. c. de Quantitate et Qualitate, et V. Metaph. text. 15. (16.) et 20. (IV. c. 9. et 15.): Eadem enim sunt quorum substantia una; similia vero quorum qualitas una; aequalia autem quorum quantitas una.
[7] Multi codd. ut AFGHKVWX etc. cum ed. 1 minus bene omittunt *et*.
[8] Aristot., de Praedicam. c. de Quantitate. — Paulo ante in pluribus antiquis mss. ut ACRSTVY et ed. 1 perperam *sed* loco *quia*.
[9] Libr. V. de Trin. c. 1. n. 2, in quo textu fide antiquiorum mss. et ed. 1 supplevimus *est*.
[10] B. Albert. et Richard. a Med., hic a. 1, probant hoc per definitionem ex Geometria (Euclidis) sumtam et infra d. 31. p. I. q. 1. arg. 2. ad opp. citatam: Aequale est, quod alteri suppositum non excedit nec exceditur. — Mox Vat., fere omnibus mss. et edd. 1, 2, 3 repugnantibus, *ergo ubi est mensura, ibi est finitas*, quo posito processus argumentationis tollitur.
[11] Vide hic lit. Magistri, in qua dicta Augustini allegantur.

Et ad hoc intelligendum notandum [1], quod aequale et inaequale est propria passio consequens quantitatem. Quantitas autem dicitur dupliciter: *proprie*, scilicet quantitas molis, et *translative*, quantitas virtutis. Et quia illa [2] est propria passio quantitatis, consequitur utramque quantitatem; ubi ergo est ponere quantitatem virtutis, ibi est ponere aequalitatem vel inaequalitatem. Haec autem quantitas virtutis ponitur in spiritualibus et summe reperitur in divinis, quia haec quantitas non repugnat simplicitati, sed consonat; similiter nec aequalitas consequens istam quantitatem. Et quia altera pars contradictionis completior attribuenda est Deo, et aequalitas praeit inaequalitatem: ideo ponenda est aequalitas in divinis; et concedendae sunt rationes ad hoc.

Aequalitas est duplex ut quantitas.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod, ubi aequalitas, ibi divisibilitas; dicendum, quod verum est de aequalitate, quae consequitur quantitatem molis.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod secundo obiicitur: ubi aequalitas, ibi quantitas; dicendum, quod verum est vel [3] secundum genus, vel secundum speciem; et quamvis nomen *quantitatis* non transferatur, transfertur tamem nomen *speciei*, ut magnitudo [4].

3. Ad illud quod obiicitur: ubi aequalitas, ibi finitas; dicendum, quod aequalitas in creaturis duo importat, scilicet *conterminationem* [5] et *excessus privationem;* primum est incompletionis ratione limitationis, secundum perfectionis; ideo transfertur ratione secundi, non primi.

Aequalitas importat duo.

Posset tamen dici, quod infinitum, quod est incomprehensibile, secundum veritatem est ab infinito comprehensibile, et ideo commensurabile infinito et est *sibi* finitum [6]. Et ex hoc non sequitur: est commensurabile infinito, ergo finitum; immo magis infinitum; et [7] est ibi *quid* et *simpliciter*.

Alia solutio.

4. Ad illud quod obiicitur: ubi aequalitas, ibi diversitas; dicendum, quod est diversitas *suppositorum* et diversitas *formae* [8]. Ad aequalitatem et similitudinem requiritur diversitas *suppositorum,* non autem *formae* diversitas, sed unitas. Quod autem consequitur in inferioribus ad diversitatem suppositorum numeratio formae vel quantitatis, hoc est imperfectionis; et ideo totum, quod est perfectionis, transfertur in Deum. Non tamen est in suppositis proprie loquendo *diversitas,* sed *distinctio* [9].

SCHOLION.

I. Ex sententia communi hae tres communes relationes *identitatis, aequalitatis* et *similitudinis* correspondent his tribus generibus: *substantiae*, *quantitati* et *qualitati.* Hanc doctrinam explicat Alex. Hal. (loc. infra cit.): «In his inferioribus ex unitate in substantia causatur identitas, ex unitate in quantitate aequalitas, ex unitate in qualitate similitudo, unde identitas, aequalitas, similitudo dicunt relationes fundatas super tria predicamenta. Iuxta istam similitudinem, quoniam est significare divinam substantiam ut *essentiam* et ut *quantam* et ut *qualem,* est ponere in divinis identitatem, aequalitatem et similitudinem. Sed quantitas in divinis transit in genus substantiae, et qualitas similiter, quia in divinis non est ponere nisi duo genera, scil. *substantiae* et *ad aliquid.* Aequalitas et similitudo dicunt relationes ut fundatas in substantia». Insuper, sicut est duplex quantitas, propria scilicet sive quantitas *molis,* et impropria sive quantitas *virtutis* vel perfectionis (cfr. S. Thom., S. I. q. 42. a. 1. ad. 1.), ita etiam duplex distinguitur aequalitas, «quatenus consequitur utramque quantitatem». Et sicut quantitas virtutis (quam S. Augustinus maluit nominare nomine magnitudinis, quam nomine quantitatis, ne insipientes accipiant occasionem errandi, existimando in Deo esse quantitatem molis orbem replentem) nobilior est quantitate molis, ita nobilior est aequalitas fundata super quantitatem virtutis, quam quae fundatur super quantitatem molis. Dici etiam potest, quod altera est aequalitas *proprie* dicta, altera vero *improprie.* Aequalitas *proprie* sumta est quaedam relatio praedicamentalis, fundata super unitate, quam res habent in genere quantitatis. Aequalitas vero *large* sumta est relatio extra genus quantitatis et potest fundari in quolibet ente, tam finito quam infinito, quatenus habet certum gradum in entibus. De Deo autem, qui est extra omne genus, relationes identitatis, aequalitatis et similitudinis praedicantur tantum in sensu transcendentali.

---

[1] Unus alterque codex ut G cum ed. 1 praemittit verbum *est.*

[2] Referas *illa* ad paulo supra posita *aequale et inaequale,* vel potius subintellige: aequalitas vel inaequalitas; cum quo concordat lectio cod. X, qui mox post *quantitatis* addit *scilicet aequalitas vel inaequalitas, ideo;* lectio autem Vat. et cod. cc, in qua verbo *consequitur* praefigitur *aequalitas,* incompleta est et contra antiquiores codd. nec non contra ed. 1.

[3] Supplevimus ex mss. et ed. 1 particulam *vel.*

[4] Cfr. supra d. 8. p. II. dub. 4.

[5] Codd. aa bb addunt *vel commensurationem.*

[6] Exhibemus lectionem maioris partis codd. ut AGHILO PQSTVY etc. et ed. 1, dum ceteri codd. cum edd. 2, 3 loco *sibi* ponunt *ibi,* vel falso *infinitum* pro *finitum;* Vat. autem omittit *et est sibi finitum.*

[7] Vat. male et praeter fidem mss. et sex primarum edd. omittit *et.* Mox cod. X loco *quid* habet magis distincte *secundum quid;* complete diceretur: et est ibi fallacia secundum quid et simpliciter (cfr. Aristot., I. Elench. c. 4. 5.); fit siquidem transitus a finito sub aliquo respectu ad finitum simpliciter. Nam licet infinitum obiectum ab infinito intellectu comprehendatur eique sit commensurabile, propter hoc tamen dici non potest, ipsum esse finitum simpliciter, sed tantum secundum quid; quia potentiae in ratione intelligendi infinitae respondet solummodo obiectum infinitum in ratione intelligibilis.

[8] Praeter lectionem in textum receptam reperiuntur in mss. variae lectiones; cod. K post verba *dicendum quod* addit *verum est ubi;* dein plures codd. ut ACRSUW falso: *ibi aequalitas suppositorum* loco *diversitas suppositorum,* cod. T vero primitus *dicendum, quod est ibi aequalitas suppositorum et unitas formae,* sed postea mutatum in *dicendum, quod est inaequalitas suppositorum et diversitas formae.* Lectio primitiva codicis T non est spernenda. Mox cod. K post *aequalitatem* addit *autem*, et post *similitudinem* adiungit *in divinis.*

[9] Vide supra d. 4. q. 2. et dubia circa litteram; item Alex. Hal., S. p. I. q. 65. m. 1.

II. Quoad solut. ad 2. et assertionem ibi positam, quod « quamvis nomen quantitatis non transferatur, transfertur tamen nomen speciei », cfr. supra d. 8. p. II. dub. 4. — Quoad verba in solut. ad 4, quod « non est in divinis suppositis proprie loquendo diversitas, sed distinctio », cfr. infra d. 24. dub. 1. Magis explicatur haec solutio ab Alex. Hal. (loc. cit. ad 2.) his verbis: « Aequalitas in his inferioribus est inter diversa essentialiter; nam in istis inferioribus diversitatem suppositorum sequitur diversitas essentiae in suppositis; non sic est in divinis, ubi diversitatem suppositorum concomitatur identitas essentiae; propter quod in divinis non est ponere diversitatem, sed distinctionem, sicut dicit Ambrosius. Unde aequalitas in divinis personis non requirit diversitatem, sed distinctionem; distinctio enim non tollit unitatem, sive identitatem; unde licet in divinis sit summa identitas, quia illam concomitatur distinctio, huiusmodi identitas non tollit aequalitatem ».

III. Plura de aequalitate vide infra d. 31. a. 1. q. 1. 2. 3. — Alex. Hal., S. p. I. q. 47. m. 4. — Scot., de hac et duabus seqq. in utroque scripto hic q. 4. — S. Thom., hic q. 4. a. 4, et d. 24. q. 2. a. 1; S. 1. q. 42. a. 1. — B. Albert., hic a. 4; S. p. I. tr. 11. q. 47. m. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 4. — Henr. Gand., S. a. 70. q. 1. — Durand., de hac et duab. seqq. hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et duab. seqq. hic q. 1. — Biel, hic q. 1. a. 1.

QUAESTIO II.

Utrum in divinis sit summa aequalitas.

Secundo quaeritur, utrum in divinis sit summa aequalitas. Et quod sic, videtur hoc modo.

Fundamenta. 1. Sicut dicitur ab Augustino in libro de Fide ad Petrum [1], « non dicitur aliquis maior alio, nisi aut quia praecedit aetate, aut quia excedit magnitudine, aut quia superat potestate »: sed nihil horum est in divinis, ut probat Augustinus et Magister [2]: ergo nihil est ibi inaequalitatis: ergo est ibi summa aequalitas.

2. Item, non potest maior aequalitas cogitari [3], quam ubi unum aequatur uni et unum pluribus et unum omnibus; sed in divinis tantus est Filius, quantus est Pater, et tantus Filius, quantus Pater et Spiritus sanctus, et tantus etiam [4], quantus omnes tres: ergo etc.

3. Item, unitas in quantitate, sicut dictum est [5], facit aequalitatem: ergo ubi summa unitas, ibi summa aequalitas; sed hoc est in divinis: ergo etc.

4. Item, status non est nisi in summo; sed status est in illa aequalitate per reductionem omnium ad ipsam: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Augustinus in libro octoginta trium Quaestionum [6]: « Si omnia essent aequalia, non essent omnia »: ergo omnimoda aequalitas tollit perfectionem [7]. Si ergo nihil ponendum in Deo, quod repugnat perfectioni, in divinis personis non est omnimoda aequalitas.

2. Item, maior est aequalitas, quae attenditur secundum quantitatem continuam et discretam, quam [8] secundum continuam tantum [9]; sed in divinis non est aequalitas secundum quantitatem discretam, quia ibi est trinitas et ita imparilitas: ergo in divinis non est omnimoda aequalitas.

3. Item, maior est aequalitas, quae attenditur secundum potentiam et sapientiam et bonitatem, quam quae [10] secundum sapientiam et potentiam tantum; sed in divinis non est aequalitas secundum bonitatem: ergo non est ibi summa aequalitas. Probatio *minoris:* bonum est diffusivum sui [11]; sed magis diffundit se Filius quam Spiritus sanctus, quia producit sibi aequalem, et etiam Pater quam Filius: ergo etc.

Quaestiones incidentes. Quaeritur ergo, quare Augustinus non ostendit aequalitatem in [12] sapientia et bonitate? et iterum, quare non ex parte loci, sicut magnitudinis et etiam aliarum differentiarum quantitatis? Quod cum non faciat, non videtur assignare omnimodam aequalitatem, sed solum in parte [13]; aut si omnimodam ostendit, insufficienter procedit.

CONCLUSIO.

Summa est divinarum personarum aequalitas in aeternitate quoad originem, in magnitudine quoad omnia quae habent in se, in potentia quoad effectus.

Conclusio I. Respondeo: Dicendum, quod in divinis est summa aequalitas, et summa etiam assignatur ab Augu-

[1] Cap. 1. n. 4, ubi haec propositio ad Trinitatem applicata, non ut generalis, sicut hic exhibetur, invenitur. Vide lit. Magistri, c. 1.

[2] Hic c. 1. seqq., in quibus etiam Augustini probationes reperies.

[3] Vat. cum cod. cc *excogitari*. Mox cod. W *si* loco *ubi*.

[4] Codd. non consentiunt inter se; maior eorum pars cum ed. 1 exhibet lectionem in textum receptam, alii ut VZ aa bb ff adiungunt *unus*, alii cum Vat. repetunt *Filius*. Vide hic lit. Magistri, c. 11.

[5] In quarto fundam. praeced. q. — Paulo infra cod. Y *haec* pro *hoc*.

[6] Quaest. 41: Quia non essent omnia, si essent aequalia.

[7] Fide plurimorum mss. et ed. 1 expunximus hic male additum *in divinis*, sicut et paulo infra post *nihil* adiunctum *est;* deinde substituimus *repugnat* loco *repugnet*, nec non adiecimus *personis* ac consequenter delevimus ut superfluum *ibi* post *non est*.

[8] In cod. bb additur bene *quae*.

[9] Quantitas *continua* est cuius partes copulantur ad eundem terminum communem, seu cuius partes sunt unitae; *discreta* vero cuius partes sunt ab invicem disiunctae v. g. numerus. Cfr. Aristot., de Praedicam. c. de Quantitate.

[10] In multis mss. ut AFHITWXVZ ee ff et ed. 1 deest *quae*.

[11] Haec propositio colligitur ex Dionys. libr. de Caelest. Hierach. c. 4. § 1. seq., et de Div. Nom. c. 4. § 1. seqq., ubi dicit, proprium esse divinae bonitati se aliis communicare.

[12] Codd. HM addunt *potentia*.

[13] Auctoritate plurium mss. ut GHILOYZ ff substituimus *parte* pro *partem*.

stino. quoniam [1] sufficienter ostenditur remotio omnis inaequalitatis per illa tria, quae sunt *aeternitas*, *magnitudo* et *potentia*.

Horum trium distinctio et sufficientia ab aliquibus accipitur [2] sic. Quia enim in divinis non est extensio molis nec aggregatio multitudinis, ideo non est ibi quantitas continua intrinseca [3] nec discreta, sed loco eius est quantitas virtutis, quae tangitur per hoc membrum, quod est *potentia*. Quia vero Deus suo ambitu complectitur omnem durationem, ideo est ibi quantitas *aeternitatis* correspondens tempori. Quia vero ambitu suae immensitatis complectitur omnem locum et locatum, ideo est ibi quantitas *magnitudinis* correspondens loco. Et sic patet [4], cum non sit aliam quantitatem accipere ibi, quod sufficienter in illis ostenditur aequalitas et consistit.

Explicatio quorundam.

Sed haec distinctio non est conveniens, tum quia non est in Deo nisi [5] quantitas virtutis; et ita non deberet ibi esse nisi unum membrum, nec debet illa distingui contra alias; tum etiam, quia magnitudo in divinis non tantum attenditur quantum ad ambitum localitatis, sed etiam quantum ad intensionem bonitatis. Unde dicitur in sexto libro de Trinitate [6], quod in « spiritualibus idem est maius et melius ». Et propter hoc quantitas virtutis non tantum attenditur in operatione, sed etiam in re [7] considerata in omnimoda absolutione.

Non probatur.

Ideo possumus aliter horum trium distinctionem et sufficientiam assignare. In omni quod est, contingit hanc triplicem considerationem habere. Potest enim aliquid considerari in comparatione ad suam *originem* sive a parte ante; et sic unum maius est altero, quando origo eius est prior; et contra hoc est aequalitas *aeternitatis*. Potest iterum considerari *in se*; et sic dicitur unum altero maius, quia maioris extensionis, vel quia maioris valoris. Contra hanc [8] est in Deo aequalitas *magnitudinis*, ut haec aequalitas non tantum dicatur per comparationem ad localitatem, sed etiam ad sapientiam et bonitatem et ad omne quod facit alterum altero dici maius, quia [9] melius. Unde Augustinus et Magister in hac distinctione probant aequalitatem magnitudinis per aequalitatem virtutis sive in virtute. Potest etiam tertio considerari per comparationem ad *effectum*; et sic dicitur maius, quia potentius; et contra hoc est aequalitas *potentiae*. Quoniam igitur rem [10] non contingit pluribus modis considerari, si est aequalitas in istis, summa est; et cum ostenditur in istis, summa ostenditur, et perfecta inductione proceditur.

Explicatio auctoris. Triplex rei consideratio.

Patet quaestio incid.

Et sic patet illud [11] quod ultimo quaerebatur.

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod aequalitas repugnat perfectioni; dicendum, quod verum est: perfectioni *universi*, quae aggregata est ex diversitate; non sic est in *Deo*.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod maior est aequalitas secundum utramque quantitatem etc.; dicendum, quod summa aequalitas non est in quantitate continua nec discreta, quia ibi unum non aequatur pluribus; sed hic [12] est perfectissima aequalitas: ideo solum secundum quantitatem virtutis attenditur.

3. Ad illud quod obiicitur de bonitate, quia diffusivum etc.; dicendum, quod emanatio personae non attenditur secundum rationem *bonitatis* essentiae, sed magis *fecunditatis* personae vel in persona; et ideo non sequitur, quodsi Spiritus sanctus non producit, quod propter hoc habeat minus de bonitate. Unde notandum, quod duplex est diffusio, scilicet *intra* vel [13] *extra*. Diffusio *intra* est, quando persona procedit a persona in [14] unitate naturae; et haec non est proprie diffusio, et haec non consequitur bonum, quia *bonum*, sed bonum in *hypostasi*, quae aliam producere nata est; et ideo secundum hanc diffusionem non dicitur una persona altera melior. Est [15] alia diffusio *extra*, quae attenditur in productione effectus; et secundum hanc rationem attenditur diffusio proprie et ratio boni. Et quia in hac una persona alteram non excedit, quia indivisa sunt opera Trinitatis: ideo hac non est una melior alia [16].

Duplex diffusio.

---

[1] Codd. L O *quam* loco *quoniam*, qui et mox ponunt *ostendit remotione* pro *ostenditur remotio*.

[2] Cod. W *ostenditur*.

[3] Vat. *extensiva* pro *intrinseca*, sed obstat auctoritas mss. et ed. 1. Explicationem accipe ex Alex. Hal., S. p. I. q. 47. m. 5, qui locus hic in Scholio legitur. Omnino idem dicit B. Albert. (S. p. I. tr. 11. q. 47. m. 2): Dicendum, quod in veritate quantitas in creatis, penes quam attenditur aequalitas, duplex est, scil. magnitudinis et virtutis. Et ea quae est magnitudinis duplex est, scil. *intus* et *extra* mensurans: intus: longitudo, latitudo, profundum; extra: locus. Similiter esse rei, ut dicit Gilbertus, mora mensuratur; et haec mora est tempus. Quantitas autem virtutis proprie non mensuratur nisi obiecto circa quod est virtus. Et dicimus eos aequales virtute, qui et in aequalia possunt obiecta, sive illa virtus sit intellectualis sive operativa. Cfr. etiam B. Albert., hic a. 3.

[4] Fide mss. et ed. 1 expunximus additum *quod*.

[5] Mendum Vat., in qua omittitur *nisi*, correximus ex mss. et ed. 1. Paulo infra cod. I *deberet* loco *debet*.

[6] Cap. 8. n. 9.

[7] Vat. minus congrue et contra antiquiores codd. nec non ed. 1 *ut res* pro *in re*.

[8] Cod. X *hoc*.

[9] Cod. T *et* loco *quia*.

[10] Vat. cum cod. cc, fundamentum argumentationis repetens, minus bene nec non contra antiquiores codd. cum ed. 1 *ergo ratio aequalitatis* loco *igitur rem*.

[11] Ex plurimis mss. et ed. 1 supplevimus *illud* et in principio sequentis propositionis *ergo*.

[12] Fide plurimorum mss. et ed. 1 substituimus *hic* pro *haec*.

[13] Cod. Y *et* loco *vel*.

[14] Vat. cum cod. cc, aliis mss. cum ed. 1 obnitentibus, omittit male *in*. Mox post *diffusio*, multis codd. ut A C D E K R S T U X etc. cum edd. 2, 3 consentientibus, posuimus *et haec* pro *et hoc*. Dein nonnulli codd. ut A Y *sequitur* loco *consequitur*.

[15] In cod. M. additur *et*.

[16] Vat. cum uno alterove codice *altera*. Paulo ante cod. O post *ideo* adiungit *in*.

SCHOLION.

I. In conclusione omnes conveniunt. Sed circa S. Augustini probationem et circa sufficientiam membrorum divisionis, quae ponit, duplex affertur expositio. Prima, quae est Alexandri et Alberti, S. Doctori non probatur; secundam et meliorem cum ipso approbat etiam S. Thom., S. I. q. 42. a. 1. ad 1. Ut fundamenta primae opinionis melius perspiciantur, haec ex Alex. Hal. (loc. infra cit.) referimus: «Aequalitas respicit quantitatem, sive quod per modum quantitatis signatur. Omnis autem quantitas aut est mensurans intra, aut extra: si intra, aut est virtutis, aut molis; quantitas vero molis non cadit in divinis, sed quantitas *virtutis*; et hoc dicitur per *potentiam*. Item quantitas mensurans extra est duplex, scil. tempus et locus; et quantitati, quae est *tempus* in inferioribus, respondet *aeternitas* in divinis; ei autem quantitati, quae est *locus*, respondet *magnitudo* in divinis, non qua Deus circumscribatur in loco, sed qua est inter omnia non inclusus, et qua ipse continet et locat omnia. Sic ergo quantitas in divinis est *virtutis*, quae est *potentia*; et *durationis*, quae est *aeternitas*; et *locationis* sive continentiae activae, qua ipse continet et locat omnia, et haec dicitur *magnitudo*. Quia ergo in Deo non est ponere pluribus modis quantitatem, ideo quantum ad haec tria solum in divinis assignatur aequalitas».

II. Alex. Hal., S. p. I. q. 47. m. 5. — B. Albert., hic a. 3; S. p. I. tr. 11. q. 47. m. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 3. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 3. — Henr. Gand., S. a. 70. q. 2.

QUAESTIO III.

Utrum aequalitas divinarum personarum sit reciproca.

Tertio quaeritur, utrum in divinis sit aequalitas cum conversione. Et quod non, videtur hoc modo.

Ad oppositam. 1. Chrysostomus [1] super illud ad Hebraeos primo: *Qui cum sit splendor* etc.: «Filius est aequalis Patri, non Pater Filio».

2. Item, Hilarius [2]: «Imago, si perfecte implet illud cuius est ipsa, coaequatur ei, non illud suae imagini».

3. Item, Augustinus in primo libro de Doctrina christiana [3]: «In Patre unitas, in Filio aequalitas»: ergo videtur, quod Pater non sit aequalis Filio, ut Filius Patri.

4. Item, Dionysius [4]: «In causalibus et causatis non recipimus reciprocationem»; sed Pater est principium Filii: ergo etc.

Contra: 1. Omne relativum aequiparantiae denominat extrema secundum modum consimilem [5]; Fundamenta. sed aequalitas est relatio aequiparantiae: ergo similis reciprocatio.

2. Item, unum in quantitate facit aequalitatem; sed sicut Filius est unum cum Patre, ita Pater unum cum Filio quantum ad substantiam et quantitatem: ergo sicut Filius est aequalis Patri, ita Pater Filio: ergo est ibi reciprocatio.

3. Item, aequalitas mutua et reciprocata [6] maior est quam non reciprocata: ergo si in divinis est summa aequalitas, patet etc.

4. Item, omne quantum comparatum quanto aut est maius, aut minus, aut aequale; sed Pater est quantus virtute, et similiter Filius: aut ergo Pater est maior virtute Filio, aut minor, aut aequalis; sed non maior aut minor: ergo aequalis [7].

---

[1] Homilia 2. ad Hebr. n. 2. ait: «Per *splendorem* vero essentiae aequalitatem ostendit et eius cum Patre propinquitatem... Deinde subiunxit: *Et character seu figura*. Figura enim seu character est alius ab exemplari prototypo; alius autem non omnino, sed in eo quod attinet ad hypostasin. Nam hic quoque character ostendit, nullam esse diversitatem, sed plane in omnibus perfectam similitudinem eius cuius est character et figura». In Comment. super IV. libr. Sent. ad Hannibaldum Hannibaldensem Romanum, quod inter opera S. Thomae habetur, hic q. 1. a. 2. idem textus occurrit et *Glossae Chrysostomi* adscribitur. Sed verbotenus in Glossa ordinaria non invenitur. In fine Glossae dicitur: «Splendor autem et figura sicut et *imago* proprie ad personam Filii referuntur et relative dicuntur». — Homil. 75. (al. 74.) n. 4. in Ioan. a Chrysostomo dicitur: «Si quis vero dixerit, maiorem esse Patrem, *ut Filii principium*, non huic contradicemus. At hoc non facit Filium alterius esse substantiae». Quae verba sicut et ea quae ex Glossa sunt allegata, eatenus hic attentione digna sunt, quia S. Bonav. in corp. quaest. conceptibus *imitationis* et *subauctoritatis* utitur ad stabiliendam secundam conclusionis partem, scil. sub aliquo respectu inter Patrem et Filium non esse aequalitatem mutuam.

[2] August., VI. de Trin. c. 10. n. 11, sententiam Hilarii de his tribus nominibus, quae Trinitati appropriantur: aeternitas, imago et munus, referens proponit ista verba de imagine. Vide infra d. XXXI. p. II. in princ. lit. Magistri.

[3] Cap. 5. n. 5.

[4] De Div. Nom. c. 9. § 6, ubi initium huius textus in Graeco sic exhibetur ἐπὶ δὲ τοῦ αἰτίου καὶ τῶν αἰτιατῶν, quod diverse a diversis transfertur; codd. cum ed. 1 praestant lectionem in textum receptam; Vat. loco *causalibus* ponit *causis*.

[5] Relatio aequiparantiae communiter definitur: est ea cuius extrema sunt eiusdem rationis seu eodem nomine nominantur v. g. amicus (est enim amicus amici amicus), similis, aequalis; huic opponitur relatio disquiparantiae i. e. cuius extrema sunt alterius rationis, ut relatio patris ad filium.

[6] Postulantibus antiquioribus mss. et ed. 1, substituimus *reciprocata* pro *reciproca*.

[7] Mutila lectio Vat. et cod. cc, in qua verba *sed non maior aut minor: ergo aequalis* omittuntur, resarcitur ope vetustiorum mss. et ed. 1.

CONCLUSIO.

Relatio aequalitatis in divinis est reciproca; sed actus coaequationis non dicitur de Patre respectu Filii.

Respondeo: Dicendum, quod aequalitas est ibi
Conclusio 1. cum conversione [1], non tantum quia *divina*, sed etiam quia aequalitas *de sui ratione* dicit reciprocationem in quantum *aequalitas*. Et [2] secundum hoc credendum est, quod Pater est aequalis Filio et Filius Patri.

Et ad intelligentiam obiectorum notandum [3],
Distinctio. quod dupliciter est loqui de aequalitate: aut prout dicit *respectum aequiparantiae*, aut prout ultra respectum concernit *actum coaequationis* [4]. In quantum dicit *respectum aequiparantiae*, sicut ostendunt rationes, necesse est, quod sit ibi reciprocatio; sed in quantum ulterius concernit *actum coaequationis*,
Conclusio 2. sic dicit rationem imitationis; et sic non convenit Patri respectu Filii, quia importaret subauctoritatem in Patre [5]. Unde non dicitur Pater coaequari Filio, quia Filium non imitatur nec perfecte nec imperfecte. Et est *simile*, si dicatur: *hoc cum illo*. Potest enim dupliciter intelligi: aut [6] prout dicit duorum *coniunctionem;* et sic de necessitate attenditur secundum conversionem; si enim iste vadit cum illo, necesse est etiam, quod verum sit e converso. Alio modo *hoc cum illo* dicit *associationem*, et ita quandam subauctoritatem in associante; et sic dicitur, quod miles vadit cum rege, non e converso, quia miles associat regem [7], non e converso. Similiter intelligendum est in aequalitate.

1. 2. 3. 4. Et ex his patent auctoritates Sanctorum, quia [8] loquuntur de aequalitate secundo modo, Patent opposita praeter ad 4.
praeter illam Dionysii, ad quam respondendum, quod non habet locum in proposito, quia Dionysius loquitur proprie de causa, secundum quod causa dicitur illud cuius esse sequitur aliud [9], et ita differt per essentiam ab effectu, et hoc modo non cadit in Deo respectu personae.

SCHOLION.

I. Aequalitas *conversim dicta* idem est ac mutua sive reciproca. — Distinctionem inter *simplicem* relationem aequalitatis et aequalitatem cum actu *coaequationis* Sanctus adhibet etiam infra d. 31. p. I. q. 3. Eandem habet etiam S. Thom. et Alex. Hal. locis infr. citt. et etiam Richard., qui ad mentem S. Thom. quoad aequalitatem cum actu coaequationis addit: « Sed quia de virtute sermonis hoc nomen *aequale* non videtur importare nisi relationem *aequiparantiae*, quia quod importet *coaequationem* videtur magis ex modo loquendi, secundum quem non consuevimus proprie dicere veritatem: rex est cum milite, sed miles est cum rege; ideo de virtute sermonis, nisi essent auctoritates, quae videntur sonare ad contrarium, videretur posse concedi simpliciter, quod Pater est aequalis Filio ».

II. Alex. Hal., S. p. I. q. 54. m. 1. a. 2. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. I. q. 42. a. I. ad 3. — B. Albert., hic a. 4; S. p. I. tr. 11. q. 47. m. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic I. princ. q. 2. — Henr. Gand., S. a. 68. q. 2.

QUAESTIO IV.

Utrum in divinis sit aequalitas cum circumincessione.

Quarto quaeritur, utrum in divinis sit aequalitas cum circumincessione. Et quod sic, ostenditur:

1. Primo *auctoritate* Domini, Ioannis decimo
Fundamenta. quarto [10]: *Ego in Patre, et Pater in me est.*

2. Item, Augustinus de Fide ad Petrum [11]: « Propter unitatem naturae totus Pater est in Filio et Spiritu sancto ».

3. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione*, quia in

---

[1] Sequimur codd. IZ addendo *cum conversione*, quia de hoc S. Doctor principaliter quaestionem instituit, quod tamen in aliis mss. et Vat. nec non ed. 1 perperam deest. Cod. H (primitus) et K *reciproca* pro *cum conversione;* cod. T (in marg. a posteriore manu) *reciproca sive cum conversione*. Mox post *quia aequalitas* fide mss. et edd. 1, 2, 3 expunximus *et cum aequalitas*, quo addito subnexa perturbentur necesse est.

[2] Supplevimus ex antiquioribus mss. et ed. 1 *Et*, et paulo infra post *Pater* fide mss. et sex primarum edd. adiecimus *est*. Plures codd. ut F M T Z aa bb ee *concedendum* loco *credendum*.

[3] In cod. V additur *est*.

[4] Passivo modo sumtum.

[5] Lectio mss. et sex primarum edd. *quia importat auctoritatem in Patre* contextui repugnat. Mox plures codd. ut A B C D L O R S U Y Z *proprie* loco *perfecte*. Paulo infra Vat. cum cod. cc, aliis codd. cum ed. 1 obnitentibus, incongrue addit *sic* post *Et*. Dein in cod. T a manu suppari in margine post *cum illo* adiungitur *vadit*, forsan propter subnexa; in qua lectione melius *hic* poneretur pro *hoc*.

[6] Plures codd. ut A C F L O R S T W etc. omittunt *aut*, pro quo cod. U habet *scilicet*.

[7] Id est, se socium adiungit regi. Cfr. Robertus, Thesaurus linguae lat. voc. *associare*. — In Vat. et cod. cc male desunt verba *quia miles* usque *e converso*, quae tamen exstant in antiquioribus mss. et ed. 1. Mox, mss. et edd. 1, 2, 3 consentientibus, substituimus *in* loco *cum*.

[8] Codd. dissentiunt inter se; alii ut F G H ee cum ed. 1 exhibent lectionem in textum receptam; alii ut A I K S T W Y ff ponunt *qui*, Vat. *quae* loco *quia*.

[9] Cfr. supra pag. 120. nota 7.

[10] Vers. 10. et 11.

[11] Cap. 1. n. 4. Vide hic lit. Magistri, c. 4.

quocumque est substantia vel essentia Patris, est Pater: sed substantia Patris est in Filio: ergo Pater est in Filio [1], eadem ratione est Filius in Patre.

4. Item, omne cognitum est in cognoscente vel per veritatem, vel per similitudinem; sed Pater cognoscit Filium quantum ad hypostasim et proprietatem: ergo Filius est in Patre: aut ergo [2] quantum ad *veritatem*, aut quantum ad *similitudinem* veritatis. Non quantum ad *similitudinem*, quia tunc esset Filius in Patre sicut creatura: ergo quantum ad *veritatem*; eadem ratione et [3] Pater in Filio: ergo circumincessio est ibi.

5. Item, omne quod est comparatum ad alterum, aut est *in* illo, aut *extra* illum. Si ergo Filius comparatur ad Patrem, aut est *in* illo, aut *extra*. Si *in* eo, eadem ratione et Pater in eo; si *extra* eum; sed illa, quorum unum est extra alterum, differunt per substantiam: ergo Pater et Filius substantialiter differunt.

6. Item, maior est convenientia in divinis, quam sit generis ad species vel totius ad partes; sed propter convenientiam generis ad species genus est in speciebus et e converso; et similiter totum in partibus et e converso [4]: ergo multo fortius in divinis Pater est in Filio et e converso.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Si Pater est in Filio et e converso, ergo Pater est in Patre. Sicut enim sequitur in praedicando, quod quidquid praedicatur in plus vel aeque de aliquo, praedicatur de omni eo quod est sub eo [5]: ergo similiter, si aliquid est in aliquo, necesse est, quod in eodem sit omne quod est in eo: ergo si Filius est in Patre, omne quod est in Filio, est in Patre: sed Pater est in Filio: ergo Pater est in Patre.

2. Item, quandocumque duo simplicia eiusdem generis simul sunt, ita quod unum est in altero, non distinguuntur ab invicem, sicut punctus est in puncto. Si ergo Pater et Filius sunt omnino simplices; si Pater est in Filio et Filius in Patre, non videtur, quod distinguantur.

3. Item, si duae essentiae divinae essent, impossibile esset, quod una esset in alia, quia una non posset illabi alii, quoniam utraque esset aeque spiritualis et summe spiritualis: ergo si duae personae sunt aeque et summe spirituales, impossibile est, quod una sit in altera; et illud [6] videtur, quia Deus non potest esse in creatura, quin ei illabatur. Si ergo persona est in persona, videtur omnino ei illabi.

4. Item, quaero, quid significet hoc quod est *esse in Patre*, utrum dicatur secundum *substantiam*, aut secundum *relationem*. Si secundum *relationem*, hoc est contra Augustinum, qui dicit in littera [7], quod « propter unitatem naturae totus Pater est in Filio et Spiritu sancto ». Si secundum *substantiam*; sed [8] quae secundum substantiam dicuntur, conveniunt tribus: ergo hoc quod est *esse in Patre* convenit Filio et Spiritui sancto et Patri: ergo Pater est in Patre, quod non conceditur. Quaestio incid. 1.

5. Item, cum dicitur: Pater est in Filio, et Filius in Patre, aut importatur *eadem* habitudo, aut *altera*. Si eadem, cum Filius sit in Patre ut in principio, tunc similiter Pater esset [9] in Filio ut in principio; quod simpliciter est absurdum. Si non importatur eadem habitudo: ergo sicut [10] non est circumincessio, cum dicitur: genus est in specie, et species in genere, similiter nec in proposito esset circumincessio.

6. Item, Filius est de Patre et apud Patrem, et non convertitur: ergo pari ratione videtur, quod non convertatur, quodsi Pater est in Filio, quod Filius sit in Patre.

7. Item, novem modi essendi *in* [11] sunt in crea- Novem modi essendi in.

---

[1] Unus alterque codex ut G V addit *ergo*.

[2] In Vat. omissum *ergo* supplevimus ex mss. et edd. 1, 2, 3.

[3] Ope antiquiorum mss. et ed. 1 restituimus particulam *et*. Cod. Z post *Pater* adiungit *est*.

[4] Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 23. (c. 3.). Vide infra arg. 7. ad opp. — Verba *et similiter* usque *e converso* desiderantur in Vat. et cod. cc, quae tamen in ceteris mss. et ed. 1 inveniuntur.

[5] Aristot., de Praedicam. c. de Denominativis in fine: Quando alterum de altero praedicatur ut de subiecto, quaecumque de eo quod praedicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicentur. Haec propositio innuit principium affirmativi syllogismi, quod vocatur *dici de omni*. Vide Aristot., I. Prior. c. 1 seqq. — Aristot., II. Poster. c. 14. (c. 12.) ait: « Dico autem *in plus esse* quaecumque insunt quidem unicuique universaliter, at vero et alii ». Haec sunt, ut ibi innuitur, duplicis rationis; quaedam sunt ita *in plus*, ut *sint etiam extra genus*, ut sunt conceptus primi analogi v. g. *esse aliquid* respectu ternarii; quaedam vero sunt ita *in plus*, ut tamen *non sint extra genus*, cuiusmodi sunt conceptus univoci generici v. g. *esse numerum imparem* respectu ternarii. Porphyrius libr. de Praedicab. ponit *superabundat* loco *est in plus*. Hinc verbis *quidquid praedicatur in plus vel aeque* intellige praedicatum, quod vel est maioris extensionis v. g. genus, vel eiusdem extensionis ac subiectum v. g. genus cum differentia specifica et proprium. Cfr. Boeth., Dialogus I. in Porphyr., c. de Genere.

[6] Vat. *ita* loco *illud*, sed contra mss., quorum tamen plures ponunt *istud*, et ed. 1 cum uno alterove codice ut X *per illud*. Mox substituendo *quia Deus non potest* pro ambiguo *quod Deus non possit* exhibemus lectionem cod. T, cum qua et codd. H Z et ed. 1 conveniunt in eo, quod habent *potest* loco *possit*; cod. K, retento *possit*, substituit *cum* pro *quod*; cod. H *per hoc quod*. — Paulo ante cod. A *divinae* loco *duae*, et Vat. contra cod. T aliosque cum ed. 1 *sint* pro *sunt*.

[7] Hic, c. 4.

[8] Fide multorum mss. ut A H K M S T W X Y Z etc. et edd. 1, 2, 3 supplevimus *sed*, quod minus bene abest a Vat. — Mox post *substantiam* in cod. X additur *de Deo*.

[9] Ed. 1 *erit*. Paulo post in plurimis antiquiorum mss. et ed. 1 perperam *similiter* pro *simpliciter*.

[10] Vat. praeter fidem mss. et sex primarum edd. *si* pro *sicut*, et paulo ante contra plurimos codd. *importatur altera* pro *non importatur eadem*.

[11] In multis mss. sicut et in ed. 1 ac Vat. deest praepositio *in*, sed male et contra codd. H M Y ff. — Octo horum modorum ponuntur ab Aristot., IV. Phys. text. 23. (c. 3.), et nonum addit, ut S. Doctor paulo infra dicit, Boethius, I. in Categor. seu Praedicam. Aristot. c. de Denominativis.

turis. Primo modo sicut pars in toto; secundo modo sicut totum in partibus; tertio modo sicut species in genere; quarto modo sicut genus in speciebus; quinto modo sicut forma in materia; sexto modo sicut rectum sive motum in regente; septimo modo sicut res in suo fine; octavo modo sicut contentum in continente; et nonum addit Boethius, scilicet [1] sicut accidens in subiecto. Quaeritur ergo, quo istorum modorum sit Pater in Filio et e converso; et cum nullum horum sit dare, videtur quod nullo modo sit.

Quaestio incidens 2.

CONCLUSIO.

In divinis personis est summa et perfecta circumincessio ratione unitatis essentiae cum distinctione personarum.

Respondeo: Dicendum, quod [2], sicut auctoritates probant et rationes, in divinis est summa et perfecta circumincessio. Et haec vocatur [3] *circumincessio*, qua dicitur, quod unus est in alio et e converso; et hoc proprie et perfecte in solo Deo est, quia circumincessio in essendo ponit distinctionem simul et unitatem. Et quoniam in solo Deo est summa [4] unitas cum distinctione, ita quod distinctio est inconfusa et unitas indistincta: hinc est, quod in solo Deo est circumincessio perfecta. Et patet ratio huius, quia ratio circumincessionis est perfecta unitas essentiae cum distinctione personarum. Et quoniam hoc est proprium solius Dei, ideo et circumincessio talis, secundum quod dicit Hilarius et Magister inducit in littera [5].

Conclusio. Ratio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Pater in Filio et Filius in Patre, ergo Pater [6] in se; dicunt quidam, quod argumentum non valet, quia mutatur habitudo eius quod est *in;* quia in una dicit habitudinem principiati ad principium, in alia autem habitudinem principii ad principiatum. Tamen illud non oportet dicere, quia sicut iam patebit [7], *in* non dicit diversam habitudinem. Nec tamen sequitur, immo est accidens ibi, eo quod *in* notat distinctionem. sicut accidens est hic: Petrus est similis Paulo, et Paulus Petro: ergo Petrus est similis Petro; ita et in proposito intelligendum.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod [8] simplicia simul existentia confunduntur in unum; dicendum, quod illud verum est, quando simplicia habent distingui penes *illud,* in quo sunt, sicut punctus et unitas ab eo, in quo est. Sed quando *se ipsis* distinguuntur et in [9] se ipsis substantificantur, tunc, quamvis sint simul, non confunduntur; et tales sunt hypostases divinae. Et huius simile, quamvis perfecte non possit in creatura inveniri, tamen Dionysius [10] ponit exemplum in luminibus, quae multa sunt in eodem aëre inconfusa; et huius signum est, quia, quando luminare aufertur, secum [11] trahit lumen suum, nihil de aliis convellens. Et ratio huius est. quia lumina in aëre non distinguuntur penes id *in quo* [12].

Simile.

3. Ad illud quod obiicitur, quod essentia non est in essentia nisi per illapsum etc.; dicendum, quod non est simile, quia ubi est essentiarum diversitas, si una est in altera, oportet quod una sit aliquo modo materialis alteri; sed quando [13] personae differunt, salva essentiae unitate, una est in alia, quia essentia unius est essentia alterius; et ita, sicut idem non illabitur sibi, ita nullus potest esse ibi illapsus.

4. Ad illud quod quaeritur, quid significet hoc quod est *esse in Patre;* dicendum, quod, sicut Sancti innuunt, sicut *aequale* dicit respectum secundum unitatem quantitatis, et *simile* secundum unitatem qualitatis [14], similiter hoc quod est *esse in Patre,* secundum unitatem substantiae. Unde sicut *aequale*

Ad quaest. incid. 1. Triplex unitas.

---

[1] Plures codd. ut A F G I S T V X Y etc. *quia,* et pauci ut HZ cum ed. 1 *quod* loco *scilicet.* Mox fide antiquiorum mss. et ed. 1 supplevimus *modorum,* deinde substituimus *nullum horum* pro *nullo illorum.*

[2] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 *quia,* sed minus apte.

[3] Respectu huius propositionis magna diversitas in codd. invenitur; sic loco *haec,* quod a pluribus mss. ut I S Y aa cc et ed. 1 exhibetur, alii ut K X Z bb ponunt cum Vat. *hic,* cod. O *hoc;* dein aliqui tantum codd. et Vat. *notatur* pro *vocatur;* codd. A R T verba *Et haec vocatur circumincessio* omittunt. Mox pauci codd. ut K O *quia* loco *qua,* et demum paulo infra cod. T *haec* pro *hoc.*

[4] Praestamus antiquiorum mss. et ed. 1 lectionem addendo *summa,* quod et rei veritas exigit.

[5] Hic, c. 4. — Plures codd. ut A F G H Z cum ed. 1 *adducit* loco *inducit.*

[6] Vat. contra plurimos mss. et ed. 1 addit hic et paulo ante post *Pater* verbum *est.*

[7] Infra ad 5; cf. etiam dub. 6.

[8] Ex antiquioribus codd. et ed. 1 supplevimus *quod.*

[9] Codd. V X *ita* pro *in.*

[10] De Div. Nom. c. 2. § 4: Etenim videmus in domo, multis unitis lampadibus, ad unum aliquod lumen unita omnium omnia lumina et unam claritatem indiscretam relucentem, et non etiam quis, ut arbitror, poterit alicuius lampadis lumen ab aliis ex omnia lumina continenti aëre discernere, et videre sine altera parte alteram partem, totis in totis inconfuse contemperatis. Sed si etiam unam quis ardentium subduxerit domo, coibit et proprium totum lumen, nullum quiddam aliorum luminum in semetipsa complectens, aut suimet alteris relinquens. Erat enim earum, quod quidem dixi, omnium ad omnia perfectissima unitas, incommixta universaliter, et nulla parte confusa: et haec, existente in corpore aëre, et ex materiali igne pendente lumine.

[11] In Vat. praeter iidem mss. et edd. 1, 2, 3 deest *secum.*

[12] Cod. Y addit *sunt;* codd. vero B D H adiiciunt *sed penes suas origines,* a quibus cod. O in eo tantum discedit, quod loco *penes* habet *per.*

[13] Vat. perperam et contra mss. nec non sex primas edd. *quoniam.*

[14] In cod. O additur *essentialis vel substantialis,* et paulo ante cum nomine *quantitatis* coniungitur *virtualis.* Mox post *in Patre* cod. G adiungit *est,* sed melius suppletur *dicit respectum.*

simul importat substantiam cum relatione, sicut patebit infra [1], ita et hoc quod est *esse in*. Et sicut, cum dicitur *aequalis Patri*, arctatur ad standum pro aliis personis, ita et in proposito intelligendum.

5. Ad illud quod quaeritur, utrum importetur eadem habitudo; dicendum sine praeiudicio, quod *sic*, quantum est de ratione nominis. Sicut enim, cum dicitur: Pater est similis Filio et e converso, non importatur alia et alia habitudo; ita nec in hoc quod est *esse in* [2], quia importat relationem identitatis sive consubstantialitatis. Unde si dicatur: Pater est similis Filio et e converso, non dicitur alia habitudo; sic in proposito, quia significat hoc quod est *esse in Patre* idem quod est *esse Patri consubstantialem*. Et uniformiter accipitur *consubstantialis*, cum dicitur de Patre et Filio. Et hoc patet, quia si non diceret consimilem habitudinem, non esset circumincessio, sicut nec est, quando dicitur creatura esse in Deo, et Deus esse in creatura; quia alia importatur habitudo in utraque [3].

6. Ad illud quod quaeritur de hoc quod est *apud* etc.; dicendum, quod quaedam praepositiones importent habitudinem *repugnantiae*, ut *contra*; quaedam distantiae, ut hoc quod est *ad* et *prope*; quaedam *causae*, ut *de* et *ex*; quaedem *convenientiae*, ut *in* et *cum*. Primae et secundae nullo modo recipiuntur [4], sed tertiae et quartae sic, et tertiae non conversim, sed quartae conversim, quia convenientia est relatio aequiparantiae. Significatio praepositionum.

7. Ad ultimum solvendum, quod iste est singularis modus essendi *in*, qui non continetur inter illos, nec potest reperiri proprie in creaturis. Ad quaest. incid. 2.

SCHOLION.

I. *Circumincessio* (περιχώρησις) per duplicem praepositionem *(circum-in)* aliquo modo exprimit duplicem sensum vocabuli Graeci, scilicet *invadere* et *capere*. Nostris temporibus saepe vocatur *circuminsessio*, quod vocabulum tamen minus aptum esse videtur, ut profundus sensus vocabuli Graeci exprimatur. Pro intelligentia quaestionis notandum est, quod saltem tria ad circumincessionem requiruntur: nempe inexistentia actualis unius in alio; realis distinctio eorum qui circumincedunt; intima eorum praesentia et consubstantialitas. Hinc sequitur, nullam creaturam hoc modo in alia esse posse, nec ipsum Deum proprie circumincessive inesse alicui *creaturae*, sed in solo Deo esse circumincessionem perfectam, ut docet sanctus Doctor in corp. Ceterum sequitur circumincessio, ut bene docet Richard. a Med. (loc. infra cit.), « ex hoc firmissimo fundamento credito, quod in tribus personis una essentia est. Ex quo enim quaelibet persona est in essentia sicut suppositum in natura, et essentia in qualibet persona sicut natura in supposito, sequitur, quamlibet personam per suam essentiam esse in alia, alio tamen modo, quam natura sit in supposito et suppositum in natura » etc., nempe quia requiritur aliqua differentia vel distinctio ad hoc, quod unum sit in alio.

II. Quoad solut. ad 1. S. Doctor primam responsionem merito reiicit. Est enim hic fallacia accidentis. *Esse in alio* enim importat distinctionem unius ab alio; *esse in se* vero tollit omnem distinctionem. Fallaciter ergo concluditur: Pater est in Filio, scil. ut distinctus ab eo, et e converso: ergo est in se, cum sit indistinctus omnino. Sic enim fit transitus a distinctione ad identitatem. Exemplum in littera positum rem magis explicat. Sic patet, quod Aristotelica regula: quidquid praedicatur de aliquo etiam de omni, quod sub illo est, praedicatur, in applicatione fallere potest. Richard. a Med. tamen eandem obiectionem aliter solvit.

Quintam obiectionem eodem modo solvit S. Thom. (hic q. 3. a. 2. ad 3.; S. I. q. 42. a. 1. ad 4.).

III. In conclusione omnes conveniunt; et S. Thom., in Summa ad probandam conclusionem iisdem tribus argumentis utitur, quae apud S. Bonav. sunt 3. 4. 5. in fundam. — Inepte Durandus et Aureolus hoc 5. argumentum (quod S. Thomas habet 2. loco) impugnare nituntur. — Cfr. Scot., hic q. 2; Report., hic q. 4. — S. Thom., hic q. 3. a. 2; S. I. q. 42. a. 5; S. c. Gent. IV. c. 9. in fine. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Ægid. R., hic 2. princ. q. 2. — Henr. Gand., S. a. 53. q. 10. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, hic q. 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram; et primo dubitatur de *situ* huius partis. Cum enim unitas in *substantia* faciat identitatem, unitas in *quantitate* aequalitatem, unitas in *qualitate* similitudinem [5], pari ratione videtur, quod deberet determinare de identitate et similitudine; quia, si de his non determinat, videtur, quod nec de aequalitate deberet facere specialem tractatum.

---

[1] Dist. 31. p. I. q. 2. — Paulo infra post *quod est* plurimi codd. ut ACGIKLOPQRSTUWY etc. cum edd. 1, 2, 3 omittunt *esse*, sed male. Dein fide mss. loco *hoc quod est* substituimus *cum dicitur*, cui codd. OZ adiungunt satis bene *aliqua persona est*.

[2] Multi codd. ut paulo supra cum edd. 1, 2, 3 perperam omittunt *esse*. Mox post *Unde* auctoritate mss. et ed. 1 expunximus additum *sicut*, quod tamen multi codd. paulo infra loco *significat* ponunt, et respectu cuius cod. O (cum quo fere convenit cod. I) post *consubstantialem* addit *sic esse in Filio idem est quod esse Filio consubstantialem*, sed ad rem minus congruenter. Aliqui mss. ut VX verbis *in proposito* praefigunt particulam *et*; dein a multis codd. et edd. 1, 2, 3 post *idem quod* omittitur *est*, et a pluribus mss. cum edd. 1, 2, 3 substituitur *Patrem* pro *Patri*.

[3] Supple: propositione; pro qua suppletione elidenda substituit Vat. contra mss. et ed. 1 *utroque* pro *utraque*.

[4] Subaudi: in divinis. — Mox Vat., refragantibus mss. et ed. 1, *tertiae sic quod* loco *et tertiae*, pro quo cod. M exhibet *licet tertiae*. In cod. O quartum divisionis membrum subdividitur, in quantum quaedam praepositiones important habitudinem convenientiae *simpliciter*, quaedam *cum subauctoritate* et ultimae *nullo modo reciprocantur*.

[5] Vide supra pag. 342. nota 6.

Respondeo: Dicendum, quod ostensa perfecta aequalitate, ostenditur, quod omnimoda sit in natura identitas et similitudo; et ideo determinata aequalitate, non est opportunum de aliis determinare; sed magis de aequalitate determinat propter haereses extirpandas, Arianorum maxime, qui posuerunt inaequalitatem in divinis; et ideo difficilior [1] et utilior circa hoc versatur disputatio.

Dub. II.

Item dubitatur de hoc quod dicit, quod *aequalitas consistit in aeternitate.* Videtur enim male procedere, quia ipse dividit coaeternitatem [2] contra aequalitatem: ergo si ab ea distinguitur, quantum ad aeternitatem non attenditur aequalitas.

Respondeo: Dicendum, quod aequalitas perfecta in his tribus consistit, et Magister condividit aequalitatem contra coaeternitatem quantum ad alia duo membra, scilicet magnitudinem et potentiam.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non alio Deus, alio magnus* etc., quia videtur pari ratione, cum alio sit Deus, alio Pater, quod alio sit Deus, alio magnus. *Si dicas,* quod quantitas transit in substantiam, relatio non; obiicitur, quod illud non solvit. Augustinus [3] enim loquitur de formali praedicatione, et constat, quod formaliter loquendo ita est ista falsa: Deus est magnus deitate, vel Deus magnitudine, sicut et: Pater magnitudine [4].

Respondeo: Dicendum, quod quamvis secundum rationem loquendi vel intelligendi a parte nostra *magnitudo* in divinis dicatur per modum quantitatis, et *deitas* per modum substantiae, tamen a parte rei nulla est omnino differentia. Nihil enim de magnitudine dicitur, quod non dicatur de substantia. In relatione [5] autem paternitatis non est ita. Aliquid enim praedicatur de paternitate, quod non potest dici de essentia, sicut distinguere et distingui.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In generatione generationum anni tui* [6]. Videtur enim male dicere, quia in aeternitate nulla cadit variatio: ergo cum annus variationem habeat, non debet transferri ibi [7]. *Item,* in illa aeternitate est omnimoda simplicitas et impartibilitas: ergo non deberet pluraliter dici *annos.*

Respondeo: Dicendum, quod iuxta modum nostrae infirmitatis et intelligimus divinam aeternitatem [8] et nominamus. Quoniam enim *annus* dicit completam temporis revolutionem secundum decursum solis in zodiaco et regressum ad idem punctum, et divina aeternitas est perfecta et durationes ceteras circumplectens: ideo ad ipsam transtulit Scriptura nomen *anni.* Aeternitas similis anno.

Rursus, quia interminata [9] et a parte *ante* et a parte *post,* ideo non *annum* dicit, quasi terminum habeat, nec *generationem* singulariter, sed pluraliter *annos,* et *generationes* similiter. Ratione ergo perfectionis et interminationis transfertur, non ratione variationis. Quare in plurali.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *in generatione Sanctorum sunt anni Dei, aeternitas.* Videtur enim falsum, quia duratio Sanctorum est finita a parte ante; sed aeternitas Dei est infinita a parte ante et post: ergo Sancti non sunt in illa [10]. *Item,* quo modo essendi *in* [11] generatio Sanctorum est in illa? Sicut *mensura,* non, quia Dei aeternitas solius Dei est mensura; si sicut *causa* in effectu; sed hoc modo est in ceteris creaturis: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod [12] illud verbum non est dictum per commensurationem neque per aequalitatem, sed per concomitantiam et conformitatem. Quia enim generatio Sanctorum a parte *post* durat in infinitum [13], durat etiam sine variatione: ideo illam summam aeternitatem in aeternum comitatur et ei

---

[1] Cod. O *sufficientior.*

[2] Nonnulli codd. ut IVYZ *aeternitatem.*

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[4] Vat. perperam et praeter fidem mss. et ed. 1 ordinem invertit ponendo *quod sicut* loco *ita* et *sic et ista: Pater est magnus* pro *sicut et: Pater magnitudine,* quae et post *vel* repetit *Deus est.*

[5] Mendum Vat. *resolutione* correximus ex mss. et edd. 1, 2.

[6] Ita codd. cum ed. 1, dum Vat. cum ceteris edd. *In generatione et generationem anni tui;* ceterum vide supra textum Magistri, c. 1.

[7] Cod. dd *ad divina* pro *ibi.* Paulo infra Vat. falso *impartialitas* loco *impartibilitas;* obstant etiam plurimi mss. et ed. 1.

[8] Multi codd. contra contextum *Trinitatem* pro *aeternitatem;* Vat. cum uno alterove codice *Trinitatem vel aeternitatem;* lectio in textum recepta exhibetur a pluribus mss. ut H ee ff et ed. 1. Mox ex antiquioribus mss. supplevimus *enim.*

[9] Subintellige: aeternitas. — Pauci codd. ut HT adiiciunt *est,* cod. X *est duratio.*

[10] Nempe: aeternitate Dei. — Vat. absque auctoritate codd. et sex primarum edd., sensu eodem manente, *ergo illa non est Sanctis.*

[11] Cfr. supra q. 4. argum. 7. ad opp., ubi novem modi essendi *in* referuntur. Mox Vat. *est in illa generatione Sanctorum,* sed praeter fidem mss. et sex primarum edd., licet idem servetur sensus.

[12] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 supplevimus *quod* et consequenter substituimus *est* loco *esse.*

[13] Cod. I cum ed. 1 addit *et.* Mox aliqui codd. ut TX cum ed. 1 *concomitatur* pro *comitatur.*

expresse conformatur; et ideo exponit illud Psalmi beatus Augustinus [1]: *In generatione generationum anni tui:* sive in generatione interminata, quae generatio est *Sancti,* sive Sancti sunt illa generatio, et quia in perpetuum durat, et quia ex multis generationibus sunt collecti.

DUB. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Pater est in Filio et Filius in Patre;* quia, si quidquid est in Deo Deus est propter summam simplicitatem, ergo quidquid est in Filio est Filius: ergo si Pater est in Filio, Pater est Filius.

RESPONDEO: Dicendum, quod non est simile, quia, cum dicitur aliquid esse in Deo, haec praepositio *in* aut dicit distinctionem *essentialem,* et sic non quidquid est in Deo, est Deus, quia nos *in Deo vivimus, movemur et sumus* [2]; aut *nullam* dicit distinctionem nisi secundum modum intelligendi, et hoc ponit omnimodam identitatem; et ideo sequitur, quod sit Deus quod est in Deo. Sed cum dicitur de *persona,* haec praepositio *in* dicit distinctionem personalem, et una persona de alia non praedicatur; et ideo patet, quod non est simile [3]. (*In dicitur tripliciter.*)

DUB. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hilarius: *Nec exemplum rebus divinis comparatio humana praestabit.* Videtur enim falsum, quia *imago* est expressa similitudo, et *vestigium* est in omni creatura: ergo videtur, quod *exemplum* sit in omnibus.

RESPONDEO: Dicendum, quod est exemplum *exprimens perfecte* et [4] consimiliter omnino, et tale nullum est in creaturis, quia *imago* et ceterae creaturae plus habent dissimilitudinis quam similitudinis; et est exemplum aliquo modo *manuducens,* et sic multa sunt, et ex multis colligitur unum, nec tamen omnino perfectum. (*Exemplum est duplex.*)

DUB. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quod inintelligibile est homini possibile est Deo.* Videtur falsum, « quia anima nostra quodam modo est omnia [5] », et intellectus noster non tot intelligit, quin plura possit intelligere.

RESPONDEO: Dicendum, quod est loqui de intellectu *comprehendente,* et sic non est verum, quod omnia intelligere possit, quia nec Deus nec aliquid Dei, est comprehensibile nobis, quia omnino infinitus; et est loqui de intellectu *apprehendente,* et hoc dupliciter: aut in ratione *possibilis* [6] et suscipientis, et sic utique omne quod potest fieri, potest intelligere, quia possibile est ad intelligendum; aut in ratione *agentis,* et quia non habet lumen tantae potentiae, quod possit super omnia, scilicet praesentia et futura, quia multa sunt contra [7] eius iudicium, sic non est omnium. (*Intellectus comprehendens.*) (*Intellectus apprehendens dicitur dupliciter.*)

DUB. IX.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hilarius: *Nam si partem eiusdem, qui genuit, accepit, neuter perfectus est.* Videtur enim non sequi hoc, quia homo perfectus generat filium perfectum, et tamen non dat ei nisi partem.

RESPONDEO: Dicendum, quod est perfectio *simpliciter,* et perfectio [8] *in genere.* Perfectio *in genere* bene compatitur secum dationem et receptionem partis, quia in dante suppletur per restaurationem, in accipiente per augmentum et additionem; sed perfectio *simpliciter* non compatitur secum restaurationem nec additionem. Et quoniam in Deo perfectio est simpliciter, ideo si daret partem, in dante remaneret defectus, similiter et in accipiente; ideo non est simile de homine [9]. (*Perfectio duplex.*)

DUB. X.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non per duplicem convenientium generum coniunctionem* etc.;

---

[1] Enarratio in Psalm. 101. Serm. 2. n. 11: De tot generationibus colliges omnes sanctas proles omnium generationum, et facies inde unam generationem. *In* ista *generatione generationum anni tui,* id est, aeternitas illa in illa generatione erit, quae de omnibus generationibus colligitur et in unam redigitur; ipsa particeps erit aeternitatis tuae. Ceterae generationes implendis temporibus generantur, ex quibus illa in aeternum regeneratur; mutata vivificabitur, erit idonea portare te, vires accipiens a te. *In generatione generationum anni tui.* — Vat. hic sicuti et supra in dub. 4. contra codd. et ed. 1 *In generatione et generationem anni tui,* quae et paulo ante addit *sic* post *ideo,* ac dein *Sanctorum sive* pro *Sancti sive* ponit contra mss. et ed. 1. Mox cod. I *durant* et cod. dd *durant beati* loco *durat,* qui et in fine responsionis adiungit *et hic est intellectus huius propositionis.* — Idem dubium solvitur a B. Albert., hic a. 6.

[2] Act. 17, 28. — Paulo infra cod. T *quod sic Deus est in Deo* loco *quod sit Deus quod est in Deo.*

[3] Cfr. supra q. 4. ad 1. et Scholion.

[4] Ex mss. et edd. 1, 2, 3, 6 supplevimus *et.* Plures codd. ut CLORSUV *similiter* pro *consimiliter.* — Cfr. de hac divisione pag. 94. dub. 4.

[5] Aristot., III. de Anima, text. 37. (c. 8.).

[6] Vat. cum cod. cc *possibilitatis,* sed contra alios codd. et ed. 1. Paulo post fide plurium mss. ut ISTYZ bb et ed. 1 restituimus particulam *utique.*

[7] Vat., obnitentibus mss. et edd. 1, 2, 3, 6, *supra.* In lectione codicum intelligas locutionem *contra iudicium rationis* de *ratione inferiori* et conversa ad sensibilia, ut ipse S. Doctor praeclare explicat III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. ad 4. — Plura de intellectu comprehendente et apprehendente vide supra d. 3. p. I. q. 1. ad 1; de intellectu possibili et agente II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 4, et Aristot., III. de Anima, text. 1-20 (c. 4. et 5). — In cod. O in fine responsionis additur *quia non habet tantum lumen intellectuale, quod possit omnia intellecta in potentia facere intellecta in actu.*

[8] In pluribus mss. ut AFGISTWY etc. et ed. 1 deest *perfectio.*

[9] Ex multis mss. ut AFGHIMNPQTUZ ee ff et ed. 1 adiecimus verba *ideo non est simile de homine.*

aut enim tangit modos *essendi*, aut *generandi*. Non *essendi*, quia multo plures sunt quam isti; non *generandi*; et ita [1] utroque modo est insufficiens.

Solutio quorundam. RESPONDEO: Aliqui dicunt, quod Hilarius assignat hos [2] modos generationis, qui sunt in creaturis, ut excludat eos a Filio. Sed non assignat nisi duos modos, quia non loquitur nisi de generatione vivi; vivens autem generabile dividitur in vegetabile et sensibile; et secundum illud duplex genus duplex est modus generandi, quem tangit Hilarius. Nam animalia generantur per [3] coniunctionem maris et feminae, et plantae per insertum. Primum tangit cum dicitur: « Non per duplicem *convenientium generum* », quia masculus et femina sunt duplicis *generis* quantum ad sexum, et tamen *convenientes* sunt quantum ad formam et naturam [4]. Secundum modum tangit cum dicit: « Nec per insitivam capacioris substantiae naturam », sicut surculus inseritur arbori, « sed per naturae unitam similitudinem », id est similitudinem omnino in natura indifferentem [5].

Alia solutio. Aliter potest dici, quod Hilarius non loquitur de modo [6] generandi, sed loquitur, quomodo Pater sit in Filio; et excludit modum essendi *in*, quo creatura dicitur esse in creatura secundum modum usitatum; ad quem modum concurrit duplex conditio creaturarum: prima est creaturarum [7] quoad naturam diversitas; secunda est continentis capacitas. Et has excludit ab illo modo existendi, qui est in divinis, per illa duo, quae dicit: « Quod Filius est in Patre non per coniunctionem duorum generum, neque per insitivam capacioris substantiae naturam ». Hoc patet per litteram Hilarii [8], quam immediate subiungit in originali, et Magister omittit: « Quia, inquit Hilarius, per corporalem necessitatem exteriora fieri his, quibus continentur, interiora non possunt », et [9] vult, quod illud est impossibile in creaturis corporalibus, quod mutuo sint in se ipsis, sicut Pater est in Filio; quia propter corporalem necessitatem et imperfectionem interiora non possunt fieri exteriora his quibus continentur, ut si aqua est intus [10] in vase, dum est intus, non potest fieri extra, et ita non continetur vas, ut vas sit in aqua.

DUB. XI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Dum naturam Dei non degenerat nativitas*, quia non tantum in Deo, sed in creaturis pluribus non degenerat.

RESPONDEO: Dicendum, quod *degenerare* est extra genus generantis exire. Exire autem extra genus generantis hoc est: aut quantum ad *communem* [11] *formam* et naturam; et sic est degeneratio in aequivocis, sicut equus ex asina generat burdonem, et asinus ex equa mulum, unde mulus degenerat. Alio modo *degenerare* est proprietates generantis relinquere, *retenta natura*, sicut filius, qui generatur ex patre nobili et pulcro, est rusticanus [12] et turpis. Tertio modo est *degenerare* naturam generantis relinquere, non per dissimilitudinem, sed per *diversitatem*; et hoc modo omnis nativitas creata degenerat, quia in omni creatura generans est aliud a generato [13], et sola divina generatio est, quae non degenerat, quia nihil nascitur novum, nihil additur alienum, et ideo generans a generato in substantia non separatur; et ideo illa generatio sola est nobilissima [14]. Degeneratio fit tripliciter.

---

[1] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 expunximus additum *in*.
[2] Unus alterve codex ut G cum ed. 1 *hic* loco *hos*.
[3] Pauci mss. ut GH et ed. 1 *ex coniunctione*. Mox Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 post *insertum* adiicit *Et*. Dein aliqui codd. ut FGH cum ed. 1 *dicit* loco *dicitur*.
[4] Ex plurimis mss. et ed. 1 supplevimus *naturam* loco *materiam*. Paulo post aliqui codd. ut aa bb *dicitur* pro *dicit*.
[5] Vat. *similitudinem non in natura differentem*; sed obstat auctoritas vetustiorum mss. et ed. 1. — Praedictam expositionem huius loci praebent B. Albert., hic art. 10; S. Thom. et Richard., hic circa lit.
[6] Nonnulli codd. ut FG cum ed. 1 *modis*.
[7] In Vat. deest *creaturarum*, quod tamen exstat in mss. et ed. 1.
[8] Libr. VII. de Trin. n. 39. — Ed. 1 cum uno alterove codice *Et hoc* pro *Hoc*. Mox ex pluribus mss. ut AHKTYZ etc. et ed. 1 *quam* loco *quoniam* substituimus.
[9] Plurimi mss. cum ed. 1 exhibent particulam *et*, quae deest in Vat.
[10] Sequimur antiquiores codd. cum ed. 1 addendo *intus*, quorum tamen aliqui ut FGISVW aa omittunt *in*.
[11] In cod. T deest *communem*.
[12] Vat. cum cod. cc, aliis tamen mss. et ed. 1 refragantibus, *rusticus*. Paulo ante cod. T *matre* pro *pulcro*. Mox post *Tertio* ex nonnullis mss. ut PQ dd supplevimus *modo*. Dein post *degenerare* cod. dd addit *id quod*, pro quo plures codd. ut AFGHPQTZ ee ff cum ed. 1 minus bene *id est*, aliqui autem ut SV *et*.
[13] Mendum Vat. et cod. cc *generante* pro *generato* hic et paulo infra ex aliis mss. et ed. 1 castigavimus. Paulo ante cod. T cum ed. 1 *creato* loco *creatura* et cod. Y *alius* pro *aliud*. Mox pro lectione Vat. *et in sola divina generatione degeneratio non est* fide fere omnium antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *et sola divina generatio est, quae non degenerat*; in qua propositione codd. OY ponunt *sed* loco *et*, ac cod. L *quae non degenerata est* pro *quae non degenerat*.
[14] Cfr. B. Albert., hic a. 11.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIX.

Pars II.

De aequalitate probata per exclusionem inaequalitatis.

Sed nunc iam ad propositum redeamus.

HUIUS PARTIS TEXTUM VIDE SUPRA P. 337.

DIVISIO TEXTUS.

Supra ostendit Magister, divinas personas aequari quantum ad magnitudinem positive [1] per hoc, quod una essentia est in singulis tota. Hic ostendit, quod est summa in eis aequalitas, et hoc facit excludendo ab eis omnem [2] rationem inaequalitatis. Et dividitur haec pars in tres partes. In *prima* ostendit, quod non cadit ibi ratio totius [3] integri. In *secunda* ostendit, quod non cadit ibi ratio generis et speciei [4], ibi: *Hic adiiciendum est, quod tanta est aequalitas* etc. In *tertia* ostendit, quod non cadit ibi ratio numeri, ibi: *Quod autem Ioannes dicit* etc [5].

Prima iterum pars habet [6] duas. In prima, quia fecerat digressionem, continuat dicta dicendis. In secunda vero ostendit, quod ibi non cadit ratio totius et partis, ibi: *Nec est aliqua trium personarum.*

Item *secunda* pars, in qua ostendit, quod in divinis non cadit ratio universalis sive generis et speciei, habet duas partes. In prima ostendit, quod non est in divinis accipere genus nec speciem nec individuum. In secunda vero contra hoc opponit auctoritate Damasceni, ibi: *His autem videntur adversari quaedam.* Prima habet duas: primo ostendit, quod non est ibi ratio [7] generis vel speciei vel individui; secundo, quod non est ibi ratio materialis principii, ibi: *Notandum etiam, quod essentia divina non est materia.* Similiter pars, in qua obiicit contra hoc, habet duas: in prima ostendit, quod cadit ibi ratio universalis et individui, ratione [8] Damasceni; in secunda solvit. Primum facit ibi: *His autem videntur adversari* etc.; secundum, ibi: *Haec autem quae hic dicuntur, licet in singulis sermonibus.*

Quod autem Ioannes dicit etc. Haec est *tertia* particula in qua ostendit, quod in divinis non cadit ratio numeri, et haec pars habet quatuor partes. In prima, praemisso quod in aequalitate personarum non cadit ratio numeri, ostendit, quibus modis differre numero non conveniat personis, et quibus modis conveniat. In secunda ostendit, quod in divinis personis tanta est magnitudo in una persona, quanta in tribus, ibi: *Sciendum est ergo.* In tertia ostendit, quod Deus non potest dici triplex sive multiplex, ibi: *Praeterea, cum Deus dicatur trinus.* In quarta ostendit differentiam inter pluralitatem, quae est in Trinitate, et pluralitatem [9], quae est in creaturis corporalibus, ultimo capitulo: *In rebus corporeis non tantum* etc.

Et notandum, quod tota summa et fundamentum totius distinctionis in hoc verbo consistit, quod divina essentia est magnitudo una non multiplicata, et tota non divisa est in qualibet personarum; ideo necesse est, quod personae sint omnino aequales in [10] magnitudine. Nec potest ibi cadere ratio totius *universalis,* quia illud multiplicatur in partibus; nec totius *integri,* quia illud dividitur in partes nec est totum in qualibet parte; et ita nec ratio *materialis principii,* nec ratio *numeri.*

---

[1] Sequimur maiorem partem codicum addendo *positive,* pro quo aliqui ut BU aa cc cum ed. 1 *potentiae,* cod. D *et potentiam* ponunt. In Vat., fere omnibus mss. et ed. 1 refragantibus, post *ad* adiicitur *aeternitatem et.* Paulo ante plures codd. ut AFGHTZ cum ed. 1 *aequales* loco *aequari.*

[2] Vat. cum aliquibus tantum codicibus minus apte *communem* pro *omnem.*

[3] Fide plurimorum mss. et ed. 1 expunximus additum *et.*

[4] Vat. adiungit *vel individui,* quod deest in mss.

[5] Mss. *Sciendum igitur est tantam aequalitatem* loco *Quod autem Ioannes dicit* etc.; sed lectio mss. est falsa, quia omittitur capitulum illud, in quo Magister ostendit in divinis non cadere rationem numeri. Idem mendum mss. recurrit paulo infra, ubi huius partis subdivisio datur, et in qua consequenter mss. exhibent tantum tres partes, omissa prima parte, quae est in Vat.

[6] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *habet* loco *in.*

[7] Aliqui tantum mss. cum Vat. *natura.*

[8] Plures codd. ut HPQZ ee et ed. 1 *auctoritate.*

[9] Mutila lectio Vat., in qua omittuntur verba *quae est in Trinitate et pluralitatem,* resarcitur ex mss. et ed. 1, sicuti et paulo post substituimus *ultimo capitulo* loco *ibi.*

[10] In Vat. et cod. cc deest *in.* Paulo ante pauci mss. ut VX *indivisa* pro *non divisa.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quatuor quaeruntur.

Primo [1], utrum in divinis sit ponere totum integrale.

Secundo, utrum sit ponere totum universale.

Tertio, utrum in divinis personis sit principium materiale.

Quarto, utrum in divinis sit differentia secundum numerum.

ARTICULUS UNICUS.

Quod a Deo excludi debeant omnes rationes inaequalitatis.

QUAESTIO I.

Utrum in divinis ponendum sit totum integrale.

Circa primum, quod sit [2] ponere totalitatem integritatis, videtur:

Ad opposi- tum. 1. Per Augustinum primo, et habetur in littera [3]: Tota Trinitas est in singulis personis: ergo aut est ibi implicatio falsi, aut est ibi totalitas; sed non est ibi implicatio falsi: ergo est ibi totalitas.

2. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione*, quia ubi quantitas, ibi totalitas et integritas. Sed in divinis est quantitas virtutis: ergo saltem secundum illam et integritas.

3. Item, ubi pluralitas, ibi integritas, quia omnis pluralitas constat ex unitatibus; sed in Deo est pluralitas, quia trinitas: ergo in Deo est integritas. *Si dicas*, quod illa pluralitas non integratur, quia nihil plus est in tribus quam in uno — ergo [4] si tantum est in tribus, quantum est in uno, ergo tantum credit et aeque plene credit qui credit, unum solum esse suppositum, sicut qui credit, tres esse personas; sed hoc est falsum: ergo etc.

4. Item, si aliquid est aequale alicui, eodem addito, adhuc erit aequale; ergo si aliquid est totum ad aliquid, eodem addito, adhuc erit totum; sed *tres* est totum ad unum: ergo tres personae ad unam personam [5].

5. Item, omne quod praedicatur de aliquibus simul et de nullo per se, est totum integrum ad illa [6]; istud constat et non habet instantiam; sed trinitas praedicatur de tribus personis simul et de nulla per se: ergo etc.

6. Item, omne quod removetur ab aliquo, differt ab illo genere, vel specie, vel numero, vel est totum ad illud; sed *trinitas* removetur a Patre, quia Pater non est trinitas, nec differt genere, vel specie, vel numero: ergo etc.

Contra: 1. Ambrosius in libro de Trinitate [7]: Fundamenta. «In divinis nullam ponimus totalitatem, quia non est ibi quantitas nec numerus».

2. Item, *ratione* videtur, quia omne [8] integrum est compositum ex partibus; sed Deus est summe simplex: ergo in Deo nulla est totalitas nec integritas.

3. Item, omnis pars sub ratione partis habet esse imperfectum respectu totius, quia ex aliquibus

---

[1] Cod. X cum ed. 1 adiungit *quaeritur*.

[2] In ed. 1 additur *ibi*.

[3] Hic, c. 4, ubi haec verba Augustini afferuntur: «Propter unitatem naturalem totus Pater in Filio et Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in Patre et Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est propter naturae divinae unitatem». Et c. 6, ubi Augustinus inter cetera dicit: «Pars ergo Trinitatis esse non potest quicumque unus in tribus». Ex quibus verbis propositio illa obiectionis formata esse videtur. — Vat. hic et infra in principio respons. ad hanc obiectionem praeter fidem fere omnium mss. et sex primarum edd. *essentia* loco *Trinitas*, pro quo codd. PQ *divinitas*.

[4] Vat. absque auctoritate mss. et sex primarum edd. *contra* pro *ergo*. — Cum *ergo* incipit replicatio.

[5] Sensus argumenti est: Si verum est axioma: duae res aequales remanent aequales, si utrique additur idem, etiam verum erit hoc axioma: si aliquid est totum ad aliquid, remanet totum, si subiecto et praedicato idem additur; unde si in propositione: tres est totum ad unum, addo vocabulum *persona* ad tres et unum, non alteratur veritas eiusdem.

[6] Aristot., V. Metaph. text. 31. (IV. c. 26.) ait: «Totum dicitur cuius nulla pars eorum abest, ex quibus totum natura (i. e. secundum propriam naturam) dicitur; et quod continet contenta, ut unum quid illa sint; hoc autem dupliciter: aut enim ut unumquodque unum, aut ex his illud unum. Ipsum enim universale et quod omnino ut totum quippiam ens dicitur, sic est universale, ut multa continens, eo quod de singulis praedicatur... Ceterum continuum et finitum, cum e pluribus inexistentibus unum quid sit, maxime quidem potentia, non actu». Quae verba Scotus, Comment. in hunc locum, ita explicat: Et per hoc dat intelligere duplex totum, scil. totum universale, cuius quaelibet pars est ipsum totum, quatenus tale totum praedicatur de suis partibus, praedicatione dicente: hoc est hoc; aliud totum integrale, quod ex suis partibus constituitur, tamen nulla eius pars est ipsum totum, quia nullum tale totum de suis partibus praedicatur.

[7] Seu libr. I. de Fide c. 2. n. 19; et III. de Spir. S. c. 13. n. 93. ait: Quomodo enim pluralitatem recipit unitas divinitatis, cum pluralitas numeri sit, numerum autem non recipit divina natura?

[8] In cod. M additur *totum*.

omnino perfectis non resultat tertium [1]: ergo cum in divinis nihil imperfectionis sit ponendum, non est ibi pars: ergo a relativis [2], nec totum.

4. Item, omne totum est maius sua parte; sed ubi infinitas, ibi non est maius et minus: ergo nec totalitas: sed in divinis est infinitas: ergo.

5. Item, omne totum est resolubile vel secundum rem, vel secundum intellectum [3], et omne resolubile est corruptibile: ergo cum in Deo nihil sit corruptibile, non erit resolubile, et ita nec totum.

CONCLUSIO.

Ratio totalitatis, prout exprimit aliquid perfectum, convenit Deo; sed prout habet respectum ad partes, nec totalitas nec partialitas in Deo poni potest.

Totum dicitur dupliciter.

Respondeo: *Totum* sive totalitas uno modo dicitur absolute; et sic totum idem est quod perfectum [4]. Alio modo dicitur *totum* per comparationem ad partem; et sic dicitur totum quod habet partem et partem sive partes [5].

Conclusio bimembris.

Primo modo bene est ponere *totalitatem* in Deo, secundo [6] non, nec etiam *partialitatem;* totalitatem non, quia aufert simplicitatem; partialitatem non, quia tollit perfectum; neutrum, quia tollit aequalitatem summam.

Ad oppositum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de Augustino, qui dicit, quod tota Trinitas etc.; dicendum, quod totum accipit pro perfecto, vel totum ibi accipitur privative, quia privat hoc quod est esse partem extra partem. Unde tantum valet *tota essentia,* quantum valet *non habens partem* extra vel intra.

2. Ad illud quod secundo obiicitur, quod est ibi quantitas virtutis; dicendum, quod quantitas virtutis stat cum summa simplicitate; ideo abstrahit a totalitate et integritate.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ubi pluralitas, ibi integritas [7] etc.; dicendum, quod pluralitas in creaturis duo dicit. Dicit enim aliquorum *distinctionem*, et ex ipsis unius multitudinis [8] *constitutionem.* Primum quidem reperitur in divinis, quia ibi est distinctio vere; secundum non, quia ubi constitutio est, ibi constituentia minus habent quam totum, quod constituunt, et ita essentialiter differunt ab invicem. In divinis autem non sic, quia cum Pater [9] habeat totam essentiam, non partem, non potest minus habere nec essentialiter differre. Et ideo dicendum, quod in divinis recipitur [10] *pluralitas* ratione distinctionis. Sed quia *pluralitas* est totum ratione constitutionis, et haec non est in divinis; ideo non sequitur, quod sit ibi *totalitas;* est tamen ibi vere unitas et pluralitas [11], et *tantum* est in unitate, quantum in pluralitate, sed non *tot modis.* Et quia fides non tantum est respectu essentiae vel magnitudinis, sed etiam modi essendi, patet quod obiicitur, quod non tantum credit qui credit unam personam, quantum qui credit plures.

Pluralitas dicit duo in creaturis.

Non sic in divinis.

4. Ex hoc patent sequentia, quia unum est pars trium, secundum quod dicit [12] unitatem, et tria trinitatem. Sed cum additur hoc nomen *persona,* distrahitur et non manet illa ratio unitatis, ideo nec ratio partialitatis.

5. 6. Ad illud quod obiicitur, quod *praedicatur* simul et *removetur* [13] etc.; dicendum, quod hoc non solum convenit totalitati respectu partis, sed etiam pluralitati respectu unitatis; quae quamvis non teneat rationem partis [14] propter diminutionem et imperfectionem, tenet tamen rationem unitatis propter principium et distinctionem.

Ad 6.

Unde quod totum removeatur a partibus et non [15] differat, hoc non est ratione constitutionis principaliter, sed ratione distinctionis. Et quoniam in divina pluralitate, quamvis non sit unius maioris constitutio, quia tamen ibi est distinctio, ideo sic removetur, et sic praedicatur sicut totum in creaturis.

---

1 Aristot., VII. Metaph. text. 49. (VI. c. 13.). Vide supra pag. 311 nota 7.

2 Id est, concludendo ex habitudine unius relativi ad aliud, nempe partis ad totum.

3 Vide Anselm., Proslog. c. 18, et de Fide Trin. c. 3. Cfr. supra pag. 161 nota 1.

4 Aristot., III. Phys. text. 64. (c. 6.): Totum vero et perfectum aut omnino idem sunt, aut natura inter se affinia.

5 Aristot., V. Metaph. text. 31. (IV. c. 26.). Vide supra arg. 5. ad opp.

6 In codd. VX satis bene additur *vero modo.* Paulo infra cod. Z *perfectionem* pro *perfectum.* Dein ed. 1 post *neutrum, quia* bene addit *utrumque.*

7 Ex cod. Y supplevimus *integritas.*

8 Ita plures mss. ut FGHPQY cum ed. 1; alii cum Vat. *multiplicationis.*

9 Cod. O *quaelibet persona* loco *Pater.*

10 Fide mss. et ed. 1 substituimus *recipitur* pro *reperitur,* et paulo infra ex pluribus mss. ut ACSTV cc et ed. 1 *haec* pro *hoc.* Multi codd. ut AFGHISTVZ etc. cum ed. 1 *erat totum* loco *est totum.*

11 Vat. cum cod. cc *est tamen naturae unitas et personarum pluralitas,* sed obstat auctoritas aliorum mss. et ed. 1. Paulo infra multi codd. cum Vat. *Sed quia* loco *Et quia* contra codd. GH et ed. 1.

12 Supple cum ed. 1 *unum,* quae et mox ponit *adderetur* pro *additur.*

13 Ita brevissime mss. et ed. 1, dum Vat. *obiicitur quod omne, quod praedicatur simul et de nullo* etc. *Et ad sequens: omne quod removetur* etc.

14 Cod. Z incongrue hic addit *scilicet in divinis,* et mox post *imperfectionem* adiungit *quam scilicet dicit pars.*

15 Vat. perperam, quia argumentationi minus respondet, et absque auctoritate mss. et sex primarum edd. omittit *non.* Argumentationis summa in hoc est: ratio, quare *totum* i. e. Trinitas removetur a Patre, nec tamen ab ipso differt sicut totum a

SCHOLION.

I. Pro intelligentia huius quaestionis notandum, quod S. Doctor hic in corp. et ad 1. verbum *totum* sumit triplici modo. Potest enim intelligi vel *positive* vel *privative;* si positive, tunc iterum vel *proprie* i. e. comparative ad partes, et sic *totum* est idem ac *habens partes;* vel *absolute*, et sic significat perfectum. Si autem accipitur *privative*, tunc significat ens, quod non habet partes, sicut sunt omnia indivisibilia v. g. anima. In primo sensu *totum* minime potest transferri ad Deum, bene vero in secundo ac tertio sensu. His suppositis, quaestio resolvitur quoad *totalitatem* duplici conclusione; deinde negativa solutio extenditur etiam ad *partialitatem*.

II. Pro intelligentia 3. 5. et 6. oppositi et solutionis notandum, quod natura *totius integralis* importat, quod totum praedicetur de omnibus partibus simul, sed de nulla parte per se. Ratio huius est non tantum, quia *distinguuntur* partes, sed etiam quia totum est *inaequale* in comparatione ad suas partes. Verum quidem est, quod etiam *Trinitas* non praedicatur de aliqua persona per se, tamen ex hoc non sequitur, quod Trinitas sit totum integrale relate ad singulas personas, quia non propter aliquam *inaequalitatem* Trinitatis ad singulas personas, sed solummodo propter *distinctionem* personarum ista praedicatio fieri nequit. Unde recte replicatur in 3. oppos.: « Illa pluralitas (personarum) non integratur (i. e. non facit totum integrum), quia nihil plus est in tribus quam in uno ». Sic etiam verba in solutione: « Ubi constitutio est, ibi constituentia minus habent quam totum », facile intelliguntur, quia manifestum est, quod quando partes constituunt unum totum, partes minus sunt quam totum. In divinis non est sic, quia pluralitas personarum non constituit *totum*, ut ibi a S. Doctore bene explicatur.

Pro solut. ad 4. notandum, quod numerus in divinis non habet plenam rationem numeri, quia etsi personae sunt distinctae per suas personales proprietates, tamen conveniunt in una numero essentia; sed numerus secundum plenam sui rationem importat numeratorum distinctionem in essentia. Unde tres unitates personales sunt quidem plures quam una, non tamen sunt plures vel plus *in essentia;* ita fere Richard. a Med., loc. infra cit. et ad mentem Seraphici Doctoris, cfr. infra d. 24. praecipue a. 3. q. 1.

III. Scot., de hac q. et duabus seqq. Report. hic q. 5. — S. Thom., hic q. 4. a. 1. — B. Albert., hic a. 12; S. p. I. tr. 11. q. 47. m. 1. q. incid. — Petr. a Tar., hic q. 3. et 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2. — Henr. Gand., S. a. 43. q. 1. a. 4. — Durand., de hac 1. et 4. q. hic q. 4. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum in divinis possit poni totum universale.

Secundo quaeritur, utrum in divinis sit ponere totum universale. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Per Damascenum[1], qui dicit, « quod in divinis commune est, ut substantia, particulare, ut atomus »: ergo si est ibi commune et particulare, ergo universale, quia particulari non respondet aliud commune quam universale.

2. Item, hoc ipsum videtur per definitionem[2] universalis et particularis. « Universale enim est quod praedicatur de pluribus; particulare de uno solo »; sed has rationes est invenire in divinis: ergo etc.

3. Item, omne quod est in plus et est univocum, est universale ad illa, respectu quorum est in plus[3]; sed essentia sive substantia est in plus quam persona, et in plus univocum, quia[4] dicit unam naturam repertam in illis secundum identitatem: ergo etc.

4. Item, in divinis est communicabile et incommunicabile; aut ergo *eodem*, aut *alio* et *alio*. Non *eodem;* quia illud non est intelligibile, quod ex eodem veniat communitas et proprietas, convenientia et differentia formaliter[5], ergo *alio* et *alio:* ergo si alio est communicabile, alio incommunicabile, ergo cum communicabile sit ratione eius *quo est*, incommunicabile ratione eius *quod est*, ergo *quo est* et *quod est* in divinis sunt per differentiam; sed ubi haec sunt per differentiam, ibi est universale et particulare: ergo etc.

5. Item, quanto aliquid simplicius, tanto universalius[6]; sed divina essentia est simplicissima: ergo ibi maxime est ratio universalis.

Contra: 1. Boethius[7] dicit, quod nec est universale nec particulare. Fundamenta.

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione*, quia ubicumque est universale, ibi est una forma multiplicabilis vel multiplicata[8]; in cuius rei signum *omne*,

---

partibus, non est, quod Trinitas sit maius aliquid quam Pater (una siquidem essentia est in tribus), sed quod ibi est realis distinctio personarum.

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 6. Vide hic in lit. Magistri, c. 9. In quo textu Vat. contra mss. et ed. 3 habet *Antonius* pro *atomus*.

[2] Vat. cum cod. cc *distinctionem*, aliis tamen codd. et ed. 1 exhibentibus *definitionem*, quae sumta est ex Aristot., I. Periher. c. 5. (c. 7.).

[3] Haec definitio universalis colligitur ex Aristot., II. Poster. c. 14. (c. 12.). Vide supra p. I. huius d. q. 4. arg. 1. ad opp.

[4] Fide codd. K T Z substituimus *quia* pro ambiguo *quod*.

[5] Antiquiorum mss. et ed. 1 lectionem *formaliter* pro *personalis* restituimus, quae certe melior est.

[6] Cfr. Libr. de Causis, prop. 4. — In fine argumenti Vat. cum uno alteroque codice minus bene *maxima;* plures codd. ut A F H ee ff omittunt *est*.

[7] Libr. de Trin. c. 1. et 2, ubi haec propositio sententialiter sive tanquam conclusio continetur; ostendit siquidem ibi Boethius, quod propter summam substantialem Dei indifferentiam seu unitatem et simplicitatem « nulla in eo sit diversitas, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque idcirco nec numerus », ex quibus praedicta propositio consequitur. Vide Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 4. a. 1. — Mox codd. F G post *quod* satis bene addunt *in divinis*, codd. H M vero *Deus*.

[8] Sub hoc respectu Aristot., VII. Metaph. text. 45. (VI. c. 13.) universale definit: quod pluribus natura inesse natum est.

quod significat *quoniam universaliter*, potest addi omni universali; sed in Deo non est una forma vel natura multiplicabilis nec multiplicata nec recipit signum universale, ut dicatur *omnis Deus:* ergo etc.

3. Item, ubi est particulare, ibi est forma vel natura ut *hic et nunc* [1]; sed divina natura sive in se, sive in hypostasibus non est *hic et nunc,* sed semper et ubique: ergo nec in se nec in hypostasibus est ibi particulare.

4. Item, ubi est particulare et universale, universale est simplicius particulari [2]: ergo cum in Deo non sit simplicior essentia quam persona, quia in persona nullum est accidens, nullum principium constitutivum: ergo etc.

5. Item, omnis natura, in qua est universale et particulare, est in genere determinato; et omnis talis est limitata [3]: ergo cum divina natura sit infinita, patet etc.

CONCLUSIO.

Licet in divinis sit ratio communis et proprii, communicabilis et incommunicabilis, minime tamen ibi est ratio universalis et particularis.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod, cum fides nostra [4] ponat trinitatem et unitatem in divinis, necessario ponit convenientiam et distinctionem. Et quia convenientia non est nisi in communicabili a pluribus [5] et communi, distinctio autem non est nisi in proprio et incommunicabili, necessario in divinis ponitur ratio *communis* et *proprii, communicabilis* et *incommunicabilis.* Conclusio I.

Sed cum in Deo et [6] creaturis sit distinctio suppositorum, aliter est in Deo quam in creaturis. Distinctio enim suppositorum maior est quam distinctio accidentalis; unde quamvis innotescat per accidentia [7], tamen non fit per accidentia. Accidentibus enim circumscriptis, adhuc est intelligere supposita differre; et cum non fiat per accidentia consequentia [8], oportet quod fiat ab *origine* vel ab *originali principio.* Ab *origine* est, quando unum differt ab altero, quia emanat ab eo; idem enim a se emanare non potest. Talis distinctio suppositorum est in Deo, sed haec [9] non potest esse in creatura, scilicet distinctio solum per originem; nam nulla creatura potest alteri totam suam essentiam dare. Si ergo dat partem, necesse est, quod alia differentia sit ibi quam originis; et ideo est differentia ab *originali principio.* Haec autem non est *forma* in se, quia dicit quid communicabile [10], nec *materia* in se, quia dicit quid indistinctum [11]: ergo hoc facit *forma, ut adveniens materiae.* Quia enim adveniens materiae accipit partem, non totam [12] materiam, hinc est, quod ipsam distinguit. et ipsam distinguendo trahi-

Aliter distinguuntur supposita in Deo ac in creaturis.

— Mox addendo coniunctionem *quoniam* praestamus lectionem mss. et ed. 1, quam genuinam iudicamus, quia respondet verbis Aristot., I. Periherm. c. 5. (c. 7.) et ibid. II. c. 1. (c. 10): τὸ γὰρ πᾶς οὐ τὸ καθόλου σημαίνει, ἀλλ' ὅτι καθόλου et versioni a Boethio factae (qua et schola et in specie S. Doctor uti solebant): *Omnis* enim non universale significat, sed *quoniam universaliter* (ed. Migne, Patrol. lat. tom. 64. col. 322 et 348). Vide Nicolaum de Orbellis O. Min. (floruit circa 1450) in Expositione logicae supra textum Mag. Petri Hispani, c. de Propositione.

[1] Porphyr., de Praedicab., individuum seu particulare definit: « Cuius collectio proprietatum nunquam in alio quolibet eadem erit ». Inter has proprietates principatum obtinent *locus* et *tempus.* Cfr. Boeth., de Trin. c. 4, qui *loco* principatum dat, et Aristot., I. Poster. c. 24. (c. 31.), qui et *loci* et *temporis* mentionem facit ac de universali per oppositionem ad particulare iuxta translationem Boethii haec adiungit: Universale autem, quod est in omnibus, impossibile est sentire; neque enim hoc aliquid est neque *nunc* neque *ubi* (οὐ γὰρ τόδε οὐδὲ νῦν); neque enim utique esset universale; quod enim semper est et ubique, universale dicimus esse. — Ultima verba intelligas de perpetuitate et ubiquitate *negativa* i. e. illa quae abstrahit ab omni determinato tempore et loco; non autem de *positiva* i. e. illa quae se extendit ad omnia tempora et loca, et quae soli divinae naturae per se singulari (neutiquam universali) convenit, de qua in hoc agitur argumento. — Codd. L O *ibi est materia et forma* loco *ibi est forma vel natura.*

[2] Vide Porphyr., de Praedicab. c. de Specie et Differentia, et Aristot., I. Poster. c. 20. (c. 24.), ubi ex hoc deducit, demonstrationem universalem esse praestantiorem particulari.

[3] Cfr. supra d. 8. p. II. q. 4.

[4] Ed. 1 *vera* pro *nostra.*

[5] Intellige haec verba in sensu passivo, ita ut sensus sit: nisi in aliquo, quod aptum est communicari seu haberi a pluribus. — Vat. praeter fidem mss. et sex primarum edd. omittit *a.*

[6] Vat. repetit hic *in*, quod deest in mss. et ed. 1.

[7] Alluditur ad supra in 3. fundam. a nobis allatam definitionem individui. Collectio accidentalium proprietatum, quibus individuum nobis innotescit, hoc versu continetur: Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.

[8] Ed. 1 *consequenter*, in qua lectione interpunctionem mutes necesse est. Paulo infra post *ab altero* in ed. 1 additur *solum.*

[9] Ex pluribus mss. ut A T Y etc. substituimus *haec* pro *hoc.* — De ratione, quam S. Doctor hic affert, plura vide supra d. 9. q. 1.

[10] Sensum istorum verborum accipe a S. Doctore, II. Sent. d. 3. p. 1. a. 2. q. 3. in corp., ubi fusius de principio individuationis agit: « Rursus, quomodo forma sit tota et praecipua causa numeralis distinctionis, valde difficile est capere; cum omnis forma creata, quantum est de sui natura, *nata sit habere aliam sibi similem*, sicut et ipse Philosophus (VII. Metaph. text. 55. — ed. Paris., VI. c. 15.) dicit, etiam in sole et luna esse ». — Idem dicit S. Thomas de formis materialibus seu per se non subsistentibus, in Comment. super VII. Metaph. lect. 15. et in opusculo de Individuatione. — Ex mss. et edd. 1. 2, 3 ante *communicabile* supplevimus *quid.*

[11] Sub hoc respectu Aristot., VII. Metaph. text. 8. (VI. c. 3.) materiam describit: Dico autem materiam, quae per se ipsam neque quid neque quantum nec aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur. Vide etiam I. Metaph. text. 17. (c. 8.), ubi ait: Quando namque nihil erat discretum (translat. arabico-latina: Quoniam autem in fundamento naturae *non est aliquid distinctum)*, palam quia nihil erat verum dicere de substantia illa... nec enim quale aliquid id possibile esse nec quantum nec quid.

[12] In Vat. male omittitur *totam*, quod tamen exstat in mss. et ed. 1, a quibus etiam, uno alterove tantum codice excepto, paulo infra lectio Vat. *trahit* loco *trahitur* emendatur.

tur in partem et limitatur et fit *hic et nunc* et unum numero et particulare.

Conclusio 2. Quoniam igitur in divinis non est additio ad materiam nec tractio in[1] partem, ideo non cadit in divinis universale nec particulare, sicut ostendunt rationes ad hoc inductae in opponendo.

Ad oppositum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur de Damasceno, dicendum, quod improprie dicitur *particulare* pro *incommunicabili*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod universale est quod praedicatur de pluribus; dicendum, quod ista est ratio *communicabilis; universalis* autem non est, nisi secundum quod realiter intelligitur multiplicari[2] in illis. Similiter solvendum de particulari.

3. Ad illud quod obiicitur, quod est in plus et est univocum etc.; dicendum, quod universale est in plus, ita quod simplicius, et fit in[3] minus per additionem ad illud; non autem sic in Deo.

4. Ad illud quod quaeritur, utrum eodem sit[4] communicabile et incommunicabile; dicendum, quod alio et alio; quia, sicut dicit Augustinus[5], « alio est Deus, et alio Pater »; sed non alio et alio secundum *rem, sed secundum rationem:* quia deitate est Deus, paternitate Pater, et paternitas non est aliud *re* ab essentia, quoniam paternitas est essentia; est tamen aliud *ratione*. Et quia ablativus dicit rationem, ideo non eodem est Deus, quo Pater[6]. — *Et si obiicias:* aut rationi illi respondet aliquid in re, aut nihil; dicendum, quod ratio illa per comparationem ad *essentiam* non est nisi modus, sed per comparationem ad aliam *personam* est res. Et hoc patet, quoniam *habere essentiam ab alio* et *non habere* non dicit rem aliam, sed solum modum; *habere* autem *ab alio* et *habere non ab alio* dicit realem differentiam, quia nulla res est a se et ab alio[7]. Ad replicationem.

5. Ad illud quod ultimo obiicitur de simplici, dicendum, quod est simplex *possibile ad additionem*, et tali modo universale est simplex; alio modo simplex, quia *privat compositionem* et additionem, et haec repugnantia non consonat universalitati; et tali modo divina essentia est simplex, quae nullo modo trahibilis est in partem per additionem, sicut trahitur universale; et ideo non est universale.

SCHOLION.

I. Sententia communis affirmat, in divinis esse quidem rationem *communis* et *proprii*, minime vero rationem *universalis* et *particularis*, sive speciei et individui. Unde notanda est differentia inter *universale* et *commune*, *particulare* et *proprium* sive *incommunicabile*. Licet enim omne universale sit commune, non tamen omne commune est universale. *Universale* enim praedicabile, de quo est hic sermo, opponitur particulari, « quod, ut dicit Alex. Hal., eo dicitur, quod partem capiat communis naturae », et est aliquod superius, quod per differentias contrahi potest ad sua inferiora, ita ut in eis realiter multiplicetur. *Commune* vero in genere est unum in pluribus; quod dupliciter potest esse, scil. vel multiplicatum in pluribus, et tunc idem est ac universale; vel non multiplicatum, ut essentia divina, quae una est in tribus personis (cfr. supra d. 5. dub. 2.). In hoc sensu speciali *commune* retinet nomen genericum et distinguitur ab *universali*.

II. Pro explicatione ampliore haec referimus ex Alex. Hal. (loc. infra cit.): « In Deo non est ponere esse universale, nec esse singulare vel particulare; habet tamen esse divinum de utroque quod est perfectionis. *Universale* enim est in multis et dicitur de multis, quia non est totum, quod sunt singularia, sicut homo non dicit totum, quod est Socrates, sicut quantitatem et qualitatem et operationem, quae tamen sunt in esse Socratis... Sed cum dicitur Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, dicitur esse divinum *in* multis, sed non *de* multis. Cum enim dico *Deus*, dico totum esse Patris, totum esse Filii. Esse ergo *de* multis imperfectionis est in esse universali, unde non convenit esse divino; sed esse *in* multis convenit, quia hoc est virtutis et nobilitatis ».

« Similiter *particulare* dicitur quod est in uno solo; non tamen est de multis. Quod non sit de multis perfectionis est, quia dicit totum esse; sed esse in uno solo imperfectionis est, quia nobilius est esse in multis quam in uno. Ideo esse divinum est in multis, non in uno solo, esse, inquam, in multis *non multiplicatum, sed unum*. — Item est loqui de particulari sive individuo tribus modis: uno modo secundum quod dicitur esse a *materia;* alio modo secundum quod ab *accidentibus;* tertio modo secundum quod a *forma signata* et singulari ». Deinde probat, quod nullo istorum modorum esse possit singulare in Deo, et concludit: « Cum igitur Deitas nullo modo plurificetur in Patre et Filio et Spiritu sancto, non se habet Deitas ad Patrem et Filium et Spiritum sanctum ut universale ad singulare ». Bene autem monet Dionys. Carth. (loc. cit.), illa verba *esse de multis* sensum habere, esse *partem* sive *aliquid* eorum, quae sunt multa vel in multis. Hoc patet ex tota Alexandri argumentatione. Ipse non negat divinam essentiam praedicari de tribus personis analogo modo, sicut omne universale, quod est in multis, praedicatur de multis.

---

[1] Vat. praeter fidem fere omnium mss. et ed. 1 hic *ad* pro *in* et mox *vel* loco *nec*.

[2] Vat. absque auctoritate codd. et ed. 1 *multiplicatum*.

[3] Plurimi mss. cum ed. 1 exhibent verbum *fit* loco *sic* et particulam *in*, quam Vat. omittit. Mox Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 male substituit *sicut* pro *sic*, post quam particulam plures codd. ut G H K T etc. adiiciunt *est*.

[4] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 supplevimus *sit*.

[5] Libr. VII. de Trin. c. 6. n. 11: Quocirca ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est. Cfr. etiam supra d. 6. dub. 2. et infra d. XXXIII lit. Magistri circa finem, ubi August. Serm. 1. in Psalm. 68. n. 5. affertur.

[6] Plura de hoc vide infra d. 33. q. 2. et dub. 4. — Mox post primum *aut* in Vat. et cod. cc additur *tunc*, quod deest in aliis mss. et ed. 1.

[7] Ad pleniorem praedictorum intelligentiam vide ea quae S. Doctor supra d. 5. a. 1. q. 1. ad 1. dicit. Cfr. etiam infra d. 26. q. 1. ad 2. et d. 34. q. 2. ad 7. — Vat. absque auctoritate mss. et sex primarum edd. incongrue *haberi essentiam ab alio et non haberi* loco *habere essentiam ab alio et non habere* et mox *nullus* pro *nulla res*. Cod. T *esse autem ab alio et non esse ab alio* loco *habere autem ab alio et habere non ab alio*, in qua propositione multi codd. cum ed. 1 minus bene *et non habere ab alio*. Dein aliqui codd. *sed ab alio* pro *et ab alio*.

III. Fundamentum solutionis ad 4. est distinctio inter *essentiam* et *proprietatem*, de quo cfr. supra d. 13. q. 3. et Scholion; d. 8. p. II. q. 2; d. 33. q. 2, et praecipue d. 26. q. 1. et Scholion. — Quaestio de principio individuationis in fine responsionis tangitur, de qua in II. Sent. d. 3. plura dicenda erunt.

IV. De ipsa quaestione: Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 4. a. 1. — S. Thom., hic q. 4. a. 2; S. I. q. 3. a. 5. — B. Albert., hic a. 14. 15; S. p. I. q. 47. m. 3. partic. 4. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Ægid. R., hic I. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 43. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO III.

Utrum in divinis personis poni possit principium materiale.

Tertio quaeritur, utrum in divinis personis sit ponere principium materiale. Et quod sic, ostenditur hoc modo.

Ad oppositum.

1. Quandocumque aliquis vel aliquid est de aliquo, ita quod ipsum est distinctum, et illud, de quo est, indistinctum, est de illo tanquam de materiali principio [1]; sed persona Filii est de substantia Patris, et persona distinguitur, substantia dicit quid indistinctum: ergo est sicut materiale principium.

2. Item, sicut efficiens et finis sunt causae correlativae, ita forma et materia [2] — forma enim dicitur respectu materiae — sed in Deo est ponere causam formalem, «ipse enim est forma», ut dicit Boethius [3]: ergo in Deo est ponere materiam.

3. Item, videtur quod causa materialis magis competat Deo quam aliquod genus causarum, quia materia in his inferioribus dat existentiam et permanentiam propter sui incorruptionem, unde fundamentum est existentiae creatae [4]: si ergo Deus sive divinum esse habet existentiam sive permanentiam per fundamentum incorruptibile, videtur quod Deo maxime competat ratio materialis principii, ergo etc.

4. Item, in rebus creatis finitas a forma venit, sed infinitas a materia [5]; sed omne quod est in Deo, est infinitum: ergo cum Deo maxime conveniat passio consequens principium materiale, maxime competit et ipsum.

5. Item, quamvis in Deo sit summa et omnimoda simplicitas, tamen nos ponimus in Deo *quod est* et *quo est* vere, sed tamen [6] per indifferentiam: ergo pari ratione videtur, quod in Deo possit poni materia et forma, tamen per indifferentiam.

6. Item, omnis distinctio est a forma [7], ergo circumscripta omni forma creata, materia non distinguitur, ergo non est aliud a Deo, ergo est Deus, quia omne quod est et non distinguitur a Deo, est Deus: videtur ergo, quod materiale principium sit ipse Deus, et ita competere divinis personis [8].

Fundamenta.

Contra: 1. Boethius in libro de Trinitate [9]: «Forma sine materia non potest esse subiectum», et loquitur de Deo: ergo in Deo non erit ratio principii materialis.

2. Item, materia inter omnia entia est imperfectissimum, unde et Augustinus dicit in libro Confessionum [10], quod prope nihil est; sed Deus est omnino perfectissimus: ergo omnino in eo nihil invenitur imperfectionis: ergo nec quod est materiae.

3. Item, materia est principium patiendi [11], unde pati est a materia. Omne igitur, in quo est materia, est natum pati et recipere; sed nihil tale est omnipotens; in hoc enim, quod pati potest, deficit a posse: ergo in omnipotente nullo modo est materiale principium.

4. Item, si materia est in Deo, aut respectu

---

[1] Haec propositio fundatur in Aristotelis sententia de materia et forma, quae se habent ad invicem ut potentia (indistinctum) et actus (distinctum), et secundum quam forma substantialis rerum genitarum (excepta anima rationali) educitur e potentia materiae.

[2] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 28-31. (c. 3.) et V. Metaph. text. 2. et 3. (IV. c. 2.), ubi hoc colligi potest tum ex definitione causarum, tum ex eo, quod efficiens et finis etc. ponuntur esse sibi invicem causa. Vide S. Thomae et Scoti commentaria in hos locos. — Ex plurimis mss. substituimus *correlativae* loco *corollariae*, pro quo ed. 1 *corrolate.*

[3] Libr. de Trin. c. 2.

[4] Videsis Aristot., I. Phys. text. 82. (c. 9.), ubi incorruptibilitas materiae monstratur, et VII. Metaph. text. 8. (VI. c. 3), ubi materia tanquam ultimum sive fundamentum substantiae exhibetur. — Ope plurimorum mss. et ed. 1 substituimus *creatae* loco *creaturae.* Mox Vat. cum uno alterove tantum codice ponit *cum* loco *si* et *Deum* pro *divinum* ac *habeat* loco *habet.*

[5] Cfr. Aristot., III. Phys. text. 59-72. (c. 6. et 7.) et Averroes, in Comment. super praedictos textus. — Paulo infra post *passio* fide fere omnium mss. et ed. 1 expunximus repetitum *maxime*, quod codd. C O hoc loco ponunt, ipso tamen omisso post *Deo.* Dein cod. Z post *competit* addit *ei.*

[6] Vat., refragantibus codd. et edd. 1, 2, 3, *tantum.* Mox plures codd. cum Vat. *posset* loco *possit.*

[7] Aristot., VII. Metaphys. text. 49. (VI. c. 13.): Actus namque separat (ἡ γὰρ ἐντελέχεια χωρίζει). — De indistinctione materiae vide q. praec. in corp.

[8] In Vat. desiderantur verba *et ita competere divinis personis*, quae tamen exstant in omnibus mss. et sex primis edd.

[9] Cap. 2: Forma vero, quae est sine materia, non poterit esse subiectum.

[10] Libr. XII. c. 7. n. 7: Tu eras et aliud nihil, unde fecisti caelum et terram, duo quaedam; unum prope te, alterum prope nihil. — Ex multis mss. ut A F G K T Y Z etc. et sex primis edd. post *unde* supplevimus *et*, ac paulo infra fide plurimorum codd. et ed. 1 substituimus *perfectissimus* loco *perfectissimum.* In fine argumenti cod. A *materia* pro *materiae.*

[11] Aristot., I. de Gener. et Corrupt. text. 55. (c. 7.): Materia, ut materia, passiva est. Et ibid. II. text. 53. (c. 9.): Materiae enim est pati. — Mox Vat. cum cod. cc, aliis tamen codd. et ed. 1 obnitentibus, *Unde omne* loco *Omne igitur.*

sui, aut[1] *aliorum*. Si respectu *aliorum:* cum ergo materia sit ens in potentia ad alia nec distinguatur ab aliis rebus, sed per eas perficiatur, tunc Deus reciperet complementum a creatura nec ab ea distingueretur, quod absurdum est. Si autem materia est[2] in Deo respectu *sui*, aut *pure* est materia, aut aliquid *aliud*. Si *pure* materia: ergo non est ens[3]. Et *praeterea*, nihil est materia sui ipsius: ergo oportet, quod ibi sit aliquid cum materia: et si hoc, ergo divinum esse est compositum et mixtum: ergo nec Deus habet *esse simplex* ac per hoc nec *esse primum*, et ita non est Deus.

CONCLUSIO.

In Deo nullo modo, nec proprie nec transumtive, poni potest materiale principium.

Respondeo: Dicendum, quod in Deo nullo modo, nec proprie, nec transumtive recipitur materiale principium. Et ratio huius est, quoniam materia dicit principium passivum et ita incompletum; et quoniam a divino esse[4] omnis incompletio et omnis passio penitus removenda est, ideo nullo modo genus materialis principii in Deo esse ponitur. Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod persona est *de substantia*, et ipsa est *distincta*, et substantia non; dicendum, quod hic est defectus quantum ad utramque conditionem. Nam *primo* haec non recipitur, quod *persona* sit *de substantia*, sicut vult Augustinus[5], quia «non dicimus tres personas ex eadem essentia»; licet haec communiter recipiatur, quod *Filius* est de substantia Patris, ubi non materia, sed originis consubstantialitas designatur, sicut supra ostensum est distinctione quinta[6]. *Alia* est conditio, quae deficit: nam materia est distincta[7] et possibilis ad distinctionem per formam; sed substantia vel essentia nullo modo distinguitur nec per se nec per accidens; et ita patet, quod non convenit ei ratio materiae. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod efficiens refertur ad finem et forma ad materiam; dicendum, quod nullius causae habitudo cadit in Deo[8] respectu sui, sed respectu creaturarum; et aliarum causarum habitudines in Deo recipiuntur, circumscripta dependentia, propter hoc, quod sonant in perfectionem[9]; sed materia sonat omnino in imperfectionem. Et quod obiicitur, quod forma dicitur ad materiam; dicendum, quod est forma *constitutiva* et *exemplaris*. Et forma *constitutiva* dicitur ad materiam; et haec non cadit in Deo, sed forma *exemplaris* sic[10]. Et si dicatur, quod Deus est forma in se, hoc est dictum, quia est actus purus non dependens a possibili. Nec tamen simile est de correspondentia *formae* et *materiae*, et *efficientis* et *finis*[11]. *Efficiens* enim et *finis* possunt incidere in idem numero; sed *forma* et *materia* nunquam. Forma vero[12] *constitutiva* incidit cum *efficiente* et *fine* in idem specie, non numero; forma vero *exemplaris* in idem numero. Duplex forma. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod materia est fundamentum existentiae; dicendum, quod modus illius fundamenti Deo non competit, quia[13] est fundamentum *esse* quod recipit aliunde, scilicet a forma; Deus autem a nullo recipit: ideo non cadit in eo materia.

4. Ad illud quod obiicitur de infinitate, dicendum, quod est infinitas ex *defectu perfectionis*, et haec competit materiae, sed non Deo; et est infi- Duplex infinitas.

---

[1] Aliqui codd. ut YZ cum ed. 1 repetunt hic *respectu*.

[2] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *est* pro *sit*. Paulo ante plures codd. ut AGHISWZ cum ed. 1 *absurdissimum* loco *absurdum*.

[3] Vide a nobis ex Aristotele allatam definitionem materiae q. praec. pag. 358 nota 11. — Mox Vat. cum cod. cc omittit *divinum esse*, quod exhibetur ab aliis mss., licet plures eorum cum ed. 1 incongrue *Deum* loco *divinum* ponant.

[4] Pauci codd. ut SW *a divinis* loco *a divino esse*. Mox ed. 1 *remota* pro *removenda*.

[5] Libr. VII. de Trin. c. 6. n. 11: Nec sic ergo Trinitatem dicimus tres personas vel substantias, unam essentiam et unum Deum, tanquam ex una materia tria quaedam subsistant... tamen tres personas eiusdem essentiae vel tres personas unam essentiam dicimus; tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona. — Paulo infra post *licet* plures codd. ut ATXY cum ed. 1 omittunt *haec*.

[6] Art. 1. q. 2.

[7] Exhibemus lectionem plurimorum mss., quae cum subnexis magis convenit, dum Vat. cum ed. 1 et aliquibus codd. habet *indistincta*, cui cod. I adiungit *de se*.

[8] Vat. contra mss. et ed. 1 *Deum*.

[9] Mendum Vat. et ed. 1 nec non aliquorum mss. *sonant imperfectionem* ex aliis mss. et edd. 2, 3, 4, 5, 6 correximus; cod. Y *sonat imperfectionem* scil. dependentia, non false, sed minus ad rem. Mox multi codd. cum Vat. et ed. 1 post *omnino* omittunt *in*, quod tamen in aliis mss. et edd. 2, 3, 6 invenitur.

[10] Ita multi codd. ut ANORTVWXY etc. cum ed. 1; Vat. cum aliquibus mss., interpunctione variata, incongrue *exemplaris, sicut si;* codd. AZ omittunt *sic*. Mox, postulantibus mss. et sex primis edd., substituimus *dictum* pro *dictu*. Immediate post legunt plures codd. ut FGHKLOY ee ff *quod* loco *quia*.

[11] Aliqui codd. ut SWX hic et paulo post *finalis*.

[12] Fide plurimorum mss. et ed. 1 delevimus hic additum *tantum*. — Aristot., II. Phys. text. 70. (c. 7.) ait: Veniunt autem tres (causae) in unam plerumque; ipsum enim quid est (causa formalis) et id cuius gratia (causa finalis) una est; ipsum vero unde motus primum (causa efficiens) specie eadem est his; homo enim hominem generat.

[13] Supple: materia. In proxime sequentibus praestamus fere omnium mss. et ed. 1 lectionem, quae et cum sententia S. Doctoris de essentiali dependentia materiae a forma congruit (cfr. II. Sent. d. 12. a. 1. q. 1). Cod. F, transpositis verbis, *quia est fundamentum, quod recipit esse aliunde* etc.; Vat. vero cum edd. 4, 5, 6 *quia esse fundamentum est esse quod recipit aliud, et aliunde perficitur, scilicet a forma;* tandem cod. cc cum edd. 2, 3 quoad primam propositionis partem cum Vat., quoad secundam partem, omissis scil. *aliud et ac perficitur*, cum aliis mss. consentit. — Paulo ante cod. Y *in Deo non reperitur* pro *Deo non competit*.

nitas ex *privatione limitationis*, et haec Deo et formae liberrimae, non materiae competit; et ita patet illud.

5. Ad illud quod obiicitur, quare materia et forma non ponuntur per indifferentiam: dicendum, quod ista duo, *quo est* et *quod est*, de ratione sua nullam important imperfectionem, sed ratione eius quod differunt. Unde, sublata eorum differentia, manet completio, et tunc [1] in divinis recipiuntur. Sed materia, non tantum quia differt a forma, dicit incompletionem, sed etiam quia materia est; et ideo nullo modo ponitur in Deo.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod circumscripta omni forma, materia non distinguitur; dicendum, quod ista propositio: omnis distinctio est a forma, non habet veritatem, nisi intelligatur de distinctione perfecta — quod enim habet esse distinctum habet esse completum — de [2] distinctione autem qualicumque falsum est. Materia enim differt a forma, et constat quod se ipsa differt [3] ab ea. Sic potest dici et in proposito, quod materia differt a Deo se ipsa; tamen ex parte sua, quia non est perfecta, non cadit perfecta distinctio: sed ex parte Dei, quia perfectissimus est, perfecta cadit distinctio. Causa [4] enim distinguitur a causato, ens actu ab ente in potentia; et istae sunt primae differentiae et summae.

Quomodo materia distinguitur a forma et a Deo.

SCHOLION.

I. Quaestio haec militat contra pantheismum seu potius materialismum, a Concilio Vaticano (const. I. *de Deo creatore*, can. 2.) his verbis notatum: Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; a. s. In specie eadem confundit insaniam Davidis de Dinanto, cuius principale argumentum fuit illud quod ultimo loco inter ad oppos. legitur, scil. hoc: si Deus non esset idem quod prima materia, oporteret differre ea aliquibus differentiis, et sic non essent simplicia. Nam in eo quod per differentiam ab alio differt, ipsa differentia compositionem facit. Ita S. Thom. (S. c. Gent. I. c. 17.) hoc Davidis argumentum refert, et deinde ad mentem S. Bonav. sic solvit: « Hoc autem processit ex ignorantia, qua nescivit, quid inter differentiam et diversitatem intersit. Differens enim, ut in decimo Metaphysicorum (text. comm. 12.) determinatur, dicitur ad aliquid; nam omne differens, aliquo est differens. Diversum autem aliquid absolute dicitur ex hoc, quod non est idem. Differentia igitur in his quaerenda est, quae in aliquo conveniunt; oportet enim aliquid in his assignari, secundum quod differant, sicut duae species conveniunt in genere, unde oportet, quod differentiis distinguantur. In his autem, quae in nullo conveniunt, non est quaerendum, quo differant; sed se ipsis diversa sunt. Sic enim et oppositae differentiae ab invicem distinguuntur; non enim participant genus quasi partem suae essentiae; et ideo non est quaerendum, quibus differant; se ipsis enim diversa sunt. Sic etiam Deus et materia prima distinguuntur, quorum unum est actus purus, aliud potentia pura, in nullo convenientiam habentes ». Idem argumentum Davidis B. Albert. simili modo solvit (S. p. I. tr. 4. q. 20. m. 2. q. incid.) — In eadem solut. ad 6. a S. Bonav. duplex ponitur species distinctionis, scil. altera perfecta et specifica per formam, altera imperfecta per propriam entitatem materiae.

II. Praeter citatos cfr. supra d. 8. p. II. q. 4. — S. Thom., S. I. q. 3. a. 1. 2. — B. Albert., I. Sent. d. 20. a. 1, ubi refert et solvit plura argumenta « Alexandri, cuiusdam Graeci, et David de Dinanto, Latini »; et S. p. I. tr. 11. q. 47. m. 3. partic. 5. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. 4. — Henr. Gand., S. a. 28. q. 2, et a. 29. q. 2. — Ceteri doctores hanc quaest. tangunt tractando de simplicitate Dei, in specie de illo problemate, utrum Deus sit in aliquo genere determinato, de quo agit Magister d. 8. p. II.

QUAESTIO IV.

Utrum in divinis differentia secundum numerum possit poni.

Quarto et ultimo quaeritur, utrum in divinis sit ponere differentiam secundum numerum. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Damascenus in tertio libro [5]: « Numero, non natura differunt hypostases »; et loquitur de divinis hypostasibus.

2. Item, omnia quae contingit vere numerari, necesse est differre numero; sed hypostases vere contingit numerari, ut dicantur duae et tres: ergo vere cadit in eis differentia secundum numerum.

3. Item, omnia quae differunt re, aut differunt genere, aut specie, aut numero, aut nullo modo differunt [6]. Sed impium est dicere, quod hypostases nullo modo differant: ergo saltem numero differunt.

4. Item, unitas secundum [7] numerum non respicit unitatem formae, sed suppositi — quod patet: hoc enim album et hic sedens, demonstrato Petro, est unum numero — ergo ab oppositis diversitas secundum numerum non respicit diversitatem naturae, sed suppositorum; sed in Deo est pluralitas suppositorum, quamvis non sit diversitas naturarum: ergo etc.

---

[1] Ex mss. et edd. 1, 2, 3 substituimus *tunc* loco *ideo*.

[2] In Vat. et cod. cc desideratur *de*, quod invenitur in aliis mss. et ed. 1. Paulo supra codd. LO post *distinctione* addunt *positiva*.

[3] Vat., obnitentibus codd. et ed. 1, *distat*.

[4] Consensu mss. et edd. 1, 2, 3 posuimus *causa* loco *incausatum*.

[5] De Fide orthod. c. 6: Personae siquidem non natura, sed numero inter se distingui dicuntur.

[6] Cfr. Aristot., I. Topic. c. 6. (c. 5.); V. Metaph. text. 16. (IV. c. 9.); et Boeth., de Trin. c. 1.

[7] In Vat. et cod. cc praeter fidem ceterorum mss. et ed. 1 adiungitur *materiam sive*, et paulo infra contra plurimos codd. ponitur *et hoc patet* loco *quod patet*, pro quo cod. Z *hoc enim patet*.

5. Item, idem et diversum sufficienter dividunt ens[1]: ergo omne quod est ad alterum comparatum, aut est idem specie, aut diversum; aut idem numero, aut diversum. Ergo Pater, comparatus Filio[2], aut est *idem* numero, aut *diversus*. Si *idem;* sed quandocumque aliqua duo sunt eadem numero, unum vere praedicatur de altero: ergo possum dicere: Pater est Filius, quod est[3] contra fidem. Si *diversus* numero: ergo in divinis cadit diversitas secundum numerum.

Fundamenta. SED CONTRA: I. Ambrosius super secundam Epistolam ad Corinthios, et Magister recitat in littera[4]: «Ibi vere unitas, ubi *nulla* diversitas»: ergo non est ibi diversitas secundum numerum, cum sit *aliqua* diversitas, scilicet diversitas secundum numerum.

2. Item, Boethius in libro de Trinitate capitulo secundo: «Nulla est in Deo diversitas, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo»: ergo nec differentia[5] secundum numerum.

3. Item, diversitas secundum numerum solum venit ex parte materiae; unde dicit Philosophus[6], quod «omnino materia numerabiliter est»; sed in divinis non cadit materia aliqua: ergo nec diversitas secundum numerum.

4. Item, quaecumque differunt numero, numerant[7] omnia quae sunt in se ipsis, saltem omnia quae sunt ibi ex parte formalis principii. Hoc patet, quia enim Petrus et Paulus sunt duo, ideo duo homines, duo animalia, duo alba, et sic de singulis: ergo si Pater et Filius[8] sunt numero differentes, ergo habent duas naturas, et duas essentias: ergo sunt duo dii, quod est contra catholicam fidem.

5. Item, quaecumque differunt numero, sunt separabilia imaginatione vel intellectu; sed Pater et Filius nullo modo sunt separabiles, nec re[9] nec intellectu, in divinis, quia una persona est in alia et e converso: ergo nec differunt numero.

6. Item, quod non est multiplicabile nec multiplicatum est unum numero; sed divina natura non est multiplicabilis nec multiplicata: ergo est unum numero[10]; sed quaecumque sunt unum numero, non possunt differre numero: ergo si essentia vel natura divina ceteras complectitur personas, impossibile est, quod personae numero differant.

CONCLUSIO.

In divinis non est ponenda differentia secundum numerum, licet personae numerentur.

RESPONDEO: Dicendum, quod in divinis non est ponere differentiam secundum numerum. Et huius ratio sumi potest et *a posteriori* et *a priori*. Conclusio I. et principalis.

A posteriori: quoniam omnia quae differunt numero, consequitur ista passio, quae est numerus; numerus autem est aggregatio multitudinis, in qua plus est in toto quam in singulis partium[11]. Haec autem aggregatio est ex his solum, quae habent unitatem limitatam, quae plus est cum alio quam per se ipsam. Limitatio autem venit per additionem. Additio autem perducit ad compositionem cum materia, quae facit esse *hic et nunc*, et *tantum* et non plus; et ita non est diversitas secundum numerum nisi in his, in quibus est distinctio per additionem et compositionem et materiam. Et[12] haec distinctio non cadit in Deo, ideo nec diversitas secundum numerum. Ratio a posteriori.

Alia ratio est *a priori:* quia in quolibet, quod intelligimus ut completum, intelligimus sub ista duplici conditione, scilicet per modum *quo est* et *quod est;* et unitas quidem sive identitas secundum *speciem* vel genus venit[13] a parte eius quod est *quo*, secundum diversos status sive completionem maiorem et minorem. Unitas vero, vel diversitas secundum *numerum* venit a parte ipsius *quod est* secundum esse, sive prout est in supposito[14] individuo. Sic autem ista duo coniuncta sunt in omnibus, quod numerato ipso *quod est*, necesse est, numerari ipsum *quo est*. Cum ergo in omnibus, quae differunt numero, numeretur ipsum *quod est*, necesse est, quod multiplicetur in illis ipsum *quo est*. Ratio a priori.

Et[15] quia ad diversitatem secundum numerum concurrit diversitas ipsius *quo est* et *quod est* et *qui*

---

[1] Vide supra pag. 404 nota 5.

[2] Praeferimus lectionem maioris partis codd. ut A F G H I S T U W Y Z etc. et ed. 1 lectioni aliquorum codd. et Vat. *Si ergo Pater comparatur Filio.* Mox post *Si idem* ex plurimis mss. et edd. 1, 2, 3, 6 supplevimus male omissum *sed.*

[3] Cod. H addit *falsum et.*

[4] Hic, c. 4. circa finem. — Paulo infra lectionem fere omnium mss. et ed. 1 restituimus addendo *cum sit aliqua diversitas, scil. diversitas secundum numerum.*

[5] Cod. V *diversitas.*

[6] Libr. I. Phys. text. 66. (c. 7.).

[7] Plurimi mss. et ed. 1 *numerantur*; sed propter difficultatem grammaticalem hanc lectionem non recepimus.

[8] In cod. Y additur *duo.*

[9] In aliquibus mss. et Vat. hic additur *nec modo,* sed minus ad rem et contradicente maiore parte mss. et ed. 1. In fine argumenti plures codd. cum ed. 1 *ergo non* loco *ergo nec.*

[10] Vat. cum uno alterove codice perperam omittit *numero,* quod tamen exhibetur in ceteris codd. et ed. 1.

[11] Communis definitio numeri, sumta ex Aristotele, IV. Phys. text. 133. (c. ult.); V. Metaph. text. 11. et 20, ac X. Metaph. text. 21. (IV. c. 6. et 15. ac IX. c. 6.), haec est: Numerus est multitudo mensurata per unum. Vel ex Boethio, I. de Arithmetica, c. 3: Numerus est unitatum collectio, vel quantitatis acervus ex unitatibus profusus (cfr. etiam de Trin. c. 3.). — Plures codd. ut A I P Q T V cc *singula* pro *singulis.* Paulo ante cod. I *ratio* loco *passio.* Mox codd. P Q *in his* pro *ex his.*

[12] Ex plurimis antiquioribus mss. et ed. 1 loco *Sed* substituimus *Et,* quod aliqui codd. ut S Y omittunt.

[13] Vat. cum paucis codd. *est veniens.*

[14] In cod. Y adiungitur *vel.* Mox aliqui codd. ut A T X Z cum ed. 1 *iuncta* pro *coniuncta*, quod aliqui ut S W omittunt.

[15] Vat. cum cod. cc, omissa particula *Et,* proxime sequentem propositionem cum praecedente coniungit novamque paulo

est, id est *naturae, rei naturae* et *suppositi* sive hypostasis, sed principaliter ipsius *quod est;* cum in divinis *quo est* sive essentia propter summam simplicitatem nullo modo sit multiplicabilis; ideo necesse est, quod ipsum *quod est* similiter remaneat indistinctum: et ideo impossibile est, quod cadat ibi

Conclusio 2. diversitas secundum numerum. Nec tamen unum est numero; quia ipsum *quod est* unum numero [1] in creaturis non est dicibile de pluribus; sed in divinis ipsum *quod est,* quamvis sit unum, tamen de pluribus est dicibile. Et ratio huius est, quia idem est ibi *quo est* et *quod est,* quantum [2] ex parte rei. Et ideo, sicut *quo est* est communicabile pluribus, quamvis non multiplicabile, ita ipsum *quod est.* Unde

Conclusio 3. possumus dicere, quod pluralitas personarum medium tenet inter *idem* numero et *diversum.* Quamvis enim ipsum *quod est* non numeretur, numeratur tamen ipse *qui est;* unde sunt ibi plures *qui.*

Solutio oppositorum. 1. Et hoc vult dicere Damascenus, cum dicit: « Numero, non natura differunt hypostases ». Per hanc enim additionem: *non natura,* ipse contraxit differentiam secundum numerum sive distraxit a propria ratione [3]. Unde ipse dicit primo libro capitulo octavo: « Oportet scire, quod aliud est differre re, aliud ratione. In omnibus creaturis hypostasum *divisio re* consideratur, *communitas* vero *ratione;* in summa vero et supersubstantiali Trinitate est e converso ». Unde cum diversitas secundum numerum faciat sive notet diversitatem *in re* et natura, proprie loquendo, nisi nomen diversitatis secundum numerum distrahatur ad distinctionem sup-

Notandum. positorum, non est concedendum, quod sit ibi diversitas secundum numerum, sed secundum numerum [4] *personarum* sive hypostasum. Et hoc vult dicere Damascenus, quando dicit, quod hypostases differunt numero, non, inquam, numero, qui dicat [5] diversitatem *in re* et natura, sed qui dicat differentiam in *proprietatibus* et *relationibus,* natura semper manente unica et indivisa. Ex hoc patet illud Damasceni.

2. Ad illud quod secundo obiicitur, quod numero differunt ea quae numerantur; dicendum, quod verum est, quod [6] eo modo differunt, quo numerantur; sed non numerantur nisi quantum ad personas; et ita non differunt nisi numero hypostasum et proprietate.

3. Ad illud quod obiicitur, quod quae differunt re etc.; distinguendum est in hoc nomine *re* [7], quia potest dicere *naturam* sive essentiam, et potest dicere *personam.* Si dicat *essentiam* et naturam, verum est; si *personam,* falsum est, et non habet locum illa divisio. Res dupliciter dicitur.

4. Ad illud quod obiicitur, quod unitas numero respicit identitatem suppositi; dicendum, quod si suppositum dicatur ipsum *quod est,* tunc habet veritatem. Si autem dicatur ipse *qui est* sive persona, non habet veritatem nisi in his, in quibus differt *quo est* et *quod est.* Unde proprie loquendo, diversitas secundum numerum sequitur ipsum *quod est;* et ideo [8] in divinis non habet locum.

5. Ad illud quod obiicitur [9], quod *idem* et *diversum* sufficienter dividunt ens, ergo idem numero, vel diversum; dicendum, quod illud verum est in ente, quod natum est numerari, sicut [10] ens creatum; sed in ente increato hoc deficit. Unde Hilarius de Trinitate [11]: « Deum ex Deo natum nec eundem nativitas nec aliud esse permittit »: et ita, sicut praedictum est, tenet medium inter idem numero et diversum.

SCHOLION.

I. Cum fides applicet numerus *unum* et *tres* ad divina, et numerus videatur non convenire cum aequalitate, S. Doctor apte agit hic de numero praecise sub hoc respectu, sive quomodo numerus admitti possit in divinis, quin derogetur summae divinae aequalitati. Plura de ratione numeri in divinis dicentur infra d. 24. a. 2. Cum Magister in hac re opinionem sustinuerit communiter reprobatam, multum illa aetate de ratione numeri in divinis est disputatum. Unde Alex. Hal. integram de hac materia scripsit quaestionem, septem membra complectentem, in qua diffuse exponit quae S. Bonav. hic brevi compendio exhibet.

II. Duplici conclusione quaestio resolvitur. Primo respondetur cum Magistro, quod in divinis non est differentia secundum numerum. Haec solutio intelligitur de numero proprie et

---

infra incipit, addito *ergo,* a verbis *Cum ergo in divinis,* quae lectio et in se incongrua est et contra antiquiores codd. nec non ed. 1.

[1] Fide mss. et sex primarum edd. adiecimus *unum numero.* Immediate post in pluribus codd. ut A D I L O R S T U etc. desideratur *in creaturis.*

[2] In paucis mss. ut Y Z additur *est,* et a cod. Z paulo infra post *ita* adiungitur *et.*

[3] Vat. quae ponit *ad differentiam* loco *a propria* castigatur ex mss. et sex primis edd. — Plurimi codd. cum primis edd. (excepta ed. 1.) *distinxit* pro *distraxit.* Mox Vat., plurimis mss. et ed. 1 obnitentibus, *ut* loco *Unde.*

[4] Lectio Vat. mutila, in qua male omittitur *sed secundum numerum,* resarcitur ope fere omnium mss. et ed. 1.

[5] Fide plurimorum codd. et ed. 1 substituimus hic et paulo infra *dicat* pro *dicit* et mox ope plurium mss. ut FHIT bb mutavimus *relatione* in *relationibus.* Dein pauci codd. ut R S U *unitate indivisa* loco *unica et indivisa.*

[6] Vat. cum cod. cc *quia,* sed contradicentibus aliis codd. et ed. 1. Paulo ante pro *differunt* aliqui codd. ut I K T V cc *differant.*

[7] Pauci codd. ut A D T *rei,* et paulo infra *dicit* loco *dicat.*

[8] Ex mss. et edd. 1, 2, 6 supplevimus *ideo.*

[9] In Vat. et cod. cc deest *quod obiicitur.*

[10] Ed. 1 addit *est.*

[11] Libr. I. n. 17: Quia Deo ex Deo nato neque eundem nativitas permittit esse, neque aliud. — In quo textu, fere omnibus mss. et ed. 1 refragantibus, Vat. *nec alium esse natura permittit.* Mox ex codd. cum ed. 1 *praedictum* loco *dictum* posuimus.

stricte sumto. Hanc assertionem omnibus doctoribus communem Seraphicus duplici ratione probat. *Prima* sumta est *a posteriori* i. e. ex consideratione earum rerum, quae proprie habent differentiam numeralem. Haec sic procedit: numerus supponit aggregationem multitudinis, haec vero unitatem limitatam, limitatio additionem, quia genus additione differentiae specificae, species additione principiorum individuantium, materia additione formae limitantur; additio autem implicat compositionem, quae minime est in Deo et consequenter nec differentia numeralis. *Secunda* ratio sumitur *a priori* sive ex intrinsecis conditionibus entium et praecipue entis infiniti. Haec procedit ex distinctione in omnibus entibus completis facienda inter *quo est* et *quod est*. *Quo est* significat naturam specificam vel genericam, *quod est* vero individuum seu suppositum: ex illo oritur unitas specifica vel generica, ex hoc vero identitas vel diversitas secundum numerum. In Deo autem *quo est* et *quod est* minime multiplicantur et distinguuntur; tamen *qui est* (hypostasis) habet distinctionem et numerum personalem. — His suppositis facile intelligitur secunda conclusio, quae incipit a verbis: « Nec tamen est unum numero » etc. Licet enim in Deo *quo est* et *quod est* sint unum, tamen numeratur pluralitas personarum. Unde in divinis non est simpliciter numerus, sed cum additione determinante, nempe pluralitas « secundum numerum personarum » (hic ad 1. et dub. 2.). Ideo S. Doctor non consentit Magistro, qui numerum omnino removet a divinis, sed dicit infra (d. 24. a. 2. q. 1. in corp.): « Numerus importat distinctionem et super hoc compositionem aggregationis; et quamvis in divinis non sit aggregatio, nihilominus est distinctio, ideo numerus non simpliciter removendus est a divinis, sed numerus talis. Et Magister omnino removet, ideo in positione sua defecit. Et in illo articulo communiter non tenetur a magistris Parisiensibus ».

III. Alex. Hal., S. p. I. q. 45. m. 1. 2. 3. 4. — Scot., in utroque scripto I. Sent. d. 24. q. unic. — S. Thom., I. Sent. d. 24. q. 1. a. 2; S. I. q. 30. a. 3. — B. Albert., hic a. 17; S. p. I. tr. 9. q. 42. m. 1. — Petr. a Tar., hic q. 4. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. — Ægid. R., I. Sent. d. 24, prima princ. q. 3. — Henr. Gand., S. a. 43. q. 3. — Dionys. Carth., I. Sent. d. 24. q. 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram et primo de hoc quod dicit: *Oret, ut quod credit intelligat.* Videtur enim improprie loqui, quia nullus orat quod non desiderat, nullus desiderat quod non considerat, nullus considerat quod non cognoscit vel intelligit: ergo a primo, si orat, ut intelligat, intelligit [1]. *Item,* nullus assentit rei, quam mente non intuetur sive concipit: ergo nullus assentit rei, quam non intelligit, quia intelligere est mente intueri.

Intelligere dicitur dupliciter.

Respondeo: Dicendum, quod intelligere dupliciter dicitur: uno modo idem est quod cognoscere, quid est [2] quod per nomen dicitur; alio modo idem est quod ratione comprehendere. Primo modo antecedit fidem, quae *est ex auditu* [3]; secundo modo consequitur, quia nulla ratio humana sufficit ad manifestanda credibilia, nisi intellectus fide [4] illustretur et captivetur.

Dub. II.

Item quaeritur de hac solutione Magistri, qua dicit: *Aliqua differre numero, quae sibi in computatione non adiunguntur.* Videtur enim male dicere, quia illi computationi aut respondet aliquid in *re,* aut *nihil.* Si *aliquid* respondet: ergo non differt a praecedenti differentia; si *nihil* respondet: ergo distinctio sive computatio nostra super [5] vanum fundata est.

Respondeo: Dicendum, quod computationi nostrae, cum dicimus *unus, duo, tres,* aliquid respondet. Sed illud non est diversitas numeralis, sed distinctio personalis; unde in divinis non dicitur esse numerus nec differentia secundum numerum, nisi addatur secundum numerum personarum, qui dicit distinctionem in hypostasibus, non in natura: ideo quamvis dicantur tres personae, non tamen est ibi *ternarius,* sed *trinitas* [6].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *cum Deus dicatur trinus, non debet dici triplex.* Videtur enim contra illud quod dicitur Sapientiae septimo [7], quod *Spiritus sapientiae est multiplex,* ergo duplex vel quadruplex: ergo etc. *Item,* Isidorus [8] dicit, quod « Trinitas est multiplex et numerabilis ». *Item, ratione* videtur, quia pannus unus, in substantia duplicatus, dicitur duplex, triplicatus triplex:

---

[1] Ultimam partem huius argumenti Vat. cum cod cc, aliis tamen codd. cum ed. 1 reluctantibus, sic mutilam exhibet: *nullus desiderat quod non cognoscit vel intelligit. Item.*

[2] Vat et cod. cc *aliquid* loco *quid est*, sed contra communem Scholasticorum modum loquendi et contra mss. (quorum tamen aliqui ut KW ee minus apte *aliquid est)* et ed. 1. Mox auctoritate plurimorum codd. et ed. 1 substituimus *comprehendere* pro *apprehendere.* — Explicationem huius distinctionis accipe a S. Doctore, qui III. Sent. d. 24. dub. 3. eandem obiectionem resolvendo ait: Uno modo intelligere dicitur large nosse, quid est quod dicitur per nomen; et illud intelligere semper praecedit assensum fidei, nec aliquid creditur, quin isto modo prius intelligatur. Alio modo intelligere hoc est ratione praevia cogitare, iuxta quod dicit Augustinus: Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctoritati. Et de isto intelligit Augustinus, quod quaedam sunt quae prius creduntur, et postea intelliguntur, sicut sunt articuli fidei, qui sunt supra rationem etc. — Paulo ante pauci codd. ut P Q *est dupliciter* pro *dupliciter dicitur.*

[3] Rom. 10, 17.

[4] Plures codd. ut G H P Q ff cum ed. 1 *luce fidei* pro *fide.* — Plura de hoc dubio vide apud Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 6. a. 6.

[5] Vat. addit *nihil et*, quod deest in fere omnibus mss. et edd. 1, 2, 3.

[6] Cfr. hic q. 4.

[7] Vers. 22, ubi Vulgata loco *sapientiae* legit *intelligentiae.*

[8] Cfr. infra d. XXIV. lit. Magistri in fine, ubi tota Isidori propositio habetur.

ergo si una est substantia in tribus hypostasibus, videtur triplicari in eis et ita [1] triplex dici.

Respondeo: Dicendum, quod distinctio personarum non potest significari per additionem termini numeralis [2] ad hoc nomen *Deus* nisi huius nominis *trinus*, quod specialiter ad hoc inventum est, ut significet pluralitatem in suppositis cum unitate formae. (Trinus quid significet.) Quia ergo hoc nomen *triplex* dicit distinctionem simpliciter in termino cui additur, vel quantum ad formam, vel quantum ad partium multiplicationem, et quia [3] in Deo non cadit multiplicatio nec quantum ad formam, nec quantum ad partes: ideo nullo modo potest dici *triplex*.

Quod ergo obiicitur, quod [4] dicitur *multiplex*; dicendum, quod istud est dictum causalitater, quia multorum et variorum donorum effectivum est principium [5], in quibus est vera diversitas; non sic in personis. (Multiplex dicitur causaliter.) — Quod dicit Isidorus, improprie dictum est et exponendum est. — Ad illud, quod idem pannus dicitur triplex [6]; dicendum, quod verum est, sed tamen secundum alias et alias partes; et quia in Deo non est alietas partium nec formae, ideo non potest dici *triplex* [7].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *in rebus corporeis plus sunt duae quam una.* Videtur enim instantia esse, quia ignis cum ferro non est [8] maius quam ferrum per se, sive lux cum aëre. *Si tu dicas,* quod non sunt corpora; obiicitur, quod corpus glorificatum simul est cum non glorificato, et tantum locum occupat non glorificatum per se, quantum cum glorioso: ergo non sunt maius, quia corpus maius maiorem occupat locum.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus [9] loquitur de rebus corporeis, quarum quaelibet est corpus; sed ignis in ferro et lux in aëre non est corpus, sed proprietas corporis. (Quid sit ignis et lux.) *Praeterea* notandum, quod Augustinus non accipit hic [10] *maius* extensive, sed accipit *plus* quantum ad veritatem existentiae vel essentiae. Cum enim non sit summa veritas in qualibet re, plus est de veritate existentiae in duabus rebus quam in una, quamvis non sit ibi plus de latitudine distantiae sive de extensione [11] magnitudinis vel capacitatis contentivae.

DISTINCTIO XX.

Cap. I.

Quod aliqua personarum non excedit aliam potentia.

Nunc ostendere restat, quomodo aliqua harum personarum aliam non excellat potentia, ut, sicut una et indifferens est magnitudo trium, ita una et indifferens monstretur potentia trium. Sciendum est igitur, quia [1] non est potentior Pater Filio, nec Filius vel Pater Spiritu sancto, nec maiorem potentiam habent duo vel tres simul quam singulus eorum; quia nec plus potest Pater simul et Filius quam solus Spiritus sanctus, nec hi tres simul plus possunt quam singulus eorum, quia omnipotentiam, quam habet Pater, et Filius accepit nascendo et Spiritus sanctus procedendo. Quod Augustinus rationibus et auctoritatibus probabiliter astruit in libro contra Maximinum [2], qui dicebat Patrem potentiorem ac meliorem Filio.

Cap. II.

Quod non minus potest Filius quam Pater.

« Nihil, inquit [3], Patre minus habet ille qui dicit: *Omnia quae habet Pater, mea sunt* ». « Nam si minus habet in potestate aliquid quam Pater, non sunt eius omnia, quae habet Pater; sed eius sunt omnia quae habet Pater; tantam igitur habet potestatem Filius, quantam Pater » : « aequalis ergo est Patri. Non enim potest qui accepit inaequalis esse ei qui dedit ».

---

[1] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *ita*. Mox plures codd. com ed. 1 *tripliciter* loco *triplex*. Paulo supra cod. Z *est duplex* pro *dicitur duplex*.

[2] Vat., quae habet *numerabilis* pro *numeralis*, emendatur ex mss. et ed. 1. Paulo infra cod. T cum ed. 1 *significaret* loco *significet*.

[3] In pluribus mss. ut A S T W Y etc. et ed. 1 omittitur *quia*, ac dein ponitur *nec* loco *non*.

[4] Hic et paulo infra post *quia* supple: Spiritus sapientiae.

[5] Vat., refragantibus mss. et ed. 1, in hac propositione post *quia* addit *est causa,* ac mox post *et* contra plurimos codd. et ed. 1 repetit *quia*. Dein aliqui codd. ut ALSZ *divinorum effectuum* loco *donorum effectivum*, aliqui autem ut G H K O ee ff omisso *donorum* legunt *variorum effectuum est* etc. Mox post *non sic* cod. V adiungit *est*.

[6] Vat. et cod. cc *multiplex,* sed contra alios codd. et ed. 1.

[7] Plura de hoc videsis infra d. 24. a. 3. q. 1. — Alex. Hal., S. p. I. q. 66. m. 1. a. 4. — B. Albert., hic a. 18.

[8] Fide mss. et sex primarum edd. expunximus additum *quid,* et mox ex plurimis mss. et ed. 1 post *Si* supplevimus *tu.*

[9] Libr. VI. de Triu. c. 10. n. 12, ex quo sumtus est textus huius dubii. — Paulo infra auctoritate vetustiorum mss. et ed. 1 post *ferro* adiecimus *et.*

[10] Vat. *ibi*, obnitentibus plurimis mss. et ed. 1.

[11] Ita fere omnes codd., dum Vat. loco *de extensione* ponit *extensivae*, cum qua convenit ed. 1, quae post *magnitudinis* cum cod. M addit *dimensivae.*

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Edd. 5, 8 *quod.*

[2] Vat. et aliae edd. *in libro tertio contra Maximinum;* codd. et ed. 1 sic: *in libro contra Maxim.* In edd. impressis Augustini duo tantum sunt libri contra Maximinum. Sed in antiquis mss. exemplaribus huius operis opusculum « Collatio Augustini cum Maximino » inscribebatur *primus* liber. c. M., et illi duo *secundus* et *tertius.* Textus sequentes sunt ex secundo libro iuxta computationem modernam.

[3] Libr. II. c. 14. n. 7. — Locus Scripturae est Ioan. 16, 15. Duo loci sequentes Augustini sunt ibid. n. 9. et 7.

Cap. III.

De obiectionibus haereticis contra hoc, et responsionibus catholicis.

« Tu autem hoc de potentia sapis, quod potens sit Filius, sed potentior Pater, ut secundum doctrinam vestram potens potentem potuerit gignere, et non omnipotens omnipotentem. Habet ergo Pater omnipotentiam, quam non habet Filius; at si hoc est, falsum est quod ait Filius: *Omnia quae habet Pater, mea sunt* [1] ».

Obiectio haeretici. « Sed, inquis, Pater a nemine potentiam accepit, Filius autem a Patre. Fatemur et nos, Filium accepisse potentiam ab illo, de quo natus est potens; Patri vero potentiam nullus dedit, quia nullus eum genuit. Gignendo enim dedit potentiam Pater Filio, sicut omnia quae habet in substantia sua, gignendo dedit ei quem genuit de substantia sua [2] ».

Ratio 1. Augustini. « Sed quaeritur, utrum tantam quanta ipsi est potentiam Pater Filio dederit, an minorem. Si tantam, non solum potentem, sed etiam omnipotentem genuisse Omnipotens intelligitur; si vero minorem, quomodo omnia quae habet Pater, Filii sunt? Si Patris omnipotentia Filii non est, non omnia procul dubio, quae habet Pater, Filii sunt [3] ». At omnia Filii sunt; omnipotentia ergo Patris etiam Filii est: non est ergo Pater potentior Filio.

Alia eiusdem ratio. Item, alio modo probat Filium aequalem Patri contra Maximinum [4] ita dicens: « Tu dicis, quod Pater genuit Filium minorem se ipso, in quo et Patri derogas, qui si Filium unicum minorem genuit, aut non potuit, aut non voluit gignere aequalem. Si dicis, quia non voluit, eum invidum esse dixisti; si autem non potuit, ubi est omnipotentia Dei Patris? Prorsus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater aequalem sibi gignere Filium aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus; si noluit, invidus invenitur. Sed utrumque hoc falsum est: Patri igitur Filius verus aequalis est. Genuit ergo Pater sibi aequalem Filium, et ab utroque procedit utrique aequalis Spiritus sanctus ». « Si enim formam suam, ut ait Augustinus contra eundem [5], Pater in unico Filio plenam gignere potuit, nec tamen plenam genuit, sed minorem, cogimini Patrem invidum dicere ». Plenum ergo Deum et aequalem sibi genuit Filium.

Probatio per simile. Hoc autem per similitudinem humanam ita esse demonstrat inquiens [6]: « Homo pater, si potuisset, aequalem Filium genuisset. Quis ergo audeat dicere, quod hoc Omnipotens non potuit? Addo etiam, quia, si posset homo, maiorem melioremque se ipso gigneret Filium. Sed maius vel melius Deo quidquam esse non potest ». « Deus ergo cur non aequalem, ut ais, Filium genuit, cui nec anni necessarii fuerunt, per quos adimpleretur aequalitas, nec omnipotentia defuit. An forte noluit? ergo, quod absit, invidit; sed non invidit: aequalem igitur genuit Filium [7] ». « Credamus ergo, Filium ei esse aequalem ».

Replicatio solvitur. « Sed forte dices: eo ipso maior est Pater Filio, quia de nullo genitus genuit tamen aequalem. Ad quod cito respondebo: immo ideo non est maior Pater Filio, quia aequalem genuit. Originis enim quaestio ista est, quis de quo sit; aequalitatis autem, qualis aut quantus sit [8] », quod est dicere: ad originem pertinet quaestio, qua quaeritur, quis de quo sit; ad aequalitatem vero illa qua quaeritur, qualis aut quantus quis sit. « Nec cum dicitur Filius a Patre genitus, ostenditur inaequalitas substantiae, sed ordo naturae, non quo alter prior esset altero, sed quo alter est ex altero [9] ». Non ergo secundum hoc, quod Pater genuit, et Filius genitus est, vel Spiritus sanctus ab utroque procedit, aequalitas vel inaequalitas ibi existit, quia non secundum hoc alia persona alii aequalis vel inaequalis dicitur. Ecce aequalitas Trinitatis et una eademque substantia, quantum breviter potuimus, demonstrata est in superioribus [10], qualiter scilicet aliqua trium personarum quamlibet aliam nec aeternitate nec magnitudine nec potentia excellat.

---

[1] Ibid. c. 12. n. 1. — In hoc textu Augustini Vat. cum pluribus edd. verbo *gignere* praemittit *generare vel* contra codd. et originale.

[2] Loc. cit. paucis interpositis. — Hic codd. ABC et ed. 1 *Fateamur* pro *Fatemur*.

[3] Ibid. immediate post. — In principio textus post *utrum* Vat. cum paucis edd. male addit *ei*. Finito textu, post *omnia* Vat. cum aliis edd. contra 1, 2, 3, 7 et omnes codd. addit *quae habet Pater*, quod facile ex praecedentibus suppleri potest.

[4] Libr. II. c. 7. et 5. Eadem docet Augustinus in libr. LXXXIII. Quaest. q. 50.

[5] Ibid. cap. 15. n. 1.

[6] Ibid. cap. 18. n. 3, ubi Vat. et plures edd. post *Addo etiam* omittunt *quia*, refragantibus codd. BCDE, ed. 1 et originali.

[7] Ibid. c. 15. n. 5. — Quae sequuntur, leguntur ibid. c. 18. n. 3.

[8] Ibid. immediate post, ubi Vat. et edd. 4, 8, 9 post *quia aequalem* adiiciunt *sibi*, contra alias edd., codd. et originale.

[9] Ibid. cap. 14. n. 8. — Solummodo Vat. post *prior* male legit *est* pro *esset*.

[10] Scilicet in hac et praecedente dist.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XX.

De trium personarum aequalitate quantum ad potentiam et virtutem.

Nunc ostendere restat, quomodo aliqua harum personarum etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra ostendit Magister aequalitatem personarum quantum ad *magnitudinem*, hic ostendit aequalitatem [1] quantum ad *potentiam* et *virtutem*. Et habet haec pars tres partes. In *prima* proponit quod intendit [2]. In *secunda* probat, ibi: *Nihil, inquit, Patre minus habet* etc. In *tertia* dubium sive obiectionem in contrarium dissolvit, ibi: *Sed forte dices, eo ipso maior est* etc.

Prima et ultima parte remanentibus indivisis, *media* dividitur in tres, secundum tres probationes sive rationes, quarum prima sumta est ab auctoritate Domini, Ioannis decimo sexto [3]: *Omnia, quae habet Pater, mea sunt.* Secunda sumta est per deductionem ad impossibile, quia si non genuit aequalem, aut potuit et noluit, et ita fuit invidus; aut voluit et non potuit, et ita fuit impotens; et haec ponitur [4] ibi: *Item alio modo probat Filium aequalem Patri.* Tertia ratio est ostensiva, sumta per *simile* in generatione creata et ponitur ibi: *Hoc autem per similitudinem humanam.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum, quae dicuntur in praesenti distinctione, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum in divinis sit ponere potentiae adaequationem.

Secundo, utrum in divinis sit ponere ordinem.

Quantum ad primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum in divinis sit ponere potentiae [5] adaequationem quantum ad extensionem possibilium.

Secundo, utrum sit ibi aequatio [6] quantum ad intensionem potentiae.

ARTICULUS I.

De potentiae adaequatione in divinis.

QUAESTIO I.

Utrum in divinis personis potentia sit aequalis quantum ad extensionem possibilium.

Quod sit ibi ponere potentiae adaequationem quantum ad numerum possibilium ostenditur sic.

Fundamenta. 1. Quaecumque habent eandem naturam, habent eandem potentiam naturalem [7]; sed quaecumque habent omnino eandem potentiam, quidquid potest unum, et alterum; sed Pater et Filius et Spiritus sanctus habent eandem potentiam: ergo etc.

2. Item, quaecumque habent omnino eandem operationem, nihil potest unum operari sine altero; sed Pater et Filius habent eandem operationem: ergo nihil potest Pater sine Filio, Ioannis quinto [8]: *Quaecumque Pater facit, haec omnia similiter Filius facit.*

3. Item, nullus potest plura omnipotente; sed Verbum Dei est omnipotens, sicut dicitur Sapientiae decimo octavo [9]: *Omnipotens sermo tuus, Domine* etc. Maior patet, quia qui omne dicit nihil excipit.

---

[1] In Vat. et paucis codd. deest *aequalitatem.*

[2] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *intenditur, scilicet quod alia persona non excedit aliam potentia.*

[3] Vers. 15, in quo textu Vulgata habet *quaecumque* pro *quae.*

[4] Cod. T *hoc ponit.*

[5] Supplevimus ex plurimis mss. et edd. 1, 4, 5 *potentiae.*

[6] Cod. V *adaequatio.*

[7] De hac propositione cfr. supra pag. 51 nota 11. — Paulo infra cod. M terminis *et alterum* praefigit verbum *potest* certe supplendum.

[8] Vers. 19, ubi Vulgata: Quaecumque enim ille (Pater) fecerit, haec et Filius similiter facit.

[9] Vers. 15, in quo textu Vulgata omittit *Domine.*

4. Item, infinitis non est ponere aliqua esse plura [1]; sed Filius potest infinita, quia non potest tot, quin plura: ergo Pater non potest plura quam Filius, pari ratione nec quam Spiritus sanctus.

Ad oppositum. Contra: 1. Quanto producta sunt magis distantia, tanto potentia producens est latior sive amplior; sed potentia Patris se extendit ad creatum et increatum, potentia Filii ad creatum tantum, et magis distat creatum et increatum quam creata [2] solum: ergo etc.

2. Item, Filius Dei et creatura sunt aliud et aliud, quia creatura est quid creatum, sed Filius est essentia increata; ergo si [3] Filius et creatura sunt aliud et aliud, ergo plura: ergo potentia, quae potest in Filium et creaturam, potentior est, quam quae potest in creaturam tantum, sive potens est in plura; sed potentia Patris est talis: ergo etc.

3. Item, tantum vel aeque magnum vel maius est producere personam aequalem, sicut creaturam; sed Pater potest sine Filio producere personam, ergo et producere creaturam: ergo videtur, quod potentia in Patre se extendat ad plura.

4. Item, quamvis Spiritus sanctus [4] et Filius non sint aliquid plus, tamen plures sunt quam Filius solus: ergo cum in Patre potentia possit in productionem utriusque, in Filio in alteram tantum, in plures [5] potest potentia in Patre quam in Filio: ergo extensione possibilium est maior.

CONCLUSIO.

Potentia essentialis in divinis personis est aequalis quantum ad extensionem possibilium.

Responded: Dicendum, quod loquendo de potentia essentiali, quae est respectu actus essentialis sive Conclusio. productionis, ad nihil se extendit in Patre, ad quod pariter non extendat se in Filio. Et ideo, quia aequalitas [6] consistit quantum ad potentiam essentialem, concedendum est sine calumnia, quod Pater et Filius aequaliter sunt [7] potentes quantum ad extensionem possibilium.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod latior est potentia, quae potest in magis distantia; dicendum, quod istud verum est de potentia eodem modo dicta et quantum ad consimilem modum producendi; sed Patrem posse producere quid creatum est potentiae essentialis et operis creationis; Patrem vero posse producere Filium est potentiae ut in persona et generationis; ideo ratio illa non valet. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod creatura et Filius sunt plura; dicendum, quod verum est, quod sunt *plura*, et [8] tamen non sunt *plura producta*. Quamvis enim Filius sit aliud quam creatura, tamen non est aliud productum. Filius enim est essentia et natura, sed tamen non est essentia vel natura producta, quia producere Filium non est producere *aliquid*, sed *aliquem*. Et ideo non sequitur, quod producere Filium et creaturam sit posse producere plura quam [9] producere alterum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod producit personam sine Filio; dicendum, quod non est simile; quia cum producere creaturam sit producere essentiam, tam productio quam potentia est essentialis; et quia essentia est indivisa [10] in Patre et Filio, ideo et potentia et actio, proinde et productio illa. Quia vero producere Filium est producere personam, ideo productio illa et potentia dicit quid personale; et quoniam Pater et Filius non conveniunt in persona, sed in essentia, ideo [11] patet etc.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Filius et Spiritus sanctus sunt plures etc.; dicendum, quod verum est, quod potest etiam in plures, sed quantum ad hoc non attenditur aequalitas vel inaequalitas, ut visum est [12].

SCHOLION.

I. Non agitur hic de *potentia*, quatenus distinguitur contra *actum*, quae omnino removenda est a Deo, sed de potentia, quatenus est principium activum et effectivum aliorum, sive de omnipotentia. — Aequalitas huius potentiae intelligi potest vel *extensive* sive quoad numerum obiectorum causabilium, vel *intensive* sive, ut dicit Richard. a Med. (loc. cit. infra), quan-

---

[1] Propositio haec communiter ita exhibetur: infinito non potest fieri additio. — Aliqui codd. ut CIU cc verbo *infinitis* praemittunt *in* et cod. U *si in*. Dein pauci codd. ut SY omittunt *aliqua*.

[2] Ita maior pars codd. cum edd. 2, 3; alii ut IKXZ aa ee legunt vel *creatum* vel cum ed. 1 et Vat. *creatura*, sed minus distincte. Paulo ante cod. Z *Spiritus sancti* pro *Filii*, quae lectio per se praeferenda videri posset, sed ex responsione infra posita patet, quod nomine *potentiae* intelligitur praeter potentiam *creandi* potentia *generandi*, quae soli Patri competit.

[3] Addendo particulam *si* praestamus meliorem lectionem, quae et in multis mss. ut AFGHSTY etc. et ed. 1 reperitur.

[4] Plures codd. ut AITW aa bb *Pater* loco *Spiritus sanctus*, sed contra subnexa.

[5] Praeferimus lectionem aliquorum mss. ut EXZ ponendo *plures* pro *plura*, utpote quae magis cum praecedentibus cohaeret.

[6] Supple: *potentiae;* Vat. autem contra finem in hac quaestione a S. Doctore intentum addit *personarum*, quod deest in mss. et ed. 1. Paulo supra post *Filio* codd. aa bb addunt *et Spiritu sancto*.

[7] Vat. praeter fidem plurimorum codd. et ed. 1 *sint*. Cod. bb post *Filius* adiungit *et Spiritus sanctus*.

[8] Fide multorum mss. ut ASTVWXY aa bb cc et edd. 2, 3, 6 supplevimus particulam *et*, pro qua plures codd. ut GHIKZ cum ed. 1 ponunt *sed*, quamque Vat. cum uno alterove codice omittit. Immediate post in Vat., contradicentibus vetustioribus mss. et ed. 1, deest *sunt*.

[9] Minus bene et antiquioribus mss. et ed. 1 reluctantibus, Vat. adiungit *posse;* quodsi lectionem Vat. servare velis, addas cum cod. K *posse* etiam supra post *sequitur quod*.

[10] Ita mss. cum ed. 1, excepto codice cc, qui cum Vat. ponit *individua*.

[11] Ex plurimis codd. et ed. 1 supplevimus *ideo*.

[12] In corp. huius q.

tum ad *vigoris* potentiae intensionem. Specialiter quaeritur de aequalitate trium personarum in *potentia*, quia etiam specialis difficultas circa potentiam solvenda est, cum in Patre sit potentia activa generandi, quae non est in Filio neque in Spiritu sancto; similiter est iudicandum de potentia spirandi, quae non est in Spiritu sancto. Ex hac difficultate sumta sunt omnia argumenta ad oppositum, quae tamen iam supra d. 7. q. 3. et 4. fere soluta sunt. Fundamentum huius solutionis est distinctio potentiae in corp. posita, scil. in potentiam *essentialem* et *notionalem* (quae in solut. ad 1. vocatur *potentia in persona*). Illa respicit productionem ad *extra*, quae tribus personis est communis, haec vero productionem ad *intra*, sive potentiam generandi in Patre et spirandi in Patre et Filio. Potest quidem *potentia* et *omnipotentia* sumi in sensu largo pro qualibet potentia productiva, sive producat ad *intra* sive *ad extra*; attamen *proprie* sub *omnipotentia* non intelligitur nisi potentia *essentialis*. Ad solvendam obiectionem, quod generare in Deo sit *simpliciter* potentia, quae non convenit Filio et Spiritui sancto, bene observat Alex. Hal. (loc. infra cit. ad 1.): « Dissimiliter est generare in homine et in Deo, quia in divinis ipsum generare est de tota substantia, non de parte, et propter hoc in divinis eadem est substantia. In homine autem non est sic; non enim fit generatio de tota substantia, sed per decisionem de parte. Unde ibi non est omnino eadem substantia patris et filii, licet eadem sit forma specifica; et propter hoc in generatione, qua homo generat hominem, *multiplicatur substantia et relatio.* Et ideo in homine est generare *posse quid* et *ad aliquid; posse quid* dicit per multiplicationem substantiae, *posse ad aliquid* per multiplicationem relationis. In divinis autem in generatione non multiplicatur substantia, sed solum relatio; et propter hoc generare posse in divinis non est *posse quid*, sed *posse ad aliquid* ». His positis, intelligitur solutio eiusdem Alexandri ad obiectionem: aliqua potentia est in Patre, quae tamen non est in Filio, sic respondentis: « Mutatio est praedicamenti, mutatur enim *quid* in *ad aliquid*». — De ipsa potentia in se agitur infra dd. 42. 43. 44.

II. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 21. m. 1. a. 3. — Scot., de hac et seq. hic q. unic.; Report., hic q. 1. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. 2; S. I. q. 42. a. 6. — B. Albert., de hac et seq. hic a. 5; de hac et seq. q. S. p. I. tr. 11. q. 47. m. 3. partic. 1-3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., de hac et seq. hic q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 3. — Henr. Gand., de hac et seq. S. a. 70. q. 2. n. 41-63. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. unic.

QUAESTIO II.

Utrum in divinis personis sit aequalitas quantum ad intensionem potentiae.

Secundo quaeritur, utrum in divinis sit aequalitas quantum ad intensionem potentiae. Et quod sic, ostenditur hoc modo.

Fundamenta. 1. Nihil est potentius sua virtute; sed Christus est *Dei virtus*[1]: ergo Pater non est potentior Filio; similiter pari ratione nec Filius Spiritu sancto.

2. Item, substantiae aeque nobilis[2] aeque nobilis et excellens est potentia; sed substantia est aeque nobilis in Filio ut in Patre, ergo et potentia aeque nobilis: ergo nihil potentius potest Pater quam Filius.

3. Item, ea potentia, qua potest quis supra infinitam et summam distantiam, nihil est potentius; sed potentia Verbi potest supra infinitam et summam distantiam, quae est inter ens et non ens, quia *omnia per ipsum facta sunt*[3]: ergo etc.

4. Item, ea potentia, cui nihil potest resistere nec aliquid potest eam retardare, nihil est potentius; sed potentiam Filii nihil potest retardare nec aliquid potest ei resistere, quia subito facit et libere, Psalmus[4]: *Dixit et facta sunt:* ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Potentior est potentia in eo qui solum potest agere, quam in eo qui[5] agere et pati; sed in Patre est solum agere, in Filio agere et pati: ergo etc.

2. Item, potentius aliquid potest quod est primum principium, quam quod non est primum, quia «omnis causa primaria plus influit quam secunda[6]»; sed Pater est primum principium: ergo unum et idem potentius potest Pater quam Filius.

3. Item, potentius potest qui habet potentiam a se, quam qui ab alio; qui enim aliquid a se habet multo melius habet, quam qui ab alio accipit[7]: ergo cum Filius habeat posse a Patre, Pater autem per se et a se, ergo etc.

4. Item, plus potest aliquis, qui potest et per se et per alium, quam qui tantum per se; sed Pater potest operari per Filium, Spiritus sanctus non potest per Filium, nec etiam ipse Filius proprie loquendo: ergo etc.

---

[1] I. Cor. 1, 24. — Paulo ante post *virtute* codd. aa bb addunt *nec extensive nec intensive.*

[2] In lectione, quae in mss. cum edd. 1, 2, 3 communior est, ponitur genitivus *nobilis* pro *nobili*, quod habet Vat. Paulo infra post *ergo et potentia* cod. bb adiungit *est.*

[3] Ioan. 1, 3.

[4] 148, 5. — Vat. cum cod. cc, aliis autem codd. cum ed. 1 reluctantibus, *patet quia* loco *Psalmus.*

[5] Supple cum cod. V *potest.* Habentur hic in codicibus diversae lectiones: sic in aliquibus ut A T et in ed. 1 post *quam* omittitur *in eo*, immo inveniuntur mss. ut Z, in quibus desunt verba *in eo qui.* Paulo infra post *Filio* cod. X addit *est*, e contra plures codd. ut S T Y cum ed. 1 omittunt *agere et.*

[6] Libr. de Causis, propos. 1: Omnis causa primaria plus est influens supra causatum suum quam causa universalis secunda. — Paulo ante post *quod non* in edd. 1, 2, 3, 6 et in pluribus mss. ut T V Y omittitur *est.*

[7] Praestamus antiquam lectionem ed. 1 et mss., quorum tamen aliqui ut A G P Q habent *recipit* loco *accipit*, dum Vat. legit *quam si ab alio recipiat.* Paulo supra cod. Y post *ab alio* addit *accipit*, qui et dein cum aliquibus mss. ut V X loco *a se* ponit *per se*, cod. T autem *a se et per se*, quae lectio subnexis conformior est.

CONCLUSIO.

Potentia in divinis personis est aeque intensa.

RESPONDEO: Dicendum, quod potentia in Patre et Filio est aeque intensa, quia in utroque summa est et aeque nobilis, quia in utroque una per naturam non degenerans[1] — similiter et in Spiritu sancto — et hoc, loquendo de Filio secundum divinam naturam, secundum quam est aequalis Patri.

Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Filius potest pati; dicendum, quod istud[2] non est secundum potentiam divinam, sed secundum infirmitatem humanam; et secundum illam inferior est Patre et minus potens; secundum autem divinam non potest pati, sicut nec Pater.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod secundo obiicitur, quod primum principium magis potest; dicendum, quod *primum* et[3] *principium* aut solum dicit *ordinem*, aut *substantialem differentiam*. Si solum *ordinem*, cum unum et idem sit utrobique, non est potentius hic quam ibi. Si autem *differentiam substantialem* cum ordine, sic verum est, quod potentius est primum quam secundum, quia secundum addit aliquid supra primum, quod dum facit magis[4] compositum, magis reddit limitatum, et ita minus potens.

Distinctio.

3. Ad illud quod obiicitur tertio, iam solutum est: quia *habere ab alio,* hoc est aut differente *substantialiter*, aut *personaliter*. Si *substantialiter*, sic[5] verum est, quia cum habeat ab alio per essentiam, non habet essentialiter, sed participatione; sed quando habet ab *alio personaliter*, eodem tamen essentialiter, tunc habet aeque nobiliter, quia totaliter et essentialiter. Unde Ioannis quinto[6]: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio* etc.

Alius dicitur dupliciter.

4. Ad illud quod obiicitur quarto, quod Pater potest per se[7] et per alium; dicendum, quod *posse per alium* est dupliciter: aut per aliam *causam inferiorem* simul agentem, aut per aliam *personam*. Primo modo potentius est posse per se et per alium, quam per se tantum; quia posse per alium dicit dominium, et ita potestatem; sed posse per alium ut[8] per *personam* consubstantialem non dicit dominium, sed tantum auctoritatem. Auctoritas autem non dicit maioritatem, sed solum dicit originem, sicut *posse ab alio* et *non ab alio* non dicit minoritatem in potentia[9], sed solum subauctoritatem et originem; et sic intelligendum in proposito de *posse per alium* et *non posse per alium*.

Posse per alium est dupliciter.

SCHOLION.

I. De hac quaestione non invenimus speciatim tractantem nisi Petr. a Tar., hic q. unica a. 2. Alex. Hal. autem eadem et alia obiecta solvit S. p. I. q. 47. m. 2. 3. Quoad 2. opposit. inter alia dicit: « Descensus causarum creatarum est secundum maiorem et minorem distantiam a causa prima, propter quod, secundum quod magis descendunt, minus communicant virtutem primae causae; non sic in divinis, licet sit ibi ordo naturae; sunt enim omnino idem secundum substantiam; unde in illis non potest esse differentia virtutis vel potentiae. »

ARTICULUS II.

De ordine in divinis.

Consequenter est quaestio secundo loco de secundo articulo, scilicet[10] utrum in divinis sit ordo. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum ordo sit ibi[11] ponendus.

Secundo, utrum ordo naturae.

---

[1] Alludit ad verba Hilarii supra d. XIX. p. I. c. 4. allegata et ibid. dub. II. explicata. — Paulo infra post *Spiritu sancto* Vat. cum cod. cc adiungit *est.*

[2] Aliqui codd. ut YZ cum ed. I *illud.* Mox post *potentiam* in cod. bb additur *vel naturam.*

[3] Ex plurimis mss. et edd. I, 2, 3 supplevimus particulam *et*, quae a cod. V etiam paulo supra, ubi eadem propositio occurrit, minus bene ponitur, quia ibi est tantum repetitio obiectionis, hic autem ipsius resolutio.

[4] Cod. T hic addit *est,* ac post *compositum* particulam *et;* lectio non spernenda. — Cfr. supra pag. 169 nota 4.

[5] Aliqui codd. ut XZ cum ed. I *tunc.* Mox post *habeat ab alio* in cod. X additur *differente ab alio,* et paulo infra verbo *personaliter* praefigitur *differente.* Cod. Y *per participationem* pro *participatione.*

[6] Vers. 26, in quo textu Vulgata cum Vat. post *dedit* adiungit *et*, sed contra mss. et edd. I, 2, 3, 6.

[7] In pluribus codd. ut AITYZ et ed. I deest *per se et.* Mox Vat. contra fere omnes codd. et ed. I post primum *aut per* substituit *aliquam* loco *aliam.*

[8] Fide plurium mss. ut FGHMY ee supplevimus *ut*, loco cuius codd. aa bb post *personam* addunt *scilicet.* Paulo ante cod. Y post *quia posse* adiungit *sic,* et dein ed. I omittit *ita.*

[9] Supple: in eo qui potest ab alio. — Pauci codd. ut MN cum ed. I. post *minoritatem* addunt *vel maioritatem*, unus alterve codex autem ut S ponit *maioritatem* loco *minoritatem.*

[10] In Vat. et recentiore cod. cc desideratur *scilicet.*

[11] Ex mss. et ed. I substituimus *ibi* loco *in divinis*, quod et paulo infra post *Secundo, utrum* Vat. praeter fidem mss. et ed. I addit.

QUAESTIO I.

Utrum in divinis sit ratio ordinis.

Quod in divinis sit ordo, ostenditur:

Fundamenta. 1. Primo per Augustinum contra Maximinum [1]: « Cum dicitur Filius a Patre, non significatur inaequalitas substantiae, sed ordo naturae ».

2. Item, hoc videtur auctoritate Ecclesiae, quia Ecclesia nominationem Trinitatis exprimit ordinate. Dicitur enim in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et hic ordo nunquam mutatur: ergo etc.

3. Item, principium dicit rationem ordinis. « Primum enim et principium, dicit Philosophus [2], idem dico »: sed in divinis Pater est principium Filii, ergo primus. Sed ubi hoc, ibi ordo: ergo etc.

4. Item, ordo dicit rationem completi *esse* et *boni* — « *esse* enim, ut dicit Boethius [3], est quod ordinem retinet servatque naturam »; similiter et *bonum* — sed in divinis perfectissime est ratio *esse* et *boni:* ergo est ibi ratio ordinis.

5. Item, ubicumque sunt plures, inter quos non est ordo, sunt inordinati; sed in divinis personis est pluralitas: ergo si non est ibi ordo, est inordinatio et confusio; sed inordinatio et confusio repugnat [4] divinis; ergo est ibi ordo.

Ad oppositum. Contra: 1. Eusebius [5]: « In divinis est numerus, sed non ordo ».

2. Item, hoc ipsum videtur ex *ratione ordinis.* Augustinus de civitate Dei [6]: « Ordo est parium dispariumque sua unicuique tribuens loca dispositio »; sed in divinis non est distinctio locorum: ergo etc.

3. Item, ordo contrariatur *simultati* [7], ergo ubi est ordo, non est omnimoda simultas; sed ubi non est omnimoda simultas, non est perfecta aequalitas: ergo cum in divinis sit omnimoda et perfecta aequalitas, nullus est ibi ordo.

4. Item, si ordo est in divinis, aut est quid *essentiale,* aut *notionale.* Non *essentiale,* quia ubi ordo, ibi distinctio; in divinis autem non est distinctio secundum essentiam: ergo etc. Nec quid *notionale,* quoniam idem est notio et proprietas, sed ordo nullius personae est proprietas [8]: ergo etc.

5. Item, ubi est ordo, ibi est dependentia et inclinatio; nihil enim ordinatur ad aliquid, nisi ad illud habeat inclinationem; in divinis autem nulla est dependentia: ergo ibi nullus omnino ordo [9].

6. Item, ordo praesupponit numerum; sed in divinis non cadit differentia secundum numerum, ut ostensum est supra [10]: ergo nec ordo.

CONCLUSIO.

Ordo ponendus est in divinis, sed solummodo ordo secundum originem.

Respondeo: Dicendum, quod triplex est ordo, scilicet secundum *positionem,* secundum *antecessionem* et secundum *originem.* Ordo est triplex.

Ordo secundum *positionem* dicitur aliquorum, quorum unum est superius, aliud inferius. Et hoc potest esse dupliciter: vel in loco, vel in dignitate. Et hic ordo non cadit in divinis, sicut ostendit prima ratio sumta ab Eusebio, et secunda sumta ab Augustino, sicut patet. Subdistinctio. Conclusio 1. et solutio ad 1. 2.

Ordo vero secundum *antecessionem* dicitur esse eorum, quorum unum prius est, alterum vero posterius; et hoc dicitur dupliciter: aut quia antecedit duratione sive tempore, aut prius naturali intelligentia sive cognitione. Et hic ordo non est in divinis, sicut probat ratio tertia, quia hic ordo tollit aequalitatem et simultatem, quorum utrumque perfecte est in divinis. Subdistinctio. Conclusio 2. et solutio ad 3.

Ordo autem secundum *originem* sive secundum emanationem est producentis ad productum [11]. Et iste ordo est in divinis, quia ibi est ordo principii et Conclusio 3.

---

[1] Libr. II. c. 14. n. 8. Vide hic lit. Magistri, c. 3. circa finem. — Ex cod. T posuimus *contra* loco *ad.* Vat., obnitentibus mss. et ed. 1, post *Maximinum* addit *ubi dicit.*

[2] Libr. I. Poster. c. 2. — Totum hoc tertium argumentum abest a Vat. et cod. cc, exstat tamen in aliis mss. et ed. 1.

[3] Libr. IV. de Consol. Prosa 2.

[4] Cod. V *repugnant.*

[5] Colligitur ex libro S. Eusebii Vercellens. de Trin. Confessione, ubi n. 8. ait: « Haec ergo sancta Trinitas, quae unus est et verus Deus, non recedit a numero nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur. In divinitatis vero substantia quid innumeratum sit, non comprehenditur ». Et ibid. n. 10: « Nec tamen tres istae personae separabiles existimandae sunt, cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia vel exstitisse vel quidpiam operasse aliquando credatur ».

[6] Libr. XIX. c. 13. n. 1, ubi Vat. falso *partium disparium* loco *parium dispariumque.* Mox cod. V *dispositio* pro *distinctio.*

[7] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. de Priori et Simul.

[8] Cod. X, addito in principio huius argumenti tertio disiunctionis membro, scil. *aut personale,* hic adiungit *Item non personale, quia ordo est communis, persona non.* Alex. Hal., S. p. I. q. 46. m. 1. in simili obiectione tria membra ponit, scil. *aut est essentia aut persona aut notio,* et respectu secundi membri ait: « Item nec potest dici, quod iste ordo sit persona, immo est personarum, quia dicit habitudinem personarum ad personas ». Et B. Albert., S. p. I. tract. 9. q. 41. m. 2. a. 1. tria obiectionis membra proferens, de secundo ait: « Nec (ordo dicit) personam: ordo enim personarum est, persona autem personarum non est; sicut non sunt ordinata ordo, sed ordo est ordinatorum ». Attamen iam per se manifestum est, quod *ordo* non dicit *personam;* unde hoc divisionis membrum omitti potuit; vel dic, quod sub *notionali* comprehenditur *personale.*

[9] Nonnulli codd. ut V Z praemittunt verbum *est.*

[10] Dist. 19. p. II. q. 4.

[11] In codd. aa bb additur *et hoc dupliciter: vel secundum quod unum est ab alio essentialiter, et sic non est in divinis,*

principiati, sive producentis et producti, et hunc ordinem esse in divinis probant rationes primae.

Solutio ad cetera opposita. 4. Quod obiicitur quarto, quod ordo non est quid notionale nec essentiale [1]; dicendum, quod est notionale; sed notionem contingit dupliciter significare: aut sub *propria* ratione, ut cum dicitur generatio; aut sub *communi* ratione, communitate, inquam, rationis, ut cum dicitur *ordo* [2], *notio*, *proprietas* — sicut individuum est communis intentio — et sub hac communitate non distinguit, tamen in suis inferioribus distinctionem supponit.

5. Ad illud quod obiicitur: ubi est ordo, ibi dependentia; dicendum, quod ordo importat habitudinem, et quia habitudo in creaturis ratione imperfectionis dicit dependentiam, ideo in creaturis importat dependentiam; in divinis autem habitudo [3] solum ponit comparationem et connexionem et nullam dependentiam et inclinationem: ideo etc.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod ordo praesupponit numerum; dicendum, quod sicut in divinis numerus distrahit [4] a ratione numeri, quia ibi est distinctio hypostasum tantum, ita ordo a ratione ordinis simpliciter, quia, quamvis ibi sit ordo, non tamen est ibi antecessio, sed solum originis emanatio.

Vel aliter dicendum, quod non semper praesupponit distinctionem secundum numerum, nisi intelligatur de ordine locali sive secundum positionem. Nam ordo secundum naturam et secundum naturalem intelligentiam attenditur inter superius et inferius, inter quae non cadit numerus. Et ita patet illud. Alia solutio.

SCHOLION.

I. Richard. a Med. (hic q. 3.) dicit: « Ordo simpliciter importat ordinatorum distinctionem et distinctorum mutuam habitudinem prioris et posterioris gradus. Quamvis autem personae inter se sint distinctae et habeant mutuam habitudinem inter se, gradum tamen prioris et posterioris non habent, quia nulla prior est alia duratione nec dignitate nec etiam secundum naturam ». Unde merito concludit, quod, sicut in divinis non dici debet numerus nisi cum determinatione, scil. numerus personarum, sic non debet dici, quod in divinis est ordo simpliciter, sed cum determinatione, scil. ordo originis, non quo unus sit prior alio, sed quo unus est ab alio. Eandem sententiam Seraphicus, distinctis variis ordinis speciebus, pluribus conclusionibus tuetur et in solut. ad ult. clarius explicat. Quod hic dicit de numeris iam supra d. 19. p. II. q. 4. probatum est.

II. Alex. Hal., S. p. I. q. 46. m. 1. — Scot., de hac et seqq. Quodlib. q. 1. et 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 3; S. I. q. 42. a. 3, q. 33. a. 1. ad 3. — B. Albert., de hac et seq. hic a. 7; S. p. I. tr. 9. q. 41. m. 2. — Petr. a Tar., hic q. unic. a. 4. — Richard. a Med., hic q. 3. — Ægid. R., hic 2. princ. q. unica. — Henr. Gand., S. a. 52. q. 1. — Durand., de hac et seq. hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum in divinis sit ordo naturae.

Secundo quaeritur, utrum in divinis sit ordo naturae. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Per Augustinum, qui dicit in littera [5], quod « cum dicitur Filius a Patre, non dicitur inaequalitas substantiae, sed ordo naturae ».

2. Item, ubi est naturalis origo, ibi est naturalis ordo; sed in divinis est naturalis origo, ergo et naturalis ordo: ergo est ibi ordo naturae.

3. Item, ubi est causa et effectus, ibi est prius et posterius; sed ubicumque hoc, ibi est [6] ordo naturae: ergo cum in divinis contingat reperire causam et effectum, sicut dicit Chrysostomus super principium ad Hebraeos [7], et Damascenus primo libro, capitulo octavo: « Pater est causa Filii », patet etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Cuiuscumque est ordo, ipsum ordinatur: ergo si in divinis est ordo naturae, natura ordinatur; sed quod ordinatur distinguitur et numeratur [8]: ergo in divinis natura distinguitur et numeratur; sed hoc falsum: ergo etc.

2. Item, in divinis [9] idem est natura et essentia, quia *natura* nomen est essentiale; sed in divinis nullo modo ponitur ordo essentiae: ergo nec naturae.

---

sed solum in his inferioribus; vel secundum quod unum est ab alio personaliter tantum.

[1] Plurimi codd. cum edd. 1, 2, 3 loco *essentiale* ponunt *personale*, quod vel est lapsus librariorum, vel signum, quod hic et in ipsa obiectione tertium divisionis membrum, ut non necessario enumerandum, omissum sit, sicut supra a nobis fide codicis X observatum est. — Paulo ante fide antiquiorum mss. et ed. 1 delevimus *Ad illud*, quod Vat. verbis *quod obiicitur* praefigit. Mox cod. A *notionale* pro *notionem*.

[2] In codd. aa bb additur *principium*, cuius mentionem facit et S. Thom., hic q. 1. a. 3. ad 4.

[3] Vat. cum cod. cc, aliis tamen codd. cum ed. 1 refragantibus, omittit hic *habitudo* et paulo infra *ideo*.

[4] Cod. X *distrahitur*, scilicet numerus in divinis trahitur a sensu proprio ad improprium. Cfr. supra d. 19. p. II. q. 4, et dub. 2.

[5] Hic, c. 3. circa finem.

[6] In pluribus mss. ut A T V X et ed. 1 omittitur *est*.

[7] Homil. 2. n. 2: Si enim Pater eius est causa et auctor, multo magis eorum quae per ipsum facta sunt. — Verba Ioan. Damasc. de Fide orthod. loc. cit. sunt: Pater naturaliter Filii causa est.

[8] Vat. cum paucis codd. addit *si hoc*. Paulo infra post *sed hoc* in aliquibus mss. ut V X Z adiungitur *est*.

[9] In plurimis codd. et ed. 1 deest *in divinis*, sed propter rationem additam certe supplendum.

3. Item, ubi est ordo, ibi est prius et posterius [1], ergo si in divinis est ordo naturae, ibi est prius et posterius secundum naturam; sed hoc nullo modo recipitur: ergo nec ordo naturae. Quod autem in divinis non sit prius et posterius secundum naturam, ostenditur sic: «Relativa sunt simul natura [2]», ergo Pater et Filius, secundum quod Pater et Filius, simul sunt natura; sed Pater secundum id quod est et secundum quod est Pater, simul est natura [3], quia relationes in divinis non sunt advenientes, nec tantum sunt ratio referendi, sed etiam existendi [4]: ergo Pater et Filius secundum suas hypostases simul sunt natura, ergo non est ibi ordo naturae.

4. Item, in causis creatis videmus gradus, quod [5] quanto substantia creata citius potest, velocius operatur; unde quaedam operantur in tempore, quaedam repente, quaedam subito; et illa causa, quae operatur subito, aliquando non praecedit tempore, sed natura. Si ergo Deus producit Filium secundum omnem nobilitatem et virtutem suae potentiae, et virtus suae potentiae infinitae maior est quam finitae: ergo non tantum simul duratione, sed etiam simul natura producit: ergo non est ibi ordo naturae.

5. Item, videmus in cognoscibilibus, quod quaedam habent *sui* cognitionem et cogitationem [6] investigando et posterius tempore — et loquor de actuali, non de habituali — ut anima humana; et quaedam simul duratione, ut Angelus: ergo si Dei cognitio et dictio sive locutio non est accidens, sed multo nobilior et virtuosior [7] quam omnis creatura, habet verbum intelligentiae, non tantum simul duratione, sed etiam natura: ergo etc.

CONCLUSIO.

In divinis recte dicitur esse ordo naturae, id est ordo naturalis originis.

Respondeo: Dicendum, quod ordo dicitur esse [8] alicuius dupliciter: aut sicut *ordinati*, aut sicut *rationis ordinandi*. Ordo in divinis sicut *ordinati* dicitur personae Patris vel [9] Filii vel Spiritus sancti; sicut *rationis ordinandi* dicitur naturae. Natura enim dicit vim productivam, secundum quod dicit Philosophus [10], quod «est vis insita rebus ex similibus similia procreans». In divinis autem est ordo secundum productionem, ideo [11] dicitur ibi ordo naturae, id est naturalis originis. Unde genitivus ille non construitur *subiective*, sicut cum dicitur albedo Petri, sed *ex vi declarationis essentiae*, ut cum dicitur albedo claritatis vel homo auctoritatis. Et ideo resolvitur [12] in duos, ut sit sensus: *ordo naturae*, id est naturalis originis.

Ordo alicuius est dupliciter.

Definitio naturae.

Conclusio 1. et principalis.

Significatio genitivi.

1. Ex hoc patet primum quod obiicit [13], quia obiicit, ac si diceretur ordo esse naturae ut rei ordinatae. Patet etiam secundum, quia [14] essentia dicitur in absolutione omnimoda, non ut alterius principium; natura vero dicit ut alterius principium, unde dicit comparationem ad productionem sive emanationem naturalem.

Solutio ad 1. et 2.

Unde [15] ulterius attendendum, quod ordo secundum naturalem originem in his inferioribus duo dicit, scilicet *emanationem* et *antecessionem*. Et ratio huius est, quia emanatio in his inferioribus ponit diversitatem substantialem. Unde omne quod emanat in his inferioribus, est effectus, et quod producit est causa; et ideo dicitur *causa*, cuius esse sequitur aliud [16]; et

Ordo in creaturis dicit duo.

---

[1] Praestamus antiquam lectionem mss. et ed. 1, dum Vat. cum recentiore cod. cc in hac propositione post *ordo* addit *naturae*, et verbo *posterius* adiungit *secundum naturam*, ac mox bis omittit *secundum naturam*, in qua lectione vis argumentationis debilitatur. — De principiis huius obiectionis cfr. Aristot., de Praedicam. c. de Priori.

[2] Aristot., de Praedicam. c. de Relativis.

[3] Mutila lectio Vat., in qua haec propositio *sed Pater* usque *natura* omittitur, resarcitur ope mss. et ed. 1. Mox cod. X *ergo non* pro *nec*.

[4] Cfr. supra d. 7. dub. 4.

[5] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 *quia*. Paulo infra plures codd. ut CEGHKRSU *operatur* loco *operantur*.

[6] Codd. inter se dissident; alii enim ut BDFIKSVWXY ponunt *cognitionem*, cod. O *aliorum cognitionem*, ceteri vero cum ed. 1 *cogitationem*, quae lectio et in se melior est et maiore numero mss. fulcitur; Vat. omittit *et cogitationem*. In cod. Z *in cognoscentibus* pro *in cognoscibilibus*. Paulo infra post *habituali* supple cum cod. bb *cognitione*. Dein codd. LO post *duratione* addunt *sed posterius natura*.

[7] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *nobilius et virtuosius*.

[8] In aliquibus mss. ut ASTY etc. deest *esse*.

[9] Vat., antiquioribus mss. et ed. 1 obnitentibus, hic et paulo post *et* loco *vel*.

[10] Vide supra pag. 134 nota 10.

[11] Aliqui codd. ut LO *et ideo*, alii ut KSV ee *et* loco *ideo*; plures ut AFHIT bb cc cum sex primis edd. *id est* pro *ideo*. Paulo infra, postulantibus mss. et ed. 1, loco *parietis* substituimus *Petri*, ubi dein a codd. aa bb adiungitur *quia ordo non ordinatur vel ordo non est illud quod ordinatur*. Mox post *essentiae* incongrue plures mss. ut BEKV addunt *id est naturalis originis*, ac dein fide mss. et ed. 1 supplevimus verba *vel homo auctoritatis*.

[12] Supple: genitivus. De significatione genitivi cfr. supra d. 3. p. II. dub. 3, et infra d. 34. dub. 5, ac d. 41. dub. 2; hoc ultimo loco ait: Et si obiiciatur, quod unus genitivus non construitur ex illa vi (declarationis essentiae); dicendum, quod verum est, nisi habeat virtutem duorum. Unde bene dicitur: *vir sanguinis* et *homo auctoritatis*, similiter: *electio gratiae*, id est gratuitae bonitatis.

[13] Vat. *obiicitur*, sed contra mss., quorum plures ut ISV bb cum ed. 1 dein perperam omittunt *quia obiicit*.

[14] Fide plurium mss. et ed. 1 substituimus hic *quia* pro ambiguo *quod*, et paulo infra, postulantibus vetustioribus codd. et ed. 1, posuimus *unde dicit* loco *ideo dicit*.

[15] Aliqui codd. ut FGY cum ed. 1 omittunt *Unde*, et mox in nonnullis codd. ut SW post *ordo* additur *substantiae*.

[16] Vide supra pag. 120 nota 7, ubi excipias ed. 1, quae cum Vat. legit: *ad cuius esse* etc. — Paulo infra post *posterius* praepositio *in* deest in cod. Z et ed. 1. Mox plures codd. ut ASWY *sequitur* loco *consequitur*.

quia aliud in natura, ideo posterius in natura. In divinis autem est emanatio, ad quam non consequitur essentiae diversitas vel naturae, ideo nec prius nec posterius natura, sed simul natura. Et ideo in divinis non recipitur [1] ratio *causae* vel effectus secundum Latinos, sed nomen *principii*, quamvis Graeci, extenso nomine, utantur nomine causae pro nomine principii. Et ideo in divinis est ordo naturae, non quo alter sit posterior altero, sed quo alter ex altero. Et hoc est quod dicit Augustinus in littera [2]. (Conclusio 2.)

3. Et ex hoc patet, quod tertio obiicitur; quamvis enim in creaturis ordo ponat posterioritatem naturae [3], non tamen in Deo. Et ideo quamvis non sit ibi posterioritas, non sequitur, quin bene sit ibi ordo. (Solutio ad 3.)

Ex his patent obiecta ad utramque partem. Concedendum est ergo, quod aliquo modo reperitur in divinis ordo naturae, sicut ostendunt primae rationes; tertia tamen [4] deficit, quia nomen causae non reperitur in divinis secundum Latinos proprie. (Epilogus.) (Ad 3. fundamentum.)

Quod obiicitur ad oppositum patet, quia ordo non est naturae ut rei ordinatae. (Ad alia opposita.)

2. Patet etiam quod obiicitur de divina [5] essentia, quia est nomen absolutum nec importat rationem originis.

5. Ultimum [6] patet, quia non est ibi ordo naturae, quo alter prior altero, sed quo alter ex altero.

SCHOLION.

I. Haec quaestio orta esse videtur ex verbo S. Augustini apud Magistrum (hic c. 3.) et in 1. fundam., quod in divinis dicatur *ordo naturae*. Quodsi hoc intelligitur in eo sensu, quod *ipsa natura* ordinetur, procul dubio esset falsum, cum in natura non sit nec relatio nec ordo; si vero intelligitur, quatenus natura est *ratio ordinandi*, in sano sensu intelligi potest. Nam ordo originis, qui est inter Patrem et Filium, est per naturam. Et ex Alexandro notandum, quod alio modo dicitur *natura*, alio modo *essentia*, quia natura super essentiam addit rationem *virtutis productivae* sive *principii agendi*, et ratione huius connotati dici potest ordo naturae. Alii intelligunt *ordo naturae* in sensu originis naturalis, non voluntariae. De duplici significatione genitivi, quae est fundamentum responsionis, vide p. 374 nota 12.

II. In re principali omnes conveniunt; tamen Scot. (l. c.) cum nonnullis, et antiquis et modernis, in *modo loquendi* a ceteris discedit asserendo, *ordinem* originis importare etiam habitudinem secundum *prius et posterius*, quae tamen non sit *durationis*. De rationibus, quare sic loquitur, videsis Rada, controv. 5; Macedo, coll. 8. diff. 4. sect. 1. Sed Seraphicus cum S. Thoma, Richardo et plurimis aliis non admittit vocabulum *prioris* et *posterioris* in divinis. — Alex. Hal., S. p. I. q. 46. m. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2; S. I. q. 42. a. 3. — Petr. a Tar., hic q. unic. a 5. — Richard. a Med., hic q. 4. — Ægid. R., sicut in q. praecedente. — Henr. Gand., S. a. 52. q. 2; a. 54. q. 5. n. 12. et q. 6. n. 26. et 34. — Biel, I. Sent. d. 9. q. 3.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de prima ratione, quam ponit Magister: *Omnia quae habet Pater, habet Filius:* ergo *quantam potentiam habet Pater, habet Filius.* Istud argumentum non videtur valere, quia mutatur *quid* in *quantum:* nam *omnia* distribuit pro substantia, *quantum* autem dicit quantitatem.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis talis modus arguendi non valeret, si differret quantitas et substantia, tamen ubi idem est, omnimodam habet necessitatem; et quia hoc est [7] in divinis, ideo argumentum bonum est.

Posset tamen dici, quod praedictum argumentum in qualibet materia est bonum. Habere enim non dicitur aliquis solum substantialia, sed etiam proprietates: ergo sequitur, cum *omnia* distribuat pro omnibus habitis [8], quod habeat etiam proprietates: ergo cum nullam potentiam habeat unus, quam non habeat alter, ergo nihil potest unus, quod non potest alter: ergo si unus omnipotens est, et alter; et ita patet, quod hic non est figura dictionis, quia *omnia* distribuit hic pro rebus omnium generum [9]. (Alia solutio.)

---

[1] Vat. cum pluribus mss. *accipitur,* sed obstant alii codd. ut GHZ aa bb etc. cum ed. 1 et usus loquendi.

[2] Hic, c. 3. circa finem: Nec cum dicitur Filius a Patre genitus, ostenditur inaequalitas substantiae, sed ordo naturae, non quo alter prior esset altero, sed quo alter est ex altero.

[3] Ex multis mss. ut ACFGHILORSTW etc. et ed. 1 supplevimus *naturae*, et paulo infra ex fere omnibus codd. et ed. 1 *ideo.* Mox cod. V *possit ibi esse ordo* pro *sit ibi ordo.*

[4] A vetustioribus mss. et ed. 1 abest *ratio*, quod Vat. hic addit.

[5] Multi codd. etiam hic, sicut in ipsa obiectione, omittunt *divina*, loco cuius ed. 1 habet *natura et.*

[6] In cod. Y additur *etiam.* Mox post *prior* ed. 1 adiungit *vel posterior.*

[7] Supplevimus hic et mox post *bonum* ex fere omnibus mss. et ed. 1 *est.* Paulo ante loco *arguendi* nonnulli codd. ut SWY *argumentandi.*

[8] Vat. cum uno alterove tantum codice perperam *habitibus.*

[9] Aristot., I. Elench. c. 3. (c. 4.) fallaciam figurae dictionis ita definit: « Quae autem propter figuram dictionis sunt accidunt, quando (propter similitudinem unius dictionis cum alia) non idem ut idem interpretatur, ut masculinum femininum, vel femininum masculinum, vel quod inter haec est (scil. neutrum) alterum horum, vel rursus quale quantum, vel quantum quale, vel faciens patiens » etc. — Dupliciter fieri potest distributio termini *omnis,* nempe *pro singulis generum* i. e. pro singulis individuis, quae sub eodem genere et sub eadem specie continentur, et *pro generibus singulorum* i. e. pro solis generibus vel speciebus, non autem pro individuis sub generibus vel speciebus contentis.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non potest qui accepit inaequalis esse ei qui dedit.* Videtur enim dicere falsum, quia si hoc, cum omnis creatura sit accipiens, nulla esset inaequalis Deo; sed hoc [1] falsum: ergo et primum.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus non loquitur generaliter [2] de quolibet accipiente sive de quolibet modo, sed de eo qui accipit omnia; et talis accipiens non potest esse inaequalis.

Dub. III.

Item quaeritur de alia ratione: *Si non potuit, ergo fuit impotens.* Videtur enim male arguere, quia similiter posset argui de Filio et Spiritu sancto: si non potuit Filium aequalem producere: ergo etc.

Respondeo: Dicendum ad hoc, quod non competit generatio nisi hypostasi Patris, sicut alibi tactum est [3]; ideo non valet nec est simile.

Dub. IV.

Item dubitatur de alia parte auctoritatis [4], quia illud argumentum non videtur valere: *Potuit producere aequalem, et non produxit sive genuit: ergo invidus fuit*, quia similiter [5] potest argui: potuit istam creaturam facere meliorem, et non fecit: ergo invidit. *Si tu dicas,* quod invidia considerat semper parem vel superiorem, sicut dicit Gregorius super illud Iob quinto[6]: *Parvulum occidit invidia;* obiicitur tunc, quia si Filium genuisset minorem, non habuisset ibi locum invidia: ergo videtur quod ista solutio non solvit. *Item,* in creaturis non valet: iste artifex potuit facere istam rem meliorem et non fecit: ergo fuit invidus; quare ergo [7] tenet in Deo?

Respondeo: Dicendum, quod invidia artificis producentis non attenditur in productione rei inaequalis vel minus bonae, nisi [8] ubi res de sui natura exigit tale esse; tunc enim necessario concluditur, quod aut producens non potuit, aut invidit, si potuit et non produxit, quia non fecit, ut debuit. Et quoniam filius, eo ipso quo filius est, natus est perfecte imitari, si non genuit filium in perfecta imitatione, concluditur, quod aut producens impotens fuit, aut invidit. Et ideo patet, quod non est simile de Creatore et creatura, arca et artifice [9].

Dub. V.

Item dubitatur de tertia ratione, quam facit: *Si homo pater potuit gignere filium sibi aequalem,* ergo *et Deus,* quia illud argumentum non valet: homo habet alium hominem sibi aequalem vel habere potest: ergo et Deus similiter; quoniam Deus de sua nobilitate hoc habet, quod nullus potest ei aequari; et ita videtur ratio Augustini non valere.

Respondeo: Dicendum, quodsi aequalitas poneret de necessitate in aequalibus diversitatem in natura, quod tunc non valeret. Sed supposito, quod Deus generet Filium connaturalem sibi, de necessitate sequitur, quodsi homo aequalem genuit, quod Deus multo fortius. Quamvis enim imperfectionis sit aequari diverso in natura, tamen aequari connaturali perfectionis est; alioquin divina natura esset in aliquo imperfecte [10]; quod si hoc est impossibile, patet, etc.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *quaestio aequalitatis est qualis aut quantus.* Videtur enim dicere falsum, quia *quale* dicit qualitatem, et secundum eam attenditur similitudo, non aequalitas, quia « proprium est qualitatis secundum eam simile vel dissimile dici [11] ».

Respondeo: Dicendum, quod de qualitate est loqui dupliciter: uno modo, prout dicitur *denominans* [12]; Qualitas dicitur dupliciter.

---

[1] In cod. V adiicitur *est.*

[2] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 expunximus hic additam coniunctivam particulam *et.* Paulo infra post *omnia* cod. O non male addit *naturaliter.*

[3] Dist. 7. q. 2. — Paulo ante ex mss. et ed. 1 supplevimus *Dicendum.*

[4] Vat. contra mss. et ed. 1 *rationis.*

[5] Cod. dd *eodem modo* pro *similiter,* qui et mox, omisso *istam*, post *meliorem* addit *tali;* cod. V *posset* loco *potest* et paulo post pro *invidit* ponit *invidus fuit.*

[6] Vers. 2; Libr. V. Moral. c. 46. n. 84: Invidere enim non possumus, nisi eis quos nobis in aliquo meliores putamus.

[7] Ita fere omnes codd. cum ed. 1, dum Vat. *etiam non* loco *ergo.*

[8] Praeferimus lectionem plurium mss. ut F G T Z aa bb lectioni Vat. ponendo *nisi* pro *sed*, quae lectio iam ex grammaticali constructione commendatur; aliqui codd. ut S Y cum ed. 1 modo affirmativo, omissis particulis *non* et *nisi,* propositionem exhibent, in qua pauci codd. ut S Y loco *producentis* legunt *potentis.* Mox plures codd. ut F G H I X Y cc dd cum edd. 1, 2, 3 *talis* pro *tale.*

[9] Concordant B. Albert., hic a. 6. — S. Thom., hic circa lit. — Richard. a Med., hic q. 2.

[10] Cod. X *imperfecta*, qui dein cum cod. V habet *et* loco *quod.*

[11] Aristot., de Praedicam. c. de Qualitate. Cfr. etiam supra pag. 342 nota 6.

[12] Nempe forma aliqua accidentalis, secundum quam, ut ait Aristot., de Praedicam. c. de Quali, quales quidam esse dicuntur. — Et paulo infra dicit idem: Qualia ergo dicuntur quae denominative a dictis qualitatibus dicuntur (v. g. a candore candidus et a grammatica grammaticus). — Cod. T voci *denominans* praefigit particulam *ut.* Paulo post ex multis mss. ut F G H S T W Y Z aa bb cum ed. 1 nomini *dispositio* praemisimus *est* loco *dicitur,* ac dein fide plurimorum codd. et ed. 1 substituimus *melior* pro *nobilior.*

alio modo, prout est *dispositio nobilitatis;* et secundum hanc attenditur maior et minor nobilitas, et ita melior res dicitur. Et quia « in spiritualibus idem est maius et melius [1] », ideo quaestio de aequalitate spectat ad qualitatem, non ex propria ratione nominis, sed ex consequenti, ut visum est [2].

DISTINCTIO XXI.

Cap. I.

Quomodo possit dici: solus Pater vel solus Filius vel solus Spiritus sanctus, cum sint inseparabiles.

Hic oritur quaestio trahens originem ex praedictis. Dictum est enim supra [1], quod tantus est solus Pater vel solus Filius vel solus Spiritus sanctus, quantum simul illi tres, et quod duae vel tres personae simul non sunt maius aliquid quam una sola. Ideo quaerit Augustinus in sexto libro de Trinitate [2]: « Quomodo haec sane dici possint, cum nec Pater sit solus nec Filius nec Spiritus sanctus, sed semper et inseparabiliter et Filius cum Patre et Pater cum Filio et Spiritus sanctus cum utroque; inseparabiles enim sunt hae tres personae ». *Responsio.* Ad quod ita respondet Augustinus in eodem [3]: « Solum Patrem dicimus Patrem, non quia separatur a Filio vel a Spiritu sancto, sed hoc dicentes significamus, quia illi simul cum eo non sunt Pater ». Solus enim Pater Pater est. Quod non dicitur, quia ipse sit solus, id est sine Filio vel Spiritu sancto, sed per hoc Filius et Spiritus sanctus a paternitatis consortio excluduntur. Ita et cum dicitur: solus Filius Filius est, vel solus Spiritus sanctus Spiritus sanctus est, non dividitur Filius a Patre vel Spiritus sanctus ab utroque, sed a consortio filialis proprietatis excluduntur Pater et Spiritus sanctus, et a consortio processibilis proprietatis Pater et Filius. Cum ergo dicitur: tantus est solus Pater, quantum simul illi tres, per hoc quod dicitur *solus* non separatur Pater ab aliis, sed hic est sensus: solus Pater, id est Pater, qui ita Pater est, quod nec Filius nec Spiritus sanctus, tantus est etc. [4] Similiter intellige, cum dicitur: solus est Filius vel solus est Spiritus sanctus. « Solus ergo Pater dicitur, ut ait Augustinus in eodem [5], quia non nisi ipse ibi Pater est », et solus Filius, quia non nisi ipse ibi Filius est, et solus Spiritus sanctus, quia non nisi ipse ibi Spiritus sanctus est.

Cap. II.

Utrum debeat dici: solus Pater est Deus, vel solus Filius est Deus, vel solus Spiritus sanctus est Deus; an, Pater est solus Deus, Filius est solus Deus, Spiritus sanctus est solus Deus.

Post hoc quaeritur, utrum, sicut dicitur: solus Pater est Pater, vel solus Filius est Filius, ita possit dici: solus Pater est Deus, vel solus Filius est Deus, ita et de Spiritu sancto; aut, Pater est solus Deus, Filius est solus Deus. Ad quod dicimus, quia Pater et *Responsio.* Filius et Spiritus sanctus dicitur et est unus Deus, et haec Trinitas simul proprie dicitur esse solus Deus, sicut solus sapiens, solus potens. Sed non videtur debere dici a nobis verbis nostris utentibus, nisi ubi sermo auctoritatis [6] occurrit: solus Pater est Deus, vel Pater est solus Deus; ita de Filio et Spiritu sancto dicimus. Unde Augustinus in sexto libro de Trinitate [7] ait: « Quoniam ostendimus, quomodo possit dici solus Pater vel solus Filius, consideranda est illa sententia, qua dicitur, Deum verum solum non esse Patrem solum, sed Patrem et Filium et Spiritum sanctum ». Ecce habes, quia non solus Pater dicendus est esse solus verus Deus. Item in eodem [8]: « Si quis interroget, utrum Pater solus sit Deus; quomodo respondebimus, non esse, nisi forte ita dicamus, esse quidem Patrem Deum, sed non eum esse solum Deum? Esse autem solum Deum dicamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum ». Ecce et hic habes, quia Pater non debet dici solus Deus; atque hic [9] *solum* in parte subiecti tantum accipere quidam volunt, in parte vero praedicati si sit, concedunt, quod Pater est solus Deus. Sed ex verbis Augustini videtur ostendi, quod proprie solus Deus dici debeat tota Trinitas. Et haec Trinitas, ut ait Augustinus contra Maximinum [10], intelligitur, cum Apostolus dicit: *Beatus et solus potens;* et ibi: *Soli sapienti Deo;* et ibi: *Invisibili soli*

---

[1] August., VI. de Trin. c. 8. n. 9. — In immediate sequenti propositione praestamus lectionem veram et contextui conformiorem, quam integre exhibent codd. X Z; Vat. cum ed. 1 et aliquibus mss. *ideo quaestio de qualitate spectat ad aequalitatem*, alii codd., inter quos est etiam cod. T, perperam *ideo quaestio de aequalitate spectat ad aequalitatem*, qui etiam cum edd. 4, 5 in principio responsionis incongrue ponunt *de aequalitate est loqui* pro *de qualitate* etc.

[2] Vide d. 19. p. I. q. 1. et 2. — Cfr. et B. Albert., hic a. 6. in fine et S. Thom., hic in expos. lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Dist. XIX. — Mox solummodo Vat. et ed. 4 *illae tres;* supple: *personae.* Deinde Vat. cum paucis edd. post *una* superflue addit *persona.*

[2] Cap. 7. n. 9, secundum sensum; Magister extendit quaestionem etiam ad Spiritum sanctum, sicut et in sequente textu.

[3] Ibid., paucis interpositis. — In principio edd. praeter Vat. et ed. 1 male et contra codd. et originale legunt: *Solum Deum Patrem dicimus, non quia.*

[4] Supple cum codd. A C: *quantum illi tres.*

[5] Cap. 9. n. 10.

[6] Vat. et edd. 2, 3, 7 non bene *auctoritatibus.*

[7] Cap. 9. n. 10; in quo textu Vat. et aliae edd. contra 1, 8, codd. et originale male legunt *posset* pro *possit.* Finito textu, ante *verus Deus* Vat. et plures edd. contra codd. male omittunt *solus.*

[8] Loc. cit. — Vat. et edd. 4, 6 *interrogat,* contradicentibus aliis edd., codd. et Augustino. Deinde post *sed non* sola Vat. omittit *eum.*

[9] Edd. 2, 3, 7, 9 *hoc;* ed. 6 *hic solus.* In qualicumque lectione verba Magistri ob brevitatem sunt subobscura. Lectionem *hic* sic interpretari possumus: *hic,* id est in hac resolutione negativa, aliqui distinguunt, admittentes eam, si verbum *solum* ex parte subiecti accipitur. Similiter etiam lectio *hoc* fortasse intelligi potest. De ipsa sententia Magistri cfr. S. Bonaventura, hic dub. 4. — Mox Vat. et ed. 4 post *praedicati* non bene legunt *sic*, et edd. 3, 7 peius *si sic.*

[10] Libr. II. c. 12. n. 2. Magister ex hoc et tribus sequen-

Deo. Non enim de solo Patre haec accipienda sunt, ut contendebat Maximinus et alii haeretici, sed de Trinitate. Sicut et illud: *Solus habet immortalitatem*, quia secundum rectam fidem ipsa Trinitas est unus solus Deus, beatus, potens, sapiens, invisibilis. Unde Augustinus in eodem [1]: « Cum unus Deus sit Trinitas, haec sit nobis solutio quaestionis, ut intelligamus solum Deum sapientem, solum potentem Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui est unus et solus Deus ».

CAP. III.

Quomodo Trinitas dicatur solus Deus, cum ipsa sit cum spiritibus et animabus sanctis.

Sed iterum quaeritur, quomodo ipsam Trinitatem dicimus solum Deum, cum sit cum spiritibus et animabus sanctis. Ad quod respondet Augustinus in sexto libro de Trinitate [2] ita dicens: « Trinitatem dicimus Deum solum, quamvis semper sit cum spiritibus et animabus sanctis, sed *solum* dicimus, quia non aliud quam ipsa Trinitas Deus est. Non enim illi cum illa Deus sunt », vel aliqua alia, sed ipsa Trinitas tantum, non illi vel alia Deus est.

Responsio.

« Verumtamen, ut ait Augustinus [3], etsi de solo Patre praedicta dicerentur, non tamen excluderetur Filius vel Spiritus sanctus, quia *hi tres unum sunt*; sicut in Apocalypsi de Filio legitur, quod *habet nomen scriptum, quod nemo scit nisi ipse*. Non enim inde separatur Pater vel Spiritus sanctus. Et cum dicitur: *Nemo novit Patrem nisi Filius*; non inde separatur Pater, et Spiritus sanctus, quia inseparabiles sunt ». Aliquando etiam nominantur Pater et Filius, et tacetur Spiritus sanctus; sicut Veritas ad Patrem loquens ait [4]: *Ut cognoscant te et quem misisti Iesum Christum esse unum verum Deum*. « Cur ergo, inquit Augustinus [5], tacuit de Spiritu sancto? Quia consequens est, ut ubicumque nominatur unus, sicut Pater et Filius, tanta pace uni adhaerens intelligatur etiam ipsa Pax, quamvis non commemoretur ». Uno ergo istorum nominato, etiam reliqui intelliguntur; quod in pluribus Scripturae locis occurrit.

Regula generalis.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXI.

Qualiter dictiones exclusivae accipiantur in divinis.

Hic oritur quaestio ex praedictis trahens originem.

DIVISIO TEXTUS.

Supra probavit Magister aequalitatem personarum; hic, quia in probatione dubias quasdam [1] dixerat rationes propter dictiones exclusivas, movet illas dubitationes et solvit. Et habet haec pars tres partes secundum tria dubia, quae proponit.

Primo enim quaerit de hac locutione [2]: tantus est solus Pater, quantus Pater et Filius, et hoc primo capitulo.

Secundo proponit hanc sive quaerit de hac: solus Pater est Deus, et hoc facit secundo capitulo, ibi: *Post haec quaeritur, utrum, sicut dicitur solus Pater* etc.

Tertio quaerit de hac: Trinitas est solus Deus; et hoc facit tertio capitulo, ibi: *Sed iterum quaeritur, quomodo ipsam Trinitatem*. Et in qualibet istarum partium primo movet dubitationem, secundo solvit [3].

---

tibus locis excerpsit Augustini doctrinam, quod semper tota Trinitas intelligatur in citatis locis sacrae Scripturae. Verba Augustini haec sunt: Ac per hoc quod ait Apostolus (I. Tim. 6, 15.): *Beatus et solus potens*, non cogor de Patre tantummodo accipere, sed de Deo, quod est ipsa Trinitas. Cap. 13. n. 2: *Soli sapienti Deo* (Rom. 16, 27.). Deus itaque, quod est ipsa Trinitas propterea *solus* sapiens recte dicitur, quia solus secundum substantiam suam sapiens est. Cap. 9. n. 4: *Invisibili soli Deo* (I. Tim. 1, 17.). Si dixisset *soli Patri*, difficilius fortasse quaestio solveretur; quia vero dixit *soli Deo*, non est utique contra nos; et Unigenitus quippe in Dei forma et Spiritus sanctus in sua natura est invisibilis. Unus enim et solus Deus a nobis ipsa Trinitas praedicatur. Cap. 12. n. 2: *Beatus et solus potens, Rex regum* etc. (I. Tim. 6, 16.). Nihil hic video dictum, quod non conveniat Trinitati. — Etiam alibi eadem docet Augustinus, cfr. libr. I. de Trinitate c. 6. n. 10. et 11, ex quo Magister mutuavit ultima verba.

[1] Cap. 13. n. 1. Ultimis verbis codd. BCD haec adiiciunt: Non ergo Pater solus, nec solus Filius, nec solus Spiritus sanctus Deus est, sed ipsa Trinitas unus Deus solus est.

[2] Cap. 7. n. 9. — Vat. et ed. 4 ante *dicens* omittunt *ita*.

[3] Libr. II. contra Maximinum c. 13. n. 1; sed Magister nonnulla omisit vel addidit. Tres in hoc textu occurrentes loci sacrae Scripturae sunt: I. Ioan. 5, 7; Apocal. 19, 12; et Matth. 11, 27, ubi Vulgata: Et nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius. S. Bonav. (hic dub. 3.), uti testantur codd., in Magistro legit: Nemo novit Filium nisi Pater.

[4] Ioan. 17, 3.

[5] Libr. VI. de Trinitate c. 9. n. 10. Etiam propositio praecedens secundum sensum inde excerpta est. — In fine sola Vat. addit: *ut ibidem amplificat Augustinus*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *quasdam*.

[2] Vat. cum cod. cc *ratione*, sed minus bene et contra ceteros codd. et ed. 1. Mox in Vat. deest *et hoc primo capitulo*, quod tamen exstat in mss. et ed. 1. Similis omissio recurrit paulo infra, scil. *secundo capitulo* et *tertio capitulo*.

[3] Vat. et cod. cc, refragantibus tamen aliis mss. et ed. 1, *movetur dubitatio, secundo solvitur*.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis est hic quaestio de dictionibus exclusivis. Et circa hoc principaliter quaeruntur [1] duo.

Primo quaeritur, utrum dictio exclusiva in divinis vere addatur termino substantiali.

Secundo, utrum vere addatur termino relativo.

Et quantum ad primum quaeruntur duo:

Primo [2]: utrum dictio exclusiva vere addatur termino substantiali a parte *subiecti*.

Secundo, si vere addatur [3] a parte *praedicati*.

ARTICULUS I.

De dictionibus exclusivis additis termino substantiali.

QUAESTIO I.

Utrum vere dicatur: solus Deus est Pater.

Quod autem vere [4] addatur huic termino *Deus* a parte *subiecti*, ostenditur hoc modo: Deus habet aliquid proprium; sed proprium est quod inest soli [5]: ergo etc. Et quia constat, quod exclusio vere additur termino substantiali respectu praedicati *essentialis*, unde bene dicitur: solus Deus creat; quaeritur, utrum vere addatur ei respectu praedicati *proprii* sive [6] termini *relativi*, utrum scilicet vere dicatur: *solus Deus est Pater*. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Per suam expositionem, quae est: *solus Deus est Pater*, id est non alius quam Deus est Pater [7]: ergo solus Deus est Pater. Et quod sit ista eius expositio, hoc habetur et a communi usu et a Philosopho [8], qui dicit, quod «*solus* idem est quod *non cum alio*».

2. Item, hoc [9] videtur a convertibili, quoniam istae duae convertuntur: nihil praeter Petrum currit, ergo solus Petrus currit; ergo et istae duae: nihil praeter Deum est Pater, et solus Deus est Pater. Sed prima est vera, quia haec est falsa: nihil est Pater, et non habet instantiam nisi in Deo [10]: ergo etc.

3. Item, a quocumque removetur quod est in *plus*, removetur quod est in *minus* [11]; sed *esse Deum* est in plus quam *esse Patrem*: ergo a quocumque removetur Deus, et Pater. Sed quaecumque sic se habent, quod a quocumque removetur unum, et alterum, unum praecise praedicatur de altero, nec habet instantiam: ergo Pater praecise praedicatur de Deo; sed si praecise, ergo cum exclusione: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Terminus accidentalis implicat rem suam circa suum subiectum — ut patet, cum dicitur: homo albus currit, circa hunc terminum *homo* implicatur albedo — ergo similiter cum dicitur: solus Deus est Pater, circa *Deum* implicatur *solitudo*. Sed Hilarius [12] dicit, quod «Deus non est solitarius confitendus»: ergo etc. Et ratio ista concludit, quod non possit vere addi nec cum praedicato *proprio* nec *communi*.

2. Item, ostenditur, quod non possit vere addi respectu praedicati *communis*, ut cum dicitur: solus Deus creat. Hoc enim nomen *Deus* de se habet suppositionem quasi indefinitam respectu personarum [13], ergo reddit locutionem veram pro aliquo; sed pro quolibet est falsa — haec enim est falsa: solus

---

[1] Vat. cum paucis tantum codd. *quaerenda sunt*.

[2] Multi codd. cum ed. 1 *Primum est*.

[3] Cod. I adiungit *huic termino*.

[4] Supple: dictio exclusiva *solus*; Vat. omittit particulam *autem* et addit *ly solus*, sed praeter fidem mss. et ed. 1.

[5] Porphyr., de Praedicab. c. de Proprio.

[6] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *sive* pro *sicut*.

[7] Plures codd. ut ACFORU ee omittunt in hac propositione verba *id est*, loco quorum codd. SY post *non* ponunt *enim*. Cod. W omittit in principio propositionis particulam *solus*, et loco *id est* habet *et*, lectio non spernenda, quam cod. T a posteriore manu correctus cum lectione aliorum mss. ita coniungit: *solus Deus est Pater, id est, Deus est Pater et non alius quam Deus est Pater*. Vide infra resp. ad 3. obiect., ubi expositio eadem datur.

[8] Libr. II. Elench. c. 3. (c. 22.). — Paulo supra ex multis codd. ut AGHIKRXY aa ee ff et ed. 1 post *habetur* adiecimus *et*.

[9] In codd. VX additur *idem*, et mox in codd. SY pro *a* ponitur *ex*.

[10] Aristot., II. Prior. c. 26. (c. 28.) ait: Instantia autem est propositio propositioni contraria. — Sensus igitur verborum *et non habet instantiam nisi in Deo* est: propositio huic falsae propositioni: *nihil est Pater*, contraria et vera est: *nonnisi seu solus Deus est Pater*; quod sic patet, si haec: *nihil est Pater* est falsa, ergo haec erit vera: *aliquid est Pater*; ergo vel creatura vel Deus; non creatura seu nihil extra Deum, ut constat; ergo solus Deus. — Paulo ante Vat. praeter fidem multorum mss. ut AFGHSTXY etc. et ed. 1 *ergo solus Deus Pater* loco *et: solus Deus est Pater*.

[11] Cfr. supra d. 19. p. I. q. 4. arg. 1. ad opp. — In hac propositione auctoritate antiquiorum mss. et ed. 1 expunximus post *removetur* in Vat. additum *hoc*.

[12] Libr. IV. de Trin. n. 18: Nobis quoque nec solitarius tantum nec diversus est confitendus.

[13] Cfr. supra d. 4. q. 4. — Paulo infra Vat. cum cod. cc, sed contra ceteros codd. et ed. 1, *solum uni* pro *uni soli*.

Pater creat — ergo cum omne praedicatum essentiale conveniat tribus, et non uni soli, nullo modo potest addi dictio exclusiva respectu talis praedicati subiecto communi.

3. Item, quod non respectu *proprii*, videtur, quia si haec est vera: solus Deus est Pater: ergo a simplici conversa et haec: solus Pater est Deus; sed ista est falsa: ergo etc. *Si dicas*, quod non convertitur simpliciter; *contra:* habet intellectum universalis negativae et particularis affirmativae, et utraque convertitur simpliciter: ergo etc.

CONCLUSIO.

Terminus solus in divinis non dicitur categorematice, ut idem sensus sit ac solitarius; bene vero dicitur syncategorematice respectu praedicati tum substantialis, tum personalis.

Respondeo: Dicendum, quod haec dictio *solus* potest esse *categorema*, vel *syncategorema*[1]. Secundum quod est *categorema*, sic est nomen adiectivum, absolute ponens rem suam circa suum substantivum, et res sua est *solitudo*. Unde tantum valet sic[2] *solus* quantum *solitarius*. Et quia solitudo nullo modo recipitur in divinis quantum ad substantiam, quia est in multis personis, hoc nomen *solus* non recipitur in divinis cum terminis[3] substantialibus, sicut ostendit prima ratio.

Solus dicitur dupliciter.

Conclusio 1.

Si autem accipiatur[4] in quantum est *syncategorema*, sic privat associationem et importat aliquam negationem. Et sic, cum aliquod praedicatum et substantiale et personale praecise dicatur[5] de nomine substantiali, sic vere dicitur in divinis et respectu praedicati *substantialis*, ut cum dicitur: solus Deus creat, et respectu[6] *personalis*, ut cum dicitur: solus Deus est Pater.

Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de albo, quod ponit rem suam circa substantivum; dicendum, quod non est simile, secundum quod hoc nomen *solus* tenetur syncategorematice; quia *albus* est dispositio subiecti absoluta, unde absolute ponit rem suam circa terminum, sed *solus* ratione negationis non absolute; et ideo non ponit solitudinem, sed praecisionem.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur secundo, quod terminus substantialis debet *reddere locutionem veram*[7] pro aliqua persona; dicendum, quod terminus, cui additur exclusio, respectum habet ad *praedicatum*, et respectum habet ad *exclusionem;* et licet respectu praedicati possit habere suppositionem *personalem*, ut cum dicitur: solus homo currit; tamen regula est apud sophistas[8], quod per comparationem ad dictionem exclusivam talis terminus habet suppositionem *simplicem*, unde nullo modo licet descendere. Et hoc est quod dicitur in libro de Regulis fidei[9], quod dictio exclusiva facit exclusionem quantum ad *genus rei*, non quantum ad *rem generis*, quia ratione formae communis, quae est *genus rei*, non ratione suppositi, quod est *res generis*.

Regula logicalis.

3. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod conversa est falsa; dicendum, quod illa non est sua conversa; quia ista: solus Deus est Pater, habet intellectum affirmativae, scilicet Deus est Pater, et haec convertitur simpliciter; et habet rationem[10] negativae huius: nullus alius a Deo est Pater, et haec similiter convertitur simpliciter; sed haec non est sua conversa: nullus alius a Patre est Deus, sed haec: nihil quod est Pater, est aliud a Deo. Idem enim, quod subiiciebatur in prima, debet praedicari in secunda; et sic patet illud.

SCHOLION.

I. Quaestiones huius distinctionis satis sunt intricatae, sed a theologis illius aetatis post Magistrum Sententiarum in scholis communiter cum magna subtilitate dialectica tractabantur. Serviunt ad maiorem verborum proprietatem quoad adorandum Trinitatis mysterium observandam. Supponit Seraphicus in hac et seqq. qq. plura, quae in antiqua logica de dictionibus exclu-

---

1 Plures codd. ut BDQS cum ed. 1 hic et in sequentibus *categorematica vel syncategorematica*, prout scil. *solus* se ipso sine additione alterius termini vel tantum iunctus alteri aliquid determinate significat. Paulo infra Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 *absolutum* pro *absolute*.

2 Vat. cum cod. cc perperam *hic*. Mox post primum *quantum* in cod. I repetitur *valet*.

3 Ex antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus *cum terminis*, quae verba minus bene absunt a Vat. et cod. cc. Paulo ante cod. bb post *quia est* repetit *substantia*, et cod. Y post *personis* addit *ideo*.

4 Cod. X *accipitur*. 5 Cod. T *praedicatur*.

6 In cod. V repetitur *praedicati*. Mox post *Pater* cod. X adiungit: *id est ille qui est solus Deus est Pater*.

7 De hac locutione vide supra d. 4. q. 1. in Scholio, ubi et plura invenies de suppositione *personali* et *simplici* ac de *descensu*, de quibus paulo infra loquitur S. Doctor.

8 Intellige in sensu bono, scil. homines, qui eruditi et doctores sunt in logica; in eodem sensu occurrit apud S. Thomam, S. p. I. q. 31. a. 3. ad 3. — Regula, quam adducit S. Doctor, invenitur in Summula Petri Hispani, Tract. de Suppositionibus, in subdivisione suppositionis simplicis, ubi hoc adducit exemplum: « Omne animal praeter hominem est irrationale; ibi iste terminus *hominem* simplicem habet suppositionem, quia non licet fieri descensum sub ipso; unde non sequitur: omne animal praeter hominem est irrationale, ergo omne animal praeter hunc hominem est irrationale » etc. — Paulo infra ed. 1 *confusam immobilem* pro *simplicem;* vide Petrum Hispanum loco cit., et nota *suppositionem confusam immobilem* dici etiam *confusam tantum*, cui opponitur *confusa mobilis seu distributiva*.

9 Alanus ab Insulis, in libro: Theologicae regulae, reg. 29.

10 Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *habet etiam intellectum* pro *et habet rationem*.

sivis, de eorum speciebus et de quinque regulis in expositione earum observandis magis subtiliter quam utiliter tradebantur. Sufficiat notare haec pauca.

I. *Dictio exclusiva* est illa, in qua vel *subiectum* vel *praedicatum* afficitur particulis exclusivis, ut *tantum, solum, dumtaxat* etc. Si signum exclusivum afficit *subiectum*, tunc propositio significat, praedicatum convenire tantum illi subiecto, non autem aliis subiectis v. g. tantum homo est risibilis. Si vero particula exclusiva afficit *praedicatum*, tunc significat, illud tantummodo praedicatum, ceteris exclusis, huic subiecto convenire v. g. superbus non amat nisi se ipsum.

2. Omnis propositio exclusiva affirmativa exponitur per duas propositiones, quarum una affirmat praedicatum de subiecto, altera vero excludit vel omne aliud suppositum a consortio praedicati, vel aliud praedicatum a subiecto. Ita propositio: solus Deus est Pater, sic exponitur: Deus est Pater, et nihil, quod non est Deus, est Pater. Cfr. hic solut. ad 3.

3. Circa alios terminos exclusivos, ut *tantum, dumtaxat,* non est difficultas, quia non habent alium sensum nisi exclusivum. Terminus vero *solus* habet sensum aequivocum. Potest enim intelligi vel categorematice i. e. ut per se significat aliquid, et tunc *solus* idem est ac *solitarius;* vel syncategorematice, quando ut adiectivum adiunctum est alicui substantivo. In primo sensu non facit propositionem exclusivam nec ullo modo admittitur in divinis. In secundo sensu facit propositionem exclusivam et addi potest termino essentiali (ut Deus), qui ponitur ut subiectum respectu praedicati sive essentialis sive personalis, quod soli Deo competit.

4. *Conversio* propositionis est inversio extremorum propositionis, ita ut, retenta ipsius propositionis veritate, ex praedicato fiat subiectum et ex subiecto praedicatum. Huius conversionis triplex distinguitur species, scil. *simplex, per accidens* et *per contrapositionem.* Variae in logica dantur regulae, ut rite fiat haec conversio.

II. Ad explicandam solut. ad 2. servire possunt verba S. Thomae (S. I. q. 31. a. 3. ad 3.): « Ut sophistae dicunt, dictio exclusiva immobilitat terminum, cui adiungitur, ut non possit fieri sub eo descensus pro aliquo suppositorum. Non enim sequitur: solus homo est animal rationale, mortale, ergo solus Socrates ». — In eadem solutione remanet difficultas, quam movet Brulifer hic, quod in una eademque propositione idem terminus iuxta duplicem respectum, scil. ad exclusionem et ad praedicatum, non possit habere suppositionem *simplicem* (seu excludentem descensum ad supposita) et suppositionem *personalem.* Ad hoc dicendum est, quod propositio exclusiva virtualiter continet duas propositiones, ut supra dictum est, et quod S. Bonaventura non dicit, ipsam actu habere suppositionem simplicem et personalem, sed quod *possit* habere suppositionem personalem, nempe ratione materiae. Quoad terminos *suppositionem simplicem* et *personalem* etc. cfr. d. 4. q. 1. Scholion.

III. In conclusione omnes conveniunt. — Alex. Hal., S. p. I. q. 66. m. 3. a. 2. in fine. — Scot., de hac et tribus seqq. in utroque scripto hic q. unic. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2; S. I. q. 31. a. 3. — B. Albert., hic a. 3; de hac et seqq. qq. S. p. I. tr. 9. q. 40. m. 2. — Petr. a Tar., hic q. unic. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic q. 4. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 3. collater. 1. — Henr. Gand., de hac et seqq. S. a. 75. q. 5. per totam. — Durand., de hac et tribus seqq. hic q. 1. 2. — Dionys. Carth., de hac et tribus seqq. hic q. unic. — Biel, de hac et tribus seqq. qq. hic q. unic.

QUAESTIO II.

Utrum dictio exclusiva vere addi possit termino substantiali a parte praedicati.

Secundo quaeritur, utrum dictio exclusiva vere possit addi termino substantiali a parte praedicati. Et quod sic, ostenditur hoc modo.

Fundamenta. 1. Augustinus sexto de Trinitate [1]: « Patrem dicimus esse Deum, sed non esse solum Deum, esse autem solum Deum dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum ». *Si tu dicas,* quod ly *solum* intelligitur ex parte subiecti; obiicitur expressius per hoc quod dicit Augustinus contra Maximinum [2]: « Ipsa Trinitas est unus solus verus Deus »; constat quod in hac *solus Deus* non potest esse dispositio ex parte subiecti, quia sic esset sermo incongruus: ergo etc.

2. Item, hoc ipsum [3] videtur per *expositionem:* Trinitas est Deus et non aliud quam Deus, ergo Trinitas est solus Deus; praemissae sunt verae: ergo et conclusio.

3. Item, ratione videtur per *simile:* quando praedicatum non inest alii quam subiecto, vere haec dictio *solus* accipitur ex parte subiecti: ergo quando subiectum non subest alii quam praedicato, vere accipitur a parte praedicati: sed istud subiectum *Trinitas* non subest [4] alii quam Deo: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Haec dictio *solus* est dispositio subiecti, sicut hoc signum *omnis;* sed quando *omnis* additur ad praedicatum, locutio est falsa et impropria: ergo et [5] similiter, quando haec dictio *solus.*

2. Item, haec dictio *solus* addita alicui termino excludit alium; unde sensus est: *solus homo,* id est [6] homo et non alius; sed *alius* respicit suppositum, et terminus subiicitur ratione suppositi, et praedicatur ratione formae: ergo haec dictio *solus* de sui ratione respicit subiectum: ergo falso et improprie additur praedicato.

---

[1] Cap. 9. n. 10; vide hic lit. Magistri, c. 2.

[2] Libr. II. c. 9. n. 1: Unus enim et solus Deus a nobis ipsa Trinitas praedicatur. Vide etiam hic lit. Magistri, c. 2. circa finem. — Mox Vat. praeter fidem mss. et sex primarum edd. *ly solus* pro *in hac solus Deus.* Per verba, quae dein sequuntur, scil. *sermo incongruus,* intellige sermonem contra grammaticae regulas.

[3] Ex plurimis mss. et ed. 1 supplevimus *ipsum.*

[4] Postulantibus codd. cum ed. 1 nec non contextu, posuimus *subest* loco *inest.*

[5] In Vat. deest particula *et,* quae tamen a multis mss. ut AFGTY etc. et ed. 1 exhibetur.

[6] Vat. cum cod. cc omittit minus bene, et aliis mss. cum ed. 1 obnitentibus, *id est.* Paulo ante aliqui codd. ut SYZ post *excludit* repetunt *terminum.*

3. Item, secundum quod additur praedicato, aut tenetur categorematice. aut[1] syncategorematice. Si categorematice, tunc est nomen adiectivum et non recipitur in divinis; si syncategorematice, sic importat negationem implicitam; sed negatio antecedit quod negat: ergo necesse est, quod antecedat compositionem, quam negat; sed cum dicitur: Pater est solus Deus, solus[2] sequitur compositionem: ergo videtur, quod non possit ipsam negare: ergo etc.

Quaestio incidens. 4. Item, ego quaero, quid excludat[3], quando additur ad praedicatum. Si aliud a praedicato, ut sit sensus: *est solus Deus*, id est Deus et non aliud; tunc est ibi superfluitas, quia forma praedicati excludit aliam formam disparatum, quantum est de se — unde sequitur: iste est homo, ergo non est aliud ab homine — ergo videtur, quod dictio exclusiva faciat superfluitatem et nugationem: non ergo tenetur exclusive, et ita videtur, quod teneatur *adiective* solum et quod importet solitudinem circa istum[4] terminum Deus; et istae sunt falsae.

CONCLUSIO.

Dictio exclusiva potest in divinis addi praedicato termini substantialis vere, sed non proprie, nisi cum determinatione et adiunctione termini partitivi.

Respondeo: Ad hoc volunt[5] aliqui dicere, quod haec dictio *solus* proprie non debet addi ad praedicatum, sed tantum ad subiectum; et cum additur praedicato, impropriae sunt locutiones, et tunc idem est dicere *solus* et *tantum*. Sed tamen, si aliquis inspiciat, non tantum cum hac dictione *solus*, sed etiam[6] cum hac dictione *tantum* videbit improprietatem et superfluitatem. Quid enim est dicere: Trinitas est tantum Deus, nisi est Deus, et non aliud quam Deus? Sed[7] hoc improprie satis dictum est, quia hoc ipso, quod Deus est, excluditur, quod non sit aliud a Deo. Si enim Deus est, ergo non est aliud a Deo, et nullus haereticus unquam dixit, Trinitatem esse Deum, qui diceret, aliud[8] esse a Deo. Unde non videtur magnum quid Augustinus dicere, si hoc voluit dicere.

Solutio quorundam. — Non approbatur.

Solutio Auctoris cum distinctione. Et[9] propterea aliter dicendum est, quod haec dictio *solus* dupliciter potest addi termino substantiali a parte praedicati: aut per se, aut cum termino numerali sive partitivo. *Per se* improprie additur; et si addatur secundum vocem, tamen secundum intellectum stat a parte subiecti. Idem enim est dicere: est homo albus, et est albus homo[10]. Unde sensus est: non dicimus, Patrem esse solum Deum, id est, non dicimus, solum Patrem esse Deum. Si autem aliter ponatur, videtur sermo habere superfluitatem et improprietatem, quia hoc excludit, quod excludebatur ex natura ipsius praedicati. (Conclusio 1.)

Solus cum termino numerali. Aliquando[11] additur haec dictio *solus* termino substantiali *cum termino numerali*, sicut cum hoc termino *unus*; et tunc excludit pluralitatem, et hoc modo bene additur praedicato; et ita accipit Augustinus contra Maximinum, cum dicit: «Trinitas est unus solus verus Deus», ita quod non plures; et tunc est verus sermo et proprius et contra haereticos, qui dicebant, Trinitatem plures esse deos. Et importatur per istum terminum *solus* privatio multitudinis, et ita discretio[12], et magis proprie dicitur de Trinitate, quod Trinitas sit unus solus Deus, quam de Patre, cum tamen possit dici de utroque, quia Pater est unus Deus, et nullus unquam dixit, Patrem esse plures; sed de Trinitate sive de tribus aliqui dixerunt; et ideo congruentius dicitur: Trinitas est unus solus Deus. Concedendum est igitur, quod *solus* potest addi ad praedicatum termini substantialis vere in divinis, sed non proprie, nisi cum determinatione et adiunctione termini partitivi. (Conclusio 2. — Conclusio 3. — Epilogus.)

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod *solus* est dispositio subiecti, sicut hoc signum *omnis;* dicendum, quod non est ita propria dispositio subiecti, sicut hoc signum *omnis;* quia *omnis* distribuit pro suppositis, pro quibus terminus *subiicitur*, non pro quibus[13] *praedicatur*, saltem simul sumtis; *solus* autem non solum dicitur ratione suppositi, verum etiam ratione formae, quia excludit *alium* et etiam[14] potest excludere *aliud*. (Regula logicalis.)

---

[1] Cod. V addit *tenetur.* Paulo infra post *si syncategorematice* plurimi mss. cum edd. 1, 2, 3, 6 adiiciunt *sed.* Dein cod. T *implicat* loco *importat.*

[2] Sequimur maiorem numerum mss. ut HIMNPQZ etc. et ed. 1 ponendo *solus*, quod aliqui codd. ut ORU omittunt, aliqui vero ut CLSY ei substituunt *sic*, cod. T *hic*, Vat. cum cod. cc autem falso *non.* Mox cod. Z cum ed. 1, verbis transpositis, *ergo non videtur, quod possit* etc. [3] Ed. 1 *excludit.*

[4] Antiquioribus mss. et ed. 1 exigentibus, substituimus *istum* pro *hunc*, et mox post *et* expunximus additum *sic.*

[5] Vat. cum recentiore cod. cc *voluerunt.*

[6] Ex pluribus mss. ut GHIPQZ ee ff et ed. 1 adiecimus *etiam.* Paulo infra post *Quid enim* Vat. cum cod. cc addit *aliud*, quod tamen deest in aliis codd. et ed. 1. Dein post *nisi* cod. V et ed. 1 repetunt *Trinitas.*

[7] Ope vetustiorum scriptorum supplevimus *Sed.*

[8] Ad normam mss. et edd. 1, 2, 3 expunximus hic additum *ipsam.* Paulo ante cod. cc et edd. 2, 3 falso *quin* pro *qui.* Mox Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 *et ideo* loco *Unde.*

[9] Faventibus antiquioribus mss. et ed. 1, restituimus particulam *Et.* Paulo post in mss. desiderantur verba *a parte praedicati*, certe supplenda.

[10] Aristot., II. Periherm. c. 1: Transposita vero nomina et verba idem significant, ut est albus homo, et est homo albus.

[11] Sequimur antiquiores codd. et ed. 1 ponendo *Aliquando* pro *Aliter*, et mox post *sicut cum* addendo *hoc*, ac dein substituendo *ita* loco *sic.*

[12] Vat. cum uno alterove tantum codice *distinctio*, quae et paulo post praeter fidem mss. et sex primarum edd. omittit haec verba *quia Pater est unus Deus.*

[13] In plurimis mss. et ed. 1 deest *pro quibus*, e contra in codd. aa bb habetur *sed non pro illis, pro quibus.*

[14] Nonnulli codd. cum ed. 1 omittunt *etiam*, pro quo aliqui falso exhibent *non.*

2. Et per hoc patet sequens, quia non semper excludit *alium* masculine, sed etiam potest excludere *aliud* neutraliter, vel etiam *pluralitatem,* quando additur termino numerali, ut visum est.

3. Ad illud quod quaeritur, utrum teneatur syncategorematice, vel categorematice [1], prout est nomen importans formam denominantem, ut idem sit *solus* quod *solitarius;* dicendum, quod syncategorematice. Quod obiicitur, quod sequitur compositionem; dicendum, quod *solus* importat duo in se, scilicet intellectum huius nominis *alius* et intellectum negationis. Quantum ad intellectum huius nominis *alius,* respicit terminum, circa quem ponitur, et sequitur actum; quantum ad intellectum negationis praecedit; et hoc non est inconveniens quantum ad *diversa* praecedere et sequi. Et [2] hoc patet exponenti. Si enim dicam: video solum Petrum, sensus est: video Petrum et non video alium a Petro. Similiter intelligendum est in proposito.

Ad quaestionem incidentem. 4. Ad illud quod quaeritur, quid excludit, cum additur praedicato; dicendum, quod quando additur sine determinatione, excludit aliam formam; et tunc revera est ibi superfluitas et improprietas, tamen [3] nihilominus veritas. Sed quando additur cum termino partitivo, tunc excludit pluralitatem; et tunc potest locutio habere veritatem. Pater enim et Filius sunt unus Deus et non plures, et ita unus solus Deus.

SCHOLION.

I. Prima opinio in corp. posita asserit, omnes propositiones, in quibus vocabulum *solus* ponitur ad praedicatum, esse improprias, et tunc hoc verbum *solus* aequivalere termino *tantum.* Contra hanc sententiam arguit S. Doctor, quod tunc verba S. Augustini in fundam. sint valde impropria, et quod insuper ibi sit superfluitas. Quare distinguendo duplicem modum, quo *solus* addi possit praedicato, suam propriam opinionem proponit et corroborat, quam magis explicat infra dub. 1. Aliqui tamen primum membrum distinctionis, quando *solus* per se additur praedicato, iterum distinguunt et in aliquo sensu ut proprie dictum admittunt. Ita S. Thomas (hic q. 2. a. 1.), B. Albertus et Petrus. Tamen in Summa (I. q. 31. a. 3. ad 2.) Angelicus omnes istas propositiones dicit esse improprias, « nisi forte ex parte praedicati intelligatur aliqua implicatio, ut dicatur: Trinitas est Deus, qui est solus Deus ». Dionys. Carth. (hic q. unic.) censet, quod S. Thomas in Commentario a S. Bonaventura « parumper dissentit. Videtur autem in hac re positio illa Bonaventurae planior ac aptior esse ». Hoc argumento non spernendo probare nititur.

II. Praeter citatos cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 66. m. 3. a. 2. — B. Albert., hic a. 3. 4. — Petr. a Tar., hic q. unic. a. 5. — Richard. a Med., hic q. 5. — Ægid. R., hic 2. princ. q. unica, collater. 1. et 2.

ARTICULUS II.

De dictionibus exclusivis additis termino relativo.

Consequenter secundo loco est quaestio de secundo articulo quaestionis, scilicet utrum dictio exclusiva possit addi termino relativo. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum dictio exclusiva addatur termino personali respectu praedicati proprii.

Secundo, utrum vere addatur termino personali respectu praedicati communis, ut vere dicatur: solus Pater est Deus.

QUAESTIO I.

Utrum dictio exclusiva solus vere addatur termino personali respectu praedicati proprii.

Quod autem respectu praedicati proprii vere addatur, ut scilicet haec sit vera: solus Pater est Pater, videtur:

Fundamenta. 1. Per Augustinum sexto de Trinitate [4]: « In illa Trinitate solus Pater dicitur Pater, quia nullus nisi ipse ibi est Pater ».

2. Item, hoc videtur per expositionem, quia persona Patris est Pater, et nulla alia est Pater: ergo haec est vera: solus Pater est Pater.

3. Item, nihil est magis proprium alicui, quam quod est idem sibi re et ratione; sed Pater est idem sibi re et ratione: ergo propriissime dicitur de se; sed quod proprie convenit alicui, convenit soli [5]: ergo Pater dicitur de solo Patre.

---

[1] Praeferimus lectionem nonnullorum mss. ut H X aa bb, in qua additur congruentius vox *categorematice.*

[2] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *Et,* et fide antiquiorum codd. et ed. 1 substituimus *Petrum* pro *Conradum.*

[3] Vat., obnitentibus mss. et edd. 1, 2, 3, 6, *est* loco *tamen.*

[4] Cap. 9. n. 10. Vide hic lit. Magistri, c. 1, ubi in hoc textu pro *nullus nisi* habetur *nonnisi*, cui concordant originale et cod. Z.

[5] Cfr. Porphyr., de Praedicab. c. de Proprio.

Ad opposita.

CONTRA: 1. « *Solus*, ut vult Philosophus [1], idem est quod *non cum alio* »; sed impossibile est, Patrem non esse cum alio: ergo semper, quando additur huic termino *Pater* vel alii termino personali, est locutio falsa.

2. Item, *solus* excludit alium; sed alio est Deus, alio est Pater [2]: ergo addita huic termino *Pater* excludit Deum: ergo si haec est vera: solus Pater est Pater, et haec similiter: Deus non est Pater; quod si haec est falsa: ergo et prima.

3. Item, *solus* excludit [3] hoc relativum *alius*; sed *alius* ita est relativum diversitatis, quod nihilominus implicat aliquam identitatem; unde sequitur: iste vadit cum alio homine, ergo iste est homo. Si ergo excludit alium ab hoc quod est *Pater* [4], aut alium *Patrem*, aut alium *Deum*; sed quocumque modo dicatur, est locutio falsa et implicatio falsi: ergo etc.

CONCLUSIO.

Terminus solus in divinis recte dicitur respectu praedicati proprii, quatenus excludit associationem tum respectu formae termini subiecti, tum respectu praedicati, sive in participando, sive in comparticipando.

RESPONDEO: Dicendum, quod secundum quod haec dictio *solus* tenetur syncategorematice, importat privationem associationis; et locutio simpliciter est vera, excluso illo sensu, quo importat solitudinem, quia sic non accipitur in divinis, sicut supra dictum est [5]. (Conclusio 1. et principalis.)

Secundum enim quod importat privationem associationis, vera est, quia, cum tripliciter possit eam importare, in quolibet sensu locutio est vera. (Triplex privatio associationis.) Potest enim haec dictio *solus* importare privationem associationis respectu *formae termini subiecti* [6], ut dicatur *solus Pater*, id est, ille qui est solus Pater; et sic absque dubio veritatem habet: solus Pater est Pater. (Conclusio 2.) Vel potest importare privationem associationis respectu *praedicati*, et hoc dupliciter: vel in *participando*, ut quia alii non conveniat; et adhuc vera est, quia hoc praedicatum quod est *Pater* soli personae Patris convenit; illa enim proprietas Patri convenit, ita [7] quod nulli alii; (Subdistinctio. Conclusio 3.) vel potest importare privationem associationis in *comparticipando*, ut cum dicitur: Petrus comedit solus, vel vadit Romam solus, non quia alius non vadat [8] Romam, vel non comedat, sed quia nullus comparticipat cum eo, quamvis participet; et sic adhuc locutio est vera, quia persona Patris non participat vel comparticipat cum alia in proprietate paternitatis. (Conclusio 4.) Et ideo, secundum quod *solus* exclusive tenetur, iudicatur locutio vera.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod *solus* idem est quod *non cum alio*; dicendum, quod negatio illa non simpliciter excludit alium in coexistendo, sed excludit alium respectu formae subiecti vel praedicati [9], ut visum est. Et quamvis Pater cum alio existat et non possit sine alio esse, quia tamen proprietatem paternitatis cum alio non communicat, ideo habet simpliciter locutio veritatem.

2. Ad illud quod obiicitur, quod alio est Deus, alio est Pater; dicendum, quod, sicut dictum est saepe [10], *alius* dicit diversitatem secundum rationem dicendi vel intelligendi in verbo proposito; sed in expositione huius dictionis *solus* dicit diversitatem sive distinctionem in supposito. Et quia Deus [11] in supposito non differt a Patre, immo supponit pro Patre; ideo non sequitur, quod dictio exclusiva addita Patri excludat Deum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod *alius* implicat formam aliquam, secundum quam conveniat [12]; dicendum, quod istud non oportet, quod ista sit forma per terminum importata — vere enim dicitur: homo est aliud ab asino — nisi quando advenit illi termino immediate, ut cum dicitur *alius asinus*, includitur convenientia in natura communi. Sed cum dicitur: solus *Pater*, non est dicere, quod *Pater*

---

[1] Libr. II. Elench. c. 3. (c. 22.). — Paulo infra nonnulli codd. ut T V Y *cum* pro *quando*.

[2] August., VII. de Trin. c. 6. n. 11. et Sermo 1. in Psalm. 68. n. 5. Videsis supra d. 19. p. II. q. 2. ad 4. — Mox post *addita* supple: dictio exclusiva *solus*, vel adde cum cod. aa *haec dictio* in principio argumenti post *Item;* minus congruam censuimus correctionem in cod. T a posteriori manu factam, qua scil. post *addita* subiungitur *dictione exclusiva.*

[3] Communissimam mss. et primarum edd. (excepta ed. 1) lectionem, qua habetur *includit*, licet in se spectata possit explicari (cfr. resp. ad 3. praec. q.), considerato tamen fine argumenti, minus aptam et incompletam iudicamus. Paulo infra post primum *ergo* cod. W addit particulam *et.*

[4] Cod. V *termino Pater* pro *quod est Pater*, qui et mox post *dicatur* adiicit *semper.* Dein ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *falsi* pro *falsa.*

[5] Hic, a. 1 q. 1.

[6] In permultis codd. minus bene deest *subiecti*, melius in cod. X, omisso *termini*, retinetur *subiecti.*

[7] Auctoritate mss. et ed. 1 delevimus particulam *et*, quae in Vat. verbo *ita* praefigitur.

[8] Vat., refragantibus mss. et sex primarum edd., *eat;* plures tamen mss. hic *vadit* et paulo infra *comedit.*

[9] Ed. 1 cum Vat. addit *in comparticipando*, quod tamen abest a mss. et aliis quinque primis edd. Mox post *cum* Vat. praeter fidem plurimorum codd. et edd. 1, 2, 3 propter subnexa minus congrue *aliis* pro *alio*, loco cuius pauci codd. ut S Y Z exhibent *Filio.*

[10] Dist. 6. dub. 2, et praesertim d. 19. p. II. q. 2. ad 4. — Vat. cum uno alterove codice *supra* pro *saepe*, et contra omnes codd. et ed. 1 *aliud* loco *alius.*

[11] In cod. T adiungitur *cum Patre nullam dicit distinctionem.*

[12] Pauci codd. ut Y ee *communicat.* Mox cod. Y *illud* pro *istud.*

et non alius Pater, sed, *Pater et non alius a Patre;* et ideo non importatur convenientia in forma proprietatis paternitatis cum alietate, sed sufficit, quod sit alia persona — Pater enim est[1] persona — vel etiam alia essentia: et illa excludit hoc quod est *solus;* et sic patet illud.

SCHOLION.

I. Pro intelligentia 3. oppositi et solut. eiusdem notandum primo, quod terminus *alius* potest importare distinctionem vel circa formam (alium *Deum*), vel circa suppositum (alium *Patrem*). Secundo, *alius* potest addi alicui termino vel immediate vel mediante aliqua propositione, ut exemplo in textu illustratur. In primo casu ponit identitatem specificam inter extrema; in secundo vero casu haec identitas non importatur.

II. Auctores in substantia solutionis non dissentiunt. S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richard. a Med., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum dictio exclusiva solus vere addatur termino personali respectu praedicati communis.

Secundo quaeritur, utrum dictio exclusiva vere addatur termino personali respectu praedicati[2] communis, ut vere dicatur: solus Pater est Deus. Et quod sic, videtur *auctoritate* et *ratione*.

Ad oppositum. 1. *Auctoritate* sic: Ecclesia cantat: « Tu solus altissimus, Iesu Christe[3] »: et illud: « Deo Patri sit gloria eiusque soli Filio », et consimiles multae inveniuntur.

2. Item, Matthaei undecimo[4]: *Nemo novit Filium nisi Pater;* sed *nemo nisi Pater* et *solus Pater* convertuntur: ergo solus Pater novit, et hoc praedicatum est essentiale: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur, quia dictio exclusiva addita alicui non excludit nisi alium; sed tres personae non habent alietatem respectu praedicati substantialis: ergo addita uni non excludit aliam respectu talis praedicati; sed si non excludit, locutio est vera: ergo etc.

4. Item, dictio exclusiva addita alicui non excludit quod est in eo ut *pars*, ut addita[5] Petro non excludit pedem Petri: ergo cum maiori identitate sit Filius in Patre quam pes in Petro, addita Patri, non excludit Filium.

Fundamenta. Contra: 1. Nec Pater solus nec Filius solus nec Spiritus sanctus solus Deus est: ergo non vere additur respectu termini communis.

2. Item, omnis propositio, in qua praedicatum communius est subiecto, addita exclusione ad subiectum, est falsa, quia nullum tale praecise convenit subiecto; sed talis est haec et consimiles: solus Pater est Deus: ergo etc.

3. Item, dictio exclusiva addita alicui excludit omne illud quod ponit associationem cum termino; et hoc patet, quia privat associationem; sed Filius ponit associationem cum Patre: unde *Pater cum Filio* est *Pater cum alio*.

4. Item, dictio exclusiva excludit omne aliud, et maxime oppositum; sed relativa sunt una differentia oppositionis[6]; ergo addita uni relativo excludit aliud: ergo addita Patri excludit Filium; et si hoc, omnes tales sunt falsae.

CONCLUSIO.

Dictio exclusiva addita termino personali respectu praedicati communis tunc admitti potest, si removet formam subiecti ab aliis; non vero, si removet formam praedicati.

Solutio quorundam. Respondeo: Dicendum[7], quod hic est duplex positio. Quidam enim simpliciter et sine distinctione concedunt has et consimiles: solus Pater est Deus; et positio eorum est, quod dictio exclusiva addita uni relativorum non excludit reliquum. Et ratio huius positionis est, quia[8] non excludit quod consequitur ad terminum et intelligitur in termino, ut addita homini non excludit animal. Sed unum relativorum intelligitur in altero et consequitur ad alterum: ergo addita uni non excludit alterum. Et si opponatur, quod *solus* excludit oppositum, dicunt, quod relativa et[9] sunt differentiae *oppositionis* et *entis: oppositionis*, secundum quod ad *idem;* et

---

[1] Vat. cum solo cod. cc hic repetit *alia*. Mox ex plurimis mss. et ed. 1 substituimus *illa* pro *ista*.

[2] In plurimis mss. deest *praedicati*, pro quo cod. X cum ed. 1 *termini*, sed contra praedeterminata in exordio huius articuli.

[3] In hymno angelico: *Gloria in excelsis Deo* etc. — Proxime sequens stropha invenitur in Breviario Romano in fine hymni ad Primam.

[4] Vers. 27.

[5] Vat. contra codd. et ed. 1 *ut si dictio exclusiva additur*, et paulo infra participio *addita* praefigit *dictio exclusiva*.

[6] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. de Oppositis. — Mox maior pars codd. pro *aliud* ponit *alium*, in qua lectione in voce *relativo* subaudias *terminum*.

[7] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *Dicendum, quod*.

[8] Subaudi: dictio exclusiva. Paulo infra, postulantibus plurimis mss. et ed. 1, post *et consequitur* adiecimus propositionem *ad*.

[9] In Vat. deest *et*, quod tamen a mss. et edd. 1, 2, 3, 6 exhibetur. Paulo infra post *idem* codd. OZ addunt *referuntur*

sic addita uni excludit aliud; unde sequitur: iste est tantum Pater, ergo non est Filius. Secundum[1] quod ad *diversos* comparantur, sunt differentiae *entis;* et sic posito uno, ponitur et reliquum; et ideo unum non excluditur ab alio, quia dictio exclusiva illud[2] solum aliud excludit, quod non necessario concomitatur.

Non approbatur. Sed haec positio non videtur conveniens. Dictio enim exclusiva privat associationem: ergo excludit omne illud quod ponit circa ipsam associationem; et ideo addita Patri excludit Filium.

Alia positio probabilior. Et propter hoc alia est opinio, quod dictio exclusiva addita Patri excludit Filium; et haec positio magis est probabilis. Secundum hanc positionem procedendo, distinguendae sunt huiusmodi locutiones, (Distinctio.) secundum quod distinguit Augustinus, et Magister tangit[3]; quia *solus* potest facere exclusionem respectu compositionis intellectae circa *subiectum*, vel respectu compositionis *principalis*. Si primo modo, tunc est sensus: *solus Pater est Deus*, id est ille qui solus est Pater, est Deus; et tunc removet formam termini *subiecti* ab aliis, non formam *praedicati;* et sub hoc sensu verae sunt omnes. (Conclusio 1.) Et sub hoc sensu accipit Augustinus[4]: « Solus Spiritus sanctus est tantus, quantus est Pater et Filius ».

Si autem faciat exclusionem respectu *principalis* compositionis, locutio est falsa, et omnes[5] falsae (Conclusio 2.) sunt, proprie loquendo, nisi addatur determinatio, ut arctetur exclusio, ut patet, cum dicitur: « Tu solus altissimus, Iesu Christe, cum sancto Spiritu ». Similiter: « Deo Patri sit gloria eiusque soli Filio » etc[6].

1. Et sic patet primum.

2. Ad illud quod obiicitur secundo, quod solus Pater aequipollet huic: *nemo nisi Pater;* dicendum, (Solutio oppositorum.) quod falsum est; quia *nemo* distribuit pro natura, non pro persona[7]; *solus* autem additur termino personali, ideo excludit personam; ideo proprie loquendo, haec est falsa: solus Pater novit Filium, quamvis haec sit vera: *nemo novit Filium nisi Pater,* quia sensus est: *nemo*, id est nulla natura[8], nisi ille qui est eiusdem naturae, ut Pater.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod dictio exclusiva excludit alium; dicendum, quod excludit omne *aliud* vel *alium*, quod non praedicatur nec subiicitur, sed associatur, sive sit aliud in forma, sive in supposito. Et quoniam Pater cum Filio respectu praedicati substantialis associatur[9], ideo respectu illius excluduntur invicem; et quia *pars* non associatur, ideo non excluditur. Unde identitas maior vel minor nihil facit ad exclusionem, sed ratio associandi vel non associandi. Et si obiiciat[10], quod addita definito non excludit definitionem, et antecedenti, non excludit consequens; breviter dicendum, quod si consequens ita sequitur, quod non ponat associationem, et definitio non claudat in se diversum, tunc non excludit. Si vero aliter est, tunc excludit, et contradictorie opposita implicantur in antecedente: unde hic implicatur contradictio: tantum Pater est. Huic autem positioni concordat Augustinus[11], qui negat hanc: solus Pater est Deus, et consimiles.

SCHOLION.

I. In solut. ad 3. 4. iterum obiicitur: « Quod dictio exclusiva addita definito non excludit definitionem, et antecedenti, non excludit consequens ». Ad hoc S. Bonav. respondet cum distinctione. Quando consequens est de ratione antecedentis, sicut risibile sequitur ut *proprium* ad *homo,* et definitio est de ratione definiti, ita ut nihil reale addat, sicut animal est de ratione hominis, tunc obiectio conceditur. Nam additio exclusiva *solus* addita homini non excludit nec *animal* nec *risibile,* unde non sequitur: solus homo currit, ergo risibile (animal) non currit. Quando vero inter utrumque in utroque casu est distinctio realis, sicuti est inter patrem creatum ut antecedens eiusque filium ut consequens, tunc dictio exclusiva addita antecedenti excludit consequens. In Deo etiam « etsi Pater et Filius sunt eiusdem essentiae, tamen Filius non est de ratione Patris sub ratione, qua Pater est ». Ita Richard. a Med., hic q. 3. ad. 3.

II. In sententia principali omnes doctores conveniunt. Sed iterum S. Thomas in Comment. (hic q. 1. a. 2.) et Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 3.) aliquam distinctionem aliam adhibent, sicut in praecedenti quaestione. Volunt enim, quod si *alius* intelligatur neutraliter, tunc « nec Filius nec Spiritus sanctus excluditur », et ideo vera est locutio « solus Pater est Deus ». Sed satis sit de his subtilitatibus. — Alex. Hal., S. p. I. q. 66. m. 3. a. 1. — S. Thom., loc. cit. et S. I. q. 31. a. 4. — B. Albert., hic a. 2. 5. — Richard. a Med., hic q. 3. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2.

---

tur, codd. I aa bb cum ed. 1 *comparantur.* Dein post *addita* supple: dictio exclusiva *solus.* Hinc errat Vat. paulo post contra mss. et ed. 1 ponendo *excludunt* loco *excludit.*

[1] In paucis codd. ut PQ additur *autem.*

[2] Ex mss. et sex primis edd. substituimus *illud* pro *illa,* in qua Vaticanae lectione consequenter particula *solum* consideratur ut dictio exclusiva, de qua est quaestio, ideoque et litteris italicis exhibetur, sed minus bene. Paulo ante Vat., obnitentibus antiquioribus mss. et ed. 1, perperam omittit *ideo.*

[3] Hic, in lit. c. 1, ubi et verba Augustini habentur.

[4] Libr. VI. de Trin. c. 8. n. 9; vide supra d. XIX. lit. Magistri, c. 12. — Paulo ante post *Et* plurimi codd. cum ed. 1 addunt *sic.*

[5] In cod. M adiicitur *tales.*

[6] In Vat. et cod. cc desideratur propositio haec: *Similiter: Deo Patri sit gloria eiusque soli Filio* etc., quae autem exstat in ceteris mss. et ed. 1.

[7] Explicationem horum verborum vide infra dub. 3.

[8] Vat. cum uno alterove tantum codice *creatura;* sed vide infra dub. 1. Mox post *naturae* codd. H bb adiungunt *cum eo,* ac dein post *ut* cod. H addit *est.*

[9] Ita aliqui codd. ut I T Z; alii cum Vat. *associantur.* Paulo infra post *maior* pauci codd. *et* loco *vel.*

[10] Ita maior pars mss. cum ed. 1; ceteri autem *obiicias,* Vat. *obiiciatur*, quae et mox post *quod* praeter fidem mss. et sex primarum edd. addit *dictio exclusiva*, certe supplendum.

[11] Libr. VI. de Trin. c. 9. n. 10; hic in lit. Magistri, c. 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit Magister, quod *proprie tota Trinitas est solus Deus*, quia videtur velle negare istam: « Pater est solus Deus »; sed haec videtur esse vera per expositionem, quia Pater est Deus et non alius a Deo vel aliud: ergo etc. *Item,* praedicatum, quod dicitur de tota Trinitate, non potest esse nisi praedicatum essentiale; ergo cum *solus Deus* sit praedicatum essentiale [1] — quia aliter non diceretur de tota Trinitate — et essentiale praedicatum dicitur de qualibet persona singillatim: ergo Pater est solus Deus.

Respondeo: Dicendum, quod quando *solus* per se additur ad praedicatum, ita quod non intelligitur a parte subiecti, improprius est sermo, sive dicatur de Trinitate tota, sive de Patre. Nec vult dicere Augustinus, quod *solus Deus* praedicetur de tota Trinitate, ita quod non de Patre. Sed in illis locutionibus: *soli Deo honor et gloria* [2], et consimilibus *solus Deus* non accipitur pro unica persona, excludendo alias personas, sed pro tota Trinitate, excludendo alias naturas; et Magister ita accipit, ac si Augustinus vellet dicere [3], quod hoc, scilicet *solus Deus, praedicaretur* de Trinitate, et non de Patre. Sed ipse vult, quod *supponat* pro ipsa Trinitate; pro Patre vero si supponat, non tamen praecise supponit pro solo Patre; et ideo Augustinus concedit, quod sola Trinitas est solus verus [4] Deus, non tamen solus Pater. Unde et Magister non dicit, quod Pater non sit solus Deus, sed quod non proprie dicitur. Et illud manifestum est, si inspiciatur, qualiter *solus* debet addi ad praedicatum [5].

De sententia Augustini.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Trinitatem dicimus solum Deum, quamvis semper sit cum Sanctis,* cum inseparabilis sit a rebus aliis et intimus omnibus: propter quid magis dicit [6] esse cum Sanctis quam cum aliis ?

Respondeo: Dicendum, quod quamvis Deus sit in omnibus et cum omnibus, tamen specialiter dicitur esse cum Sanctis propter effectum gratiae inhabitantis, per quam ipsi conformantur et cari et similes ei fiunt. Unde Proverbiorum octavo [7]: *Deliciae meae esse cum filiis hominum,* dicit Sapientia Dei. Unde *Dominus vobiscum* dicitur hominibus, non bestiis.

Dub. III.

Item quaeritur de hac locutione: *Nemo novit Filium nisi Pater,* quia, cum *nemo* componatur ex *non* et *homo,* ergo *nemo* idem est quod *nullus homo;* sed dictio exceptiva non excipit nisi contentum sub termino [8]. Unde nihil est dictum: nullus homo currit nisi asinus. Cum ergo Pater non contineatur in suppositione huius nominis *homo,* patet etc. *Si tu dicas,* quod ampliatur ex usu distributio importata per istum terminum *nemo* ultra quam ad homines; tunc ego quaero: pro quo stat? aut pro *creato,* aut pro *increato?* Si pro *creato,* nulla est exceptio, quia simpliciter vera; et *praeterea,* Pater non est ibi contentum. Si pro *increato,* simpliciter et totaliter est [9] falsa: ergo per exceptionem non potest verificari. *Si tu dicas,* quod pro utroque; quomodo potest hoc esse, cum nihil habeant commune? Et si habent commune, aut hoc quod [10] est *nemo* distribuit pro *essentiis,* aut pro *personis;* si pro essentiis: ergo non debet excipi Pater; si pro personis: ergo debet excipi Spiritus sanctus, sicut et Pater; alioquin locutio est [11] falsa.

Respondeo: Dicendum, quod *nemo* distribuit communiter pro omni [12] cognoscente sive habente vim cognitivam, et distribuit *nemo* non pro supposito tantum sive persona, sed pro natura. Unde Pater non excipitur, quia persona, sed quia eiusdem naturae cum Filio; et ideo implicatur in illa exceptione Filius et Spiritus sanctus, et ideo locutio habet veritatem.

Vel dic, quod *nemo* distribuit pro hominibus [13], et *nisi* tenetur non exceptive, sed adversative, sicut dicitur secundae ad Timotheum secundo [14]: *Ad nihil valet nisi ad subversionem audientium.* Alia solutio.

---

[1] In Vat. et cod. cc male omittitur *ergo cum* usque *essentiale,* quae tamen verba in aliis mss. et ed. 1 habentur.

[2] I. Tim. 1, 17. — Paulo ante in cod. G post *non de Patre* additur *tantum,* ac dein cod. V pro *illis* ponit *his.*

[3] Fide mss. et ed. 1 expunximus *non,* quod Vat. contra mentem Magistri (hic, c. 2.) addit. Mox pauci codd. ut K dd post *praedicaretur de* adiiciunt *tota,* quod cod. X dein substituit pro *ipsa.*

[4] Vat. cum uno alterove tantum codice *unus* loco *verus.* Paulo ante cod. X *tota* pro *sola.*

[5] Plura de hoc vide supra a. 1. q. 2. et apud Petr. a Tar., hic q. 1. a. 6.

[6] Vat. contra mss. et ed. 1 *dicitur.*

[7] Vers. 31.

[8] Cfr. Summula Petri Hispani, Tract. de Exponibilibus.

[9] In pluribus mss. et ed. 1 omittitur *est.*

[10] Vat., refragantibus mss. et sex primis edd., hic superflue addit *hoc.*

[11] Cod. V *esset.*

[12] Vat. contra antiquiores mss. et ed. 1 perperam *communi* pro *omni,* quae et mox praeter fidem codd. et sex primarum edd. omittit *nemo.*

[13] Vat. absque auctoritate mss. et sex primarum edd. prave *omnibus* pro *hominibus.* S. Thomas hic circa lit. adducens hunc solutionis modum ait: ut sit sensus: Nullus purus homo novit Patrem notitia comprehensionis, sed tantum Filius.

[14] Vers. 14, ubi Vat. cum Vulgata *utile est* loco *valet,* quod exhibent codd. et ed. 1. — De hoc dubio cfr. supra a. 2. q. 2. ad 2. — Alex. Hal., S. p. 1. q. 65. m. 3. a. 3. — B. Albert., hic a. 6.

DISTINCTIO XXII.

Cap. I.

De nominum differentia, quibus utimur loquentes de Deo.

Post praedicta disserendum nobis videtur de nominum diversitate, quibus loquentes de Unitate ac Trinitate ineffabili utimur. Deinde ostendendum [1] est, quibus modis de ea aliquid dicatur. « Illud ergo praecipue teneamus, quaedam esse nomina distincte ad singulas personas pertinentia, ut ait Augustinus in octavo libro de Trinitate [2], quae de singulis tantum dicuntur personis; quaedam vero unitatem essentiae significantia sunt, quae et de singulis singillatim et de omnibus communiter dicuntur; alia vero sunt, quae translative et per similitudinem de Deo dicuntur ». Unde Ambrosius in secundo libro de Trinitate [3] ait: « Quo purius niteat fides, tripartita videtur derivanda distinctio. Sunt enim nomina quaedam, quae evidenter proprietatem deitatis ostendunt; et sunt quaedam, quae perspicuam divinae maiestatis exprimunt unitatem; alia vero sunt, quae translative et per similitudinem de Deo dicuntur. Proprietatis itaque indicia sunt generatio, Filius, Verbum et huiusmodi; unitatis vero aeternae sapientia, virtus, veritas et huiusmodi; similitudinis vero splendor, character, speculum et huiusmodi ».

Cap. II.

De his quae temporaliter Deo conveniunt et relative dicuntur.

His adiiciendum est, quaedam etiam esse nomina, ut Augustinus ait in quinto libro de Trinitate [4], quae ex tempore Deo conveniunt et relative ad creaturam dicuntur, quorum quaedam de omnibus dicuntur personis, ut dominus, creator, refugium; quaedam autem non de omnibus, ut donatus, datus, missus.

Cap. III.

De hoc nomine quod est trinitas.

Praeterea est unum nomen, quod de nulla persona singillatim dicitur, sed de omnibus simul, id est *trinitas*, quod non dicitur secundum substantiam, sed quasi collectivum pluralitatem designat personarum.

Sunt etiam quaedam nomina, quae ex tempore Deo conveniunt nec relative dicuntur, ut incarnatus, humanatus et huiusmodi. Ecce sex nominum differentias assignavimus, quibus utimur loquentes de Deo, de quibus singulis agendum est. **Nomina ex tempore Deo convenientia.**

Cap. IV.

De his quae proprie ad singulas personas pertinent, et de his quae unitatem essentiae significant.

Sciendum est igitur, quod illa quae proprie ad singulas personas pertinent, relative ad invicem dicuntur, sicut Pater et Filius, et utriusque Donum, Spiritus sanctus. Ea vero, quae unitatem essentiae significant, ad se dicuntur. Et ea quae ad se dicuntur, substantialiter utique dicuntur et de omnibus communiter et de singulis singillatim dicuntur personis et singulariter, non pluraliter accipiuntur in summa, ut Deus, bonus, potens, magnus et huiusmodi. Quae autem relative dicuntur substantialiter non dicuntur. Unde Augustinus in quinto libro de Trinitate [5] ita ait: « Quidquid ad se dicitur, praestantissima illa et divina sublimitas substantialiter dicitur; quod autem ad aliquid dicitur, non substantialiter, sed relative dicitur. Tantaque est vis eiusdem substantiae in Patre et Filio et Spiritu sancto, ut quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Dicimus enim: Pater est Deus, Filius est Deus, et Spiritus sanctus est Deus, quod secundum substantiam dici nemo dubitat; non tamen dicimus, hanc Trinitatem esse tres deos, sed unum Deum. Ita dicitur Pater magnus, Filius magnus et Spiritus sanctus magnus; non tamen tres magni, sed unus magnus. Ita etiam [6] omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus; non tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Quidquid ergo ad se ipsum dicitur, Deus et de singulis personis similiter dicitur, et simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicitur. Et quoniam non est aliud Deo *esse* et aliud *magnum esse*, sed hoc idem est illi *esse* quod est *magnum esse*, propterea, sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, sed unam essentiam et unam magnitudinem ». **Probatur ex Augustino.**

« Deus enim non est magnus ea magnitudine, quae non est quod ipse, ut quasi particeps eius sit; alioquin maior esset illa magnitudo quam Deus; Deo autem non est aliquid maius: ea igitur magnitudine magnus est, qua ipse est. Ideoque nec tres magnitudines dicimus, sed unam magnitudinem, nec tres magnos, sed **Deus est magnus non per participationem.**

---

[1] Vat. et plures edd. contra codd. *demonstrandum*.

[2] In prooemio. — De his tribus modis significationis verborum loquitur ibid. V. c. 8. n. 9. — Hic et in sequentibus tam codd. quam edd. promiscue scribunt modo *sigillatim*, modo *singillatim*, modo *singulatim*.

[3] Sive de Fide ad Gratianum. Prolog. n. 2; sed pro verbis: *nomina quaedam, quae evidenter* legitur *evidentia indicia, quae* etc.; tamen, ut notant Maurini, quidam cod. legit cum Magistro: *Sunt enim nomina quaedam*, et ipse Magister post *Proprietates itaque* adhibet vocem *indicia*. Propositionem: *alia vero sunt, quae translative*, Magister addit, dum Ambrosius dicit: *Sunt quae similitudinem Patris et Filii scil. ostendunt*. — Vat. et plures edd. post vocem *proprietatem* addunt *personamque* contra originale et codd. Denique edd. 1, 3, 4, 5, 7, 8, 9 contra contextum legunt *exprimunt veritatem* loco *exprimunt unitatem*.

[4] Cap. 16. n. 17. — Vat. et edd. 4, 5, 8, 9 paulo ante post *quaedam* omittunt *etiam*.

[5] Cap. 8. n. 9. — Fere omnes edd. contra codd. *ita*.

[6] Sola Vat. et male *enim*, ed. 1 et codd. ABCE *et*, Augustinus *itaque*, cod. D *Ita omnipotens*. Infra Vat. et ed. 6 ante *idem est* omittunt *hoc*, quod habet etiam Augustinus.

unum magnum, quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed se ipso magno magnus est, quia ipse est sua magnitudo. Ita et de bonitate et aeternitate et omnipotentia Dei dicendum est et de omnibus omnino, quae de Deo possunt pronuntiari substantialiter, quibus ad se ipsum dicitur, non translative ac per similitudinem, sed proprie, si tamen de illo proprie
Epilogus. aliquid ore hominis dici potest[1] ». Ecce aperte docuit, quod nomina unitatem divinae maiestatis significantia et ad se dicuntur de Deo, id est sine relatione, et de omnibus personis communiter et de singulis divisim dicuntur nec pluraliter, sed singulariter in summa accipiuntur. Illa vero nomina, quae proprie ad singulas pertinent personas, relative, non substantialiter dicuntur. «Quod enim proprie singula in Trinitate persona dicitur, ut ait Augustinus in eodem[2], nullo modo ad se ipsam, sed ad aliam invicem vel ad creaturam dicitur: et ideo relative, non substantialiter dici manifestum est».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXII.

De fide Trinitatis, quatenus credita et intellecta per catholicos sermones exprimitur, et quidem de nominibus divinis in generali.

Post praedicta disserendum nobis videtur de nominum diversitate.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de sacra Trinitate, secundum quod catholice creditur et intelligitur. In hac parte agit de ea, secundum quod credita et intellecta per catholicos sermones exprimitur. Unde, sicut ipse Magister dicit in littera, intendit hic agere de nominum divinorum diversitate. Et haec pars habet duas partes. In *prima* parte determinat[1] de nominibus divinis in generali; in *secunda* in speciali, et hoc distinctione vigesima tertia: *Praedictis tamen adiiciendum est, quod cum omnia nomina* etc.

Prima pars dividitur in duas. In prima parte ponit Magister multiplices nominum divinorum differentias; in secunda omnes reducit ad duas, secundum illud Boethii in libro Divisionum[2], quod omnis divisio est bimembris vel ad bimembrem reducibilis, et hoc ibi: *Sciendum est igitur, quod illa quae proprie pertinent.*

Item, prima pars dividitur in duas. In prima ponit Magister differentias nominum divinorum secundum Augustinum et secundum Ambrosium. In secunda ad maiorem explanationem superaddit alias tres differentias, ibi, secundo capitulo[3]: *His adiiciendum est, quaedam nomina etiam esse* etc.

Similiter secunda pars, in qua reducit haec membra ad duo, habet duas partes[4]. In prima ostendit, quod nomina in divinis quaedam dicuntur relative, et haec pertinent ad personas; quaedam ad se, et haec dicuntur de omnibus simul. In secunda ostendit, hoc esse verum, ibi: *Deus enim non est magnus ea magnitudine.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae in hac parte dicuntur de nominibus divinis, quatuor quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum Deus sit nominabilis.

Secundo, utrum uno[5] solo nomine, vel pluribus debeat nominari.

Tertio, supposito quod plura sint nomina divina, quaeritur, utrum omnia dicantur translative, aut[6] etiam quaedam dicantur proprie.

Quarto, utrum nomina dicta de Deo dicantur secundum substantiam, an etiam aliquo[7] alio modo.

---

[1] Ex eodem loc. cit. c. 10. n. 11.
[2] Cap. 11. n. 12. — Vat. et edd. 3, 4, 9 male *se ipsum* pro *se ipsam*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Supple cum cod. Z et ed. 1 *Magister*.
[2] Circa medium: «Divisio quoque, nominibus positis, quoniam semper in duos terminos secatur» etc. Et paulo post: «Ita ergo divisio omnis in gemina secaretur, si speciebus et differentiis vocabula non deessent».
[3] In Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 deest *secundo capitulo*.
[4] Ed. 1 *particulas*.
[5] Ex fere omnibus mss. et ed. 1 supplevimus male omissum *uno*.
[6] Ed. 1 *an*.
[7] Plures codd. ut AFGHKT etc. *aliqua*, quam lectionem etiam ed. 1 habet et insuper post *utrum* addit bene *omnia*.

ARTICULUS UNICUS.

De nominibus divinis.

QUAESTIO I.

Utrum Deus sit nominabilis.

Circa primum, quod Deus sit innominabilis, ostenditur *auctoritatibus* et *rationibus*. *Auctoritatibus* sic:

Ad oppositum. 1. Dionysius de Divinis Nominibus[1]: « Deum neque dicere neque intelligere possibile est ». Et iterum: « Dei neque nomen est neque verbum neque ratio neque opinio neque phantasia » : ergo Deus est omnino innominabilis.

2. Item, Philosophus in libro de Causis[2]: « Prima causa superior est omni narratione » ; sed quod est superius omni narratione est inenarrabile, et omne tale innominabile: ergo etc.

3. Item, *ratione* ostenditur sic: *nomen* proportionem et similitudinem aliquam habet ad nominatum, ut vox ad significatum; sed Deus est infinitus omnino, vox autem omnis finita: ergo cum nulla sit proportio[3], nulla per vocem erit expressio: ergo nec nominatio.

4. Item, omne *nomen* imponitur a forma aliqua[4]; sed in Deo non est ponere certam formam; unde Augustinus[5]: « Deus, qui omnem formam subterfugit, intellectui pervius esse non potest »: ergo etc.

5. Item, omne *nomen* significat substantiam cum qualitate[6]; sed in Deo est substantia mera sine quantitate et qualitate: ergo non contingit Deum significare per nomen.

6. Item, quod nec[7] per *pronomen*. Pronomen enim non habet significationem determinatam nisi per demonstrationem vel relationem[8]. Demonstratio autem fit mediantibus accidentibus, quae possunt oculis conspici; sed haec non sunt in Deo: ergo videtur, quod Dei neque sit nomen, neque pronomen.

Contra: 1. In Psalmo[9]: *Dominus nomen illi.* Fundamenta. Et iterum[10]: *Quam admirabile est nomen tuum in universa terra:* ergo Deus habet nomen.

2. Item, Dionysius fecit librum de divinis nominibus: aut ergo Deus est nominabilis, aut scientia ibi tradita cassa[11] est et inutilis.

3. Item, *ratione* videtur: quia omne quod se exprimit verbo, potest se exprimere signo verbi; sed signum verbi est vox[12]: ergo cum Deus se suo verbo exprimat, potest exprimi voce; sed quod potest voce exprimi, potest nominari: ergo etc.

---

[1] Cap. 1. circa med. Cfr. supra pag. 67. nota 6. — Verba, quae immediate post ex Dionysio allegantur, reperies loc. cit., ac juxta translationem Scoti Erigenae sic exhibentur: Et neque sensus eius est, neque phantasia, neque opinio, neque nomen, neque verbum, neque tactus, neque scientia.

[2] Prop. 6.

[3] Nempe inter vocem et Deum. Vat. incongrue et contra antiquiores codd. et ed. 1 addit *finiti ad infinitum.* — De maiori huius argumenti vide Boethium in prima et secunda editione super I. Periherm. c. 1, ubi inter alia dicit: Omnis vox animi sensa significat, quare ex animi intellectibus quidquid evenerit vocibus indicatur. Ergo nunc hoc dicit (Aristoteles): Similitudo est, inquit, quaedam inter se intellectuum atque vocum; quemadmodum enim sunt quaedam simplicia, quae ratione animi concipiuntur et constituuntur intelligentia mentis, in quibus neque veritas ulla neque falsitas invenitur, ita quoque in vocibus est.

[4] Alanus ab Insulis, Theolog. regulae, reg. 17. ait: Cum omne nomen secundum primam institutionem datum sit a proprietate sive a forma, unde Boethius ait: Rebus ex materia formaque constantibus solus humanus animus exstitit, qui prout voluit, nomina rebus impressit etc.

[5] Cfr. Serm. 117. de verbis Evang. Ioan. 1: In principio erat Verbum etc., c. 2. n. 3: Ineffabiliter potest intelligi, non verbis hominis fit, ut intelligatur. Verbum Dei tractamus et dicimus, quare non intelligatur. Non nunc dicimus, ut intelligatur, sed dicimus quid impediat, ne intelligatur. Est enim forma quaedam, forma non formata, sed forma omnium formatorum; forma incommutabilis, sine lapsu, sine defectu, sine tempore, sine loco, superans omnia, existens omnibus et fundamentum quodam in quo sint, et fastigium sub quo sint... Dicimus, quam incomprehensibile sit quod lectum est; tamen lectum est, non ut comprehenderetur ab homine, sed ut doleret homo, quia non comprehendit... Ergo est forma omnium rerum, forma infabricata, sine tempore, ut diximus, et sine spatiis locorum. Quidquid enim loco capitur, circumscribitur. Forma circumscribitur finibus, habet metas, unde et quousque sit. Deinde quod loco capitur et mole quadam et spatio distenditur, minus est in parte, quam in toto. Faciat Deus, ut intelligatis.

[6] Priscian., II. Grammat. c. 5. ait de nomine: *Nomen quasi notamen,* quod hoc nomine notamus uniuscuiusque substantiae qualitatem. Plura de hoc vide apud Scotum, Grammat. speculativa c. 8. — Mox in cod. Z omittitur *quantitate et.* In fine argumenti ex mss. et ed. 1 substituimus *significare* pro *significari.*

[7] Supple: contingit Deum significare, vel etiam cum Vat. *Deus sit nominabilis,* quod tamen deest in mss. et ed. 1.

[8] Respicitur divisio pronominum, scil. in *demonstrativa* et *relativa;* quae iuxta Priscianum, XII. Grammat. c. 1, in eo differunt, quod demonstratio interrogationi reddita primam cognitionem ostendit. Quis fecit? ego. Relatio vero secundam cognitionem significat, ut is, de quo iam dixi. Cfr. Scotus, Grammat. speculativa c. 22.

[9] 67, 5.

[10] Psalm. 8, 2.

[11] Cod. K V *superflua.*

[12] Aristot., I. Periherm. c. 1: Sunt ergo ea quae sunt in voce, earum quae sunt in anima passionum, notae. — Mox post *Deus* Vat. contra antiquiores mss. et ed. 1 omittit *se,* deinde ponit *exprimatur* loco *exprimat.*

4. Item, quod contingit intelligere contingit significare sive enuntiare; sed contingit Deum a nobis cognosci; hoc certum est et supra probatum [1]: ergo etc.

5. Item, quod contingit laudare contingit et nominare; sed Deum contingit laudare, immo ipse est [2] summe laudabilis: ergo et nominabilis.

CONCLUSIO.

Deus est nominabilis, sicut est intelligibilis, non quidem perfecte, sed imperfecte.

RESPONDEO: Dicendum, quod sicut intelligere dicitur dupliciter, sic [3] effabile et nominabile. Uno enim modo *intelligere* dicitur per *perfectam* comprehensionem; alio modo per *semiplenam* cognitionem. Sic [4] *effabile* dupliciter dicitur: uno modo per *perfectam expressionem*, alio modo per *semiplenam narrationem*. Sic etiam nominabile.

Intelligere et nominare dicitur dupliciter.

Si dicatur effabile sive nominabile secundum *perfectionem* expressionis, sic dicendum, quod sicut Deus sibi soli est intelligibilis, sic *sibi soli* est effabilis et nominabilis, non [5] alio nomine, quam ipse sit, nec alio verbo, quam ipse sit; et sicut *nobis* est incomprehensibilis, ita et ineffabilis, ita etiam et innominabilis; et per hunc modum loquitur Dionysius et Philosophus.

Conclusio 1.

Si vero dicatur effabile et nominabile secundum *qualemcumque* narrationem [6], sic, quemadmodum Deus est nobis cognoscibilis, ita et effabilis et nominabilis; et qui melius cognoscit melius effatur et melius nominat et expressius. Unde expressius nominat fidelis quam infidelis [7], et scriptura, quae fidei suffragatur, ut sacra Scriptura, quam ratio vel philosophia. Et hoc modo procedunt *rationes* et *auctoritates* ad secundam partem.

Conclusio 2.

1. 2. Ad illud ergo quod [8] obiicitur de Dionysio et Philosopho, iam patet responsio per hoc quod loquuntur de nominatione, in qua est *perfecta* expressio.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod vox in nomine [9] est proportionabilis verbo interiori sive significato; dicendum, quod hoc intelligitur de nominatione, quae totam rei significationem includit; aliter non habet veritatem, nisi intelligatur esse proportio ad rem sub ratione cognoscibilis; et sic potest esse nominabilis. Quamvis enim Deus sit infinitus, tamen finite cognoscitur a nobis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Deus non habet formam; dicendum, quod non habet formam perviam nostro intellectui, cuiusmodi est forma, cuius est [10] imago in sensu; habet tamen formam, quia ipse est forma, quae est ratio cognoscendi, quam [11] etsi nos non cognoscimus in se, ipse cognoscit se in se, et nos eum in forma creata. Unde a forma creata nos nomina imponimus, quam intelligimus et videmus.

5. Ad illud quod obiicitur, quod nomen significat substantiam et qualitatem; dicendum, quod substantia et qualitas non accipiuntur ibi [12] *proprie*, sed *communiter*; substantia dicitur *quod* cognoscitur, qualitas dicitur *quo* cognoscitur [13], et hoc per modum quietis; et hoc dico propter verbum et participium et adverbium, quod est dispositio verbi. Et quoniam in creaturis, ut plurimum differt *quod* cognoscitur et *quo*, ideo nomen in creaturis ut plurimum haec [14] importat per diversitatem. In Deo vero idem est cognitum et ratio cognoscendi quantum est de se: ideo significat nomen divinum illa duo per indifferentiam secundum rem; et ita salvatur ibi ratio substantiae et qualitatis, ut congruit nomini [15].

---

[1] Dist. 3. p. I. a. 1. q. 1. — Postulantibus plurimis mss. et ed. 1, substituimus paulo supra verba activa *intelligere, significare, enuntiare* pro passivis *intelligi* etc. Dein cod. Y *ut supra* loco *et supra*.

[2] Ex plurimis mss. et ed. 1 supplevimus *est*.

[3] Ed. 1 addit *et*.

[4] Pauci codd. ut P Q X *Similiter* loco *Sic*.

[5] In cod. V particulae *non* praefigitur *et*.

[6] Restituimus lectionem antiquiorum mss. et ed. 1, ponendo *narrationem* pro *nominationem*, quae lectio et divisioni paulo supra allatae respondet. Mox post *effabilis* cod. Z et ed. 1 repetunt *ita*.

[7] Sequimur codd. T et bb, dum ceteri codd. cum edd. omittunt *quam infidelis*, et Vat. cum uno alterove tantum codice substituit insuper *fides* loco *fidelis*. Lectionem codd. T et bb praeferimus, tum quia regulis grammaticae conformior est, tum quia indirecte auctoritate fere omnium mss. et sex primarum edd. ponentium *fidelis* comprobatur. Dein in paucis mss. ut S Y omittuntur verba *quae fidei suffragatur, ut sacra Scriptura*.

[8] In plurimis codd. (exc. Y) et Vat. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 indebite hic additur *secundo*, et paulo infra Vat. contra fere omnes codd. et sex primas edd. incongrue ponit *loquitur* pro *loquuntur*.

[9] Lectio Vat. et cod. cc *homine* pro *nomine* est contra ea quae in obiectione ipsa afferuntur et contra antiquiores codd. et ed. 1.

[10] Plures codd. ut G H I M Z etc. cum ed. 1 adiiciunt *aliqua*.

[11] Ex fere omnibus vetustioribus mss. et ed. 1 substituimus *quam* pro minus congruo *quoniam*. Mox cod. V *cognoscamus* loco *cognoscimus*, et paulo infra post *Unde* in codd. Y additur *et*.

[12] Vat. et cod. cc omittunt *ibi*, quod tamen in aliis mss. et ed. 1 habetur. Paulo supra cod. W *cum qualitate* loco *et qualitatem*.

[13] Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 1. ad ult. idem his verbis exprimit: « Non enim substantia et qualitas, cum dicitur: nomen significat substantiam etc., distinguunt sicut in praedicamentis, sed substantia dicitur ipsum signatum nominis, qualitas illud idem, in quantum capabile est ab intellectu ». Aliis verbis: substantia et qualitas hic non accipiuntur, in quantum sunt praedicamenta seu res aliquae, sed secundum modum significandi; in quantum scil. substantia significat illud, cui nomen imponitur, qualitas vero illud, a quo imponitur, seu respectum, sub quo imponitur. — Paulo ante fide mss. et ed. 1 expunximus *prout*, quod Vat. post *communiter* addit. Mox post *verbum* in pluribus mss. et ed. 1 deest particula *et*.

[14] Vat. cum pluribus mss. minus bene *hoc*.

[15] Ad ultimam obiectionem, quae est de *pronomine*, non est explicite data solutio; quia sufficienter in praedictis continetur. — Paulo ante praestamus lectionem planiorem, quae est et lectio maioris numeri codd. et ed. 1, ponendo *secundum rem* pro *rei*, quod Vat. cum paucis mss. habet; alii demum omittunt vel *secundum* vel *secundum rem*.

SCHOLION.

I. Distinctio et duae conclusiones in corp. positae per se sunt manifestae. — In solut. ad 4. conceditur, aliquam proportionem esse inter vocem et rem nominatam, sed tantum quatenus *cognoscibilis est*. Infinitus autem Deus tantum finite a nobis est cognoscibilis. Huic finitae cognitioni proportionabile potest esse etiam *nomen finitum*, « loquendo de proportione, quae est inter aliqua duo sub ratione, qua unum est signum et aliud signatum ». Ita Richard. a Med., hic q. 1. ad 3. — Notanda est sententia in solut. ad 3, quod nos Deum cognoscimus « in forma creata; unde a forma creata nos nomina imponimus, quam intelligimus et videmus »; de quo cfr. supra d. 3. p. I. q. 2. Addit Alex. Hal. (loc. infr. cit.), quod a creaturis secundum Ioan. Damascenum tribus modis nomina imponimus, scil. « *imaginibus* et *formis* et *notis*. *Notis* nominatur Deus privationibus, cum dicitur immensus Deus, infinitus, incircumscriptibilis; *imaginibus*, cum nominatur dispositionibus spiritualium creaturarum, ut cum dicitur spiritus, sapiens, intelligens; *formis*, cum nominatur similitudinibus corporalium creaturarum, ut cum dicitur leo, ignis et huiusmodi ».

II. Solut. ad 6. 7. in eodem sensu magis explicatur a S. Thom. (S. I. q. 13. a. 1. ad 3.), et ab Alex. Hal. (loc. infra cit. ad ult.), qui verba ob brevitatem subobscura: « Et hoc dico propter verbum et participium et adverbium, quod est dispositio verbi », sic explanat: « Licet verbum et participium significent cum tempore, nihilominus tamen Deus quodammodo notificabilis est, non quia ipse cadit sub tempore, sed quia iuxta possibilitatem intellectus nostri, qui intelligit *cum motu et tempore*, intelligimus et significamus. Unde et hoc verbum *est*, dictum de Deo, non significat cum motu et tempore. Unde Augustinus super illud Ioan. 1: In principio erat Verbum, dicit: Verbum substantivum (nempe *est*) duplicem habet significationem: aliquando enim temporales motus secundum analogiam aliorum verborum declarat; aliquando substantiam uniuscuiusque rei, de qua praedicatur, sine ullo temporali motu designat; ideo et substantivum vocatur. Tale est quod dicitur: In principio erat Verbum » etc. — Cfr. etiam hic dub. 3.

III. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 1. — Scot., de hac et seqq. hic q. 1. 2; Report. hic q. unic. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. q. 13. a. 1. — B. Albert., I. Sent. d. 2. a. 16; S. p. I. tr. 3. q. 16. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic q. 1. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 1. — Henr. Gand., S. a. 73. q. 1. — Durand., de hac et duab. seqq. hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. hic q. unic.

QUAESTIO II.

Utrum Deus habeat unum solum nomen, an plura.

Secundo quaeritur, utrum Deus habeat unum solum nomen, an plura. Et quod plura, videtur:

Fundamenta. 1. *Auctoritate* Scripturae, quae ipsum diversis nominibus appellat. Exodi sexto[1]: *Nomen meum magnum Adonai non indicavi eis*. Exodi decimo quinto[2]: *Omnipotens nomen eius*. Et Psalmo[3]: *Dominus nomen illi*. Si ergo ista sunt diversa nomina, patet auctoritate Scripturae, quod Deus habet plura nomina.

2. Item, Dionysius in libro de Divinis Nominibus[4] plura assignat nomina Dei; Ambrosius similiter in libro de Trinitate[5], et Magister similiter in littera.

3. Item, hoc ipsum *ratione* videtur; quia nullum nomen sufficienter exprimit esse divinum nec in se nec in comparatione ad nostrum[6] intellectum. Quod patet, quia omnis perfectio et est et intelligitur esse in Deo; et nullum nomen exprimit omnis conditionis perfectionem: ergo cum non possit fieri per unum, indigemus pluribus.

4. Item, illud in quo res conveniunt et in quo differunt, aut necesse est pluribus nominibus[7] dicere, aut necesse est unum aequivocari; sed aequivocatio generat ambiguitatem et tollenda est: ergo congruum est diversis exprimere nominibus. Cum ergo in divinis sit commune et proprium et hoc in pluribus, necesse est, plura nomina esse.

5. Item, quamvis una sit prima veritas[8], tamen articuli fidei sunt multi: si ergo fides de Deo multos articulos credit, et *quod corde creditur ad iustitiam* oportet *ore confiteri ad salutem*[9], multos potest et debet articulos ore confiteri; sed multi articuli uno nomine non expresse et explicite exprimuntur: ergo oportet habere plura nomina.

CONTRA: 1. Hilarius[10]: « Non sermoni res, sed Ad oppositum.

---

[1] Vers. 3.

[2] Vers. 3. [3] 67, 5.

[4] Cap. 1. § 8, ubi nomina generatim recensentur, quae Deo et a sacra Scriptura v. g. Ego sum qui sum, vita, lux etc. et a sapientibus v. g. bonum, pulcrum etc. attribuuntur.

[5] Id est, II. de Fide ad Gratianum, in Prologo; vide hic lit. Magistri, c. 1. — Cod. W ponit *Augustinus* et ed. 1 *Anselmus* pro *Ambrosius*. Mox post *Magister* unus alterve codex ut S Y omittit *similiter*.

[6] In Vat. et cod. cc desideratur *nostrum*, quod in ceteris mss. et ed. 1 invenitur. Paulo infra cod. X *perfectionis conditionem* pro *conditionis perfectionem*.

[7] Praeferimus lectionem codd. G M et ed. 1 ponendo *nominibus* pro *modis*, quam contextus exigit; vel si magis placet, legas cum codd. aa bb *modis vel nominibus*. Mox post *ambiguitatem* cod. X *quae* loco *et*; dein post *congruum est* in cod. H additur *pluribus et* ac in cod. I post *diversis* adiungitur *modis dicere et*.

[8] Antiquiores codd. cum ed. 1 contra Vat. in hac propositione exhibent *prima*, quamvis aliqui eorum vel verbis transpositis legant *una prima sit veritas* vel *una* male omittant.

[9] Rom. 10, 10. — Paulo infra post *expresse* cod. bb *nec* pro *et*, qui et dein cum cod. aa ponit *debet* loco *oportet*.

[10] Libr. IV. de Trin. n. 14.

rei sermo est subiectus »: ergo cum in Deo sit omnimoda realis unitas, ergo et vocis et nominis.

2. Item, omne quod est in Deo, est Deus, ergo quod significat aliquid quod est in Deo, est Deus; sed Deus unus est: ergo omnia [1] divina nomina habent unum significatum; sed omnia talia sunt synonyma, nominibus autem synonymis non plus dicitur pluribus quam uno: ergo videtur, quod omnia alia ab uno sint praeter necessaria.

3. Item, multiplicatio divinorum nominum aut venit a parte *rei*, aut a parte *intellectuum*, aut a parte *effectuum*. Si a parte *rei*, tunc bonitas et veritas non sunt nomina diversa, quia res omnino una; si a parte *effectuum*, tunc ergo unitas et aeternitas non sunt diversa, cum non connotent effectum; si a parte *intellectuum* solum: ergo videtur, quod huiusmodi nomina cassa sint et vana, cum non habeant aliquid respondens [2] in re.

4. Item, in Scriptura nomen Dei singulariter proponitur, sive addatur uni, ut cum dicitur: *Dominus nomen illi* [3], sive pluribus, ut cum dicitur: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti:* ergo cum eadem sit ratio rei et unius rei, et nominis et unius nominis [4], ergo Deus tantum unum habet nomen.

CONCLUSIO.

Deum nominamus modo uno nomine, modo pluribus, iuxta diversos modos, quibus nomen accipitur.

Respondeo: Dicendum, quod in nomine tria sunt, scilicet *vox* et *significatio* et *ratio innotescendi*. Unde et nomen multipliciter accipitur: aliquando pro *voce* significante, ut cum dicitur: Petrus est nomen Apostoli; et sic constat, quod in Deo sunt plura nomina. Aliquando nomen accipitur pro *re significata*, ut cum dicitur: bonum et honestum sunt idem nomine; et sic in divinis quodam modo est dicere nomen unum, quodam modo plura. Si enim res significata dicatur essentialiter, sic omnia unum; si personaliter, sic plures et plura nomina correspondentia. Aliquando nomen accipitur pro *ipso notamine* sive ratione innotescendi; et sic dicendum, quod [5] quodam modo nomen unum, quodam modo plura.

Tria sunt in nomine. — Conclusio 1. — Conclusio 2. bimembris.

Si enim accipitur ratio innotescendi ex parte *Dei*, sic innotescit per virtutem, quae una et magna est; et sic unum nomen Dei est et magnum sive maximum. Unde Jeremiae decimo [6]: *Magnus es tu, et magnum nomen tuum*, quantum ad rationem innotescendi sive virtutem, per quam innotescit, secundum quod dicitur in Psalmo [7]: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.*

Conclusio 3.

Si autem accipiatur ratio innotescendi ratione [8] *effectuum* sive creaturarum, sic diversa sunt nomina. Nam Deus innotescit nobis tripliciter, scilicet per *causalitatem*, per *ablationem* et per *excellentiam* [9]; et secundum hoc est multitudo nominum. Si enim nominetur per *causalitatem*, multa sunt nomina, quia multos habet effectus; si per *ablationem*, multa sunt nomina, quia multa removentur, scilicet omnia creata; si per *excellentiam*, multa, quia in multis, in omnibus scilicet conditionibus nobilitatis, excedit creaturas [10].

Conclusio 4. — Deus innotescit triplici via.

4. Ex praedictis patent obiecta. Quod enim obiicit, quod Scriptura nomen Dei exprimit singulariter; dicendum, quod Scriptura, ut plurimum nomen Dei praedicat *magnum*, *admirabile* [11], *sanctum* et *laudabile;* et sic non loquitur de nomine, secundum quod *vox*, sed secundum quod *ratio innotescendi* a parte Dei; et sic unum. Tamen non sequitur: loquitur singulariter, ergo unum solum, quia frequenter quod dicitur singulariter dicitur et universaliter, ut patet in multis exemplis in Lege, cum dicebatur: *homo de domo Israel* [12], vel *homo qui fecerit* hoc vel illud, intelligebatur de quolibet homine.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod *unitas* [13] est a parte rei; dicendum, quod pluralitas a parte rei est,

---

[1] Ex mss. et sex primis edd. supplevimus *omnia*. Paulo supra post primum *ergo* in cod. T repetitur *omne*. In fine huius argumenti Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 habet *non sint necessaria* loco *sint praeter necessaria*.

[2] Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 *correspondens*.

[3] Psalm. 67, 5; Matth. 28, 19. — Paulo ante ex plurimis antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *addatur* loco *additur*, et codd. GHM cum ed. 1 post *singulariter* bene addunt *semper*.

[4] Aristot., IV. Metaph. text. 3. (III. c. 2.): Idem enim et unus homo, et homo et ens homo; et non diversum aliquid ostendit secundum dictionem repetitam homo et ens, homo et unus homo.

[5] Vat. cum cod. cc, sed aliis codd. et ed. 1 refragantibus, omittit *quod*.

[6] Vers. 6, post quem textum in Vat. et cod. cc additur *id est.* Paulo ante cod. Y *et* loco *sive,* dum cod. W particulam *et* ibi verbo *magnum* praefixam omittit.

[7] 75, 2.

[8] Cod. M cum ed. 1 *a parte.*

[9] Dionys., de Div. Nom. c. 7. § 3, cuius verba vide supra pag. 77 nota 10.

[10] Cod. aa addit: *Quartus modus potest addi, ut dicatur, quod innotescit nobis Deus per similitudinem; et sic similiter sunt multa nomina, ut leo, agnus, lapis et huiusmodi.* Eadem verba inveniuntur in cod. bb ad marginem. Praedicti duo codices pro quolibet trium modorum cognoscendi Deum addunt exempla; sic pro via causalitatis post *nomina* adiiciunt *ut creator, conditor et huiusmodi;* pro via ablationis post *nomina* ponunt *ut incorporeus, immensus et huiusmodi;* pro via excellentiae post *multa* addunt *ut supersubstantialis, superbonus et huiusmodi.* Cod. X hic addit verbum *sunt.* Cod. Y in principio huius propositionis habet *nominatur* pro *nominetur.*

[11] Plures mss. ut ASTV etc. cum ed. 1 *mirabile.* Paulo infra termino *unum* in cod. W praefigitur *est.*

[12] Levit. 17, 8. — Fide mss. antiquiorum et ed. 1 restituimus *domo.*

[13] Vat. cum cod. cc *pluralitas*, sed contra scopum obiectionis et alios codd. cum ed. 1. Mox cod. I, verbis transpositis,

ut accipiatur *res* pro *persona*. Si autem pro *natura*, etsi non sit pluralitas in se, tamen[1] in quantum innotescit. Et ideo plura nomina.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nomina talia sunt synonyma; dicendum, quod tunc sunt nomina[2] synonyma, cum differunt a parte vocis solum. Hic autem est differentia secundum rationem innotescendi, et ideo non sunt synonyma. Alia ratio dicta fuit supra, distinctione octava in primo problemate[3].

Ad 3. et a parte intellectum. 3. Ad illud quod obiicitur, quod si venit a parte *intelligendi solum*, ergo talia nomina sunt vana; dicendum, quod non venit ab hoc solum, quoniam illi rationi innotescendi respondet pluralitas in creaturis, et in Deo respondet vera unitas[4] complectens illam totam pluralitatem. Unde quia intelligimus Dei potentiam et sapientiam per diversa, diversimode nominamus; et quia in Deo est vere sapientia et potentia, ideo non est ibi vanitas[5].

SCHOLION.

I. Distinguit S. Doctor in termino tria, scilicet vocem significantem, rem significatam, rationem innotescendi. Ad illustrandum hoc ultimum membrum vulgo exemplum hoc afferebatur in notificatione *hominis*, quod factus sit ex *humo*. Divina autem essentia, in se una, simplicissima et infinita, est ratio innotescendi respectu ad plura, cum intellectus noster illam unam summam perfectionem non unico conceptu exprimere possit, sed alium conceptum formet de infinito illo uno sub ratione *sapientiae*, alium sub ratione *bonitatis*, et sic de aliis attributis. — Iuxta dictam distinctionem quaestio solvitur quinque propositionibus principalibus et nonnullis adiunctis. Pro explicatione servire potest supra d. 8. p. II. q. 2; et quoad solut. ad 2. 3. ibid. p. I. a. 1. q. 1. circa fin.; S. Thom., S. I. q. 13. a. 4; S. c. Gent. I. c. 35.

II. Notandum, quod in solutione oppositorum ordo argumentorum mutatus est. Opposit. 1. non solvitur explicite, cum principia solutionis iam exhibita sint in corp. Prima solutio respicit 4. opposit.; secunda vero respicit 3. opposit. quoad primum membrum. Deinde sequitur solut. ad 2; et ultimo loco ad tertium membrum 3. oppositi.

III. In conclusione omnes conveniunt. Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 2. a. 1. et m. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. — B. Albert., I. Sent. d. 8. a. 3; S. p. I. tr. 14. q. 59. m. 4. — Petr. a Tar., hic q. unic. a. 2. — Richard. a Med., hic q. 2. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 2. — Henr. Gand., S. a. 73. q. 9. — Dionys. Carth., hic q. 3.

QUAESTIO III.

Utrum omnia divina nomina dicantur translative.

Tertio quaeritur, utrum omnia nomina divina dicantur translative, an etiam quaedam dicantur proprie. Et quod omnia dicantur translative, videtur.

1. In *Regulis fidei*[6] dicitur: «Omne simplex
Ad oppositum. proprie est, et improprie dicitur»; sed quod improprie dicitur, improprie nominatur: cum ergo Deus sit simplex, nominatur improprie; sed improprietas reducitur ad proprietatem: ergo nomina divina de Deo dicuntur improprie, de aliis proprie; sed quod dicitur de aliquo improprie, dicitur translative, si de alio proprie[7]: ergo etc.

2. Item, unumquodque, sicut contingit intelligere, contingit et significare; sed non contingit Deum intelligere[8] nisi per proprietates et conditiones creaturarum, ergo nec nominare; sed quod nominatur secundum alienas proprietates semper translative nominatur: ergo etc.

3. Item, non est nisi duplex theologia, scilicet mystica et symbolica, secundum quod vult Dionysius[9]; sed utraque Deum nominat translative — nam mystica per creaturas spirituales et invisibiles, sed symbolica per corporales — ergo omnis nominatio Dei translativa est.

4. Item, omne nomen divinum est impositum propter nostram instructionem[10]; sed omnis nostra

---

dicendum, quod si accipiatur res pro persona, pluralitas a parte rei est.

[1] Supple: *est*, quod codd. Z aa bb particulae *tamen* praefigunt.

[2] Ex plurimis mss. et ed. 1 adiecimus *nomina*, et mox fide antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *differunt* pro inepto *dicuntur*, ac paulo infra supplevimus *sunt*.

[3] Nempe p. I. q. 1. ad ult.

[4] Cod. T *una veritas*, cum quo concordat cod. S, qui, omisso *una*, ponit *veritas*; cod. Y, omisso *vera*, habet *unitas*, et codd. aa bb post *unitas* addunt *sive veritas*.

[5] Ed. 1 adiungit *sed veritas et unitas*, quae et paulo ante adverbio *vere* praemittit *unum*.

[6] Alanus ab Insulis, Theologicae Regulae, reg. 20. — Codd. aa bb post *fidei* addunt *vel theologiae*.

[7] In cod. aa additur *dicatur*; codd. vero P Q ultima verba legunt *sed de aliquo proprie* et transponunt post *improprie*.

[8] Vat. cum cod. cc, sed aliis codd. et ed. 1 obnitentibus, *intelligi*. Paulo ante pauci codd. ut P Q V verbis *contingit et* apte praefigunt *sic*; cod. T autem loco *contingit et significare* ponit *ita et nominare*, lectio, si formam argumenti spectes, praeferenda.

[9] Epist. 9. Cfr. etiam de Div. Nom. c. 1. versus finem et de Mystica Theolog. c. 1. — Paulo infra post *spirituales* ed. 1 omittit *et*, ac dein in aliquibus codd. ut V W X particula *sed* deest; in fine argumenti plurimi mss. cum edd. 2, 3, 6 exhibent minus congrue *translative* pro *translativa*; tandem cod. O ibidem ponit *dicitur* et codd. P Q *dicitur esse* loco *est*.

[10] Respicitur illud Rom. 15, 4: Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.

doctrina incipit a sensu[1]: ergo omne nomen Dei accipitur secundum aliquod sensibile; sed in Deo nulla est proprietas sensibilis secundum veritatem, sed solum translative: ergo etc.

CONTRA: 1. Apostolus dicit ad Ephesios tertio[2], Fundamenta. loquens de Deo: *A quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur;* sed si paternitas in terris nominatur a paternitate Dei: ergo Deus proprius et principalius dicitur Pater quam alia, non ergo translative. Hoc ipsum dicunt Dionysius[3] et Damascenus, innitentes huic auctoritati Apostoli. Inquit enim Damascenus[4]: «Sciendum, quod non est a nobis translatum ad beatam Deitatem paternitatis et filiationis et processionis nomen, sicut ait divinus Apostolus: *Ex quo omnis paternitas*»: ergo etc.

2. Item, beatus Ambrosius dicit, et habetur in littera[5], quod triplex est nominum divinorum differentia, et una ex illis sunt nomina translativa: non ergo omnia dicuntur translative.

3. Item, quaedam dicuntur de Deo, quae habent oppositum in omni creatura, ut aeternitas et immensitas; sed nomen translativum attenditur secundum aliquam similitudinem[6]: ergo talia nomina non sunt translativa.

4. Item, quaedam dicuntur de Deo, quorum significatum est proprie in solo Deo, ut hoc nomen *bonum* et *qui est,* Lucae decimo octavo[7]: *Nemo bonus nisi solus Deus.* Et Augustinus[8] dicit, quod «solus Deus vere est, cuius comparatione cetera non sunt».

CONCLUSIO.

Non omnia nomina de Deo dicuntur translative: quando enim significant rem, cuius veritas est in Deo et oppositum in creatura, nullo modo transferuntur; quando significant rem, cuius veritas est in Deo et similitudo in creatura, transferuntur secundum impositionem, non secundum rem; quando denique significant rem, cuius veritas est in creatura et consimilis proprietas in Deo, proprie transferuntur.

RESPONDEO: Ad hoc voluerunt quidam dicere, Solutio quorundam. quod quaedam sunt nomina, quae Deus sibi imposuit, quaedam, quae nos ei imposuimus. Si loquamur de nominibus, quae Deus sibi imposuit, cum ipse se proprie intelligat, huiusmodi nomina sunt propria; et talia dicuntur esse *bonum* et *qui est.* Unde Dionysius[9] videtur velle, quod illud nomen *bonum* solum sit proprium et principale; Damascenus[10] vero, quod illud nomen *qui est* solum est proprium et principale; et unus attendit in nomine perfectionem, alter absolutionem, uterque tamen proprietatem[11]. Si autem loquamur de nominibus, quae nos ei imposuimus, sic cum non cognoscamus Deum nisi per creaturas, non eum nominamus nisi per nomina creaturarum; et[12] ideo solum translative, sive quia proprius et prius conveniunt creaturae, sive quia prius imposita sunt creaturae, quamvis non proprius conveniant creaturae. Et haec est

---

[1] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 14. (c. 18.), III. de Anima text. 39. (c. 8.), et c. 6. de Sensu et Sensibili, nec non I. Metaph. c. 1. — Mox plures codd. ut A S T W Z etc. *aliquid* pro *aliquod.*

[2] Vers. 15, in quo textu Vat. cum Vulgata *Ex quo* pro *A quo,* et dein Vulgata *caelis* pro *caelo* contra codd. et ed. 1 exhibet. — Paulo infra cod. V *alius* loco *alia.*

[3] De Div. Nom. c. 1. § 4: Unde in omni fere theologica actione thearchiam videmus divinitus laudatam, ut monadem quidem et unum propter simplicitatem et unitatem... ut trinitatem vero propter subsistentem ter superessentialis fecunditatis expressionem, ex qua omnis paternitas in caelo et in terra est et nominatur.

[4] Libr. I. de Fide orthod. c. 8: Quin illud quoque nosse interest, paternitatis, filiationis et processionis vocabula non a nobis ad beatam Deitatem esse translata, verum contra illinc nobis communicata, quemadmodum Apostolus ait: *Propterea flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas.*

[5] Hic, c. 1. — Mox cod. V *illarum* pro *ex illis.*

[6] Cfr. supra pag. 1 nota 8.

[7] Vers. 19. Quia ista verba sic leguntur apud Lucam, ipsum in textu citavimus, licet in mss. et edd. habeatur *Matthaei,* 19, 14, ubi sic legitur: *Unus est bonus, Deus.*

[8] Libr. VIII. de Civ. Dei, c. 11: «Ego sum qui sum; et dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos; tanquam in eius comparatione qui vere est, quia incommutabilis est, ea quae mutabilia facta sunt, non sint». Ceterum cfr. de hoc supra d. VIII. c. 1. lit. Magistri, ubi idem recurrit et Hieronymo attribuitur.

[9] De Div. Nom. c. 3. § 1: Ac primum, si videtur, perfectum et quod omnes Dei emanationes manifestat, boni nomen expendamus (versio Corderii). Cfr. et c. 4.

[10] Libr. I. de Fide orthod. c. 9, ubi et rationem addit: Nam totum esse velut immensum quoddam ac nullis terminis definitum essentiae pelagus complexu suo ipse continet. — Ex fere omnibus antiquioribus mss. et ed. 1 supplevimus particulam *vero.*

[11] Aliis verbis, Dionysius in nomine *bonum* attendit divinum esse, quatenus in se completissime existens est causa omnia comprehendens sive omnium principium et finis. Nam bonum ex natura sua est diffusivum sui tenetque rationem finis; perfectum autem est illud quod omnia praehabens potest facere sibi simile (cfr. loc. cit. c. 4. et 13.). Damascenus vero in nomine *Qui est* considerat divinum esse secundum se et absolute, quatenus est infinitum pelagus essentialitatis. Uterque tamen in his nominibus tale designat, quod Deo vere et proprie convenit. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 49. m. 4. a. 2.

[12] In Vat. et cod. cc deest *et* ab aliis codd. et ed. 1 exhibitum. Paulo supra post *cum* et dein post *creaturas* fide mss. et ed. 1 expunximus *nos.* Mox cod. T *non quia* pro *quamvis non.* Unus alterque codex ut Y in hac et in sequenti propositione *per prius* loco *proprius.*

translatio quaedam, quamvis, proprie loquendo, sit translatio, quando proprius conveniunt iis, a quibus transferuntur, ut ridere hominibus proprius quam pratis.

Sed haec positio non videtur stare [1]. Cum enim [2] nos cognoscamus Deum tripliciter, scilicet per *effectum*, per *excellentiam* et per *ablationem*, constat quod omnibus his modis contingit Deum nominare. Si per *effectum*, nulla est ibi translatio [3]; similiter, si per *ablationem*, quoniam translatio attenditur secundum aliquam similitudinem: « omnes enim transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt [4] ».

Non approbatur.

Et propterea aliter dicendum, quod *quaedam* sunt nomina, quae significant rem, cuius veritas est in Deo et oppositum in creatura, ut immensus et aeternus; et talia nullo modo transferuntur, nec secundum rem nec secundum impositionem. *Quaedam* [5] significant rem, cuius veritas est in Deo et similitudo eius in creatura, ut potentia, sapientia et voluntas; et talia nomina transferuntur a creaturis ad Deum, non secundum rem, sed secundum impositionem; quia prius imposita sunt creaturis quam Deo, licet prius sint in Deo. *Quaedam* sunt nomina, quae significant rem, cuius veritas [6] est in creatura et consimilis proprietas in Deo, ut lapis et leo — res enim significata est in creatura, sed similitudo proprietatis, ut stabilitas et fortitudo in Deo est — et ista sunt proprie translativa. Concedendum ergo, quod in divinis sunt aliqua nomina translativa, non omnia.

Solutio auctoris cum triplici distinctione. Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod simplex improprie dicitur; dicendum, quod *dicere* ibi non est *nominare*, sed [7] *enuntiare*, quia simplici non est compositio in essendo, sed est compositio in enuntiando, et ideo improprie; non sic in nominando. — Vel dic, quod non omne dictum improprie est dictum translative.

Solutio oppositorum. Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod solum per creaturas intelligitur; dicendum, quod quamvis intelligatur solum per creaturas, non tamen solum per similitudinem [8], immo per negationem et dissimilitudinem est cognoscibilis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod symbolica et mystica theologia nominant Deum translative; dicendum, quod quamvis mystica nominet [9] Deum translative quantum ad proprietates excellentiae, tamen non solum sic nominat, sed etiam per abnegationem; et ideo non solum translative.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omnis nostra doctrina incipit a sensu; dicendum, quod verum est; et [10] omne nomen aliquid habet sensibile, scilicet vocem, ut audiatur; sed non oportet, quod habeat sensibilem significationem, quia verbum intelligentiae, quod est insensibile, induit vocem sensibilem.

SCHOLION.

I. Nomen *proprium* hic non accipitur, quatenus in divinis distinguitur contra *commune*, sed quatenus distinguitur contra *metaphoricum* seu translativum. — S. Doctor cum Angelico reiicit sententiam in prima opinione notatam, quod omnia nomina, Deo a *nobis* imposita, non sint nisi metaphorica; hoc probat per inductionem, enumerando tres vias seu modos, quibus formamus nomina divina, scil. causalitatis, negationis, eminentiae. In via eminentiae translatio fit quidem secundum quandam similitudinem, quae tamen differt a similitudine metaphorica. — Quoad modum concipiendi perfectiones divinas Richard. a Med. (loco infra cit.) haec observat: « Quaedam sunt nomina, quae significant, vel potius per quae significare intendimus distincte et insinuare (quamvis ad sic significandum non attingamus) res, quae per prius sunt in Deo et per posterius in creatura; et talia nomina magis proprie dicuntur de Deo quam de creatura, non ratione huius, quod per nomen *intelligimus* distincte insinuari, sed ratione huius, quod per nomen insinuare *intendimus;* et sic de Deo non dicuntur translative ». Deinde idem in solut. ad 4. dicit: « Quamvis Deum intelligamus per suos effectus, quae sunt quaedam similitudines Dei, tamen cognitio nostra non sistit in illis effectibus, sed ascendit ad cognoscendam Dei virtutem et divinitatem, quamvis in generali et obscure ». — Dionysius autem Carth. (hic q. 2.) non omnino consentit solutioni S. Thomae, Bonav., Alberti aliorumque, praesertim quoad hoc, quod omnia nomina Deo imposita sint ex creaturis et quantum ad vocem translata a creaturis ad creatorem; in specie facit quasdam exceptiones contra reprobationem primae opinionis, quam habet S. Bonav. in responsione, asseritque, frequenter esse *translationem*, dum nominamus Deum tum per *effectum*, tum per *ablationem*, tum per *eminentiam.* Sed responderi potest, S. Bonaventuram minime negare, quaedam nomina non nisi Deo revelante ipsi imposita esse, sed

---

[1] Pauci mss. ut I X cum ed. 1 verbo *stare* bene praemittunt *posse.*

[2] In cod. O additur *secundum Dionysium,* cuius verba vide supra pag. 77, nota 10.

[3] Vat. addit *Pariformiter si per excellentiam*, quae tamen verba omittuntur in mss. et ed. 1; rationem huius omissionis vide paulo infra in solutione ad 3.

[4] Aristot., VI. Topic. c. 2, de quo vide supra pag. 1 nota 8.

[5] Ed. 1 adiungit *sunt nomina, quae.*

[6] Codd. KV *proprietas;* paulo infra post *fortitudo* in cod. A additur *proprie*, et dein multi codd. ut ACFGHKLS etc. ponunt *ita* pro *ista,* inter quos est cod. T, qui, pluribus omissis, breviter legit *et ita sunt aliqua nomina translativa, non omnia.*

[7] Cod. T *nisi* pro *sed.* — Notandum, quod *nominare* respicit *terminum, enuntiare* autem *propositionem,* quae semper est aliquid complexum sive compositum.

[8] In cod. O adiicitur *creaturae.*

[9] Cod. V, post *mystica* addito *et symbolica,* consequenter habet *nominent* et paulo infra *nominant.* Mox in aliquibus mss. ut AT etc. et ed. 1 deest *Deum.* Dein cod. S *negationem* pro *abnegationem.*

[10] Vat. cum cod. cc, mutata interpunctione, *quod* loco *et* ac mox *secundum* pro *scilicet*, sed minus distincte et contra alios codd. cum ed. 1. Paulo infra cod. W *intelligibile* pro *intelligentiae.*

ipse negat, hac ratione apte distingui posse nomina *propria* a *metaphoricis*. Item, non negat S. Bonav., immo expresse affirmat, quosdam *effectus* Dei et nomina hos effectus significantia non nisi *metaphorice* de Deo dici posse. Denique secundum mentem eiusdem Seraphici dici potest, etiam nomina, quae *proprie* Deo conveniunt quoad *rem significatam* (ut sapientia), tamen quoad *modum significandi* non proprie Deo attribui, quatenus non eo modo, quo nos ea in hac vita concipimus, sed per modum in infinitum eminentiorem et perfectiorem Deo conveniunt. Sed hoc non efficit, ut ista nomina sint translativa (metaphorica) nisi in sensu improprio. Nam, ut bene dicit Richard. (loc. cit. ad 4.), « nomen *translatum* non dicitur, nisi ubi est translatio ratione *rei significatae* ».

II. Plura de necessitate et regulis translationis vide infra d. 34. q. 4. — De nomine Dei: *Qui est*, magnifice loquitur S. Doctor in Itinerar. mentis in Deum c. 5. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 49. m. 4. a. 1. 2. — S. Thom., I. Sent. d. 8. q. 1. a. 1. et 3; S. I. q. 13. a. 11. — B. Albert., I. Sent. d. 3. a. 13. 14. — Richard. a Med., hic q. 6.

III. Quoad conclusionem: Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 2. a. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. I. q. 13. a. 3. et 6. — B. Albert., de hac et seq. hic a. 1; S. p. I. tr. 14. q. 56. et 59. m. 1. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic q. 4. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 3. — Henr. Gand., S. a. 32. q. 2, et a. 73. q. 2 seqq. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO IV.

Utrum omnia nomina dicta de Deo secundum substantiam dicantur.

Quarto et ultimo quaeritur, utrum omnia nomina dicta de Deo dicantur secundum substantiam. Et quod non, immo aliter, ostenditur:

1. *Auctoritate* Augustini quinto de Trinitate [1]:

Fundamenta. « Illud praecipue teneamus, quidquid *ad se* dicitur praestantissima illa et divina sublimitas, substantialiter dici; quod autem *ad aliquid*, non substantialiter, sed relative »; sed Pater et Filius dicitur ad aliquid: ergo etc.

2. Item, Boethius in libro de Trinitate [2]: « Deus est sine quantitate magnus, sine qualitate bonus, sed non est sine relatione relatus »: ergo relatio vere et proprie manet in Deo, ergo et modus dicendi relative.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione*, quia in divinitate sunt aliqua nomina incommunicabilia, ut patet in omnibus [3] personalibus; sed substantia est communicabilis, cum sit una in tribus: ergo talia nomina non indicant substantiam: ergo in divinis est alius modus dicendi quam secundum substantiam.

4. Item, in divinis est alio et alio modo se habere, quia aliter se habet ad Patrem Filius quam Spiritus sanctus; sed non est aliud et aliud esse sive subsistere: ergo cum hoc contingat intelligere et intellectum dicere, necesse est, quod sit ibi alius modus dicendi et intelligendi quam secundum substantiam: ergo etc.

CONTRA: 1. Omne quod dicitur, aut dicitur secundum *substantiam*, aut secundum *accidens*, quia substantia et accidens sufficienter dividunt ens [4]; sed in divinis nihil dicitur secundum *accidens*: ergo secundum *substantiam*.

Ad oppositum.

2. Item, omne quod dicitur, aut dicitur *per se*, aut *non per se*. Si *per se*, tunc secundum substantiam; si *non per se*, tunc ergo per aliud et in alio; sed omnia quae dicuntur de Deo, dicuntur *per se*: ergo omnia dicuntur secundum substantiam.

3. Item, dici secundum substantiam et [5] secundum relationem aut dicit diversitatem a parte *rei*, aut a parte *modi intelligendi* sive modi dicendi. Si a parte *rei*: ergo in Deo est diversitas et compositio; si a parte *modi dicendi*: tunc cum diversus sit modus dicendi in hoc quod est *bonus* et in hoc quod est *magnus* et in hoc quod est *Deus* — quia si quaeratur: quantus est Deus? respondetur [6] *magnus*, non respondetur *bonus;* similiter si quaeratur: qualis est Deus? respondetur *bonus*, non *magnus* — ergo non tantum essent duo modi, sed etiam multo plures quam duo.

4. Item, quod [7] respondetur ad quaestionem factam *per quid* dicitur secundum substantiam et quantum ad rem et quantum ad modum; sed nomina relativa respondentur ad quaestionem factam *per quid* de Deo: ergo dicuntur secundum substantiam. Probatio *minoris:* Augustinus in libro de Doctrina christiana [8]: Si quaeratur, quid est Deus, convenienter respondetur: Pater et Filius et Spiritus sanctus.

5. Item, cum quaedam sint in divinis, quae

---

[1] Cap. 8. n. 9. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3, in quibus verbis Vat. contra originale et mss. nec non ed. 1, posito *dicitur* pro *dici* et *ad aliud* loco *ad aliquid*, tum post *autem* tum post *relative* addit *dicitur*. In fine argumenti ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *aliquid* pro incongruo *aliud*.

[2] Cap. 4, ubi quoad *sensum* continetur haec propositio, in quantum scil. Boethius ibi ostendit, quod cum quis alia praedicamenta praeter relationem in divinam verterit praedicationem, cuncta mutantur in substantiam. Quod si *verba* propositionis attendas, videntur sumta ex Augustino, V. de Trin. c. 1. et 5.

[3] Ed. 1 *nominibus* pro *omnibus*.

[4] Cfr. supra pag. 116 nota 6.

[5] Vat. cum cod. cc incongrue et contra alios codd. cum ed. 1 *aut* loco *et*.

[6] In cod. V hic et mox post *non respondetur* adiicitur *quod est*, ac paulo infra post *modi* additur *dicendi*.

[7] Codd. PQ *quidquid*. Ed. 1 cum cod. cc propositionem minorem exhibet sic: *sed per nomina relativa respondetur ad quaestionem* etc., ac dein ed. 1 nomini *Deo* praefigit *ipso*.

[8] Libr. I. c. 5. n. 5; secundum sensum. Verba Augustini sunt: Non enim facile nomen, quod tantae excellentiae conveniat, potest inveniri, nisi quod melius ita dicitur: Trinitas haec, unus Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; ita Pater et Filius et Spiritus sanctus etc.

non dicuntur secundum substantiam nec [1] secundum relationem, ut hoc nomen *incarnatus*, hoc nomen *ingenitus*, videtur quod ista divisio non complectatur omnia nomina divina.

CONCLUSIO.

Non omnia nomina dicuntur de Deo secundum substantiam, sed quaedam etiam per modum quantitatis vel qualitatis et insuper quaedam secundum relationem.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod est *dici diversimode* secundum triplicem differentiam. Dici diversimode sumitur tripliciter.

Uno modo *dici diversimode* attenditur secundum diversum modum *essendi*, qui est *per se* et *per accidens*; et hoc quidem modo non est dici diversimode in divinis, quia ista diversitas modi ponit diversitatem essentialem [2] in re dicta; et quantum ad hoc unus solus modus dicendi est in Deo. Nam omnia quae dicuntur de Deo, sunt ipse Deus et eius substantia. Modus 1. Conclusio 1.

Alio modo *dici diversimode* est secundum diversum modum *intelligendi*, qui quidem attenditur secundum aliam et aliam rationem sive medium [3] cognoscendi; et sic non tantum est dici *diversimode* in nominibus divinis, immo *omnimode*, quia Deus non tantum cognoscitur per diversa, immo per omnia rerum genera; et sic nomina dicta de Deo, quaedam dicuntur per modum *substantiae*, ut Deus; quaedam per modum *quantitatis*, ut magnus [4]; quaedam per modum *qualitatis*, ut bonus; et sic de aliis omnibus. Modus 2. Conclusio 2.

Tertio modo *dici diversimode* est secundum diversum modum *se habendi*; quod [5] quidem attenditur quantum ad *absolutum* et ad *comparatum* sive relatum; et hic quidem modus diversitatis *minor* est quam primus, et *maior* quam secundus. *Minor* quam primus, quia secundum primum attenditur diversitas essentialis et compositio; *maior* quam secundus, quia secundum illum nulla [6] omnino attenditur in re distinctio. Secundum autem istum modum attenditur in eo unitas et pluralitas: unitas secundum absolutum, pluralitas secundum respectum. Et quantum ad hunc modum sunt solum duo modi dicendi, scilicet secundum *substantiam*, ut illa quae dicuntur ad se [7], et secundum *relationem*, ut illa quae dicuntur ad aliquid. Quia vero haec non dicunt alium modum *essendi*, ideo haec praedicantur de illis et sunt unum; et quia dicunt alium modum *se habendi*, ideo secundum illa unitas, secundum haec pluralitas [8]. Ex his patent obiecta. Modus 3. Conclusio 3.

Solutio oppositorum.

1. Quod enim obiicitur, quod omne quod dicitur, dicitur secundum substantiam vel secundum accidens; dicendum, quod in divinis habet instantiam, ubi relatio non est accidens, nec tamen dicitur secundum substantiam.

2. Ad illud quod obiicitur secundo, quod omne quod dicitur in divinis, est ens per se; dicendum, quod verum est, sed tamen non sequitur: dicitur ut ens per se, ergo secundum substantiam, quia non dicitur: nomen dici secundum *substantiam*, ut *substantia* dicitur *per se*, sed ut dicitur *ad se* [9].

3. Ad illud quod obiicitur, qualis sit haec diversitas, aut secundum rem, aut secundum modum intelligendi; dicendum, quod secundum modum *se* [10] *habendi*, qui non tantum est in nostro intellectu, sed etiam in re.

4. Ad illud quod obiicitur quarto, quod nomina relativa respondentur ad interrogationem factam de substantia; dicendum, quod substantia dicitur dupliciter: aut ens *per se*, aut *ad se* [11]. Si ut ens *per se*, sic omnia et relativa et absoluta dicunt in Deo substantiam; et quia hoc modo *substantia* respondetur ad quaestionem factam per *quid*, ideo omnia possunt responderi. Si autem dicatur substantia ut ens *absolutum*, non comparatum, sic dicitur secundum substantiam, quod dicitur *ad se*. Et sic non [12] Substantia dicitur dupliciter.

---

[1] Plures codd. ut AIKMS etc., contradicente contextu, *sed* loco *nec;* Vat. cum paucis mss. *sed nec;* ceteri mss. cum ed. 1 exhibent lectionem in textum receptam. Mox post *incarnatus* codd. OX addunt *et,* ac dein plures mss. ut AFHTV etc. cum edd. 1, 2, 3, 6 *complectitur* pro *complectatur.*

[2] Cod. R *essendi* loco *essentialem.* Mox pauci codd. ut F OX *de Deo* pro *in Deo.* — Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 13. (IV. c. 7.).

[3] Sic plures et quidem bonae notae codd. ut AGHKRT VW ee ff cum ed. 1, dum Vat. habet *modum.*

[4] Vat. praeter fidem fere omnium mss. et ed. 1 perperam omittit *quaedam per modum quantitatis, ut magnus.*

[5] Codd. IOZ cum ed. 1 *qui.* Mox cod. R *relativum* pro *relatum.*

[6] In Vat. substituitur *non* pro *nulla*, sed minus apte et contra fere omnes codd. et edd. 1, 2, 3.

[7] Indebita omissio verborum *ut illa quae dicuntur*, quae habetur in Vat., resarcitur ope mss. et ed. 1. Mox aliqui codd. cum ed. 1 *Quae quia,* aliqui vero *Quia quod,* pauci *Quia* pro *Quia vero haec*, quod ceteri cum Vat. exhibent.

[8] Communissima lectio mss. et sex primarum edd., in qua, transpositis verbis *illa* et *haec* (aliqui codd. ut AHIK cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *hoc),* habetur *secundum haec unitas, secundum illa pluralitas*, contextu ut reiicienda comprobatur.

[9] Sensus est: in hac propositione *nomen dici secundum substantiam,* verba *secundum substantiam* non sumuntur in eo sensu, quo per substantiam intelligitur *ens per se,* sed *ens ad se*, ideoque relationes divinae, licet sint *per se,* non vero *ad se*, non secundum substantiam dicuntur. Vide paulo infra ad 4.

[10] Ex mss. et edd. 1, 2, 3 restituimus perperam omissum *se.* Paulo ante cod. V *quaeritur* pro *obiicitur.*

[11] Plures codd. ut FMXYZ cum ed. 1 duplex hoc membrum ita exhibent: *aut ens per se aut ens per se et ad se.* Paulo ante cod. I *quod per nomina relativa respondetur* loco *quod nomina relativa respondentur,* et cod. K *quaestionem* pro *interrogationem.* Mox fide antiquiorum mss. et ed. 1 posuimus *sic* pro *tunc.* Dein cod. S *dicuntur in Deo secundum substantiam* loco *dicunt in Deo substantiam.*

[12] Fere omnes codd. cum edd. 1, 2, 3 omittunt *non,* sed male, ut ex contextu patet. Mox ex vetustioribus mss. et ed. 1 supplevimus *nomina*, quod Vat. cum cod. cc omittit et pro quo cod. S ponit *omnia.*

accipit Augustinus; et sic Pater et Filius, et nomina relativa secundum substantiam non dicuntur.

5. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod multa dicuntur de Deo, quae non dicuntur secundum substantiam nec secundum relationem; dicendum, quod *dici relative* in divinis potest esse dupliciter. Quaedam enim nomina dicuntur relative ex *principali* nominis *intellectu*, quaedam ex *consequenti*.

Nomina relativa distinguuntur.

Et[1] prima differentia dividitur in tres: quia quaedam significant relationem et *dicuntur relative*, ut Pater; quaedam significant relationem[2], ut paternitas, quae *non dicitur ad alterum*, sed est ipsum quo alterum refertur; quaedam dicuntur relative, quia *privant relationem*, ut ingenitus, improcessibilis; tamen ista non est privatio pura, ut infra videbitur[3].

Subdistinctio 1.

Quae autem important relationem ex *consequenti* intellectu, similiter sunt secundum triplicem differentiam. *Quaedam* enim dicuntur dici relative, quia ponuntur pro relativis, ut cum dicitur: Deus generat Deum, id est Pater Filium. *Quaedam* dicuntur relative, quia claudunt in suo significato interius relationem, ut cum dicitur *incarnatus* — sensus enim est, id est carni unitus; unio enim dicit relationem, quae singularem personam respicit — sive assumere carnem et huiusmodi. *Quaedam* dicuntur relative, quia claudunt relationem in suppositis, ut similis et aequalis; non enim sunt similes, nisi qui referuntur et distinguuntur.

Subdistinctio 2.

SCHOLION.

I. Pro statu quaestionis facilius intelligendo notamus, quod *substantia* sumitur duplici sensu, uti patet ex solut. ad 2. Intelligitur enim vel ut res *per se* stans; et sic distinguitur contra accidens, quod est in alio, et in hoc sensu est substantia quidquid est in Deo; et ipsae relationes non manent in praedicamento accidentis, sed transeunt in praedicamentum substantiae. Vel substantia sumitur ut res absoluta sive *ad se*, et sic distinguitur contra relationem; in hoc secundo sensu intelligitur quaestio principalis, ut patet ex argumentis in fundam. Praeter hoc dubium etiam aliae quaestiones solvuntur. Quaesivit enim S. Bonav. supra (in divisione quaestionum), utrum nomina dicta de Deo dicantur secundum substantiam, an etiam aliquo *alio modo*. Quare hic primo loco explicat tres diversos modos dicendi de Deo et respondet ad quaesitum iuxta hanc triplicem distinctionem.

II. Ut melius intelligantur quae hic dicuntur de modo dicendi secundum substantiam et secundum relationem, haec ex Alex. Hal. (loc. infra cit. § 3.) notamus: « Dicendum, quod (in Deo) omnia praedicamenta mutantur, sed tamen dissimiliter. Alia enim praedicamenta a *substantia* et *relatione* mutantur dupliciter: secundum rationem sui *generis* et secundum rationem qua sunt *in creatura... Substantia* vero et *ad aliquid* mutantur uno modo; mutantur enim a ratione, qua sunt in creatura, sed manent secundum intentionem primam sui generis. Nam substantia, ut est in creatura subsistens sub accidentibus, non est in divinis; tamen in divinis est substantia ut ens per se. Iterum in creatura *ad aliquid* est accidens, quo modo non est in divinis; sed tamen in divinis est *ad aliquid*, hoc est ad aliud se habens, vel potius ad alium se habens ».

III. Attentione digna sunt quae hic in corp. et ad 5. de variis speciebus differentiae sive distinctionis et de nominibus relationem significantibus docentur. Cfr. supra d. 13. q. 3; d. 19. p. II. q. 2. ad 4, et praesertim d. 26. q. 1. Idem docet Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 4. a. 3. § 4. 5.

IV. Quoad conclusionem omnes consentiunt. Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 4. a. 3. — S. Thom., de Potent. q. 7. a. 4. 5; S. I. q. 13. a. 2. — B. Albert., S. p. I. tr. 14. q. 57. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richard. a Med., hic q. 5. — Ægid. R., hic 1. princ. q. 4. circa med. — Henr. Gand., S. a. 32. q. 5. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 4.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit: *His adiiciendum est, quaedam etiam nomina* etc., quia aut divisiones Augustini et Ambrosii sunt sufficientes, aut non. Si sic: ergo Magister superflue addit; si dicantur insufficientes, pro inconvenienti est habendum.

Respondeo: Dicendum, quod nec divisio Augustini nec Ambrosii est diminuta; nec additio Magistri superflua, quoniam[4] membra divisionis Magistri includuntur in membris divisionis Ambrosii. Illa enim est per immediata; cum enim sit trimembris, reducitur ad has divisiones: quia omne nomen Dei aut est *proprium*, aut *translativum;* si *proprium*, aut spectat ad *substantiam*, aut ad *personas*. Magister autem ista membra magis specificat, quia nomen aliquod potest spectare ad unitatem *substantiae*[5] ab aeterno, vel ex tempore; similiter ad *personas* ab aeterno, vel ex tempore; et ad *personas* dupliciter: vel divisim, ut hoc nomen *Pater*, vel simul et coniunctim, ut hoc nomen *Trinitas;* et ita[6] sunt sex membra.

---

[1] In Vat. deest particula *Et*, quam antiquiores codd. et ed. 1 exhibent.

[2] In cod. X additur *et non dicuntur relative*. Paulo infra post *privant* cod. S addit *ipsam*.

[3] Dist. 28. q. 1.

[4] Postulantibus plurimis mss. et ed. 1, substituimus *quoniam* pro *nam*. Paulo ante in pluribus mss. ut A S T V etc. et ed. 1 desunt verba *Augustini nec*.

[5] In plurimis mss. et ed. 1 hic et paulo infra post *personas* omittitur *vel*, quod Vat. adiungit.

[6] Vat. cum uno alterove codice *ista* pro *ita*. — De conciliatione harum diversarum divisionum vide etiam B. Albert.,

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Trinitas est quasi collectivum.* Videtur enim male dicere, quia « unitas collectiva, ut dicit Bernardus [1], est minima unitas; sed unitas Trinitatis arcem tenet inter omnes unitates » : ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod hoc nomen *Trinitas* deficit [2] in duobus a nomine proprie collectivo. *Primo,* quia illa quae nomen collectivum colligit, habent simpliciter diversitatem; et *secundo,* quia habent unitatem secundum *quid;* sed [3] e contra est in nomine *Trinitatis.* Tamen in hoc est similitudo, quia sicut nomen collectivum plures simul dicit et de nullo per se praedicatur, ita nec hoc nomen *Trinitas* praedicatur de aliqua personarum, et tamen omnes simul importat; et [4] ideo Magister non dicit, quod sit collectivum *simpliciter,* sed *quasi* [5].

Quinque regulae de nominibus divinis.

Sciendum est igitur, quod illa quae proprie etc. Circa hoc notandum, quod ex verbis Augustini, quae hic ponuntur et in libro de Trinitate [6], eliciuntur quinque regulae de nominibus divinis. *Prima* est haec: omne nomen, quod dicitur de Deo, dicitur secundum substantiam vel secundum relationem, excepto hoc nomine *homo.* *Secunda* est haec: omne nomen, quod dicitur de tribus personis, ita quod de qualibet singulariter, dicitur secundum substantiam [7], exceptis nominibus partitivis. *Tertia* est haec: omne nomen dictum secundum substantiam praedicatur de tribus personis simul sumtis singulariter, excepto hoc nomine *persona.* *Quarta* est haec: omne nomen dictum de Deo respectu creaturae indicat essentiam, exceptis his quae pertinent ad unionem. *Quinta* est haec: omne nomen, quod dicitur de Deo ex tempore et non dicitur de personis singulis, praedicat *notionem* vel *quasi;* hoc [8] dicitur propter hoc nomen *missus,* quod dicit esse ab alio.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non tres omnipotentes, sed unus omnipotens;* quia cum dicamus [9] *tres potentes,* videtur quod pari ratione possumus dicere *tres omnipotentes.*

Respondeo: Dicendum, quod verbum semper adiective et in adiacentia significat, et ideo semper trahit numerum a supposito; similiter participium manens participium, quia habet naturam verbi. Sed nomen, quia in quiete significat, aliquando substantivatur, et quando numeratur, tunc numeratur sicut nomen substantivum a parte suae formae. Et ideo, quia *potens* potest esse participium [10], *omnipotens* est nomen tantum: ideo non sic recipitur, *tres omnipotentes,* sicut *tres potentes,* nisi *omnipotens* sit adiectivum vel [11] adiective retentum. Ratio autem, quare *omnipotens* non potest esse participium, est propter compositionem, quam non admittit verbum. Participium enim, ut dicit Grammaticus [12], transit in nomen quatuor modis: scilicet *compositione,* ut indoctus; *comparatione,* ut doctior; *constructione,* ut amans illius; *temporis amissione,* ut amandus, secundum quod idem significat vel [13] idem sonat, quod *amari dignus.* Regula grammaticae.

Dub. IV.

Item quaeritur de ratione ista Augustini: Si est participatione magnus, ergo magnitudo est maior quam ipse, et ponitur ibi: *Deus non est magnus ea magnitudine* etc. Et videtur ista ratio non valere. Non enim valet: iste est albedine albus per participationem: ergo albedo est albior vel maior [14] quam ipse.

Respondeo: Dicendum, quod ratio Augustini bona est et fundatur supra ipsam nominis expositionem, quia *participare* est *partem capere,* et si partem capit, ergo minus est quam totum. Quod ergo obiicitur de *albedine,* dicendum, quod est *esse maius* [15] dupliciter; vel quantum ad *esse,* vel quantum ad

---

hic a. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 4. — Petr. a Tar., hic a. 5. — Dionys. Carth., hic q. 3.

[1] Libr. V. de Consid. c. 8.

[2] Vat. absque auctoritate mss. et edd. 1, 2, 3 *differt,* quae et paulo ante, antiquioribus codd. et ed. 1 contradicentibus, omittit *Dicendum.*

[3] Vat. cum cod. cc solum *et* pro *sed.* Mox post *similitudo* pauci codd. ut A W Y *quod* loco *quia.*

[4] Suffragantibus plurimis codd. cum ed. 1, supplevimus *et.*

[5] Plura de hoc videsis in Alex. Hal., S. p. I. q. 66. m. 1. — B. Albert., hic a. 3.

[6] Libr. V. c. 8. seqq. n. 9. seqq. — Mox auctoritate vetustiorum mss. et ed. 1 substituimus *quinque* pro *quaedam.*

[7] In cod. H additur *ut Deus, potens, bonus, magnus et huiusmodi;* in cod. O autem post *partitivis* adiungitur *ut unus, aliquis; et distinctivis ut distinctus, distinctio, discretio.*

[8] Vat. praefigit particulam *et,* ac paulo ante ed. 1 voci *personis* praemittit *tribus.* — Easdem regulas expositas invenies apud B. Albert., hic a. 6. — Richard. a Med., hic q. 7. — Petr. a Tar., hic a. 6.

[9] Nonnulli codd. ut G T ee *dicimus,* et mox cod. Y *possemus* loco *possumus.*

[10] A codd. V X hic additur *et.*

[11] Vat. contra antiquiores codd. et ed. 1 *et,* ac mox *tentum* loco *retentum.*

[12] Cfr. Priscian., V. Grammat. c. 11, ubi agit de primo modo, scil. *compositione,* et XI. c. 1, ubi de aliis modis, ac VIII. c. 10, ubi et de ultimo modo loquitur. — Paulo post supplevimus ex antiquioribus mss. et ed. 1 *scilicet.*

[13] Aliqui codd. ut A S X etc. *quod* loco *vel,* ed. 1 *secundum quod idem et* pro *vel idem,* e contra cod. W omittit *significat vel idem.*

[14] Vat., refragantibus mss. et edd. 1, 2, 3, 6, omittit *vel maior.*

[15] In Vat. et uno alterove codice male deest *esse.* Cod. T *quod esse maius dicitur dupliciter.* Paulo ante cod. X *sed si* pro *et si.*

posse. Dicendum igitur, quod participatio subiecti attenditur respectu formae universalis; et quamvis ipsa sit tota in subiecto quantum ad *esse*, non tamen quantum ad *posse*, quia potest in aliis esse; Deo autem [1] nihil potest esse maius nec quantum ad *esse*, nec quantum ad *posse*. Et ideo argumentum Augustini bene tenet, quod Deus nihil possit participare.

Aliter potest dici, quod argumentum Augustini bene tenet in his formis, quae natae sunt aliquid denominare per essentiam; et in talibus, quod est per participationem, reducitur ad illud quod est per essentiam; et quandocumque sic est, illud quod est ens per essentiam, excellit illud quod habet [2] ens per participationem. Si ergo magnitudo est magna per essentiam, et Deus per participationem, necessario sequitur, quod magnitudo est maior quam Deus. Non sic est de albedine, quia non est nata se denominare nec de aliquo per [3] essentiam praedicari, denominando illud.

Alia solutio. Notandum.

DISTINCTIO XXIII.

Cap. I.

De hoc nomine quod est persona, quod secundum substantiam dicatur, non singulariter, sed pluraliter accipitur in summa.

Praedictis [1] adiiciendum est, quod cum omnia nomina, quae secundum substantiam de Deo dicuntur, singulariter et non pluraliter de omnibus in summa dicantur personis, ut supra ostensum est [2], est tamen unum nomen, scilicet persona, quod secundum substantiam dicitur de singulis personis et pluraliter, non singulariter in summa accipitur. Dicimus enim: Pater est persona, Filius est persona, Spiritus sanctus est persona, et hoc secundum substantiam dicitur. Nec tamen dicitur: Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt una persona, sed tres personae. Hoc ergo nomen excipitur a praedicta [3] regula nominum, quae secundum substantiam de Deo dicuntur, quia cum hoc ad se dicatur et secundum substantiam, pluraliter tamen, non singulariter in summa accipitur.

Probatur, quod persona dicitur secundum substantiam. Quod autem persona secundum substantiam dicatur, Augustinus ostendit in septimo libro de Trinitate [4] dicens: «Non est aliud Deo *esse*, aliud *personam esse*, sed omnino idem». Item [5]: «In hac Trinitate cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris. Quocirca ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ita et persona Patris non aliud quam ipse Pater est; ad se quippe dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum sanctum, sicut ad se dicitur Deus et magnus et bonus et iustus et huiusmodi. Et quemadmodum hoc illi est *esse*, quod *Deum esse*, quod *magnum esse*, quod *bonum esse*; ita hoc illi est *esse*, quod *personam esse*». Ecce expresse habes, quod persona secundum substantiam dicitur, ut cum dicitur: Pater est persona, hic sit sensus: Pater est essentia divina; similiter, cum dicitur: Filius est persona, Spiritus sanctus est persona, id est essentia divina.

Quaestio alia. Ideo oritur hic quaestio difficilis quidem, sed non inutilis, qua quaeritur, cur non dicantur hi tres una persona, sicut una essentia et unus Deus. Quam quaestionem Augustinus diligenter tractat atque congrue explicat in septimo libro de Trinitate [6] ita dicens: «Cur non haec tria simul unam personam dicimus, sicut unam essentiam et unum Deum, sed dicimus tres personas, cum tres deos aut tres essentias non dicamus? Quia volumus vel unum aliquod vocabulum servare huic significationi, qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interroganti, quid tres essent, cum tres esse fateamur». «Cum ergo quaeritur, quid tres, ut ait Augustinus in libro quinto de Trinitate [7], magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen *tres personae*, non ut illud diceretur, sed ne taceretur omnino». Non enim rei ineffabilis eminentia hoc vocabulo explicari valet. Ecce ostendit, qua necessitate dicatur pluraliter *personae*, videlicet ut hoc uno nomine quaerentibus de tribus respondeamus [8].

---

[1] Ex omnibus fere codd. et ed. 1 substituimus *autem* loco *tamen*.

[2] Vat. *est*, sed contra mss. et sex primas edd.

[3] Cod. G *quantum ad*. — Idem dubium resolvit B. Albert., hic a. 8, ubi tenet primam solutionem. Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 4. a. 3. § 6. ait: Unde Augustinus (V. c. 10.) de Trinit. dicit: Quod cum dicitur *magnum* de creatura, ut de domo vel de monte, dicitur magnum participatione, et non est creatura sua magnitudo; sed cum dicitur *magnum* de Deo, dicitur magnitudo per essentiam, et ipse est sua magnitudo. Accipit autem hic *magnum* Augustinus, secundum quod est commune ad magnum dimensione et magnum virtute; nam in Deo non est magnum dimensione, sed magnum in virtute; ita etiam intelligendum, cum dicitur *bonus* et huiusmodi. Hoc ergo modo vult dicere Augustinus, quod dicuntur de Deo proprie huiusmodi nomina abstrahendo a modo, quo sunt in creatura etc. — Ultimam propositionem, quam S. Bonav. de *albedine* ponit, S. Thomas, hic circa lit. sic demonstrat: Rem albam dicimus albam, sed albedinem dicimus albedinem (non denominatur alba). Non enim quod est in causato oportet esse in causa eodem modo, sed eminentiori. — Vide etiam Petr. a Tar., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Codd. BE adiungunt *tamen*.

[2] Dist. XXII. c. 3.

[3] Codd. ABE *praescripta*.

[4] Cap. 6. n. 11, ubi sola Vat. pro *non est aliud Deo* perperam legit *non aliud Deum*, ed. 8 et cod. C *est Deum esse*.

[5] Ibid.

[6] Ibid. immediate post. — Hic Vat. et aliae edd. contra codd., ed. 1 et originale post *cum* addunt *tamen*. Paulo post eadem Vat. et paucae edd. *taceamus interrogati* pro *taceremus interroganti*.

[7] Cap. 9. n. 10.

[8] Codd. et ed. 1 *responderemus*, et paulo ante pro *dicatur* sola ed. 8 *dicantur*.

CAP. II.

Qua necessitate dictum sit tres personae a Latinis, et a Graecis tres hypostases vel substantiae.

Qua necessitate non solum Latinus sermo, sed etiam Graecus eadem pene super hac re laborans nominum penuria coarctatur. Unde Augustinus, quid a Graecis vel a Latinis necessitate de ineffabili Trinitate dictum sit, aperiens, in septimo libro de Trinitate [1] ait: «Loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, dictum est a Graecis *una essentia, tres substantiae*, id est una usia, tres hypostases. Aliter enim Graeci accipiunt substantiam quam Latini. A Latinis autem dictum est *una essentia* vel *substantia, tres personae*, quia non aliter in sermone nostro, id est Latino, essentia quam substantia solet intelligi. Et ut intelligatur saltem in aenigmate, placuit ita dici, ut diceretur aliquid, cum quaereretur, quid tria sint, quae tria esse [2] fides vera pronuntiat, cum et Patrem non dicit esse Filium, et Spiritum sanctum, scilicet Donum Dei, nec Patrem dicit esse nec Filium. Cum ergo quaeritur, quid *tria* vel quid *tres*, conferimus nos ad inveniendum aliquod nomen, quo complectamur haec tria. Neque occurrit animo, quia supereminentia divinitatis usitati eloquii facultatem excedit. Verius enim cogitatur Deus quam dicitur et verius est quam cogitatur».

Quid significetur in divinis nomine tres.

«Pater ergo et Filius et Spiritus sanctus, quoniam tres sunt, quid *tres* sint quaeramus, et quid commune habeant. Non enim possunt dici tres patres, quia tantum Pater ibi Pater est, nec tres filii, cum nec Pater ibi sit Filius nec Spiritus sanctus, nec tres spiritus sancti, quia Spiritus sanctus propria significatione, qua etiam [3] Donum Dei dicitur, nec Pater est nec Filius. Quid ergo tres? Si tres personae esse dicuntur, commune est eis id quod persona est». «Certe enim, quia Pater est persona, et Filius est persona, et Spiritus sanctus est persona, ideo dicuntur tres personae». «Propterea ergo dicimus tres personas, quia commune est eis id quod persona est [4]». Ex praedictis aperte intelligi potest, qua necessitate dictum sit a Latinis *tres personae*, cum persona secundum substantiam dicatur. Unde et tribus commune est id quod persona est [5].

CAP. III.

Quare non dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse tres deos, ut tres personas.

Sed quaeritur hic, cum dicamus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse tres personas, quia commune est eis quod persona est, id est, quia Pater est persona, et Filius est persona, et Spiritus sanctus est persona: cur non dicamus similiter tres deos, cum et Pater sit Deus, et Filius sit Deus, et Spiritus sanctus sit Deus? Quia scilicet illud Scriptura contradicit; hoc autem, etsi non dicit, non tamen contradicit. Unde Augustinus hanc movens quaestionem atque definiens in libro septimo de Trinitate [6] ita ait: «Si ideo dicimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse tres personas, quia commune est eis id quod persona est; cur non etiam tres deos dicimus? Certe, ut praedictum est, quia Pater est persona, et Filius est persona, et Spiritus sanctus est persona, ideo tres personae dicuntur. Quia ergo Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, cur non dicuntur tres dii»? Ecce proposuit quaestionem; attende, quid respondeat subdens [7]: «An ideo non dicuntur tres dii, quia Scriptura non dicit tres deos? Sed nec tres personas alicubi Scripturae textus commemorat. An ideo licuit loquendi et disputandi necessitate tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit? Si autem diceremus tres deos, contradiceret Scriptura dicens [8]: *Audi Israel, Deus tuus, Deus unus est*». Ecce absolutio quaestionis, quare potius dicamus tres personas quam tres deos, quia scilicet illud non contradicit Scriptura.

Responsio iuxta Augustinum.

CAP. IV.

Cur non dicimus tres essentias, ut tres personas.

Verum et hic alia emergit quaestio, quam Augustinus consequenter annectit dicens [9]: «Cur, inquit, et tres essentias non licet dicere, quod similiter Scriptura sicut non dicit, ita non contradicit? At si dicis, quod propter unitatem Trinitatis non dicuntur tres essentiae, sed una essentia; quaero, cur non propter eandem unitatem Trinitatis dicantur una persona, et non tres personae. Ut enim est illis commune nomen essentiae, ita ut singulus quisque dicatur essentia, sic illis commune est personae vocabulum». «Quid igitur restat, nisi ut fateamur, loquendi necessitate a Graecis et Latinis parta haec vocabula adversus insidias vel errores haereticorum? Cumque conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis de Deo tenet sive per piam fidem sive per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa aequalitate ulla diversitas. Rursus non poterat dicere, non esse tria quaedam; quod quia dixit Sabellius, in haeresim lapsus est. Quaesivit ergo, quid tria diceret, et dixit tres personas sive tres substantias secundum Graecos».

Essentia non distinguitur, personae distinguuntur.

---

[1] Cap. 4. n. 7. — Paulo ante Vat. cum nonnullis edd. omittit *a* ante *Latinis*. Verba in textu *id est* usque *quam Latini* inclusive a Magistro interpolata sunt.

[2] Solummodo Vat. et edd. 4, 6 post *Quae tria esse* male addunt *tria*: edd. 5, 9 *quia tria esse fides*.

[3] Vat. et edd. 4, 8 omittunt *etiam*.

[4] Tres loci Augustini leguntur loc. cit. n. 7. et 8.

[5] Hic Vat. et aliae edd. contra ed. 1 et omnes codd. addunt: *id est hoc nomen persona*.

[6] Cap. 4. n. 8. — Ex codd. et plurimis edd. adiecimus *ita* ante *ait*. In fine textus Vat. et edd. 2, 3, 4, 5 bis addunt *est*, scil. post *Pater* et post *Filius*.

[7] Ibid. paucis interpositis. — Paulo ante Vat. contra codd. et plures edd. addit *hanc* ante *quaestionem*. In ipso textu cod. D post *textus* addit *scilicet novi et veteris Testamenti*.

[8] Deuter. 6, 4. Vulgata: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est*. Cum Magistro et Augustino legunt Ambrosius, libr. I. de Fide ad Gratianum c. 1. n. 6. et c. 3. n. 23; et Hilarius, libr. IV. de Trinitate n. 8. — Immediate post cod. D *solutio* loco *absolutio*. Deinde pro *illud* ed. 6 *illi*.

[9] Ibid. immediate post, et quod sequitur n. 9. — In fine primi textus ed. 1 post *vocabulum* addit *et essentiam praedicat*.

Graecorum consuetudo loquendi.

«Quod enim de personis secundum nostram, hoc de substantiis secundum Graecorum consuetudinem oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres substantias, unam essentiam, id est tres hypostases, unam usiam; quemadmodum nos dicimus tres personas, unam essentiam vel substantiam [1]»; «quamquam et illi, si vellent, sicut dicunt tres substantias, tres hypostases, possent dicere tres personas, tria prosopa. Illud autem maluerunt dicere, quia fortasse secundum linguae suae consuetudinem aptius dicitur».

CAP. V.

Quod in Trinitate non est diversitas vel singularitas vel solitudo, sed unitas et trinitas et distinctio et identitas.

Iam sufficienter, ut puto, ostensum est, qua necessitate dicamus tres personas, et quare non similiter tres deos vel essentias, quia scilicet in altero obviat Scriptura, in altero diversitatis intelligentia; quia ibi nulla penitus est diversitas, sicut nec singularitas vel solitudo, sed unitas et trinitas. Unde Augustinus in libro septimo de Trinitate [2] ait: «Humana inopia quaerens, quid diceret tria, dixit tres personas vel substantias, quibus nominibus non diversitatem voluit intelligi, sed singularitatem noluit, ut non solum ibi unitas intelligatur ex eo, quod dicitur una essentia, sed trinitas ex eo, quod dicuntur tres personae». Hilarius quoque in libro septimo de Trinitate [3] ait: «Dominus dicit [4]: *Qui me videt, videt et Patrem.* Cum hoc dicitur, excluditur singularis atque unici, id est solitarii intelligentia. Nam nec solitarium sermo significat, et indifferentem tamen naturam professio docet. Visus est enim in Filio Pater per naturae unitam similitudinem. Unum sunt enim natus et generans, unum sunt neque unus. Non itaque solitarius Filius est nec singularis nec dispar». Item in eodem [5]: «Sicut in Patre et Filio credere duos deos impium est, ita Patrem et Filium singularem Deum praedicare sacrilegum est. Nihil in his novum, nihil diversum, nihil alienum, nihil separabile est». De hoc etiam Augustinus in libro Quaestionum veteris ac novae Legis [6] ait: «Unus est Deus, sed non singularis». Item Ambrosius in libro de Fide [7] ait: «Quod unius est substantiae separari non potest, etsi non sit singularitatis, sed unitatis». «Deus unus cum dicitur, nequaquam Deitatis trinitatem excludit et ideo non quod singularitatis, sed quod unitatis est praedicatur». Ecce ex praedictis ostenditur, quod nec singularis nec diversus nec unicus vel solitarius confitendus est Deus, quia singularitas vel solitudo personarum pluralitatem excludit, et diversitas unitatem essentiae tollit. Diversitas inducit separationem Divinitatis, singularitas adimit distinctionem Trinitatis. Ideo Ambrosius in secundo libro de Fide [8] ait: «Non est diversa nec singularis aequalitas»; «nec iuxta Sabellianos Patrem Filiumque confundens, nec iuxta Arianos Patrem Filiumque secernens. Pater enim et Filius distinctionem habent, separationem vero non habent». Item in eodem [9]: «Pater et Filius divinitate unum sunt, nec est ibi substantiae differentia nec ulla diversitas; alioquin quomodo unum Deum dicimus? Diversitas enim plures facit». Constat ergo ex praedictis, quia in Trinitate nulla est diversitas; si tamen aliquando in Scriptura invenitur dictum *tres diversae personae* et huiusmodi, diversas dicit distinctas.

CAP. VI.

Quod non debet dici Deus multiplex.

Et sicut in Trinitate non est diversitas, ita nec multiplicitas, et ideo non est dicendus Deus multiplex, sed trinus et simplex. Unde Ambrosius in primo libro de Fide [10] ait: «Est in Patre et Filio non discrepans, sed una divinitas, nec confusum quod unum est, nec multiplex esse potest quod indifferens est». Multiplex itaque Deus non est.

---

[1] Ibid. n. 8; sed verba *id est* usque *usiam* a Magistro inserta sunt. Locus sequens est ibid. c. 6. n. 11.

[2] Cap. 4. n. 9. — Paulo infra post *tria* sola Vat. *dicit* pro *dixit*.

[3] Num. 38. et 39. — Sed textum hunc Magister ex septem locis Hilarii contexuit; quod, ut ipsius methodus exemplo aliquo illustretur, hic lectoris oculis subiicimus. Verba: *Dominus dicit* etc. sunt ex n. 38; *Nam nec solitarium* etc. ibid. paulo ante; *Visus est* etc. ibid. paulo post; *Unum sunt enim natus et generans*, n. 39. *Unum sunt neque unus*, n. 38; *non itaque solitarius Filius est*, n. 39; *nec singularis nec dispar*, n. 38.

[4] Ioan. 14, 9. — Paulo infra post *excluditur* Vat. et aliae edd. contra ed. 1, omnes codd. et originale *singularitas* pro *singularis*.

[5] Ibid. n. 39, sed ordine propositionum immutato. Pro *sacrilegum* aliqui codd. et edd. 1, 2 habent *sacrilegium*.

[6] Quaestiones, scil. ex veteri et novo Testamento mixtim, quaest. 122. Non sunt Augustini, sed potius auctoris haeretici, fortasse Hilarii diaconi, de quo supra dist. XIX. locuti sumus. In textu Vat. cum originali, sed contra omnes codd. et alias edd., *solitarius* pro *singularis*.

[7] Libr. V. c. 3. n. 46. — Locus sequens est loc. cit. II. c. 1. n. 18. Finito textu, post *ostenditur* omnes codd. et ed. 1 *quod* loco *quia*, quod habent Vat. et aliae edd.

[8] Cap. 8. n. 69. — Sequens textus est ibid. c. 3. n. 33.

[9] In eodem opere, sed libr. I. c. 2. n. 18. et 19.

[10] Cap. 2. n. 17.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXIII.

De substantialibus nominibus divinis in speciali.

Praedictis adiiciendum est, quod cum omnia nomina, quae secundum substantiam etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de diversitate divinorum nominum in generali. Hic incipit secunda pars, in qua agit de eadem [1] in speciali. Et quoniam quaedam nomina sunt substantialia, quaedam relativa, et haec contingit considerare absolute, et ad se invicem [2]: ideo haec pars habet tres partes. In prima agit de nominibus substantialibus. In secunda de relativis, infra distinctione vigesima sexta: *Nunc de proprietatibus personarum, quas frequenter* etc. In tertia de his [3] relativis ad invicem, infra distinctione trigesima tertia: *Post supra dicta interius considerari.*

Et quoniam inter nomina substantialia hoc nomen *persona* excipitur a generali regula, quae est, quod substantiale dicitur de tribus singulariter: ideo nomen istud [4] primo a generali regula excipit, ostendens, quod debemus dicere tres personas; et hoc in praesenti distinctione. Secundo vero determinat quid significetur per hoc nomen *tres* et per hoc nomen *personas,* cum dicimus tres personas, infra distinctione proxima: *Hic diligenter inquiri oportet.*

Prima pars habet quatuor. In prima Magister illud nomen excipit a generali regula. In secunda rationem huius exceptionis investigat, ibi: *Ideo oritur hic quaestio difficilis,* ostendens, quod fuit inopia humani eloquii. In tertia Magister contra assignationem opponit et determinat, ibi: *Sed quaeritur hic, cum dicamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum.* In quarta epilogat determinata, ut addat, ibi: *Iam sufficienter, ut puto, ostensum est.* Harum partium subdivisiones per se patent. Nam quaelibet pars subdividitur in duas iuxta duo capitula, quae continet [5].

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae dicuntur in praesenti distinctione de his nominibus *persona, substantia* et *essentia,* duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de translatione istorum nominum ad divina.

Secundo de numeratione eorundem in divinis.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo, utrum debuerit ibi [6] transferri nomen *personae.*

Secundo vero, utrum nomen *substantiae.*

Tertio, utrum nomen *essentiae.*

ARTICULUS I.

De translatione nominum persona, substantia, essentia ad divina.

QUAESTIO I.

Utrum nomen personae convenienter ad divina translatum sit.

Primo ergo quaeritur, utrum debuerit ibi [7] transferri nomen *personae* ad divina. Quod autem nomen personae non debeat dici in divinis, ostenditur sic:

1. Augustinus quinto de Trinitate, et habetur in littera [8]: « Dictum est: tres personae, non ut illud diceretur, sed ne taceretur »: ergo videtur, Ad oppositum.

---

[1] In plurimis mss. et ed. 1 minus congrue deest *de eadem.*

[2] Lectio plurimorum codd. et ed. 1, in qua omittitur *invicem,* ambiguitatem generat et est contra subnexa; codd. aa bb, omisso *invicem,* verbis *ad se* praefigunt *per comparationem.*

[3] Vat. praeter fidem mss. et sex primarum edd. *substantialibus et* pro *his.*

[4] Codd. VY *illud.*

[5] In Vat. desideratur ultima haec propositio *Nam quaelibet* etc., quae tamen exstat in mss. et ed. 1.

[6] Vat. *ad divina debeat* loco *debuerit ibi,* sed contra codd., quorum tamen plures cum ed. 1 habent *debuit.*

[7] Licet particula *ibi* superabundare videatur, exigentibus tamen plurimis mss. et ed. 1, eam inseruimus. Mox in plurimis mss. et ed. 1 omittitur minus congrue *nomen personae.* Dein Vat. contra mss. et ed. 1 *Et quod* loco *Quod autem.*

[8] Hic, c. 1. in fine.

quod solum ad fugam haereticorum et non secundum veritatem et proprietatem dicatur *persona* in divinis.

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione*, quia *persona* nominat particulare et non quodcumque, sed rationalis naturae; sed a quocumque removetur superius, et inferius: ergo cum in divinis non sit dicere *particulare* [1], similiter nec erit dicere *personam*.

3. Item, particulare rationalis creaturae est compositissimum inter omnia creata. Nam compositum est ex substantia corporali et spirituali, et rursus corporalis inter omnes videtur maiorem compositionem habere: ergo cum *persona* sit nomen particularis, et hoc summe compositi, et in divinis est summa simplicitas, patet quod in divinis non debet [2] dici nomen *personae*.

4. Item, vocabula nostra debent respondere Graecis, ut unitas fidei ostendatur; sed Graeci non utuntur vocabulo *prosopon* in divinis, quod est idem quod *persona*: ergo cum ipsi proprius habeant vocabula quam nos [3], nec nos debemus uti.

Contra: 1. *Persona* dicitur quasi *per se sonans*, sive *per se unum* [4]; sed *per se unum* propriissime recipitur in Deo: ergo et *persona* secundum suum nomen. Fundamenta.

2. Item, *persona* dicitur habens suam naturam intellectualem ab aliis distinctam; sed in Deo est ponere habentem naturam intellectualem et ab aliis distinctam, sicut supra ostensum est de pluralitate personarum [5]: ergo etc.

3. Item, *persona* nominat mihi ultimum in genere rationalis naturae; sed rationalis sive intellectualis natura est nobilior inter creata [6], et rursus, ultimum in illa est completissimum, quia ei nulla potest fieri additio: ergo si quidquid completionis est, ponendum est in Deo propriissime, patet etc.

4. Item, *persona* dicit dignitatem. Unde in ecclesiasticis personae dicuntur habentes dignitatem aliquam notabilem [7]: ergo cum dignitas propriissime sit in Deo, nomen *personae* propriissime in Deo ponendum est.

CONCLUSIO.

Nomen personae convenienter et proprie in divinis dicitur ad significandam distinctionem et proprietatem nobilissimam suppositorum.

Respondeo: Dicendum, quod *persona* de sui ratione dicit suppositum [8] distinctum proprietate ad dignitatem pertinente. Et hoc patet in sua *etymologia*, et in *aequipollenti* suo. Quid sit persona.

In *etymologia*, quia persona dicitur quasi *per se unum* [9]. Per se autem unum proprie dicitur unum, quod est omnino distinctum ab aliis et in se indistinctum [10]. *Rursum*, persona dicitur a *personando*, quasi a se resonando; resonare autem dicitur quod in sono praeeminet aliis; et ideo *persona* dicitur suppositum distinctum habens dignitatem, et ratione huius dignitatis, cum deberet per naturam vocabuli dici *persona*, penultima correpta, dicitur persona, penultima producta [11]. Patet ex etymologia.

Similiter ratio huius significationis accipitur ab *aequipollenti* in lingua Graeca, quod est *prosopon*. Apud Graecos prosopon dicebatur, sicut narrat Boethius [12], homo larvatus, qui quidem solebat fieri in tragoediis; et hoc fiebat propter duo: una ratio erat ad distincte repraesentandum eum, de quo fiebat Similiter ab aequipollenti.

---

[1] Cfr. supra d. 19. p. II. q. 2. — Mox lectionem, qua ponitur *simpliciter* loco *similiter*, quaeque in mss. et edd. 1, 2, 3 communissima est, minus idoneam iudicamus, nisi verba *simpliciter nec* sumantur pro *omnino nec* seu *nullo modo*.

[2] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 substituimus *debet* pro *oportet*.

[3] Vat. cum uno alterove tantum codice hic repetit verba *et non utuntur*. Paulo ante cod. V post *utuntur* addit *hoc*, et cod. O ponit *per prius* loco *proprius*.

[4] Vat. et recentior cod. cc *una*. Dein ed. 1 post *sed* adiungit *esse per se sive*, dum c contra cod. T breviter *hoc* loco *per se unum* habet.

[5] Dist. 2. q. 2. — Paulo ante fide multorum mss. ut F G H I P Q S T V W X etc. et ed. 1 post *intellectualem* adiecimus particulam *et*, quam cod. S etiam eodem modo in maiori propositione exhibet. Dein nonnulli codd. ut T W in minori *distinctum* pro *distinctam*.

[6] Cod. aa praemittit *omnia*. Paulo infra communior mss. et edd. 1, 2, 3 lectio ponit *quod* pro *quidquid*.

[7] In Comment. super Ioannem, c. 1, 23. n. 50. (Supplem. Bonelli, tom. I.) S. Bonav. ait: *Personae* dignae et eminentes personae *ecclesiasticae* vocantur. — Vat. aliaeque edd. in hoc argumento, sicut et infra in corp. quaest., legunt *ecclesiis* pro *ecclesiasticis*; plurimi codd. propter abbreviationem verbi sunt ambiguae lectionis; codd. H ee cum ed. 1 in corp. quaest. *ecclesiasticis* clare exhibent scriptum, quae lectio et contextu et definitione ex Commentario super Ioan. modo allata et iure canonico confirmatur.

[8] In multis mss. deest *suppositum*, sed minus congrue; ed. 1 *quid* pro *suppositum*. Mox Vat. contra mss. et ed. 1 perperam *pertinens* pro *pertinente*. — Infra d. 25. a. 1. q. 2. ad 4. allatis tribus definitionibus personae quartam adiungit S. Doctor his verbis: A magistris definitur sic: persona est hypostasis distincta proprietate ad nobilitatem pertinente.

[9] Ita S. Isidorus, si audias B. Albert., S. p. I. tr. 10. q. 44. m. 1, sed idem in Comment., I. Sent. d. 23. a. 2. hoc Simoni Tornacensi adscribit. — Vat. contra fere omnes codd. et ed. 1 *una*, sed minus bene.

[10] Aristot., V. Metaph. text. 11. (IV. c. 6.): Universaliter namque quotcumque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur. Et X. text. 9. (IX. c. 3.): Quod vero indivisibile aut non divisum, unum. Libr. III. Phys. text. 68. (c. 7.): Quoniam unum est indivisibile, quodcumque unum sit. — Paulo infra post *quasi* communiorem mss. et ed. 1 lectionem exhibemus substituendo *a se* loco *per se*; forte melius legeretur *a per se*. Dein aliqui codd. cum ed. 1 *eminet* loco *praeeminet*.

[11] Haec etymologia nominis *persona* invenitur in Boeth., de Una persona et duabus naturis Christi, c. 3, his verbis: Persona vero dicta est a personando, circumflexa penultima. Quod si acuatur antepenultima, aperte a sono dicta videbitur.

[12] Loc. cit.

sermo; alia ratio erat ad melius resonandum vel personandum. Et ista duo conveniunt dictis [1] duabus proprietatibus: et ideo ab hoc nomine *prosopon* apud Graecos tractum est hoc nomen *persona* apud Latinos.

Triplex usus termini persona. Et quia in ecclesiasticis maxime attenditur distinctio dignitatum, tractum est *primo* ad significandum honorem in ecclesiasticis. *Deinde,* quia individuum rationalis naturae distinctum est ab aliis, et hoc proprietate dignitatis inter creaturas, hinc est, quod extensum est ad significandum suppositum rationalis naturae. *Demum* [2], quia in Deo est reperire suppositum distinctum proprietate nobilissima, Spiritu sancto dictante, translatum est ad divina, quia ibi res nominis propriissime invenitur, quamvis ipsum nomen prius aliis sit impositum. Concedendum est ergo, quod in divinis proprie et convenienter nomen *personae* accipitur.

Conclusio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod *dictum est, non ut diceretur*; dicendum, quod Augustinus loquitur pro [3] tempore illo, in quo nomen *personae* secundum usum aequivalebat substantiae; et ideo dictum est, non ut diceretur quod persona *consueverat significare,* sed dictum est quasi translatum, *ne taceretur,* id est, ne confessio fidei diminuta esse probaretur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod *persona* nominat particulare: dicendum, quod particulare de ratione sui nominis importat partem et imperfectionem; sed persona de ratione sui nominis importat completionem; ideo ponitur in divinis, quamvis non particulare; et bene, quia in divinis nomen speciei proprie dicitur, et nomen generis improprie [4].

3. Ad illud quod obiicitur, quod persona nominat compositissimum; dicendum, quod hoc accidit, quia individuum rationalis naturae creatae est in genere et ideo multis differentiis distat, cum distinguatur qualitate; sed in divinis est distinctio sola origine, et praeterea [5] non est in genere; et ideo non oportet, quod sit ibi aggregatio differentiarum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod apud Graecos [6] non utuntur aequipollenti, scilicet *prosopon;* dicendum, quod ratio utendi apud Latinos non tam fuit proprietas quam penuria, quia non habebant quid responderent. Et ratio huius fuit, quia substantia secundum communem usum idem sonat quod essentia; Graeci autem habebant proprium vocabulum, scilicet hypostasis, quo utuntur: et ideo non sunt coacti transferre, ut nos.

SCHOLION.

I. Conclusio affirmativa probatur per definitionem *personae.* Haec definitio eruitur tum ex etymologia vocabuli Latini, tum ex aequipollenti termino Graeco *prosopon* (πρόςωπον).

Circa verba in solut. ad 2: « In divinis nomen speciei proprie dicitur, et nomen generis improprie », cfr. supra d. 8. p. II. dub. 4; et Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 4. a. 3. § 4; et quoad *particulare et universale* d. 19. p. II. q. 2.

De conceptu personae cfr. infra d. 25. per totam, et d. 34. a. I. q. 1.

II. De conclusione: Alex. Hal., S. p. I. q. 56. m. 1, et q. 57. m. 1. — Scot., de hac et seqq.; Report. d. 25. q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. I. q. 29. a. 3. — B. Albert., hic a. 1; S. p. I. tr. 10. q. 44. m. 1. et 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic q. 2. — Henr. Gand., S. a. 53. q. 1. 2. — Durand., de hac et seq. hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, hic. q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum in divinis nomine substantiae et subsistentiae convenienter utendum sit.

Secundo quaeritur, utrum nomen *substantiae* dici debeat in divinis vel etiam *subsistentiae.* Et quod sic, videtur.

1. Augustinus libro quinto de Trinitate [7]: « Deus absque ulla dubitatione dicitur substantia, vel si melius appellatur, essentia » Fundamenta.

2. Item, tam Boethius [8] quam Augustinus de Trinitate dicunt, quod aliorum nominum genera, ut

---

[1] Vat. cum cod. cc *praedictis.*

[2] Ex multis mss. ut FGT etc. et ed. 1 substituimus *Demum* pro *Deinde.*

[3] Vat. cum cod. cc, sed aliis codd. et ed. 1 obnitentibus, *de.*

[4] In codd. aa bb additur: *Propter quod dicit Augustinus, quod Deus sine quantitate est magnus, sine qualitate bonus;* in cod. H vero *nomen speciei, ut bonus et magnus, nomen generis, ut qualis et quantus,* qui et additionem, quam ex codd. aa bb notavimus, in margine exhibet.

[5] Supple: Deus, vel: divina persona. — Pauci codd. ut Z bb ee *propterea* loco *praeterea,* lectio non spernenda; alii pauci ut KV *persona* pro *praeterea.* — De hac responsione vide plura apud Richard. de S. Vict., IV. de Trin. c. 13-16.

[6] Ita fere omnes codd. cum sex primis edd. contra Vat., quae legit *Graeci.* Paulo infra fide mss. et ed. 1 post *habebant* substituimus *quid* pro *quod.*

[7] Cap. 2. n. 3.

[8] Libr. de Trin. c. 4; et August., V. de Trin. c. 10. n. 11. seq. — Mox aliqui codd. ut VX *transeant* pro *transeunt.* Dein fide antiquiorum mss. et ed. 1 bis posuimus *transit* loco *transeat.* Codd. Y aa post *nomen* satis bene addunt *ibi.*

magnitudo, bonitas etc., transeunt in substantiam: si ergo substantia non *transit* in aliud, constat substantiae nomen proprie dici; nam si non proprie, aeque bene diceretur, quod substantia transit in alia, sicut e converso.

3. Item, ratio substantiae secundum Philosophum [1] est quod est *ens per se;* sed solus Deus propriissime est *ens per se:* ergo nomen substantiae propriissime est in Deo.

4. Item, ratio substantiae secundum Augustinum [2] est dici *ad se* et absolute; sed ibi est proprie dici ad se, ubi nulla est dependentia: ergo si hoc est in Deo, ergo etc.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Augustinus septimo de Trinitate [3]: « Inconveniens est dicere de Deo, quod substet bonitati suae »; sed si de bonitate, eadem ratione et de qualibet proprietate: ergo, simpliciter loquendo, inconveniens est dicere, ipsum esse substantiam.

2. Item, Boethius in libro de Trinitate [4]: « Deus non est substantia, sed supra omnem substantiam »: ergo hoc nomen *substantia* proprie est in creaturis et non in Deo.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia [5] omne quod substat, habet aliquid inhaerens; sed in Deo non est inhaerens neque inhaerentia: ergo nec substantia.

4. Item, omne quod substat alii [6], componitur illi; ergo ubi non est compositio nec nomen compositionis, ibi nec nomen substantiae: ergo cum in divinis non sit compositio, patet etc.

CONCLUSIO.

Substantia, quatenus dicit stare per se, non per aliud, proprie dicitur in divinis; quatenus dicit substare accidenti inhaerenti, non admittitur; quatenus dicit substare sive alii distinguenti sive alii perficienti, recipitur, sed magis propter imperfectionem nostri intellectus quam secundum proprietatem divini esse.

RESPONDEO: Dicendum, quod nomen substantiae a duplici proprietate potest dici, videlicet a *per se stando,* non per aliud; et [7] sic proprie est in divinis, et magis etiam proprie quam in creaturis; vel a *substando alii* vel aliis, et hoc est [8] tripliciter: vel alii *inhaerenti,* et sic falso et improprie dicitur in divinis, quia proprietates in divinis non sunt accidentes nec inhaerentes; vel alii *distinguenti,* et sic dicitur in divinis non omnino improprie nec omnino proprie, quia proprietas illa non inhaeret, sed distinguit [9], et ideo non facit subsistere sive substare, quasi *sub alio stare,* sed existere, quasi *ab alio esse* — et hinc est, quod Richardus dicit in libro de Trinitate [10], quod « melius dicitur existentia quam substantia » — vel quia substat alii ut *perficienti,* et sic dicitur *res naturae* substare respectu essentiae. Et iste modus magis est circa nostrum intelligere quam circa divinum esse, quia [11], sicut patebit in sequenti problemate, ex nostro intellectu evenit talis modus dicendi, non ex proprietate divini esse.

Distinctio 1. Conclusio 1. Subdistinctio. Conclusio 2. Conclusio 3. Conclusio 4.

---

[1] Aristot. substantiam communiter *negative* definit, ut in libr. de Praedicam. c. de Substantia: « Neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est »; et V. Metaph. text. 15. (IV. c. 8.): « Ultimum subiectum, quod non dicitur de alio »; *positive* autem libr. I. Phys. text. 27. seq. (c. 3.), ubi ipsam vocat: « illud quod vere est », et VII. Metaph. text. 4. (VI. c. 1.): « simpliciter ens ». Ex his verbis vel etiam ad oppositionem accidentis, quod secundum Aristot., V. Metaph. text. 35. (IV. c. 30.) alteri inest, seu cuius esse est alteri inesse, haec vulgaris definitio substantiae formata esse videtur, quae occurrit et in Ioan. Damasc. Dialectica c. 4, et in Averrois Comment. VII. Metaph. text. 48: Substantiae, quia sunt existentes per se. — In fine argumenti ex vetustioribus mss. et ed. 1 supplevimus propositionem *ergo nomen substantiae propriissime est in Deo*, quae in Vat. et cod. recentiore cc perperam deest. Paulo ante auctoritate plurium mss. ut HLMNOYZ post *propriissime est* adiecimus *ens.*

[2] Libr. VII. de Trin. c. 4. n. 9: « Absurdum est autem, ut substantia relative dicatur: omnis enim res ad se ipsam subsistit: quanto magis Deus »? Et ibidem c. 5. n. 10: « Utrumque (essentia et substantia) ad se dicitur, non relative ad aliquid ». — Mox codd. WY *sed* loco *ergo si*, et codd. VX *differentia* pro *dependentia.*

[3] Cap. 5. n. 10: Nefas est autem dicere, ut subsistat et subsit Deus bonitati suae.

[4] Cap. 4: Nam substantia in illo non est vere substantia, sed ultra substantiam.

[5] Vat. cum cod. cc omittit *quia.* Paulo infra post *non est* in nonnullis mss. ut BSWY aa additur *aliquid.*

[6] Vat. contra auctoritatem mss. et ed. 1 minus distincte *aliquid* pro *alii.*

[7] Codd. inter se non conveniunt; maior pars eorum cum ed. 1 exhibet *et*, pro quo aliqui ut ATVX *sed*, aliqui cum Vat. *si.* Mox post *magis* in multis mss. ut AFGITVXYZ etc. et ed. 1 adiungitur *etiam*, quod Vat. omittit.

[8] Aliqui codd. ut ATW cum ed. 1 omittunt *est.* Dein post *inhaerenti* cod. O addit *et haec est propria acceptio substantiae.*

[9] Plura de hoc vide infra d. 33. q. 2. — In Vat. et cod. cc desideratur *sed distinguit*, quae tamen verba exstant in aliis codd. et ed. 1. Mox verbis *ab alio esse* cod. O praemittit *sub alio sistere id est*, ubi et multi codd. ut ACFIKRSTUXY cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *quia* pro *quasi.*

[10] Libr. IV. c. 20: « Personae rectius dicuntur existentiae, quam substantiae vel subsistentiae ». — Ex quibus ultimis verbis Vat. pro textu selegit *subsistentia*, dum codd. cum sex primis edd. exhibent *substantia.* Mox ex codd. W bb (ee a secunda manu) claritatis gratia adiecimus *alii* post *substat.*

[11] Vat. cum cod. cc, ceteris codd. et ed. 1 obnitentibus, *et* pro *quia.* In fine responsionis codd. XZ *divinae essentiae* loco *divini esse.*

SCHOLION.

I. Secundum duplicem proprietatem, quae in substantia potest attendi, scilicet *stare per se* et *substare aliis* (cfr. supra d. 8. p. II. dub. 5. 6.), datur etiam responsio duplex ad quaestionem. Secundum primam proprietatem substantia recte transfertur ad divina; substantia in secundo sensu sive *substare aliis* iterum tripliciter potest intelligi, cui distinctioni respondet triplex responsio.

II. Quoad sententiam Richardi a S. Victore, quod in divinis melius dicatur *existentia* quam *subsistentia*, observandum est, quod ipse intelligit *subsistens* in sensu stricto pro eo quod per se distinctum est ea proprietate, quae in ipso est ut *in subiecto; existens* vero pro eo quod per se est distinctum ex modo *originis*. « Sed alii doctores S. Scripturae subsistentias large accipiunt pro qualitercumque per se existentibus hypostasibus, et ideo personas divinas subsistentias vel substantias vocant ». Ita B. Alber., hic a. 1. ad. 2; cfr. etiam S. Thom., S. I. q. 29. a. 3. ad 4.

III. Terminus *res naturae*, hic in corp. et alibi saepe occurrens, sumtus est ex S. Hilario (de Trinit. IX. n. 3.) et significat *suppositum*. Cfr. infra d. 34. q. 1. — S. Thom., S. I. q. 29. a. 2. in corp. dicit: « Substantia dicitur *res naturae*, secundum quod supponitur alicui naturae communi, sicut hic homo est res naturae humanae ».

IV. In conclusionibus omnes conveniunt. Alex. Hal., S. p. I. q. 48. m. 4. a. 3. § 1., et q. 57. m. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. 3. — B. Albert., de hac et seq. hic a. 4; S. p. I. tr. 10. q. 43. m. 1. — Petr. a Tar., de hac et seq. hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., q. 2. collater. 1. et 2. — Henr. Gand., S. a. 32. q. 5. n. 51. seqq., a. 68. q. 5. n. 4. — Dionys. Carth., hic q. 1. 2.

QUAESTIO III.

Utrum nomen essentiae in divinis convenienter adhibeatur; insuper quaeritur de differentia nominum essentia, subsistentia, substantia et persona.

Tertio quaeritur, utrum nomen *essentiae* dici debeat in divinis. Et quod sic, videtur.

Fondamenta. 1. Augustinus septimo de Trinitate[1]: « Essentia vere ac proprie dicitur in divinis, ita ut forte solum Deum dici oporteat essentiam ».

2. Item, hoc nomen *qui est* est nomen, quod ipse Deus sibi imposuit[2]; ergo si ipse proprie se nominat, Deus proprie dicitur *qui est;* sed de quocumque proprie dicitur *qui est*, proprie potest dici in ipso[3] *essentia:* ergo et in divinis dicitur essentia.

3. Item, inter omnia nomina nomen *essentiae* est absolutissimum, unde essentia secundum Avicennam[4] dicitur rei quidditas nomine absoluto; cum ergo in divinis sit omnimoda absolutio: ergo et nomen *essentiae*.

Contra: 1. Non intelligimus Deum nisi in creaturis et per creaturas; sed nominatio Dei est per[5] nostrum intelligere: ergo nullum nomen absolutum omnino debet poni in Deo. Ad oppositum.

2. Item, quaero, in quo differant nomen *substantiae* et[6] *essentiae?* Nam substantia aut dicit *commune*, aut *suppositum*. Si *suppositum:* ergo superfluit nomen personae; si *commune:* ergo superfluit

---

[1] Cap. 5. n. 10; in quo textu fide plurium mss. ut G H Y ee et ed. 1 nec non originalis post *oporteat* expunximus *per*.

[2] Exod. 3, 14.

[3] Vat. *de ipso*. Paulo ante post *qui est* a nonnullis mss. ut A S T V X Y et ed. 1 omittitur *proprie*. Circa finem argumenti post *dicitur* in cod. M repetitur bene *proprie*.

[4] Prae manibus habemus principaliora tantum Avicennae opera (ed. Venet. sine anno), scil. Logicam, librum Sufficientiae, de Caelo et mundo, de Anima, de Animalibus, de Intelligentiis et Primam philosophiam (metaphysicam). Licet sententia, quam S. Bonav. hic refert, in ceteris etiam Avicennae operibus quoad verbum non inveniretur, sicut in praedictis opusculis verbotenus non occurrit, colligi tamen ipsa posse videtur ex doctrina Avicennae de universalibus. Secundum ipsum enim essentiae rerum sub triplici respectu considerari possunt. « Unus respectus essentiae est, secundum quod ipsa est *non relata* ad aliquid tertium esse nec ad id quod sequitur eam, secundum quod ipsa est sic. Alius respectus est, secundum quod est in his singularibus; et alius, secundum quod est in intellectu » (Log. p. 1. c. 1.). Essentiae in se consideratae, seu quatenus essentia est, Avicenna vindicat esse absolutissimum i. e. tale quod excludit quemlibet respectum. Sic in Prima philosophia, tract. 5. c. 1. agendo de esse universalium ait: « Ponamus ergo in hoc duas considerationes (de essentia humanitatis), unam considerationem de ipsa, secundum quod est ipsa, et aliam considerationem de consequentibus ipsam. Secundum autem primam considerationem non est nisi humanitas tantum; unde si quis interrogaverit, an humanitas, quae est in Platone, ex hoc quod est humanitas, sit alia ab illa, quae est in Socrate, et necessario dixerimus: non, non oportebit consentire ei, ut dicatur: ergo haec et illa sunt una numero; quoniam negatio illa absoluta fuit, et intelleximus in ea, quod illa humanitas, ex hoc quod est humanitas, est humanitas tantum... Dicemus ergo, quod hoc est quiddam sensibile, quod est animal vel homo cum materia et accidentibus, et hoc est homo naturalis; et hoc est quiddam, quod est animal vel homo consideratum in se ipso secundum hoc quod est ipsum, non accepto cum eo hoc quod est sibi admixtum, sine conditione communis aut proprii aut unius aut multi, nec in effectu nec in respectu etiam potentiae, secundum quod est aliquid in potentia; animal enim ex hoc quod est animal, et homo ex hoc quod est homo, scil. quantum ad definitionem suam et intellectum suum absque consideratione omnium aliorum, quae comitantur illum, non est nisi animal vel homo » etc. Cfr. S. Thomas, de Ente et essentia. — In conclusione argumenti fide vetustiorum mss. et ed. 1 adiecimus *et*.

[5] Ita melius mss. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6, dum Vat. cum ed. 1 habet *propter*. Paulo ante in aliquibus mss. ut A S T etc. deest *et per creaturas*, sed minus bene et contra responsionem ad hoc obiectum infra positam.

[6] Vat. hic repetit *nomen*.

nomen *essentiae:* ergo cum debeamus labia nostra circumcidere in loquendo de Deo, nequaquam debet hoc nomen poni in Deo [1].

3. Item, quaeritur gratia huius de necessitate et sufficientia et differentia istorum quatuor nominum: essentia, subsistentia, substantia et persona. (Quaestio notabilis.)

CONCLUSIO.

Nomen essentiae convenienter adhibetur in divinis; ratio et sufficientia quatuor nominum explicantur.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod ista quatuor nomina sive vocabula [2] respondent quatuor vocabulis in Graeco, quae sunt: usia, usiosis, hypostasis et prosopon, ut usia respondeat essentiae, usiosis substantiae, hypostasis subsistentiae et prosopon personae. (De his 4. nominibus in genere.)

Ratio autem et sufficientia horum [3] quatuor nominum ab aliquibus accipitur sic. In divinis est accipere *communicabile* et *incommunicabile,* et hoc ex veritate et necessitate fidei, quae dicit Deum trinum et unum. (Explicatio 1. aliorum.)

Et cum nos [4] debeamus intelligere in Deo, quod vere est, per id quod videmus in his inferioribus, maxime secundum nobiles et primas et praecipuas conditiones; cum in *communi* in inferioribus inveniatur *quod est* et *quo est* [5], ratione cuius significatur in concretione et in abstractione, ut dicatur *homo* et *humanitas:* sic in divinis *intelligimus,* quamvis non intelligamus in differentia illa duo. Ideo et in abstractione *significamus* [6] per hoc nomen *deitas,* et in concretione per hoc nomen *Deus.* Et ideo imposuimus ei nomen, quo significaretur ipsum *quo est,* et hoc est essentia; et ipsum *quod est,* et hoc est substantia; et ita haec duo nomina accipiuntur ex parte *communis.* (Commune duplex.)

Est etiam in divinis accipere, quod est *incommunicabile,* et hoc est quid distinctum, sive quis distinctus. Et hoc quidem contingit dupliciter intelligi sive significari: vel in quantum *distinguibile,* et hoc per nomen *subsistentiae* sive hypostasis; vel in quantum *distinctum,* et hoc per nomen *personae.* Et licet in Deo nihil differant distinguibile et distinctum, quia potentia in eo semper actui est coniuncta, tamen contingit duplici nomine significari [7]. (Incommunicabile duplex.)

Unde differunt ista quatuor nomina secundum modum intelligendi, sicut *quo est, quod est, qui est, quis est* [8]. Et quoniam in Deo idem est *quo est* et *quod est* ex una parte, et *distinguibile* et *distinctum* ex alia secundum rem, Sancti accipiunt et *substantiam* et *essentiam* pro eodem; similiter et *hypostasis* nomine utuntur Graeci pro *supposito* actu distincto. Unde distinctio per *quo* et *quod est,* et per *distinguibile* et *distinctum* in nominibus [9] divinis non facit diversitatem nisi secundum rationem intelligendi. (Differentia 4. nominum.)

Fuerunt etiam [10] alii volentes dicere, quod *substantia* et *essentia* accipiuntur ex parte *communis,* sed differenter, quia illud *commune* contingit intelligi sub duplici ratione: una est, quod omnia indigent [11] eo, ut sint; alia est, quod ipsum non eget aliis. Primo modo dicitur *essentia,* a qua et per quam omnia sunt; secundo modo *substantia,* quoniam per se stat, omnibus [12] aliis circumscriptis. *Subsistentia* vero sive hypostasis et persona accipiuntur ex parte *incommunicabilis* et differunt. Quamvis enim utrumque nomen dicat quid distinctum, tamen *hypostasis* dicit suppositum substantiae distinctum, sed *persona* dicit distinctum proprietate nobili. (Explicatio 2. aliorum.)

Fuerunt [13] alii, qui voluerunt dicere, quod ista quatuor nomina distinguuntur per *communicabile* et *incommunicabile,* secundum quod potest unumquodque dupliciter significari: vel in *abstractione,* vel in *concretione.* Nam *communicabile* potest significari [14] in *abstractione,* et sic dicitur essentia; vel in *concretione* ad suppositum, et sic dicitur substantia. Similiter *incommunicabile* potest significari in *abstractione,* et sic dicitur subsistentia sive hypostasis; vel in *concretione,* et sic dicitur persona. (Explicatio 3. aliorum.)

---

[1] Cod. X ultima haec verba activo modo: *nequaquam debemus hoc nomen ponere in Deo.*

[2] In multis mss. ut A F G H I K T V W X Y et ed. 1 omittitur *nomina sive,* in cod. S autem *sive vocabula.*

[3] Aliqui codd. cum Vat. *istorum,* sed mox Vat. contra antiquiores mss. et ed. 1 minus distincte *aliquando* pro *ab aliquibus.*

[4] Vat. cum cod. cc, aliis codd. et ed. 1 refragantibus, omittit *nos.* Mox, plurimis codd. et ed. 1 exigentibus, substituimus *id* pro *illud,* ac dein ex fere omnibus mss. mutavimus *notabiles* in *nobiles.*

[5] Fide plurium mss. ut H I K W X ee et ed. 1 adiunximus *est,* ut et communiter haec duo exhibentur. Paulo infra cod. H *cum differentia* loco *in differentia.*

[6] Vat. cum paucis tantum codd. *significatur,* et paulo infra contra fere omnes codd. et ed. 1 *significaremus* pro *significaretur,* ubi codd. L O *quod significaret* loco *quo significaretur.* In plurimis mss. et ed. 1 post *imposuimus* deest *ei.*

[7] Plurimi codd. cum ed. 1 *significare,* sed minus cohaerenter cum praecedentibus. Ed. 1 insuper *ratione* pro *nomine.*

[8] Fide maioris partis codd. et ed. 1 omisimus ter particulam *et,* qua Vat. dictiones *quo est, quod est* etc. coniungit; pauci codd. exhibent particulam *et* bis tantum, nempe inter primas duas dictiones ac inter duas ultimas.

[9] Vat. cum aliquibus mss. minus distincte *omnibus* pro *nominibus.*

[10] Nonnulli codd. ut A Z cum ed. 1 *et* pro *etiam.*

[11] Ed. 1 *egent.*

[12] Vat. minus bene et contra antiquiores mss. cum ed. 1 omittit *omnibus.* Plures codd. ut F H I P Q T Z aa et ed. 1 *per se est* loco *per se stat,* et aliqui codd. ut V W X post *secundo modo* repetunt *dicitur.* Paulo infra cod. L *distinguuntur* pro *differunt.*

[13] Cod. Z cum ed. 1 hic addit *et,* ac mox codd. A S T Y cum ed. 1 *secundum* loco *per.*

[14] Lectionem Vat. castigavimus ex mss. et ed. 1 ponendo *significari* pro *significare.* Dein post *concretione* plures codd. ut A C O R S T W Y non male omittunt *ad suppositum.*

Sed tamen omnes isti modi habent calumniam. *Primus* quidem, qui sumitur per distinguibile et distinctum, quia Graeci utuntur vocabulo hypostasis, ubi nos utimur persona, et ita pro supposito distincto. Et Damascenus [1] dicit, quod « hypostasis est substantia cum proprietatibus »; et ita significat actu distinctum. *Secundus* modus similiter habet calumniam, quia essentia non videtur aliquo modo significari ut in ratione causae respectu aliorum, cum sit nomen absolutissimum. *Tertius* modus habet calumniam similiter [2], quia substantia significat in abstractione, sicut essentia; et *praeterea* dubium est, utrum sit intelligere hypostases, abstractis proprietatibus; et ideo si non est intelligere, quomodo contingit significare?

Hi tres modi deficiunt aliquatenus.

Et propterea *quartus* modus dicendi est, quod cum fides dicat, Deum esse trinum et unum, in quantum dicit *unum*, non possumus intelligere unum, quin intelligamus *quod est* [3] et *quo est* unum; et *quo est* unum est illud *quo est,* et *quod est* unum est illud *quod est.* Primum est essentia, secundum substantia. Si intelligimus *trinum,* necesse est, quod [4] intelligamus eum *qui* distinguitur, et *quo* distinguitur. *Quo* distinguitur est proprietas; ille autem *qui* distinguitur semper significatur ut distinctus. Et hoc potest esse dupliciter: vel ut distinctus proprietate *quacumque,* vel ut distinctus proprietate *nobili* sive notabili [5]. Primum significatur nomine *subsistentiae*, quae dicitur prima substantia [6], et convenit non tantum individuo hominis, sed etiam asini. Secundum significatur per hoc nomen *persona,* quod importat nobilem proprietatem et non convenit nisi supposito rationalis creaturae [7]. Quia Graeci utuntur nomine *hypostasis,* sicut nos nomine *personae,* ideo dicit Boethius [8], quod Graeci utuntur nomine hypostasis pro supposito rationalis naturae. His visis patent obiecta.

Explicatio 4, quae est auctoris.

Distinctus dicitur dupliciter.

1. Quod autem [9] obiicitur, quod non debemus Deum nominare *absolute;* dicendum, quod quamvis nominemus Deum per creaturas, tamen etiam per creaturas cognoscimus, eum habere esse absolutum. Alia patent.

Solutio ad 1.

SCHOLION.

I. Pro faciliore intelligentia aliquorum terminorum, in hac et sequentibus distinctionibus saepe occurrentium, haec ex communi antiquorum doctrina notamus.

1. *Essentia, substantia, natura,* licet in Deo sint omnino idem et etiam respectu creaturarum ab auctoribus saepe confundantur, tamen in rigore significationis differunt. *Essentia* « sumitur ab esse, quod est communissimum » (S. Thom., S. I. q. 29. a. 1. ad 4.), et simul maxime abstractum et « absolutissimum » (S. Bonav. hic in 3. fundam.) i. e. quod omnem dependentiam et respectum ad extra maxime excludit, et est « maxime intimum cuilibet » (S. Thom., S. q. 8. a. 1.). Essentia est proprie id « quod significatur per definitionem » (S. Thom., S. I. q. 29. a. 2. ad 3.). Unde dici potest de rebus omnium praedicamentorum. — *Substantia* est magis contractae significationis, cum de eo tantum dicatur, quod est in primo praedicamento, et distinguitur contra *accidens,* quia est illud quod est per se et alterum sustinet. — *Natura* significationem habet adhuc magis contractam. Dicit S. Bonav. (III. Sent. d. 5. a. 2. q. 1. ad 4.): « In hoc differt essentia a natura, quod essentia nominat rei formam in quadam abstractione, natura eam nominat entem in motu et materia, ut naturalium operationum principium ».

2. *Communicabilitas* et *incommunicabilitas* duplex est. Alia est communicabilitas *per identitatem,* qua aliquod superius suis inferioribus ita est communicabile, ut de ipsis in recto praedicetur. Ita *homo* est communicabile omnibus humanis individuis. Alia est communicabilitas per *informationem* sive « per unius constitutionem », qua aliquid ita communicatur, ut sit alicuius rei forma vel substantialis vel accidentalis, sicut anima communicatur corpori, et quodlibet accidens suo subiecto; cfr. III. Sent. d. 5. a. 1. q. 2. ad 1. — Utroque modo essentia divina a nobis concipitur communicabilis et communicata personis, scil. ut *quo est* et ut *quod est.* Nam essentia divina praedicatur in recto de personis (Pater est essentia divina), et concipitur a nobis etiam ut ratio, qua ipsae personae sunt Deus (Pater essentia divina est Deus).

3. Differunt *particulare* et *singulare, individuum, suppositum, persona. Particulare* potest etiam species dici respectu generis, sed *singulare* seu individuum semper opponitur speciei. Duplex autem est *singulare:* vel in genere *accidentis,* et hoc est communicabile subiecto ut forma accidentalis; vel in genere *substantiae,* et sic singulare vel individuum est *naturaliter* incommunicabile utroque modo supra dicto. De ratione individui est, quod sit divisum ab aliis, quae sunt vel possunt esse in eadem specie, in se indivisum existens. Unde *de facto* individuum in genere substantiae (si praescindimus ab humana Christi natura) coincidit cum *supposito,* de cuius ratione est incommunicabilitas; secundum *conceptum* vero ambo distinguuntur. Quomodo vero suppositum et subsistentia distinguantur a natura singulari, sive quid eidem addant tum in creatis tum in divinis, est quaestio difficilis et controversa, de qua vide infra d. 25. Schol. ad q. 1, et quoad suppositum in divinis d. 34. q. 1. — Denique *persona* iterum magis contrahit significationem *suppositi;* nam *suppositum* etiam in rebus materialibus reperitur, *persona* vero addit nobilitatem naturae intellectualis et eo ipso altiorem gradum in se subsistendi. Minus

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 6: Hypostasis enim definitur essentia cum accidentibus.

[2] Auctoritate plurimorum mss. et ed. 1 hic supplevimus *similiter,* et mox substituimus *significat* pro *significatur.* Paulo infra post *non est intelligere* cod. aa repetit *hypostases abstractis proprietatibus.*

[3] In cod. T hic additur *unum.*

[4] Ed. 1 *ut.*

[5] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 omittit *sive notabili.*

[6] Plura de *prima substantia* seu individua substantia videsis in Aristot., libr. de Praedicam. c. de Substantia.

[7] Ed. 1 *naturae.* Paulo ante plures codd. ut A T Z cum ed. 1 *notabilem* pro *nobilem.*

[8] Libr. de Una persona et duabus naturis Christi, c. 3. — Vat. in principio huius propositionis contra mss. et sex primas edd. *Pro qua* loco *Quia,* ac dein praeter fidem plurimorum mss. et ed. 1 *ut dicit Boethius, qui ait* pro *ideo dicit Boethius,* nec non paulo post *creaturae* pro *naturae.*

[9] Codd. V X *enim.* Cod. V in fine post *Alia* repetit *obiecta.*

enim res materiales in se subsistunt quam spirituales, per se loquendo. Unde naturae intellectivae dicuntur et sunt eminenti modo *formae subsistentes*. De persona cfr. infra d. 25. per totam.

II. Circa differentiam et sufficientiam quatuor nominum, de quibus agitur in corp., tres afferuntur opiniones, quae omnes ab eodem fundamento procedunt, scilicet ab illa distinctione inter *communicabile* (commune) et *incommunicabile* (proprium); sed in ulteriore explicatione vias aliquatenus diversas tenent, ut exponitur in textu. Omnes tres opiniones S. Doctor reputat ex aliqua parte deficientes (« habent calumniam »). Contra primam opinionem ipse urget hanc rationem, quod theologi cum S. Ioan. Damasceno hypostasim et personam eodem sensu accipiunt; contra secundam, quod abutatur nomine *essentiae* et faciat *referre* ad creaturas, cum sit « absolutissimum »; quae ratio confirmatur a S. Thom. (S. I. q. 39. a. 2. in corp.); contra tertiam duas affert rationes, quarum prima habet aliquam difficultatem. Videtur enim S. Doctor negare, quod substantia accipi possit in concreto, quod tamen alibi (a. 2. q. 2.) cum S. Thoma clare docet dicendo, personam posse nominari substantiam. Fortasse solum usum loquendi pro argumento adduxit; unde etiam statim aliam addidit rationem. — Denique propriam suam opinionem egregie explanat, consentientibus Alexandro et S. Thoma.

III. Alex. Hal., S. p. I. q. 49. m. 1; q. 57. m. 1. 2. — S. Thom., hic a. 1; S. I. q. 29. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Ægid. R., hic q. 2. collater. 3. — Henr. Gand., S. a. 68. q. 5; n. 4. a. 53. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2.

ARTICULUS II.

De numeratione quatuor nominum.

Consequenter secundo loco[1] est quaestio de numeratione nominum praedictorum; et supposito quod numeretur hoc nomen *persona*, quaeritur circa hoc:

Primo utrum in divinis numeretur hoc nomen *substantia*.

Secundo quaeritur, si numeretur *essentia*.

Tertio, si hoc nomen *Deus*, utrum scilicet catholice possimus dicere plures deos.

QUAESTIO I.

Utrum plures substantiae in divinis dici possint.

Quod autem numeretur hoc nomen *substantia*, ostenditur sic.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Hilarius de Synodis[2]: « Sunt quidem tria per substantiam, sed unum per consonantiam ».

2. Item, Anselmus in fine Monologii[3]: « Aptius tres dicuntur substantiae ».

3. Item, Boethius in libro de Duabus naturis et una persona Christi[4]: « Dicimus unam essentiam et tres substantias ».

4. Item, hoc ipsum videtur *ratione*, quia substantia est medium inter essentiam et personam; sed medium sapit naturam extremorum[5]: ergo pari ratione, qua dicitur una substantia ab unitate essentiae, poterit dici *plures* a pluralitate personarum.

5. Item, omnis numerus ad substantiam reducitur originaliter — nunquam enim accidentia vel proprietates numerantur nisi per substantiam[6] — sed actus numerantur et pluraliter dicuntur in divinis: ergo necesse est ponere numerum secundum substantiam. Quod autem pluraliter dicantur, patet; dicitur enim: Pater et Filius et Spiritus sanctus creant.

6. Item, *idem* est relativum substantiae, sicut *talis et qualis* qualitatis; sed haec est falsa: Pater est idem cum Filio, quia dicit Hilarius[7], quod non possumus dicere Deum eundem: ergo necesse est, quod cadat distinctio in substantia; ergo si propter distinctionem personarum dicimus plures personas, ergo et plures substantias.

Argg. pro parte negativa.

Contra: 1. Nihil magis dicitur secundum substantiam quam hoc nomen *substantia*: ergo si nomina substantialia dicuntur singulariter de omnibus, sicut patet ex regula Augustini supra posita[8], patet etc.

---

[1] Ex mss. et ed. 1 supplevimus *secundo loco*, et paulo infra ex antiquioribus codd. et ed. 1 *circa hoc: Primo*.

[2] Num. 31: Sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum.

[3] Cap. 78: « Nam haec duo nomina (persona scil. et substantia) aptius eliguntur ad significandam pluralitatem in summa essentia ». Et paulo post: « Potest ergo hac necessitatis ratione irreprehensibiliter illa summa et una trinitas sive trina unitas dici una essentia et tres personae sive tres substantiae ».

[4] Cap. 3: Unde etiam dicimus, unam esse οὐσίαν vel οὐσίωσιν, id est essentiam vel subsistentiam Deitatis, sed tres ὑποστάσεις, id est tres substantias.

[5] Aristot., IV. Polit. c. 9. (c. 7.): In eo (medio) enim utrumque extremorum apparet.

[6] Cfr. Aristot., I. Topic. c. 6. (c. 5.), ubi agitur de diversis modis, quibus *idem* dicitur, inter quos est ille, secundum quem accidens facit unum numero cum suo subiecto, respectu cuius in libro Auctoritatum Aristotelis etc. additur: unde accidentia numerantur numeratione subiectorum. — Ed. 1 post *proprietates numerantur* addit *in se*.

[7] Libr. 1. de Trin. n. 17: Sed nos edocti divinitus neque duos deos praedicare neque solum, hanc evangelici ac prophetici praeconii rationem in confessione Dei Patris et Dei Filii afferemus, ut unum in fide nostra sint uterque, non unus; neque eundem utrumque, neque inter verum ac falsum aliud confitentes. Cfr. supra pag. 364 nota 11.

[8] Dist. 22. dub. 2. circa finem.

2. Item, inter quaecumque cadit distinctio secundum substantiam[1], cadit vera diversitas; sed inter Patrem et Filium non est confitenda diversitas, ergo nec numerus secundum substantiam: ergo non est dicere plures substantias.

3. Item, Augustinus[2] dicit: «quod idem est Deo *subsistere* et *esse*»; ergo cum unum sit *esse*, unum est *subsistere*: ergo sicut ab uno *esse* dicitur una *essentia* vel e converso, ita et ab uno *subsistere* debet dici una *substantia* sive *subsistentia*.

4. Item[-], Hieronymus ad Damasum Papam[3]: «Quis unquam nisi ore sacrilego tres substantias praedicaverit»?

CONCLUSIO.

Substantia et subsistentia, ut dicunt essentiam, non plurificantur; si accipiuntur in sensu hypostaseos, in plurali dicuntur.

Respondeo: Dicendum, quod tam *substantiae* quam *subsistentiae* nomen dupliciter accipitur in divinis, quia quodlibet istorum habet in se intellectum *actus* et *praepositionis*. Potest ergo dici *substantia*, quasi *per se stans*, vel[4] *sub alio* sive sub proprietate. *Primo* modo una tantum est sive non numeratur, quia unum est ibi *quod est*. *Alio* modo, prout dicit respectum ad proprietatem[5], numeratur sive plurificatur. Primo modo tantum valet quantum *usiosis*, secundo modo tantum valet quantum *hypostasis*. Omnino eodem modo distinguitur hoc nomen *subsistentia*[6], et secundum alterum intellectum aequipollet *usiosi*, secundum alterum *hypostasi*; et secundum alterum plurificatur, secundum alterum vero minime.

Distinctio. — Conclusio 1. — Conclusio 2.

Et quia substantia dicitur dupliciter et subsistentia, ideo venit diversitas modi loquendi inter doctores. Nam Tullius et ipse Boethius[7] dicunt, quod *subsistentia* aequipollet *usiosi*, et ideo dicit Boethius, eam non plurificari; sed *substantiam* dicunt aequipollere *hypostasi*, et ideo dicit Boethius, eam plurificari, et secundum hunc modum loquitur Hilarius, Anselmus et Boethius. Sed Hieronymus et Augustinus volunt, quod *substantia* aequipolleat *usiosi*, et ideo dicunt eam non plurificari; sed[8] *subsistentia hypostasi*, et ideo dicunt eam plurificari. Ex his patet responsio ad utramque partem.

Diversus modus loquendi.

Patet etiam, quare Graeci non transtulerunt nomen *prosopon*, sicut Latini, quia oportuit nos transferre nomen *personae* propter ambiguitatem; et ideo maluit Ecclesia[9] respondere *tres personas* quam *tres substantias* sive *subsistentias*.

Usus loquendi apud Graecos.

Tamen ad argumentum quod facit, quod substantia tenet medium; dicendum, quod substantia, prout aequipollet[10] hypostasi, plus se tenet cum persona, et ideo numeratur, sicut persona, sive plurificatur; prout autem aequipollet usiosi, plus se tenet cum essentia, et ideo nec numeratur nec plurificatur, sicut nec essentia. Omnes autem illae rationes et[11] praecedentes et sequentes loquuntur de substantia, prout aequipollet hypostasi sive supposito, et hoc modo plurificatur.

Ad arg. 4. pro affirmativa. — Ad alia pro affirmativa.

Rationes autem ad oppositam partem currunt secundum aliam acceptionem huius nominis *substantia*. Similiter iudicandum[12] de hoc nomine *subsistentia*. Sed quoniam auctoritas Augustini et mos utentium nomen illud, *substantia* scilicet, accipit magis in illa acceptione, in qua dicit ipsum *quod est* sive usiosim sive ipsum commune: ideo communiter non recipitur, ut dicantur *tres substantiae* in divinis.

Ad argg. pro negativa.

SCHOLION.

I. Cum termini *substantia* et *subsistentia* compositi sint ex praepositione *sub* et verbo *stare* sive *sistere*, duplicem sensum ex etymologia habere possunt, sive ut dicit S. Bonav. (hic in corp.) habent «in se intellectum actus et praepositionis». Unde factum est, ut SS. Patres his vocabulis, priusquam consuetudine ecclesiastica determinatum sensum acceperant, in du-

---

[1] In aliquibus mss. ut A P Q Y desideratur *secundum substantiam*. In fine argumenti cod. T *substantia* pro *substantias*.

[2] Libr. VII. de Trin. c. 4. n. 9: Hoc est Deo esse quod subsistere. — Paulo infra post *ita* in nonnullis codd. ut A I T et ed. 1 deest *et* ac in cod. V dein *debet dici*.

[3] Epist. 15. n. 4: «Quisquam, rogo, ore sacrilego tres substantias praedicabit»? In quo textu plures codd. cum ed. 1 *praedicavit*.

[4] Vat., posito *et* pro *vel*, repetit dein *quasi stans*, sed contra sex primas edd. et mss., ex quibus tamen codd. C O R repetunt tantum *quasi*; cod. cc et edd. 2, 3, 4, 5, 6 minus bene *sive* loco *vel*.

[5] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 expunximus hic additum *tunc*.

[6] In Vat. et cod. cc desiderantur verba *hoc nomen*, quae tamen in aliis mss. et ed. 1 exhibentur; e contra paulo infra post *usiosi* Vat. contra plurimos codd. et ed. 1 adiungit *et*.

[7] Libr. de Una persona et duabus naturis Christi, c. 3, ubi et Tullius allegatur. — Mox lectio mutila Vat., qua pro verbis *aequipollet* usque *hypostasi* substituitur *et substantia aequipollent*, resarcitur fide mss. et ed. 1.

[8] Vat. praeter fidem mss. et ed. 1 *et* pro *sed*.

[9] Vat. cum codice cc tantum addit *etiam*.

[10] Cod. S W *aequivalet*. Paulo infra post secundum *ideo* ex plurimis mss. et ed. 1 substituimus *nec* pro *non*.

[11] In Vat. et cod. cc deest *et*; in codd. aa bb vero post *illae* additur *auctoritates vel*. Mox plures mss. ut A F G H I T Y etc. cum ed. 1 *aequivalet* pro *aequipollet*.

[12] Vat. cum cod. cc adiungit *est*, et paulo infra substituit *nomine illo* pro *nomen illud* ac dein *accipitur* loco *accipit*; sed obest auctoritas ed. 1 et aliorum mss., e quibus plures ponunt *accepit*.

plici sensu usi sint, et per consequens ad hanc quaestionem vel affirmative vel negative respondere potuerint.

II. Alex. Hal., S. p. I. q. 57. m. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. ad 4. 5: S. I. q. 29. a. 2. ad 2. — B. Albert., hic. a. 3; de hac et seq. q. S. p. I. tr. 10. q. 43. m. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Ægid. R., hic q. 4. — Henr. Gand., de hac et seq. S. a. 53. q. 5. n. 37, et a. 75. q. 3. n. 8. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum plures essentiae in divinis numerari possint.

Secundo quaeritur de numeratione illius nominis *essentia*. Et quod non numeretur, ostenditur sic[1]:

Fundamenta. 1. Quia in divinis est unitas absolutissima, quae non multiplicatur: ergo cum nullum nomen sit adeo absolutum, sicut nomen *essentiae*, ergo per illud significatur unitas non multiplicata: ergo nomen *essentiae* non numeratur; et hoc est quod dicit Augustinus[2], quod ratio repugnat.

2. Item, hoc ipsum videtur a *minori*. Hoc enim nomen *Deus* est nomen essentiae in comparatione ad personam; sed secundum Scripturam in Lege, scilicet Deuteronomii sexto[3], Deus dicitur unus et non plures; et secundum Symbolum[4]: « Non tres dii, sed unus est Deus »: ergo et hoc nomen *essentia* multo minus plurificatur, cum dicatur absolutius.

3. Item, natura divina non multiplicatur in tribus; sed hoc nomen *essentia* est nomen divinae naturae, ut hoc nomen *substantia*: ergo nec *essentia* nec *substantia* multiplicantur[5] sub propriis nominibus, ut videtur.

Ad oppositum. Contra: 1. Augustinus septimo de Trinitate[6]: « Cur haec tria non dicantur una persona », et loquitur de tribus personis; sed neutrum genus respicit essentiam: ergo cum dicantur tria, ergo tres essentiae.

2. Item, *ratione* videtur: Augustinus in eodem libro[7] dicit, quod « Pater et Filius et Spiritus sanctus dicuntur tres personae, quia commune est eis hoc quod est *persona* »; sed hoc nomen *essentia* est commune: ergo potest dici *tres essentiae*.

3. Item, ibidem dicit, et habetur in littera[8], quod « ideo dicuntur tres personae, quia Pater est persona, et Filius persona et Spiritus sanctus persona ». Ergo similiter sunt tres essentiae, quia Pater est essentia etc.

4. Item, Pater et Filius sunt entes plures, ergo plures habentes entitatem[9] — sequitur enim: sunt plures dii, ergo plures deitates — similiter: Pater et Filius sunt: ergo plura esse, ergo plures essentiae.

CONCLUSIO.

Essentia non numeratur in divinis, quia una eademque natura non numerata est in tribus personis.

Respondeo: Dicendum, quod in omni substantia, cuius est esse et operari, necessario intelligimus *naturam* et *habentem* naturam. Distinctio. Cum ergo hoc[10] sit in Deo, intelligimus in Deo naturam et habentem naturam. Et naturam dicimus substantiam vel essentiam; habentem naturam dicimus personam. Quoniam[11] ergo in creatura rationali contingit, unam personam habere plures naturas, scilicet corporalem et spiritualem: sic a contrario sensu in Deo propter sum- Aliter hoc in creatura et in Deo.

---

[1] Nonnulli codd. ut A T X Y *hoc ostenditur* et ed. 1 *hic ostenditur* pro *ostenditur sic*.

[2] Vide hic in lit. Magistri, c. 4. et 5. Cfr. etiam infra dub. 3. circa lit.

[3] Vers. 4: Audi Israel Dominus Deus noster, Dominus unus est.

[4] Scil. Athanasianum; in verbis ex ipso allegatis plures codd. cum ed. 1 omittunt *est*. Mox post *ergo* fide plurimorum mss. et ed. 1 adiecimus *et* ac dein ex multis codd. ut A F H M N T Z etc. et ed. 1 *multo*, plures autem codd. ut K V X aa bb ponunt, eodem sensu servato, *multo fortius non* pro *multo minus*. Tandem in fine argumenti codd. sunt inter se divisi; alii enim, et quidem boni, ut A F G S T Z cum ed. 1 ponunt *dicat*, alii vero *dicatur*.

[5] Ex pluribus codd. ut A S T V W etc. cum edd. 1, 2, 3, 6 substituimus *multiplicantur* pro *multiplicatur*. Paulo ante plurimi codd. cum ed. 1 *et* loco *ut*.

[6] Cap. 4 n. 8: Aut quoniam propter ineffabilem coniunctionem haec tria (scil. Pater, Filius et Spiritus sanctus) simul unus Deus, cur non etiam una persona etc. — Vide etiam hic in littera Magistri, c. 4, ubi alius textus Augustini ex eodem capite citatur, in quo recurrit verbum *dicantur*, pro quo et originale et plures codd. cum ed. 1 ponunt *dicuntur*. Respectu horum verborum Augustini magna invenitur in mss. varietas; sic plures ut B D F G H I Q T V cum ed. 1 legunt *Cum* pro *Cur*, quod in paucis ut P Z omittitur; dein aliqui codd. ut A P S T omittunt particulam *non*, et nonnulli ut V X bb post *dicantur* addunt *de*. Mox post *personis* exhibemus lectionem codd. Y aa bb; ceteri codd. fere omnes pro *sed neutrum genus* habent *ergo proprie*, quae lectio corruptionem textus, vel omissionem plurium verborum sapit. Vat. cum cod. cc *sed Tria in neutro genere respicit*.

[7] Cap. 4. n. 7. 8. Vide hic lit. Magistri, c. 3.

[8] Hic, c. 3; quo in textu solummodo Vat. cum cod. cc ter recurrenti nomini *persona* praefigit *una*, multi codd. cum ed. 1 tantum semel scil. prima vice, plures tandem codd. ut G H M Y omnino omittunt, quos sequimur, utpote qui et cum originali et cum littera Magistri conveniunt. Mox fide plurium mss. ut H M P Q X Z et exigente forma argumenti adiecimus *Ergo*.

[9] Ita mss. et sex primae edd. contra Vat., quae post *entes* omittit *plures* ac dein pro *habentes entitatem* ponit *habent entitates*. Paulo infra post *similiter* cod. O repetit *sequitur*.

[10] Nempe: esse et operari fundatum in substantia. — Mox post *intelligimus* in codd. aa bb additur *necessario*.

[11] Sequimur plurimos codd. et ed. 1 substituendo *Quoniam* pro *Quomodo*, et paulo infra post *sic* expungendo *et*.

mam simplicitatem contingit, unam naturam haberi a pluribus, quoniam [1] contingit eam haberi alio et alio modo; et hoc non potest esse ab eodem. Quia ergo una tantum est natura habita et non numerata, Conclusio. ideo tantum dicitur una substantia et essentia; quia vero plures habentes, ideo plures personae, nulla omnino repugnantia existente.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de essentia per Solutio oppositorum. hoc quod Augustinus dicit: *Haec tria;* dicendum, quod minus expresse loquitur et improprie; et ideo verbum eius est exponendum.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod ideo *tres personae* [2], quia persona est *commune,* et quilibet est *persona* etc.; dicendum, quod non dicit totam rationem, sed partem quantum ad verbum exterius; ideo oportet intelligere, quod ibi [3] additur: quia est commune quod distinguitur. Unde Pater est persona et Filius est persona, non eadem, sed alia.

4. Ad ultimum quod obiicitur, dicendum, quod *ens* aliquando dicitur substantive, et sic non trahit numerum aliunde; aliquando [4] tenetur adiective, et sic trahit numerum a supposito, et sic non numeratur forma; et hoc modo non sequitur, quod sint *plures entitates,* nec de hoc verbo *sunt,* quod *plura esse.*

SCHOLION.

I. Pro intelligentia solut. ad 3. notandum, quod communitas *essentiae* alio sensu accipitur quam communitas *personae* sive personarum. Illa est communitas unius eiusdemque rei, haec vero communitas tantum rationis (cfr. S. Thom., S. I. q. 30. a. 4; B. Albert., hic a. 5.). Unde haec dicit aliquid commune, quod est *distinctum* in tribus personis. Sic intelligitur, quod habetur in solut. ad 3, scil. quod ratio, quae hic ex S. Augustino affertur, tangit tantum partem causae, quare dicantur tres personae. Nam in ratione personae includitur proprietas, et ratione huius plurificantur personae.

II. In solut. ad 4. verba: « Non trahit numerum aliunde » sic intelligenda sunt: cum *ens in genere masculino* iam significet suppositum, a se, non ab alio supposito, trahit numerum. Sed *ens in genere neutro* non significat suppositum, sed essentiam seu formam; unde si ipsi adiunguntur termini numerales sive partitivi, ut *aliud, alterum,* multiplicatio significatur essentiae sive formae, quod in divinis est omnino falsum.

III. Alex. Hal., S. p. I. q. 49. m. 3. — S. Thom., I. Sent. d. 25. q. 1. a. 4; S. I. q. 39. a. 1. 2. — B. Albert., de hac et seq. hic a. 6. 7. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. — Richard. a Med., hic. a. 2. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 2. in fine.

QUAESTIO III.

Utrum catholice dicere plures deos possimus.

Tertio quaeritur, utrum catholice possimus dicere plures deos. Et quod sic, ostenditur hoc modo.

1. Hoc nomen *Deus* recipit distinctivum terminum Ad oppositum. ratione suppositionis, ut cum dicitur, Deus generat Deum: ergo cum eadem distinctio importetur per hoc quod est *generat* et per hoc quod est *tres,* quia personalis, ergo haec [5] pari ratione est catholica: tres dii sunt.

2. Item, idem est *Deus* quod *habens deitatem;* sed plures sunt habentes deitatem — hoc dicitur catholice — ergo similiter plures dii sunt.

3. Item, hoc nomen *Deus,* quamvis sit substantiale, tamen impositum est ab operatione. Sed contingit, operationem pluraliter dici de personis, ut patet Genesis primo [6]: *Faciamus hominem* etc.: ergo et hoc nomen *dii.*

4. Item, ad numerationem alicuius veram non plura requiruntur quam vera multiplicatio suppositorum et formae; sed haec est in Deo, quia tres sunt personae divinae; *persona* dicit suppositum, *divinae* [7] formam: ergo etc.

5. Item, cum omne generale contingat specifi-

---

[1] Maior numerus mss. cum ed. 1 *quoniam* loco *quia.* Paulo infra post *Quia ergo* auctoritate antiquiorum codd. et ed. 1 posuimus cohaerenter cum praecedentibus *una* pro *eadem.* Mox post *essentia* codd. aa bb repetunt *et non numerata,* et post *ideo plures* cod. K addit *dicuntur.*

[2] Ex codd. KPQ aa et ed. 1 adiecimus *personae,* et mox ex cod. H et ed. 1 pro *quaelibet* substituimus *quilibet,* scil. Pater et Filius et Spiritus sanctus, sicuti in *tertia* obiectione exhibetur; proponit siquidem S. Doctor breviter *secundam* et *tertiam* obiectionem. Quo attento, et lectio in textum recepta vera comprobatur (ex ipsis obiectionum verbis), et ratio insinuatur diversarum in mss. existentium lectionum. Nam praeter lectionem iam ex Vat. allatam ab aliquibus codd. ut AT ponitur *ideo* pro *quilibet,* ab aliis pro *quilibet, est persona,* immo in codd. PQ verba *et quilibet est persona* simpliciter omittuntur.

[3] August., VII. de Trin. c. 4-6, ubi haec propositio continetur quoad sensum in his, quae ibi dicit contra Sabellium, qui locus a Magistro habetur in cap. 4. Clarius adhuc ab August. in c. 5. et 6. explanatur, quod persona dicit aliquid commune quod *distinguitur,* essentia vero commune aliquid indistinctum. — In fine responsionis post *alia* Vat. cum cod. cc minus apte et contra antiquiores codd. cum ed. 1 addit *et alia.*

[4] Plurimi codd. cum ed. 1 minus congruenter *alio modo* pro *aliquando.* In fine responsionis auctoritate codd. HPQZ aa supplevimus *sunt,* quod contextus omnino exigit.

[5] In pluribus mss. ut IT deest *haec.*

[6] Vers. 26. — Mox post *ergo* ex multis mss. ut AFGIM ST etc. et ed. 1 supplevimus particulam *et.* Dein cod. Z *Deus* pro *dii.*

[7] In antiquioribus mss. et ed. 1 hic non repetitur *dicit,* sicuti in Vat. et cod. cc fit. In plurali conveniunt codd. et edd.

cari, et persona sit nomen generale, videtur quod possit specificari, cum dicitur: tres personae, ut dicatur adhuc specialius *qui tres;* sed hoc non potest esse, nisi addatur nomen commune tribus, nec est aliud dare quam hoc nomen *Deus:* ergo etc[1].

Fundamenta. CONTRA: 1. Quod non dicatur catholice, patet ex mandatis, Deuteronomii sexto[2]: *Audi Israel, Deus tuus Deus unus est.* Item in Symbolo[3]: « Non tres dii, sed unus est Deus ».

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione,* quia hoc nomen *Deus* dicit divinam naturam; sed divina natura non numeratur sive plurificatur[4]: ergo nec hoc nomen *Deus.*

CONCLUSIO.

Licet sint tres personae divinae, tamen secundum fidem catholicam non possumus dicere, tres esse deos.

RESPONDEO: Dicendum, quod non est dicere plures deos catholice, quia numerus pluralis significat plurificationem termini secundum suppositum et formam in nomine substantivo, cum plurale geminet suum singulare. Et ideo, cum forma importata per hoc nomen *Deus* non sit multiplicata, non debet dici *plures dii.* Conclusio.

1. Ad illud ergo[5] quod obiicitur, quod catholice dicitur: Deus generat; dicendum, quod non est simile, quia *generat* importat simul distinctionem cum convenientia; sed *plures deos* simpliciter importat distinctionem quantum ad suppositum et formam. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod idem est *Deus* quod[6] *habens deitatem;* respondeo dupliciter: quod *habens deitatem* uno modo potest dici *neutraliter,* et sic est unum solum, et aequipollet ei, quod est *Deus,* quod quidem dicit *quod est;* alio modo *masculine,* et sic non habet aequipollens, et sic multiplicatur.

Potest tamen aliter dici, quod *Deus* non significat *habentem,* sed significat *deitatem* in comparatione ad habentem; et ideo non multiplicatur. Alia solutio.

3. Ad illud quod obiicitur[7] de operatione, dicendum, quod nomen potest significare operationem per modum *adiacentis,* et sic trahit numerum aliunde; vel per modum *substantivi,* et sic non multiplicatur, et taliter significat hoc nomen *Deus.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod ibi est multiplicatio suppositorum et formae; dicendum, quod hoc nomen *divinum* est quasi possessivum; unde imponitur a duplici forma, scilicet *possessionis* et *possessoris.* Et forma deitatis est in ratione *possessoris;* et forma possessoris existente indivisa, numeratur forma *possesionis,* ut *oves Socraticae;* sic et in proposito[8]; unde non numeratur forma habita. Duplex forma in possessivo.

5. Ad illud quod obiicitur, quod generale contingit specificari; dicendum, quod persona, cum nominet[9] individuum intellectualis naturae, dupliciter potest specificari, videlicet per *propria personarum,* ut cum dicitur: tres personae, id est Pater et Filius et Spiritus sanctus; potest etiam specificari per *naturae determinationem,* ut si dicatur: personae divinae vel angelicae vel humanae. Persona specificatur dupliciter.

Et *si tu quaeras*[10], quare non specificatur per unum nomen, sicut est in creaturis, quod tres personae angelicae dicuntur tres Angeli; responderi potest, quod hoc est propter inopiam humani eloquii, qua laborat tam lingua Graeca quam Latina, sed Quaestio incideos. Solutio 1.

---

[1] Sensus est: in hac dictione *tres personae* nomen *personae*, cum sit nomen genericum, specificari debet, ut cognoscatur, quales seu *qui* sint isti tres; sed hoc fieri nequit nisi additione huius nominis *Deus*, quod est tribus commune, dicendo *tres dii.*

[2] Vers. 4, ubi Vulgata: Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est. — Lectionem in textum receptam exhibent codd. et lit. Magistri, hic c. 3. Cfr. etiam lit. Magistri, d. II. c. 4.

[3] Athanasiano. — In quo versiculo plures codd. cum ed. 1 omittunt *est.* Paulo ante Vat. cum cod. cc *Unde* pro *Item.*

[4] Vat. *specificatur*, sed praeter fidem mss. et ed. 1; cod. V *non multiplicatur*, cum quo concordat cod. X, qui tamen particulam *non* omittit.

[5] Fide multorum mss. et ed. 1 adiecimus *ergo.* Mox post *generat* in cod. X additur *Deum.* Dein in cod. O post *quia generat* adiungitur *importat distinctionem in suppositis*, *non in forma*, *quia.* Tandem cod. bb ponit *vel tres*, codd. AST *tres* pro *deos.*

[6] Vat. cum nonnullis tantum codd. *et* loco *quod;* lectio in textum recepta comprobatur insuper verbis ipsius obiectionis supra positis. Mox Vat. *respondeo, quod ista locutio est duplex, quia* pro *respondeo dupliciter: quod*, sed contra ed. 1 et codd., qui tamen verba sequentia *uno modo* incongrue propter confusionem subnexorum transponunt post *dupliciter.*

[7] Vat. cum cod. cc *dicitur.* Mox post *nomen* in mss. et ed. 1 deest particula *vel* a Vat. addita. In fine responsionis codd. aa bb legunt *plurificatur* pro *multiplicatur.* — Alex. Hal., S. p. I. q. 50. m. 2. eandem obiectionem resolvens ait: Dicendum, quod quamvis hoc nomen Deus sit nomen operationis, praeter hoc habet intellectum substantiae perfectae et per se stantis. Operatio autem divina significatur dupliciter: *adiective* sive verbaliter, quia verba significant in adiacentia, et ideo propter pluralitatem personarum pluraliter significatur, cum dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem.* Aliquando vero *substantive* et nominaliter, non per modum adiacentis, quae quidem operatio est eadem quod divina substantia, et ideo non recipiet pluralitatem.

[8] Intellige: suo modo. Nam in allato exemplo forma possessoris (Socrates) est unica, forma possessionis (oves) est multiplex. Unde pluralis (Socraticae) non ad possessorem, sed ad possessionem refertur. Aliter est in locutione *personae divinae*, ubi una forma divina est in tribus personis. Unde pluralis (divinae) refertur ad tres possessores, qui numerantur, non ad formam sive divinam naturam. — Ed. 1 post *ratione possessoris* loco *et* ponit *contingit autem quod.*

[9] Vat. cum cod. cc *nominat* et paulo infra *scilicet* pro *videlicet.* Plures codd. in sequentibus exhibent bis *significari* loco *specificari*, sed perperam.

[10] Vat. cum cod. cc *quaeris,* quae et paulo infra post *creaturis* contra mss. et ed. 1 *ubi* pro *quod.*

Alia solutio. magis Latina — Vel potest dici, quod hoc non permittit natura ipsorum nominum, quoniam nomen speciale a speciali forma imponitur. Aut ergo est impositum a *natura communi*, aut a *proprietate personae*. Si est impositum a *natura communi*, cum illa non multiplicetur, non potest [1] per unum nomen specificari. Si autem est impositum a *proprietate personae*, tunc, cum illa non conveniat tribus, non potest per illud specificari. Et ideo Ecclesia, compulsa necessitate, respondet [2] nomen generale, sive quod importat communitatem nominis, quod est commune et multiplicabile; et ideo non est quaerenda specificatio per aliud nomen nisi vel per nomen adiectivum, vel per nomina personarum.

SCHOLION.

I. De unitate Dei iam actum est supra d. 2. q. 1, et de forma plurali huius nominis *Deus* d. 4. q. 3. Schol.

In 3. opposit. dicitur, nomen *Deus* (Θεός) impositum esse ab *operatione*. Hoc sumtum est ex Damasceno de Fide orthod. I. c. 9. (vide supra pag. 60 nota 2.). Distinctio illa in solutione a S. Bonav. adhibita aliis verbis ab Alex. Hal. (S. p. I. q. 50. m. 1. a. 2) sic explanatur: « Nomen operationis dicitur duobus modis: uno modo nomen *impositum ab operatione*, alio modo *signans operationem*. Primo modo dicit Damascenus, quod hoc nomen *Deus* est nomen operationis, quia impositum est et sumtum ab operatione fovendi, videndi vel consumendi, per quas operationes *a creatura mundi cognoscitur sempiterna virtus eius et divinitas* (Rom. 1, 20). Secundo modo non est nomen operationis, immo significat ipsam divinam naturam in quantum huiusmodi, et ad illam significandam impositum est. Quantum ergo ad illud *a quo* imponitur, dicitur a Damasceno nomen operationis; quantum ad illud cui imponitur, dicit Ambrosius, quod est nomen naturae ».

II. Ipsam quaestionem pauci antiqui explicite tractant, ut Alex. Hal., S. I. q. 14. m. 2; q. 50 m. 2. — B. Albert., S. p. I. tr. 13. q. 51. q. incidens 4. — Ægid. R., I. Sent. d. 2. 1. princ. q. 1.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram et primo de hoc quod dicit: *Una usia, tres hypostases*. Videtur enim hoc esse contra illud quod dicit Hieronymus [3]: « Taceamus tres hypostases; non bonae suspicionis nomen est » : ergo non debet dici. — *Praeterea* videtur, quod nomen *hypostasis* nullo modo debeat recipi vel nomen *usia*, quia Boethius dicit super librum Praedicamentorum [4], quod hypostasis est materia, usiosis forma, usia compositum; sed in divinis non recipitur materia nec compositum: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod Hieronymus non dicit, non dicendum [5], esse tres hypostases, quia falsum esset vel erroneum, sed quia nomen erat inconsuetum, et videbatur sonare idem quod substantia; et substantia secundum communem acceptionem non dicitur pluraliter de personis: et ideo volebat tunc taceri, ne haeretici occasionem acciperent malignandi. Nunc autem illud nomen specificatum est et expressum; ideo modo conceditur.

Ad illud quod obiicitur secundo, dicendum, quod huiusmodi nomina aliter accipiuntur in philosophia, aliter in theologia; et hoc patet per ipsum [6] Boethium, qui aliter accipit loquens ut philosophus, et aliter loquens ut theologus in libro de Duabus naturis et una persona Christi [7].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *verius est Deus, quam cogitatur*. Videtur enim dicere falsum, quia omnis fidelis cogitat, Deum esse trinum et unum, et nihil est verius isto: ergo non est verius, quam cogitatur. Item videtur falsum quod dicit, quod *verius cogitatur, quam dicatur;* multa enim dicimus, quae non intelligimus: ergo plus se extendit veritas sermonis quam interioris cogitationis. Item, ego dico, Deum esse summe verum; sed nihil potest verius hoc cogitari nec esse *maius* [8] summe vero: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod sermo Augustini est duplex. Potest enim esse comparatio entis ad ipsum

---

[1] Ex antiquioribus mss. et ed. 1 substituimus *potest* pro minus aptiore *potuit*. Mox post *Si autem* plures codd. cum ed. 1 *sit* loco *est*.

[2] Vat. *imponit*, sed praeter fidem mss. et edd. 1, 2, 3; ed. 1 cum aliquibus codd. *respondit*. Circa finem responsionis Vat. cum nonnullis tantum codd., omisso primo *vel*, pro secundo *vel* ponit *et*.

[3] Epist. 15. ad Damasum, n. 4, ubi in originali *Taceantur* ponitur pro *Taceamus* et *nomen* omittitur.

[4] Cap. de Substantia, ubi occurrit quidem substantiae divisio, scil. materia, species (forma) et quae ex utrisque conficitur (compositum), sed non appropriatio nominum Graecorum, hypostasis etc. — Paulo ante cod. bb et ed. 1 *nec* pro vel.

[5] Vat. cum uno alterove codice omittit *dicendum*. Mox pauci mss. ut W bb *quod* loco *quia*, ac dein aliqui codd. ut A S Y aa cum ed. 1 *et* ac cod. T *aut* pro *vel*.

[6] Fide antiquiorum mss. et ed. 1 supplevimus hic *ipsum*, et mox post *philosophus* particulam *et*, cui cod. O praemittit *in commentario*.

[7] Cap. 3. — Plura de hoc vide supra a. 1. q. 3, et a. 2. q. 1.

[8] Praebemus communiorem lectionem mss. et ed. 1, substituendo *maius* loco *magis verum;* cod. cc cum edd. 2, 3, 4, 5, 6 *nec esse magis summe verum*. Paulo ante aliqui codd. post *verius* omittunt *hoc*.

64 D


WESBY & SONS
JAN
5 6

